UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clerus Sæcularis Et Regularis

Seu Decretalium Gregorij IX. Pont. Max. Liber III ; Brevi Methodo ad discentium utilitatem expositus, In quo præcipuæ circa Materiam hujus Libri tertij, quæ tum in Theoria, tum in Praxi occurrunt, difficultates solvuntur, allatis etiam contrà sentientium fundamentis, & hororum solutionibus

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1726

VD18 13510800-001

urn:nbn:de:hbz:466:1-75041

Visual Library

Th. 481a.

N. IV.
16.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLERUS SÆCULARIS, ET REGULARIS,

SEU

Decretalium Gregorij IX. Pont. Max.

LIBER III.

Brevi Methodo ad discentium utilitatem expositus,

In quo præcipuæ circa Materiam hujus Libri tertij, quæ tum in Theoria, tum in Praxi occurrunt, difficultates solvuntur, allatis etiam contrà sententium fundamentis, & horum solutionibus.

TOMUS II.

AUTHORE

R. P. FRANCISCO

SCHMALZGRUEBER

Soc. JESU, SS. Theologiæ, & SS. Canonum Doctore, horumque in Alma Universitate Ingolstadiana antehac Professore Ordinario, & Primario, nunc Episcopalis Universitatis Dilinganæ Cancellario.

Accedunt duo Indices, unus Titulorum initio Operis, alter rerum, & verborum notabilium in calce ejusdem.

Cum Privilegio Sac. Cæs. Maj. & Facultate Superiorum.

INGOLSTADII.

Sumptibus Joannis Andreæ de la Haye Bibliopolæ Academici.

DILINGÆ,

Formis Joann. Ferd. Schvvertlen, Episc. Princ. Aulæ, & Civ. Typographi.

M.DCC. XXVI.

CLERUS SÆCULARIS, ET REGULARIS;

SEU

Decretalium Gregorij IX. Pont. Max.

LIBER III.

Brevi Methodo ad discentium utilitatem expositus,

In quo præcipuæ circa Materiam hujus Libri tertij, quæ tum in Theoria, tum in Praxi occurrunt, difficultates solvuntur, allatis etiam contra sententiam fundamentis, & horum solutionibus.

TOMUS II.

AUTHORE

R. P. FRANCISCO SCHMALZGRUEBER

Soc. JESU, SS. Theologiæ, & SS. Canonum Doctore, horumque in Alma Universitate Ingolstadiana antehac Professore Ordinario, & Primario, nunc Episcopalis Universitatis Dilingæ Cancellario.

Accedunt duo Indices, unus Titulorum initio Operis, alter rerum, & verborum notabilium in calce ejusdem.

Cum Privilegio Sac. Cæs. Maj. & Facultate Superiorum.

INGOLSTADII.

Sumptibus Joannis Andreæ de la Haye Bibliopolæ Academici.

DILINGÆ,

Formis Joann. Ferd. Schwertlen, Episc. Princ. Aulæ, & Civ. Typographi.

M.DCC.XXVI.

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS

Cum Privilegio Cæsareo.

EGo Matthæus Peck Societatis JESU per Superiorem Germaniam Præpositus Provincialis facta mihi potestate, ab Adm. R. P. N. MICHAELE Angelo Tamburino Præposito Generali, Librum, cui titulus (*Clerus Secularis, & Regularis, seu Decretalium Gregorij IX. Pont. Max. Liber III.*) Authore P. FRANCISCO SCHMALZGRUEBER Societatis nostræ Sacerdote, à Patribus ad id deputatis approbatum, Typis vulgari permitto, & Domino Joanni Andreæ de la Haye Bibliopolæ Academico Ingolstadiensi Jus Cæsarei Privilegij usurpandi indulgeo, quô Typographis, & Bibliopolis omnibus vulgatos à SOC. JESU Patribus Libros absque Superiorum Auctorúmque consensu recudendi, vel intra S. R. Imperij, & Provinciarum Sac. Cæs. Majestati hæreditario Jure subjectarum fines, importandi copia adimitur. Datam Facultatem (pro una tantùm editione) manu mea, & Officij Sigillô confirmo. Oettingæ Veteris 21. Novemb. 1713.

L.S.

MATTHÆUS PECK,
Soc. Jesu.

ELENCHUS TITULORUM, CONTENTORUM IN HOC TOMO II. LIBRI III. DECRETALIUM

TITULUS. XXV.

De Peculio Clericorum.

§. I. An, & quorum Bonorum Clerici dominium habeant? fol. 1.
§. II. Quomodo expendere Clericus Bona, qnæ sub dominio illius sunt, licitè possit? 9.

TITULUS XXVI.

De Testamentis, & Ultimis Voluntatibus.

§. I. De Testamenti Natura, Origine, & Libertate. 18.
§. II. De Testamento Solenni. 26.
§. III. De Testamento non Solenni. 34.
§. IV. De Hæredis Iustitutione. 44.
§. V. De Substitutionibus, & Legatis. 62.
§. VI. De Testamenti Resolutione. 80.
§. VII. De Executione Testamenti, & aliarum Ultimarum Voluntatum. 87.
§. VIII. De Commutatione Ultimarum Voluntatum. 93.
§. IX. De Portione Canonica Episcopali. 98.

TITULUS XXVII.

De Successionibus ab Intestato.

§. I. De Natura Successionis ab Intestato, & requisitis. 102.
§. II. Qua ratione succedant Liberi, & horum Descendentes? 105.
§. III. Qua ratione ab intestato succedant Ascendentes? 109.
§. IV. Qua ratione ab intestato succedant Consanquinei Collaterales? 112.
§. V. Quomodo ab intestato succedant Uxor, Ecclesia, Fiscus &c. 116.
§. VI. De Hæredibus Novitiorum, & Professorum intestatorum, 119.

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis.

§. I. De Loco Sepulturæ Sacræ. 126.
§. II. De Electione Sepulturæ Sacræ. 128
§. III. De Sepultura Majorum. 134.
§. IV. De Sepultura Parochiali. 137.
§. V. De Personis Sepulturâ Sacrâ indignis. 142
§. VI. De Jure Sacræ Sepulturæ, & hujus sumptibus. 149.
§. VII. De Portione Canonica Parochiali. 153.

TITULUS XXIX.

De Parochijs, & alienis Parochianis.

§. I. De Parochiæ Constitutione. 156.
§. II. De Juribus Parochiarum. 159.
§. III. De Limitibus Parochiarum. 162.

TITULUS XXX.

De Decimis, Primitijs, & Oblationibus.

§. I. De Decimarum Natura, Varietate, & Obligatione. 166.
§. II. De Modis acquirendi Jus percipiendi Decimas. 176.
§. III. De Exemptione ab onere solvendi Decimas. 182.
§. IV. De Judice Causarum Decimalium, & Pœnis fraudantium Decimas. 188.
§. V. De Primitijs, & Oblationibus. 191.

TITULUS XXXI.

De Regularibus, & Transeuntibus ad Religionem.

§. I. De Natura, Institutione, & Varietate Statûs Religiosi. 199.
§. II. De requisitis ad Substantiam Statûs Religiosi. 203.

§. III. De Personis Statûs Religiosi capacibus, vel non. 207.
§. IV. De Anno Probationis præmittendo Religiosæ Professioni. 215.
§. V. De Obligationibus, & Juribus Novitiorum. 225.
§. VI. De Renuntiationibus Bonorum, quæ à Novitijs fieri solent. 231.
§. VII. De Professione Religiosa. 245.
§. VIII. De Recessu à Religione permisso, & vetito. 266.

TITULUS XXXII.

De Conversione Conjugatorum.

§. I. De Religionis Ingressu post Matrimonium Ratum. 283.
§. II. De Ingressu Religionis post Matrimonium Consummatum. 289.

TITULUS XXXIII.

De Conversione Infidelium. 295.

TITULUS XXXIV.

De Voto, & Voti Redemptione.

§. I. De Voti Natura, & Varietate. 297.
§. II. De Voti Obligatione. 307.
§. III. De Cessatione Obligationis ex Voto contractæ. 315.

TITULUS XXXV.

De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

§. I. De Voto Paupertatis Religiosæ. 332.
§. II. De Voto Castitatis Religiosæ. 347.
§. III. De Voto Obedientiæ Religiosæ. 353.
§. IV. Alia quædam, quæ Jure communi constituta sunt circa Regulares utrjusque sexûs. 364.

TITULUS XXXVI.

De Religiosis Domibus, ut Episcopo sint subjectæ. 387.

TITULUS. XXXVII.

De Capellis Monachorum, & aliorum Religiosorum. 403.

TITULUS. XXXVIII.

De Jure Patronatûs

§. I. De Natura, & Varietate Juris Patronatûs. 409.
§. II. De Origine, & causis Juris Patronatûs. 420.
§. III. De Personis, quibus competit Jus Patronatûs. 434
§. IV. De Juribus, & Obligatione Patronorum. 444.
§. V. De Translatione Juris Patronatûs 453.
§. VI. De Actu Præsentationis. 469.
§. VII. De Patronatûs Probatione, Derogatione, & amissione. 490.

TITULUS XXXIX.

De Censibus, Exactionibus, Procurationibus.

§. I. De Censibus. 500.
§. II. De Exactionibus. 518.
§. III. De Procurationibus. 535.
§. IV. De Sustentatione congrua Parochi, & de Vicarij Portione. 541.

TITULUS XL.

De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

§. I. De Consecratione Ecclesiæ 553.
§. II. De Consecratione Altaris, & aliorum, quæ in Sacrificio Missæ adhibentur. 564.
§. III. De Ecclesiæ, & Cœmeterij polluti reconciliatione 575

TITULUS XLI.

De Celebratione Missarum, & Sacramento Evaristiæ, & Divinis Officijs.

§. I. De Sanctissimo Evchariſtiæ Sacramento. 586.
§. II. De Sacrosancto Missæ Sacrificio. 597.

§. III.

§. III. De Officio Divino 606.
§. IV. De Applicatione Fructûs Sacrificij. 624.
§. V. De Missarum, & Officiorum Divinorum Reductione. 639.

TITULUS XLII.
De Baptismo, & ejus effectu. 649.

TITULUS XLIII.
De Presbytero non Baptizato. 674.

TITULUS XLIV.
De Custodia Evchariſtiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum. 677.

TITULUS XLV.
De Reliquijs, & Veneratione Sanctorum.
§. I. De Veneratione, & Canonizatione Sanctorum. 693.
§. II. De Reliquijs Sanctorum, earúmque Veneratione. 697.

TITULUS XLVI.
De Observatione Jejuniorum. 704.

TITULUS XLVII.
De Purificatione post Partum. 722.

TITULUS XLVIII.
De Ecclesijs ædificandis, & reparandis.
§. I. De Ecclesiarum, præsertim Parochialium, ædificatione. 725.
§. II. De Ecclesiæ, & Ædium Parochialium reparatione. 734.

TITULUS XLIX.
De Immunitate Ecclesiarum, Cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium.
§. I. De Immunitate Ecclesiastica in genere, & in specie de Reali, & Personali. 743.
§. II. De Immunitate Locali. & præcipuè de Jure Asyli. 771.
§. III. De Locis sacri Asyli Jure gaudentibus. 787.
§. IV. De Personis, quæ Immunitate Asyli gaudent, vel non gaudent. 800.
§. V. De criminibus, quæ Reum ab Asylo sacro excludunt. 814.
§. VI. De Effectibus Immunitatis Localis. 845.
§. VII. De licita Extractione Confugæ ex Asylo in Casibus exceptis. 858.
§. VIII. De Pœnis violantium Immunitatem Localem. 868.

TITULUS L.
Ne Clerici, vel Monachi Sæcularibus Negotijs se immisceant.
§. I. De Negotiatione prohibita Clericis, & alijs Personis Ecclesiasticis. 878.
§. II. De alijs Actibus, qui Personis Ecclesiasticis prohibentur. 892.
§. III. De Studijs quibusdam, quæ prohibentur Ecclesiasticis Personis 901.



PARS III.

De Dominio, & cæteris Juribus Clericorum.

A Pactis, & Contractibus Clericorum Compilatio noſtra nos ducit ad Clericorum Jura: quæ duplicis generis proponuntur; nam aliqua promiſcuè omnibus competunt, quale eſt Jus Peculij, & Succeſſionis tum Teſtamentariæ, tum Legitimæ; alia propria Parochis, ſicut eſt Jus Sepulturæ, Decimandi, & alia Parochialia. De his ergo uſque ad Titulum XXX. inclusivè agetur.

TITULUS XXV.

De Peculio Clericorum.

PEr Contractus, & Pacta de bonis diſponitur inter vivos, per Teſtamenta, & ultimas Voluntates mortis causâ: ut conſtet, de quibus bonis alterutro modo diſponere Clerici poſſint, interſeritur præſens Titulus *de Peculio Clericorum.* Eſt autem *Peculium* ſic dictum, quaſi *Puſilla pecunia*, ſeu *parvum Patrimonium* ſit *l. depoſiti 5. §. peculium 2. ff. de Peculio.* Dupliciter poteſt accipi: *primò* ſtrictè, & propriè, quo modo acceptum eam Patrimonij, ſive bonorum portionem denotat, quam filiusf. vel ſervus permiſſu patris, aut domini ab iſtius rationibus ſeparatam, & propriam habet *l. cit. §. fin. Secundò* latè, quo modo ſumptum ſignificat quodcunque Patrimonium, ſive bona alicujus, etiam qui Juris ſui eſt *l. cogi 16. princ. ff. ad S. C. Trebell.* Hoc ſecundo modo accipitur præſenti Titulo.

§. I.

An, & quorum Bonorum Clerici Dominium habeant?

SUMMARIUM.

1. *Bona, quæ ad Clericos pertinent, ſunt triplicis generis, Patrimonialia, quaſi patrimonialia.*
2. *Et Beneficialia, quæ à ſimpliciter Eccleſiaſticis diſtinguuntur.*
3. 4. 5. *Simpliciter Eccleſiaſticorum dominium particulare eſt penes ipſas Eccleſias.*
6. *Patrimonialium, & quaſi Patrimonialium Clerici ſunt verè domini.*
7. *Quod etiam dicendum de Diſtributionibus quotidianis.*
8. *Fundamenta ſententiæ negantis Bonorum Beneficialium dominium Clericis.*
9. *Reſolvitur pro ſententia affirmante.*
10. *Solvuntur argumenta prioris ſententiæ.*
11. 12. *Ad quem pertineant res à Prælatis, vel alijs Clericis Beneficiatis emptæ?*
13. 14. *Inter quæ bona connumerari debeant, Clericis donata, vel Teſtamento relicta?*
15. *Cui bonorum generi accenſenda ſint bona relicta à Clerico?*
16. *Vel empta ab eodem, quando non conſtat ex quibus bonis ea emerit?*

1 QUæritur 1. quotuplicis generis ſint bona, quæ ad Clericos pertinent? R. ſunt triplicis maximè generis. 1. *Patrimonialia*, quæ Clericis aliunde, quàm ratione Beneficij, vel Officij, aut Miniſterij Eccleſiaſtici, v. g. ex hæreditate, legato, donatione, contractu, uſucapione, labore, vel induſtria obvenerunt, ut ſi Clericus ſit Muſicus, Pictor, Sculptor &c. & ex hac arte ſua lucrum faciat.

2. *Quasi Patrimonialia*, quæ acquiruntur Clericis quidem ut talibus, sed tamen intuitu sui laboris v. g. concionando, legendo Sacra, confessiones audiendo &c. Huc revocantur funeralia, & cæteri reditus, qui *Stolæ* dicuntur: item Distributiones quotidianæ, quæ dantur ijs, qui Officijs Divinis interfunt: & denique illa, quæ de congrua sustentatione ex proventibus Beneficialibus sibi debita frugaliùs vivendo comparserunt, & *Parsimonialia* appellantur.

2 3. *Ecclesiastica*: quæ duplicis generis sunt: nam aliqua ex his tribuuntur Clericis; alia sunt, vel etiam manent penes Ecclesias, Monasteria, & alia pia loca, quibus ea fidelium liberalitate donata sunt. Priora *Beneficialia* dicuntur, & sunt reditus, seu proventus annui, quos Clerici ratione alicujus Dignitatis, vel Beneficij Ecclesiastici, in titulum collati, percipiunt. Posteriora simpliciter *Ecclesiastica* appellantur, & sunt bona, ac res mobiles, vel immobiles ipsarum Ecclesiarum, aliórumque locorum Sacrorum, & Religiosorum, quibus Clerici serviunt, vel præsunt, impendenda in eorum fabricam, ministrorum salaria, Eleemosynas pauperum, infirmorum curam &c. quibus accensentur villæ, prædia & fundi, ex quibus reditus Beneficiales proveniunt.

3 Quæritur 2. quis dominium Bonorum Ecclesiasticorum, à Beneficialibus distinctorum, habeat? Innocent. *in c. 4. de cauſ. poſſ. & propr. n. 3.* Navar. *comment de spolijs §. 2. n. 3.* Donat. *prax. regul. tom. 1. p. 2. tr. 14. q. 27. n. 1.* dominium istorum Christo tribuunt. *Fundantur 1.* varijs textibus Juris Pontificij, quibus vocantur Pecuniæ Christi *can. qui Christi 1.* & *can. qui abstulerit 6. cauſ. 12. q. 2.* Christi Patrimonium *c. cùm secundùm 16. de Præbend.* & *c. cùm ex eo 34. de Elect. in 6.* Res DEI. Trid. *sess. 25. c. 1. de reform.* ibi, *Nec res Ecclesiasticas. quæ DEI sunt &c.* 2. quia hujusmodi res, & bona à fidelibus DEO, & Christo Domino in Cultum Divinum, & Beatorum Cœlitum honorem offeruntur, & dicantur *can. res Ecclesiæ 26. cauſ. cit. q. 1.* 3. accedit communis sensus, & vox fidelium, dicentium, quòd Ecclesiarum bona, & proventus spectent ad Sanctum, vulgò dem Heiligen / in cujus venerationem Ecclesia consecrata est: & hinc eorum Administratores die Heiligen = Pfleger appellantur.

4 Sed his non obstantibus, communis est sententia cum Cajetan. *2. 2. q. 47. art. 1.* quòd dominium particulare ejusmodi Bonorum Ecclesiasticorum sit penes ipsas Ecclesias, sive Collegia, & Capitula Clericorum; aut ubi talia non sunt, penes communitatem fidelium ad Ecclesiam spectantium, si Ecclesia sit Sæcularis; si verò regularis, penes ipsa Monasteria, seu Conventus, & Communitates Religiosorum, si illa dominij sint capacia. De *Monasterijs, eorúmque Ecclesijs* patet ex *can. non dicatis 11. cauſ. 12. q. 1. can. quoniam 68. cauſ. 16. q. 1.* & disertè traditur à Trid. *sess. 25. c. 3. de Regular.* De *Ecclesijs* Sæcularibus videtur sumi ex varijs textibus, maximè verò ex *c. quorundam 1. de Testam.* ubi Gregorius IX. vel potiùs I. ut *ibidem* notat Gonz. *n. 1.* ad Antonium, vel potiùs Anthemium Campaniæ Archidiaconum rescribens, *Quidquid*, ait, *Ecclesiæ ante ipsius consecrationem fuisse cognoverit, vel in Episcopatûs Ordine prædictum Episcopum acquisivisse, in ejusdem Ecclesiæ dominio conservetur.* *Ratio* de utrisque est, quia ejusmodi res, & bona fidelium liberalitate oblata, & donata sunt ipsis Ecclesijs, quamvis cum onere eas non nisi in Ecclesiæ, vel Monasterij necessitates, & utilitates, atque ad Cultum Divinum, salutem animarum, egentium alimenta &c. expendendi.

Dixi *Dominium particulare*; nam dominium universale in omnium Ecclesiarum, & Monasteriorum bonis Ecclesia universalis habet. Addidi, *Dominium hoc particulare, si Ecclesia sit Regularis, esse penes ipsa Monasteria, si hæc dominij sint capacia*; nam si incapacia sint dominij, dominium etiam particulare rerum ipsis oblatarum erit penes Sedem Apostolicam, vel ut Gloss. *in c. causa 13. V. Ecclesiam de V. S.* habet, penes ipsum locum Sacrum, seu Religiosum, tanquam personam fictam, eo modo, quo dominium bonorum defuncti, ne vacantia censeantur, fingitur esse penes hæreditatem, donec hæres aditione ejusdem dominus eorum fiat.

Argumenta in contrarium allata vim minorem, quàm speciem habent; nam *Ad 1.* ejusmodi res dicuntur *Pecunia, Bona, Patrimonium &c. Christi*, non quòd in ejus speciali dominio sint, sed quòd ejus intuitu donatæ sint Ecclesijs, & Monasterijs. *Ad 2.* id solùm indicat onus, & obligationem ejusmodi res, & bona non aliter, quàm ad Cultum Divinum impendendi. *Ad 3.* non minùs usu receptæ sunt Phrases, quibus eadem bona dicuntur pertinere ad Ecclesiam, vel Monasterium: & hinc Administratores illarum vulgò Kirchen = Pfleger / Kirchen = Pröbst ꝛc. nuncupantur.

Quæritur 3. penes quos sit dominium 6 bonorum, quæ sunt Patrimonialia, vel quasi patrimonialia Clericorum? R. est penes ipsos Clericos. Et quidem quòd *Bonorum Patrimonialium* verè domini sint, & cons. de ijs liberè disponere possint tam inter vivos, quàm per ultimam voluntatem, constat ex *can. Episcopi 19. & seqq. cauſ. 12. q. 1. can. quicunque 2. ead. cauſ. q. 3. c. quorundam 1. & c. quia nos 8. de testam.* *Ratio est*, quia per Ordinis, vel Clericatûs assumptionem non fiunt incapaces dominij, neque eo se abdicant, aut à Jure privantur, cùm proprium habere disertè permittantur *can. certè ego 18. cauſ. cit. q. 1.* Idem dicendum de *Quasi Patrimonialibus*, ut cum S. Thoma communis TT. & Canonistarum habet. *Ratio est*, quia dantur

Cleri-

Clerico, tanquam merces laboris, & operis præstiti, sine ullo gravamine, aut onere expresso, vel tacito. *Neque refert*, quòd hæc stipendia laborem, & operam præstitam interdum excedant; quia liberè, & absolutè à fidelibus ipsis donantur.

7 Dubitari potest de *Distributionibus quotidianis.* Navarr. *de Eccl. redit. q. 1. monit. 30. n. 2.* negat Clericis istarum dominium ex ratione; quia non minùs ipsæ, quàm reditus Beneficiales acquiruntur Ecclesiæ intuitu; imò his subrogantur, & ex Trid. Decreto *sess. 21. c. 3. de reform.* in Ecclesijs, in quibus non sunt speciales Distributiones quotidianæ, ex Prædendarum proventibus sunt detrahendæ: & quod plus est, aliquando in ipsis solis Præbendæ consistunt, ut colligitur ex *c. olim 16. de V. S.* atqui ex doctrina Navarri Clerici non habent dominium redituum Beneficialium. ergo nec Distributionum.

Sed etsi redituum Beneficialium, quos *Fructus grossos* appellant, domini non forent Clerici (de quo tamen contrarium *infrà n. 9.*) dicendum tamen, quòd Distributionum quotidianarum plenum, ac liberum acquirant dominium. Ita cum S. Thoma TT. & Canonistæ magno consensu. Sumitur indubitatè ex *c. un. de Cleric. non resid. in 6.* ubi Bonifacius VIII. statuit Clericos, qui Divinis Officijs non interfuerint, Distributionum quotidianarum dominium non acquirere. igitur ab ijs, qui ijsdem interfuerint, acquiretur per argumentum à sensu contrario.

Ad Argumentum Navarri imprimis negatur, quòd Distributiones dentur intuitu Ecclesiæ; dantur enim potiùs intuitu personæ, & ut stipendium pro præsentia in Divinis Officijs: deinde non subrogantur fructibus grossis, sed potiùs dum ex istis pars aliqua juxta mentem Trid. detrahitur, fructus grossi convertuntur in Distributiones, harúmque naturam induunt, quæ prorsus diversa est, ut patet ex eo, quia licèt in impetratione Beneficij exprimendus sit valor fructuum Beneficij priùs obtenti, non tamen exprimendus est valor Distributionum quotidianarum: denique etsi istæ subrogarentur fructibus grossis, ac proinde Præbendæ rationem haberent, nihilominus Clerici ipsarum dominium consequerentur, cùm etiam fructuum Beneficialium, ut mox videbimus, dominium sibi acquirant.

8 Quæritur 4. an Clerici Sæculares sint domini Bonorum Beneficialium, seu Redituum, quos ex Beneficijs suis Ecclesiasticis annuatim percipiunt? Negant complures, præsertim antiqui; alij distinguunt, & concedunt id quidem de ijs, quæ sustentationi ipsorum congruæ sunt necessaria; negant de ijs, quæ redundant, & superflua sunt. Utraque sententia ijsdem ferè argumentis nititur. 1. varijs Juris Canonici textibus, juxta quos, quidquid Clerici ex Ecclesiæ bonis habent, Patrimonium Christi, Jus, & Res Ecclesiæ, Patrimonium, & res pauperum, esurientium panis, & egentium animarum tributum est. atqui ejusdem rei dominium, saltem stabile, & permanens, penes duos simul esse non potest. ergo Clerici redituum Beneficialium non erunt domini. 2. Clerici, qui ejusmodi res & bona in usus profanos expendunt, furtum, rapinam, & sacrilegium committunt *can. Clericos 6. caus. 1. q. 2. can. quiChristi 1. caus. 12. q. 2.* atqui nemo dominus rei suæ furtū committit, sed alienæ. ergo &c. 8. ijdem *can. quisquis 19. caus. 12. q. 2. & c. fraternitatem 2. de donat.* vocantur dispensatores tantùm, & administratores. igitur non sunt domini. 4 non possunt etiam de reditibus his liberè, & adquascunque, sed pias solùm causas disponere, vel testari, prout dicetur *infrà n. 19.* & *Tit. seq. n. 82.* atqui hoc repugnat naturæ dominij; quia qui dominium habet, vi illius liberam habet facultatem disponendi de rebus suis. ergo &c.

Sed dicendum, probabiliùs Clericos 9 Beneficiarios Sæculares habere perfectum dominium redituum Beneficij sui, non tantùm quoad partem, quæ ad congruam ipsorum sustentationem, & statûs decentiam conservandā est necessaria, sed etiam quoad eam, quæ redundat, & superflua est. Ita communis TT. & Canonistarum RR. cum S. Thom. *2. 2. q. 185. art. 7. in Corp. Colligitur 1.* ex Trid. *sess. 23. c. 1.* & *sess. 24. c. 12. de reform.* ubi statuitur, ut Beneficiarij, qui absque necessitate diu absunt, aut Professionē Fidei intra præscriptum tempus emittere negligunt, non faciunt fructus suos. igitur per argumentum à sensu contrario ij, qui præsentes sunt, & Professionem statuto tempore faciunt, fructus illos faciunt suos, & quidem omnes, cùm nulla fiat exceptio. atqui fructus suos facere, eósque lucrari apertè significat acquisitionem dominij. ergo &c. *2. ex can. quatuor 17. caus. 12. q. 2.* ubi refertur divisio reditum, & oblatorum Ecclesijs jam dudum antè facta in quatuor partes, quarum una sit Pontificis (i. e. Episcopi) altera Clericorum, tertia pauperum, quarta fabricæ applicanda. atqui hoc loco nulla fit exceptio redituum superfluorum, sed integra quarta adjudicatur Clericis. ergo &c. *3. ex c. pervenit 2. de fidejussor.* ubi præcipit Summus Pontifex, ut creditoribus Clerici satisfiat ex reditibus Beneficiorum. atqui si dominium istorum non haberent, injustè ex his ijsdem satisfieret, cùm creditori satisfacere debitor ex alienis nequeat. ergo &c. 4. *ex Constitutione Julij III.* incipit *Cùm sicut editâ 3. Junij 1550.* ubi expressè ait Pontifex, *pecunias, & alias res, occasione Ecclesiarum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore provenientes, postquam ad manus Beneficiatorum pervenerunt &c. non ulteriùs in Ecclesiasticis sed potiùs ipsorum Beneficiatorum proprijs, & ab ijs acquisitis bonis judicari, & propterea quodam-*

modo pro sæcularibus, & profanis haberi &c. 5. ex ratione, quia non constat, quòd fundatores, & alij fideles voluerint, aut velint Clericis reditus istos obvenire solùm ùt usurarijs, & administratoribus. ergo in hoc dubio melior est conditio possidentium, & stat pro ijsdem præsumptio dominij ob paritatem cum operarijs, & Officialibus Ecclesiarum profanis, qui quantumvis liberalissima aliquando stipendia pro labore suo assignata habeant, ea tamen omnia sua faciunt. 6. denique si Clerici bonorum, & redituum suorum Ecclesiasticorum non essent domini, sed usuarij, & administratores tantùm, Ecclesia illos, qui malè ea expendunt, & eos, qui sic expensa accipiunt, cogere deberet, & posset ad faciendam restitutionem: quod non facit.

10 Argumenta in contrarium allata non sunt efficacia. *Ad 1.* Bona Ecclesiastica à SS. PP. & Canonibus vocantur *Bona DEI*; quia sunt destinata tum ab Ecclesia, tum à donatoribus, ut ad honorem, & cultum DEI impendantur: *Patrimonium Christi* dicuntur; quia propter Christum, & hujus amore donata sunt: *Bona pauperum* denique; quia Clerici ex his nutriuntur, qui antiquitus dominium in particulari nullum habebant, sed verè tunc pauperes fuerant: quodsi de veris pauperibus, & relatè ad nostra tempora velis textus istos intelligi, Ecclesiastica bona dicuntur Bona pauperum, quia, ut *infrà n. 19.* dicetur, pauperibus eroganda sunt, si sint superflua. *Ad 2.* dum dicitur, quòd Clerici, qui Ecclesiasticos proventus malè expendunt, vocentur fures, & latrones, vel referri debet ad ea tempora, quibus nondum fundata erant Beneficia, sed Clerici in commune vivebant ex gratuitis fidelium Eleemosynis; vel si velis, intelligendum esse etiam de Clericis nostri temporis, dicendum est, textus *citt.* aut tantùm loqui de bonis ipsarum Ecclesiarum, quæ in profana expendendo verè fiunt fures, cùm dispensatores eorum duntaxat sint, non verò domini; aut exaggerationem oratoriam esse, sed justam, quali etiam in avaros Laicos SS. PP. aliquando invehi consueverunt, quòd ab ipsis negligerentur pauperes, in extrema, aut valde gravi necessitate constituti. Et in hoc sensu S. Hieronymus, prout refertur *can. Hospitalem dist. 42.* etiam de Laicis, *Aliena*, inquit, rapere convincitur, qui ultra necessaria retinere probatur. *Ad 3.* etiam administrator, & dispensator quis esse bonorum sibi propriorum potest; & in hoc sensu dicitur prodigis declaratis administratio bonorum interdicta: vel si contendas id intelligendum de administratione, & dispensatione bonorum alienorum, dic Clericis illam competere respectu bonorum simpliciter Ecclesiasticorum, quæ sc. non ad Clericos, sed ad Ecclesiam Jure proprietatis pertinent. *Ad 4.* quòd Clerici de reditibus à se perceptis liberè testari nequeant, non est defectus dominij; nam etiam pupillus bonorum suorum verè est dominus, licèt potestate testandi careat: sed causa est, ut dum vivunt, in pauperes, & causas pias, quod sibi supererit, erogent, & non intendant acervare opes contra obligationem, sub qua dantur eisdem Ecclesiastici reditus.

Quæritur 5. ad quem pertineant res 11
à Prælatis Ecclesiarum, vel alijs Clericis Beneficiatis emptæ? R. cum distinctione: Vel enim Prælatus, aut Beneficiarius emit res istas ex bonis suis patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus; vel contrà emit illas ex ipsarum Ecclesiarum bonis, quorum solam administrationem habet; vel deniqueex reditibus Ecclesiasticis superfluis sustentationi suæ.

Si primum, non est dubium, quin res emptæ ad Prælatum, vel Beneficiarium emptorem spectent; in hoc enim Clerici non sunt deterioris conditionis, quàm Laici.

Si secundum, res ab eo emptæ acquiruntur Ecclesiæ, ex cujus bonis sunt emptæ, ita, ut ab hac vindicari possint, quantumvis emptæ essent, non Ecclesiæ, sed proprio Prælati, vel Clerici, imò alieno alicujus consanguinei, aut amici nomine, ut habetur *c. investigandum 1. c. Presbyter 2. & c. inquirendum 4. h. tit.* *Ratio est*, quia Ecclesia hujusmodi emptionem factam præsumit, vel si aliter facta sit, ratam solùm habet in commodum ipsius Ecclesiæ, ex cujus bonis facta est emptio.

Si Tertium, & emptio facta est ex redi- 12
tibus superfluis accommodatis Prælato, vel Clerico Beneficiario, dissident inter se DD. nam Gloss. *in can. placuit 1. caus. 12. q. 3.* Turrecrem. *ibid.* Sarmient. *p. 3. c. 2.* Pirh. *hic n. 19. & seqq.* dicunt illas acquiri Ecclesiæ, non emptori, videtúrque hoc colligi ex *can. placuit cit. can. fixum 4. caus. cit. q. 5. c. Presbyter 2. & duob. seqq.* juxta quos textus à Clerico aliunde, quàm ex patrimonio proprio quæsita bona Ecclesiæ esse debent.

Sed probabiliùs dicendum ea, quæ à Prælato, vel alio Beneficiario ex reditibus Ecclesiasticis sibi appropriatis non Ecclesiæ, sed suo nomine empta sunt, non Ecclesiæ, sed ipsi Prælato, & Clerico emptori acquiri: éstque perinde, sive res empta sit mobilis, ut equus, vestis, libri, sive immobilis, ut domus, horti, vineæ &c. Ita Navar. *de reditib. Eccl. q. 1. monit. 47.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 10. q. 1.* & communis aliorum. *Ratio est*, quia cùm Clerici, ut *n. 9.* dictum est, sint domini reditum suorum Ecclesiasticorum, non est ratio, cur non etiam fiant domini eorum, quæ ex ijs comparârunt, cùm juxta Regulam *c. Ecclesia 3. ut lit. pend.* subrogatum sapiat naturam ejus, cui subrogatur. Accedit, quia *ex Constit. Pauli IV. editâ 25. Oct. 1556. & Pij IV. editâ 3. April. 1560.* hujusmodi bona accensentur Spolijs Clericorum, & cedunt Cameræ Apostolicæ: quod utique non fieret, si eorum dominium esset penes Ecclesiam.

Neque

Neque obstant textus in contrarium allegati; quia intelligendi sunt vel de rebus emptis ex bonis ipsarum Ecclesiarum, vel de emptis quidem ex Beneficialibus bonis, Ecclesiarum tamen nomine. Non malè etiam sentiet, qui dixerit intelligendos esse solùm de Episcopis, & Clericis, qui proprios, & à reditibus Ecclesiarum distinctos proventus Beneficiales non habent; aut si tales habent, dicendum est, ex ipsis empta ideo relinquenda esse propriæ Ecclesiæ, quia Clerici de Jure communi testandi facultatem non habent.

13 Quæritur 6. inter quæ Bona connumerari debeant, quæ donata, vel testamento relicta sunt Episcopo, Parocho, aut alij Clerico administratori Ecclesiæ? R. id pendere ex intentione donatoris, vel testatoris; nam si iste principaliter donare, vel relinquere voluit ipsi Ecclesiæ, donum vel relictum cedit ipsi Ecclesiæ: si verò personæ Episcopi, aut Parochi, cedit personæ ejusdem, & peculio Patrimoniali illius miscetur *c. requisivisti 15. de testam.*

Difficultas est, quid judicandum sit, quando dubium est, qua intentione donator donationem, vel testator Legatum fecerit? R. tunc recurrendum est ad conjecturas, quæ duplex est: una se tenet ex parte rei donatæ, vel legatæ, altera ex parte donatarij, vel legatarij. *In prima* observandum est, qualis sit res donata, vel legata; nam si illa conveniat usui Ecclesiastico, ut si calix, patena, vel alia similis res donata, aut legata est, præsumendum, donum, aut Legatum factum esse intuitu, & favore Ecclesiæ; secus, si personæ magis conveniat, ut vestis quotidiana &c. Menoch. *l. 3. præsumpt. 27. n. 3.* & *l. 4. præsumpt. 112. n. 8.* & *9.* König *hic n. 4.*

14 *In secunda* videndum, an donatio, vel legatum factum sit Prælato, vel alteri Beneficiario, habenti administrationem bonorum Ecclesiæ, an verò alteri Clerico, nullam administrationem habenti. *Si hoc secundum*, & e. g. aliquis ex Canonicis instituatur hæres, vel aliquid ei legetur, ita legatum aut relictum censetur legatum, vel relictum ipsi Canonico tanquam amico, non verò Ecclesiæ. *Si primum*, distinguendum, an hujusmodi donatio, vel legatum fiat personæ extraneæ, an verò conjunctæ, aut bene meritæ de donatore, vel testatore; in priore enim casu præsumitur donator, vel testator respexisse Ecclesiam, in secundo personam ipsius donatarij, vel legatarij *c. requisivisti cit. de testam.* Abb. *ibid.* Corras. *l. 2. Miscell. c. 4.* Menoch. *præs. 27. cit. n. 3.* & *4.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 117. n. 14.* & *15.* König *hic loc. cit.*

Quæritur 7. cui bonorum generi, 15 patrimonialium, an Ecclesiasticorum, accensenda sint bona relicta à Clerico, de quibus dubium est, quo titulo illa acquisiverit? R. distinguendo: Vel enim constat, quòd ejusmodi Clericus præter Beneficij sui fructus aliunde aliqua acquisiverit ex patrimonio, aut industria sua, vel de hoc non constat. *Si primum*, præsumendum est, quòd fructus Beneficij applicârit ad sustentationem suam, bona relicta autem Patrimonialia, vel Industrialia sint, ad quæ proinde hæredes ejusdem ab intestato venientes jus habeant. *Si secundum*, præsumendum est ea titulo Ecclesiæ, aut Beneficij acquisita esse: proinde Ecclesia illa sibi vendicare post mortem Clerici potest, nisi aliud hæredes ejusdem probaverint; non facilè enim Clericus aliter quid potest acquirere, ne gravi præsumptione oneretur *can. sicut 21. caus. 12. q. 1.* Covar. *in c. 1. de testam. n. 9.* & *seqq.* König *n. 7.*

Idem dicendum, quando constat, 16 quòd Clericus aliquid emerit, dubium autem est, an illud emerit ex bonis patrimonialibus, an verò ex Beneficialibus; vel enim is habuit Patrimonium aliquod proprium, vel nullum, vel admodum tenue. *Si primum*, præsertim si hoc amplum fuit, reditus verò Beneficij tenues, & congruam sustentationem non excedentes, res à Beneficiario, vel Prælato empta præsumitur empta ex patrimonio proprio. *Si secundum*, aut *tertium*, præsumitur empta ex reditibus sui Beneficij; alio enim modo peculium, quo ejusmodi res sibi compararet, honestè obtinere non potuit.

§. II.

Quomodo expendere Clericus Bona, quæ sub dominio illius sunt, licitè possit?

SUMMARIUM.

17. *Bona Patrimonialia & quasi patrimonialia Clericus expendere potest ad usus etiam profanos.*
18. *Et ad pios expensa compensare sibi ex Beneficialibus, quamvis animum compensandi non habuerit.*
19. *Beneficialia expendere debet ad usus pios.*
20. *Quæ superflua congruæ sustentationi sunt.*
21. *Hæc latitudinem patitur, & metienda ex praxi timoratorum.*
22. 23. *Aliter expendens peccat mortaliter, si in gravi quantitate: ubi, quæ talis sit?*
24. 25. *Pauperum nomine quinam hic veniant?*
26. 27. *Obligatio hæc in Clericis non oritur ex virtute Charitatis, vel misericordiæ.*
28. 29. 30. *Neque ex virtute Religionis.*
31. 32. 33. *Aut Justitiæ.*
34. 35. 36. *Sed ex præcepto Ecclesiæ tantum.*

17 QUæritur 1. quomodo Clericus expendere possit bona sua patrimonialia, vel quasi patrimonialia? R. hæc expendere potest in quoscunque usus honestos, etiam profanos; quia ut dictum est *n. 6.* horum bonorum Clericus plenum dominium habet, idque nullo modo ligatum. Idem dicendum de *Parsimonialibus*, quæ parciùs vivendo corrasit Clericus, ut cum Covar. Navar. & alijs contra Abb. Zœs. & nonnullos advertit Azor *p. 2. l. 7. c. 9. q. 5.* Imò si ex his suis Patrimonialibus bonis, vel quasi patrimonialibus, aut Ecclesiasticis necessarijs ad sustentationem congruam aliquid expenderit ad causas pias, potest postea compensationem sibi facere ex reditibus Beneficialibus sustentationi suæ superfluis.

18 Procedítque hoc, etsi non habuerit animum compensandi; imò si habuerit animum contrarium non compensandi, ut contra Palao, & alios cum communiore observat Lug. *tom. 1. de Just. D. 4. n. 92.* *Ratio est*, quia præcepto satisfit, quando ponitur opus præceptum, ut patet in exemplo præcepti de audienda Missa die festo, cui satisfacis, modò Missæ interfueris humano modo, etsi animum non habueris satisfaciendi per ejus auditionem præcepto Ecclesiæ. ergo etiam non obstante illa voluntate compensationis non faciendæ, verè jam satisfactum est præcepto, ut adeo non tenearis de fructibus Beneficij erogare id, quod jam erogâsti ex patrimonialibus tuis, sed postìs illos tibi reservando compensationem facere patrimonialium tuorum, ex quibus obligationi, quæ ratione fructuum Beneficij tibi incubuit, jam satisfeciſti.

Quæritur 2. quomodo expendere
19 Clericus debeat Bona Beneficialia congruæ sustentationi superflua? R. obligatur expendere illa in pauperes, vel alias causas pias, & quidem sub culpa ex genere suo mortali, nisi aliunde illi ab hac obligatione debeatur immunitas. Ita communis omnium TT. & Canonistarum. Colligitur ex Trid. *sess. 25. c. 1. de reform.* ubi interdicit Episcopis, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, aut familiares suos augere studeant, sed si pauperes sint, ijs ut pauperibus distribuant: & paulò post idem extendit ad omnes, qui habent Beneficia Ecclesiastica.

Dixi 1. *Bona Ecclesiastica congruæ sus-*
20 *tentationi superflua.* Porro nomine *Sustentationis congruæ* intelliguntur communiter ea, quæ necessaria sunt, ut Clericus honestè vivat juxta conditionem statûs, gradûs, qualitatis, & regionis, in qua Clericus commoratur: adeoque intelliguntur etiam moderata convivia, largitiones moderatæ, etiam divitibus factæ tum ex gratitudine, tum ex benevolentia. Atque hinc

21 *Infertur 1.* congruam sustentationem non constitere in indivisibili, sed sicut in pretijs inveniuntur supremum, medium, & infimum, sic in congrua sustentatione inveniri posse eosdem gradus: & idcirco, ut rectè Navarr. Molin. Lugo inferunt, si infimum sustentationis congruæ respectu talis Beneficiarij essent 800. aurei, medium 900. supremum 1000. posset ille, qui solùm insumpsit 800. reservare sibi 200. alios, qui superstunt usque ad 1000. & de his disponere, prout voluerit.

Infertur 2. congruam sustentationem istam non esse æquali valore pro omnibus taxandam, sed respiciendam imprimis qualitatem Beneficij; quod enim sufficit Parocho rurali, non sufficit Canonico Cathedralis Ecclesiæ, & quod huic sufficit, non sufficit Episcopo: deinde attendi debet ad qualitatem, & usum regionis; nam quod in uno loco sufficit, non sufficit in altero: denique attendi etiam debet ad qualitatem personæ; nam ratione nobilitatis, doctrinæ, ac meritorum crescit mensura sustentationis congruæ, ut desumitur ex *c. de multa 28. de præbend.* & *Extrav. Execrabilis Joannis XII. eod.*

Infertur 3. Regulam securiorem & meliorem assignari non posse, quàm praxin illorum, qui timoratæ conscientiæ sunt, & in eodem Dignitatis gradu. Hinc tutò expendere potest Canonicus pro sustentatione sua, quod videt expendere alios pios, & timoratos Canonicos ejusdem Ecclesiæ: & sic de cæteris.

Dixi 2. *Sub culpa ex genere suo morta-* 22
li; nam ita textum Trid. explicant DD. *Limita*, si in gravi quantitate; quia culpa, quæ sic committitur, admittit parvitatem materiæ.

Porro quænam sit materia notabilis, & tanta, ut eam ex superfluis expendendo in causas profanas Clericus peccet mortaliter, variæ sunt DD. sententiæ. Hurtad. *D. 160. de charit. s. 15. §. 105. & seqq.* quem refert, & sequitur Diana, putat universaliter quemlibet Ecclesiasticum, etiam ditissimum, satisfacere obligationi suæ, si seclusis necessitatibus gravibus, eroget in communibus necessitatibus quartam partem redituum, vel dimidium illius, quod remanet sustentationi congruæ. Lugo existimat sententiam hanc esse nimis laxam: hinc dicit eam materiam in præsenti quæstione censeri posse etiamnum levem, quâ solâ retentâ, expensis reliquis, moraliter adhuc existimari possent expensi esse omnes reditus superflui: talem autem quantitatem ipse putat esse vigesimam partem redituum superfluorum, eò quòd tam parum haberi possit pro nihilo.

Ego judico in re ista regulam univer- 23
salem statui nullam posse, sed determinationem relinquendam esse prudentum arbitrio, qui spectatis tum reditibus Beneficij, tum Beneficiatorum nobilitate, laboribus, meritis &c. statuant, quando erogatio in usus profanos sit mortaliter peccaminosa. Hoc certum est, ut peccetur mortaliter, plus requiri, quàm cæteroquin in materia furti ad peccatum mortale sufficiat; neque enim adeo

stricte

strictè censeri debet Ecclesia velle obstringere, cùm Clerici etiam superfluorum, ut dictum est, domini sint.

24 Dixi 3. *In pauperes, vel alias causas pias.* *Pauperum* nomine veniunt hic non solùm illi, qui non habent necessaria ad vitæ conservationem, sed etiam, qui non habent necessaria ad statum suum conservandum, & secundùm quid pauperes sunt.

In specie potest Clericus. 1. Ex ijs solvere non tantùm sua, sed etiam consanguineorum suorum debita, quamvis contracta ob finem profanum, si aliunde solvere ista vel ipse, vel isti nequeant.

25 2. Potest ex his reditibus juvare eosdem consanguineos, uti etiam familiares, ut secundùm decentiam statûs sui vivere, non verò, ut ad majorem splendorem illum possint attollere.

3. Potest fratri, vel consanguineo suo subministrare sumptus ad studendum litteris, vel addiscendam artem.

4. Potest dotare ex ijs puellas, ut contrahere Matrimonium possint, quod statum ipsarum deceat &c.

5. Potest ex ijs alere liberos suos, non solùm, quos ex legitima uxore suscepit ante Clericatum, sed etiam quos post illum suscepit illegitimè, seu spurios. De quibus vide Laym. *l. 4. tr. 2. c. 3. n. 3. prope fin. & duob. seqq.* Pirh. *hic n. 15.* Wiest. *n. 43.* & alios ab his *citt.*

Cæterùm quamvis absolutè Clericus erogare bona superflua possit in pauperes, & pias causas quascunque, decet tamen, ut potiùs succurrat pauperibus suæ Ecclesiæ: imò in gravi necessitate omnino tenetur succurrere his præ alijs; sicut enim ante distributionem bonorum ad hoc tenebatur ipsa Ecclesia, ita cùm distribueret bona sua in Clericos, hoc onus unà cum bonis in eosdem transtulit.

26 Quæritur 3. unde proveniat obligatio Clericis imposita ad eroganda sustentationi suæ superflua in causas pias? Quatuor sunt sententiæ: quarum *prima* vult obligationem istam oriri ex virtute Charitatis. *Secunda* ex virtute Religionis. *Tertia* ex Justitia. *Quarta* ex præcepto tantùm positivo Ecclesiæ. Et hinc

Dub. 1. an obligatio hæc expendendi superflua in causas pias oriatur ex virtute Charitatis, & Misericordiæ? Ita quidem affirmant aliqui ex ratione; quia cùm Clerici ratione gradûs sui sint Patres, & Tutores pauperum, speciali obligatione Charitatis præ Laicis videntur obstringi, ut his succurrant ex bonis suis.

27 Sed etsi omnino deceat ob rationem datam, ut Clerici magis, quàm Sæculares sint liberales in pauperes, ex hac tamen speciali professione curæ, & tutelæ pauperum non sequitur, quòd ex virtute Charitatis adeo strictè, & graviter obligentur, ut aliter expendendo superflua peccent mortaliter; nam 1. lex Charitatis, & misericordiæ, ut cum S. Thom. *2. 2. q. 32. art. 5.* communiter docent TT. non obligat sub mortali ad subveniendum pauperibus, nisi in extrema, vel saltem gravi necessitate constitutis, atqui potest fieri, ut in aliquo loco, vel Provincia nulli sint pauperes, qui gravem necessitatem patiuntur, vel si sint, ut illis per Magistratum, vel per alios jam sit provisum. igitur tali casu Clerici ex Charitate, & misericordia non obligabuntur superfluos reditus erogare in pauperes: peccant autem & hoc casu graviter, si eos expendant in usus profanos, ergo contra aliam Legem, quàm Charitatis, & misericordiæ. 2. Ob circumstantiam personæ, & statûs non augetur peccatum contra misericordiam, ut quod in Laico tantùm est veniale, in Clerico sit mortale, ut docet S. Thom. *2. 2. q. 186. art. 10.* atqui Laici, licèt aliquando abundantiores reditus habeant, quàm Clerici, non tamen peccant mortaliter contra Charitatem, & misericordiam, si dempto extremæ, vel gravis necessitatis casu, superfluos reditus expendant aliter, quàm in pauperes. ergo nec Clerici. 3. Clerici satisfaciunt obligationi suæ expendendo reditus suos superfluos in alia, quàm Charitatis, & misericordiæ opera, v. g. in Cultûs Divini augmentum, in fundationem Beneficij, vel Altaris, & similes usus.

Ex quo cadit argumentum contrarium; nam quòd Clerici ratione gradus sui sint patres, & tutores pauperum, ut dixi, decentiam quidem indicat, non verò obligationem; aliàs non tantùm bona Ecclesiastica, sed etiam Patrimonialia tenerentur in usus pios expendere, cùm hoc sanctitas statûs non minùs suadeat, quàm alterum.

Dub. 2. an obligatio ista oriatur ex 28
virtute Religionis? Affirmat Lugo *tom. 1. de J. & J. D. 4. s. 2. n. 16.* cum pluribus alijs. *Fundantur*; quia ad Religionem augendam, & Cultum Divinum promovendum fundatores Beneficia, & illorum reditus ordinârunt. igitur ne huic fundatorum suorum intentioni Beneficiarij contraveniant, tenebuntur id, quod sibi superfluum est, ad Divinum Cultum impendere. hoc faciunt, si erogent in causas pias. ergo &c. *Conf.* reditus Ecclesiastici, ut Trid. loquitur, sunt res Dei, has autem indecens, & turpe est aliter expendere, quàm in usus pios, & Deo, ad cujus honorem donata sunt, gratos. igitur etsi ejusmodi res sine ullo pacto, & conditione donatæ essent, qualitas tamen earum prohibet eas expendi in usus profanos, & sic peccatur adversùs Religionem.

Sed dicendum, quòd obligatio hæc 29
etiam non oriatur ex virtute Religionis. *Ratio est 1.* quia reditus Beneficiales in se non sunt res Sacræ, vel benedictæ, sicut sunt Calices, cæteráque vasa, & vestimenta Sacra, sed merè temporales, sicut bona, & reditus Laicorum.

corum, igitur non apparet, quare abusus illorum ad causas profanas sit peccatum grave adversùs Religionem. 2. Si applicatio superfluorum redituum ad causas profanas adversaretur Religioni, eidem etiam adversaretur insumptio parsimonialium, & quasi parsimonialium ad causas profanas; nam ejusdem naturæ, & rationis sunt cum reditibus Beneficialibus superfluis sequelam ipsi etiam Adversarij negant ergo &c. 3. Si titulo Religionis, adeoque ex præcepto naturali obligatio ista descenderet, non apparet, quomodo Pontifex Clericis dare facultatem ad causas profanas testandi possit, ut aliquibus dedit Julius III. & Paulus V. item quomodo ea facultas induci possit per consuetudinem, quæ tamen consuetudo datur, & ab Ecclesia toleratur multis in locis, teste Barbos. *l. 3. Jur. Eccl. c. 17. n. 67.*

30 Ad Argumentum Adversariorum dico piæ intentioni fidelium jam satisfieri, dum ejusmodi reditus distribuuntur Clericis, ratione eorum obligatis ad officium, & servitium Divinum; hoc enim, & non plus fundatores intendisse per donationem à se Ecclesiæ factam probari potest. *Ad Conf.* ex ea solùm sequitur, quòd bona illa, dum adhuc sunt in potestate Ecclesiæ, impendi debeant in Cultum Divinum; nam eò usque sunt Bona Dei: at si erogata aliquando in Clericos sint, bona Dei, & Ecclesiæ esse desinunt, & incipiunt esse bona propria Clericorum; nam eodem modo dantur Clericis reditus isti, sicut stipendium suum datur Cantoribus, & alijs Ecclesiæ Ministris Laicis, & discrimen solùm est, quòd illis detur titulo officij temporalis, Clericis autem titulo obsequij, & muneris Spiritualis. atqui Cantores, & similes Ministri Laici non tenentur expendere reditus suos in causas pias. ergo nec Clerici, secluso alio præcepto.

31 Dub. 3. an Clerici Beneficiarij superfluos congruæ sustentationi reditus teneantur expendere in pauperes, vel alias causas pias ex obligatione Justitiæ? Affirmat Navarr. *tr. de redit. Eccl. q. 2. monit. 7. n. 1.* Tann. *tom. 3. D. 4. de Just. q. 6. dub. 8. n. 215.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 3. n. 3.* & inclinat in eam sententiam Pirh. *hìc n. 6. & seqq.* ubi dicit eam esse omnium ferè Canonistarum, & plurimorum TT. Nituntur 1. authoritate complurium textuum Juris Canonici, & præcipuè Decreto Trid. *sess. 25. c. 1. de reform.* ubi Res Ecclesiæ dicuntur esse vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, ac propterea, quod congruæ Clericorum sustentationi superfluum est, jubetur expendi in causas pias. atqui Decretum istud haud æquum foret, si Clerici Beneficiarij nullo Justitiæ titulo ad faciendum hoc tenerentur, sícque dominium redituum suorum haberent omnino absolutum; quia is, qui absolutè dominus est, rerum suarum moderator est, & de ijs suo arbitratu potest disponere. 2. DD. omnes fatentur, Clericos Beneficiarios peccare mortaliter, si reditus Beneficiales superfluos in notabili quantitate, non in pauperes, vel alios usus pios, sed in profanos expendant. atqui si ex justitia ad hoc non obligantur, non potest ostendi, quo ex capite ad hoc obligentur. 3. Cui datur aliquid cum onere dandi illud, vel partem ejusdem alteri, ex Justitia tenetur illud alteri dare, & ad restitutionem obligatur, si in alios usus expendat, vel absumat inutiliter. atqui fideles tam abundantes reditus Ecclesiasticos fundârunt, & Prælatis, ac Beneficiarijs assignârunt, non nisi cum onere, ut quæ eorum honestæ sustentationi superflua sunt, in pauperes, vel alios pios usus erogent, igitur contrarium faciendo contra Justitiam peccant, & ad restitutionem tenebuntur. 4. Clerici de bonis Beneficialibus testari non possunt, aut per ultimam voluntatem de ijs disponere, etiam ad causas pias, sed moriens Ecclesiæ, unde profecti sunt, debet relinquere, ut habetur *c. ut unusquisque 3. h. tit.* hujus autem prohibitionis ratio alia reddi nequit, nisi quia illa, quæ intuitu Ecclesiæ, sive titulo Ecclesiastico acquisita sunt, inter bona profectitia numerantur, ideoque post mortem Beneficiarij ad Ecclesiam redire debent, sicut bona profectitia filijfam. post mortem hujus ad patrem. ergo &c. 5. Si Clerici Beneficiarij bonorum, & redituum Beneficialium absolutum haberent dominium, sine obligatione Justitiæ expendendi illos in causas pias, injuriam ipsis Ecclesia faceret, illos reditus sibi vendicando post mortem, & potestatem testandi de illis adimendo Clericis; nullus enim, qui absoluto jure est dominus bonorum sine ullo gravamine, vel onere annexo, prohibetur de illis testari, nisi ob defectum ætatis, vel judicij, aut potestatis administrandi bona sua.

Sed his non obstantibus dicendum: 32 Obligatio expendendi superfluos reditus in causas pias non est Justitiæ obligatio. Ita DD. *n. 35.* citandi. Et hinc sequitur, si Clericus Beneficiarius reditus congruæ suæ sustentationi superfluos aliter, quàm ad causas pias expendat, non tamen obligatum esse ad istorum restitutionem. *Ratio est*, quia nemo cogendus est ad restitutionem alicujus rei, nisi constet esse alienam, & lege Justitiæ alteri debitam; nam ut communis Regula habet, in dubio nemo spoliandus est jure, quod possidet. atqui nulla ratione, vel authoritate constat Beneficiarios lege Justitiæ obligari ad partem aliquam redituum suorum dandam alteri. ergo &c. *Min. probatur:* nam si contrarium constaret, id constaret vel ex modo donationis fidelium, vel ex dispositione Ecclesiæ. *Non primum;* quia non constat, quòd fideles, qui hæc bona contulerunt, illa donaverint sub hoc modo, & conditione: & quamvis intenderint, vel desideraverint ex superfluis ali pauperes, tamen valde est credibile,

dibile, eos hanc obligationem non imposuisse, tum quia non dubitabant Clericos hoc sponte facturos, tum quia modestiores, ac reverentiores erant, quàm ut Clericis auderent hanc obligationem imponere. *Non secundum*; quia nusquam in SS. Canonibus clarè explicatur, quòd Ecclesia Clericis imposuerit obligationem Justitiæ ad expendendos reditus superfluos in causas pias, & cons. restituendi illos, quos aliter, quàm in prædictum finem expenderunt. atqui oportuisset clariùs explicare, si voluisset obligationem istam imponere, cùm magni momenti res sit, utpote quæ ad omnes Beneficiarios pertinet, & summopere ad ædificationem publicam, ac pauperum sustentationem confert. *Conf.* si Clerici reditus, qui congruam sustentationem excedunt, in consanguineos, & alias causas profanas conferendo peccarent contra Justitiam, non solùm ipsi, sed etiam ij, in quos contulerunt, obligarentur ad id, quod acceperunt, restituendum pauperibus, vel Ecclesiæ, imò ad hoc compellendi essent à Prælatis Superioribus suis Ecclesiasticis: quod tamen isti sine ullo officij sui neglecti scrupulo non præstant, atque ad id ex officio præstandum se obligatos non agnoscunt. ergo &c.

33 Argumenta Adversariorum non evincunt intentum. *Ad 1.* præceptum erogandi reditus superfluos in causas pias, etsi obligationem Justitiæ non imponat, vel supponat, iniquum tamen nequaquam est, quia conforme est justo desiderio fidelium, servit ad disciplinam Cleri, & ædificationem populi, & subsidium pauperibus affert ex ijs bonis, quæ sic decentiùs expenduntur. *Ad 2.* infrà *n. 35.* dicam, obligationem istam oriri ex præcepto Ecclesiæ, ad id motæ tum fidelium justo, ut dixi, desiderio, tum ipsa statûs Clericalis conditione, in quo consistentes specialem pauperum curam profiteri debent. *Ad 3.* fideles bona hæc, ex quibus desumuntur proventus Ecclesiastici, dederunt solùm cum spe, quòd superfluum erogandum esset in pauperes, & non cum obligatione, ut dictum est *n. præc.* atqui spes ista Justitiæ obligationem non inducit. ergo &c. *Ad 4.* ratio, cur Jure communi prohibitum sit Clericis testari de reditibus Ecclesiasticis congruæ sustentationi superfluis, est, partim quia par est, ut id, quod ipsis supereſt, relinquatur Ecclesiæ, partim verò quia hac ratione avocantur à studio accumulandi divitias, & incitantur, ut in vita erogent in usus pios. Accedit, quia in multis locis, ut *Titulo seq.* dicitur, defacto est consuetudo testandi apud Clericos, sciente, & non prohibente Magistratu Ecclesiastico. *Ad 5.* non est novum, quòd etiam ille, qui perfectum dominium bonorum suorum habet, testari tamen de illis nequeat, ut patet in pupillo, prodigo &c. Neque hanc facultatem negando Clericis Ecclesia infert injuriam, cùm rationabilissimè eam ijsdem neget.

Dub. 4. an obligatio erogandi superflua in causas pias sufficienter explicetur per solum præceptum positivum Ecclesiæ? 34 Videtur non explicari sufficienter, sed in hoc ipso præcepto Ecclesiæ supponi obligatio aliqua altior, & descendens à Jure naturali, & Divino. 1. Quia antiqui Canones, & Concilium Trid. se fundant in eo, quòd res Dei sint, & patrimonia pauperum, sicque obligata pauperibus, atque ad causas pias. atqui non tantùm Jure positivo, sed Divino, ac Naturali malum est res alteri obligatas dissipare. ergo &c. 2. Si solùm oritur obligatio hæc ex præcepto Ecclesiæ, posset Papa in illo dispensare, & sic dispensatus posset licitè expendere reditus superfluos in causas profanas. atqui nunquam legitur Pontifex in hoc dispensâsse. 3. posset etiam hæc obligatio per contrariam consuetudinem tolli, sicut per eam tolli possunt alia præcepta merè humana.

Verùm hæc non obstant, quin adhuc 35 verius sit, obligationem, quam habent Clerici ad reditus sibi superfluos erogandos in pauperes, & alias pias causas, descendere ex solo Jure positivo, & præcepto Ecclesiæ, non verò naturali, & Divino. Ita Sot. *l. 10. de Just. q. 4. art. 3.* Sarmiento *p. 2. c. 1. & 2. & p. 4. c. 1.* Less, *l. 2. de Just. c. 4. n. 47.* Haun. *tom. 1. de J. & J. tr. 4. n. 82.* Wiest. *hic n. 37.* & TT. ac JCti RR. alij. *Ratio est*, quia non apparet, ex quo alio capite inducta sit obligatio ista; quamvis enim Ecclesia ad statuendum istud præceptum moveri potuerit, & permota fuerit, quòd ejusmodi obligatio sit pio fundatorum desiderio accommodatior, aptior ad augendum cultum Divinum, utilior ad retinendos in disciplina, & honestate Clericos, convenientior ad ædificationem fidelium publicam, & communem &c. tamen, ut hactenus ostensum est, tituli isti non videntur adeo strictè obligare Clericos, ut si aliter, quàm in causas pias, dispensent superfluam portionem fructuum, propterea peccent mortaliter ob solos prædictos titulos, secluso omni præcepto positivo Ecclesiæ.

Argumenta in contrarium non sunt 36 efficacia. *Ad 1.* jam dictum est *num. 30.* reditus istos fuisse res DEI, antequam assignarentur Clericis; postquam autem assignatio ista facta est, facti sunt res propriæ Clericorum. Obligantur quidem quoad partem superfluam pauperibus; sed major obligatio, quàm præcepti Ecclesiastici non probatur. *Ad 2.* negatur, quòd Pontifex in hoc nunquam dispensaverit; nam ita dispensatum est cum Clericis in Urbe, & istius districtu ad 10. milliaria degentibus, ut disponere liberè de Beneficialibus possent, perinde, ut de proprijs, ac patrimonialibus bonis, prout habetur in

Constitutionibus trium diversorum Pontt. Sixti IV. incipit *Etsi diversis editâ Calend Jan. 1474.* Julij III. incipit *Cupientes editâ Idibus Maij 1550.* Pauli V. incipit *In eminenti 18. April. 1606.* unde potiùs in hoc confirmatur nostra sententia; nam si obligatio hæc esset Juris naturalis, vel Divini, non posset in ea dispensare Pontifex, utpote in Lege Superioris. *Ad 3.* si dispensatione hæc obligatio tolli potest, etiam tolli consuetudine, saltem immemoriali potest, cùm ista vim, & præsumptionem privilegij habeat.

TITULUS XXVI.

De Testamentis, & Ultimis Voluntatibus.

POst examinatum Dominium Clericorum, in quibus rebus istud ijsdem competat, sequitur *successio hæreditaria*, & primò quidem *Testamentaria*, quippe quæ eminentiorem præ *Legitima* sedem obtinet. Hinc sit

§. I.

De Testamenti Natura, Origine, & Libertate.

SUMMARIUM.

1. *Definitio ultimæ voluntatis in genere, & hujus species.*
2. *Definitio Testamenti.*
3. *Originem suam debet tum Juri Naturali,*
4. *Tum Civili.*
5. *Et Gentium minùs propriè dicto.*
6 7. *Solvuntur Argumenta opposita.*
8. 9. 10. *Potest testandi facultas abrogari per Legem, Statutum, & consuetudinem.*
11. *Gravi metu extortum subsistit Jure naturali.*
12 13. *Non tamen positivo.*
14. *Idem dicendum, si testator sit dolo inductus,*
15. *Non autem, si blanditijs, precibus &c.*
16. *Nisi junctæ sint circumstantiæ, quæ vim, metum, & dolum significent.*
17. 18. 19. *Cui deferatur hæreditas relicta per Testamentum metu, vel dolo extortum?*
20. 21. *Cui, si defunctus dolosè impeditus, vel prohibitus fuit, quo minùs Testamentum conderet, vel conditum immutaret?*
22. *Divisio Testamenti in solenne, & non solenne; scriptum & nuncupativum.*

TEstamentum species quædam est Ultimæ Voluntatis: hinc, ut cognoscatur ipsius Natura, priùs

1 Quæritur 1. quid, & quotuplex sit *Ultima Voluntas?* R. *Ultima Voluntas*, prout hìc sumitur, *est libera, & gratuita dispositio de bonis in tempus mortis, seu post mortem.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 124. n. 2.* Pirh. *hìc in princ.* Wiest. *ibid. n. 1.*

Dicitur *Ultima*, non quòd simpliciter ultima sit, sed quòd tunc primùm fiat firma, & irrevocabilis, quando per mortem aufertur potestas revocandi; nam ante mortem quocunque tempore pro disponentis arbitrio revocari potest. Hinc *Ambulatoria* dicitur, & primùm firmari morte: quod etiam Paulus innuit *Hebr. 9. ℣. 17.* dum, *Testamentum*, inquit, *in mortuis confirmatum est; alioquin nondum valet* (seu firmum non est) *dum vivit, qui testatus est. Proceditque hoc*, etsi Testator juraverit, se non revocaturum Testamentum, vel Ultimam Voluntatem à se conditam; nam etsi eo casu revocatio sit illicita, non tamen invalida est: de quo late Lugo *D. 24. s. 2.* Et per hoc differt Voluntas ultima à dispositionibus, quæ factæ sunt inter vivos; nam hæ statim sunt firmæ, nec revocari amplius possunt, nisi ex causis approbatis à Jure, ut dictum est *suprà Tit. 24. de Donation.*

Species Ultimæ Voluntatis quinque enumerantur, Testamentum, Codicillus, Legatum, Fideicommissum, & mortis Causâ Donatio. Præcipua ex his est Testamentum: ideo specialiter illius in Rubrica fit mentio.

Quæritur 2. quid sit *Testamentum?* R. 2 *Testamentum* sic dictum est à Verbo *Testor*, indéque derivato nomine *Testamen*, vel potiùs *Testatio*; quia testatio mentis, seu voluntatis nostræ de rebus, seu bonis nostris coram testibus declaratio est. Modestinus JCtus *l. testamentum 1. ff. qui testam. fac. poss.* illud his verbis definit, quòd *sit voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod post mortem nostram fieri volumus.*

Hæc definitio aliquantum obscurior est, cùm dubium relinquat, quid *justæ voluntatis* nomine intelligatur. Aliqui eo nomine significari volunt quamcunque, quæ legitima, & Juris Regulis conformis sit; alij eam esse asserunt, quæ continet solennitates præscriptas, & directam hæredis institutionem. Utrique non satis bene; quia priores Testamentum non secernunt à Legato, Fideicommisso, Codicillo, & Donatione mortis causâ; posteriores verò excludunt Testa-

ſtamenta inter Liberos, militare, ad pias cauſas, & alia non ſolennia.

Hinc meliùs *Teſtamentum generatim acceptum*, & prout etiam minùs Solenne includit, Codicillum verò excludit, à RR. dicitur eſſe *Voluntas ultima*, *directam hæredis inſtitutionem continens*; in hoc enim tam Solenne, quàm minùs Solenne Teſtamentum conveniunt, utrumque verò à Codicillo differt, quo non ſit directa hæredis inſtitutio.

3 Quæritur 3. cui Juri originem ſuam debeat facultas teſtandi? Tres ſunt ſententiæ. *Prima* vult facultatem iſtam procedere à Jure naturali. Ita Covar. *l. 3. var. c. 6. n. 7.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 124. in fin.* König *hic n. 8.* & apud hos plures alij. *Secunda* originem ejus refert in Jus gentium. Ita Clarus §. *teſtamentum q. 2. n. 2.* Gilcken *in l. 1. C. de hæred. inſtit. n. 8. Tertia* contendit eam facultatem originem ſuam traxiſſe à ſolo Jure Civili. Ita Accurſius, Corneus, & alij *citt.* à Clar. §. *cit.* & Haun. *tom. 2. de J. & J. tr. 6. n. 14.* Conciliari ſententiæ iſtæ poſſunt, ſi ſingulis aliquid tribuatur. Igitur

Dico 1. conſentaneum admodum rationi naturali eſſe, ut rata, & firma eſſe ſinantur Teſtamenta, & ultimæ voluntates noſtræ: quod fatetur Conſtantinus Imper. *l. habeat 1. C. de SS. Eccl.* ubi cùm aſſeruiſſet omnibus liberam poteſtatem diſponendi mortis causâ de rebus ſuis, rationem dat; quia *nihil eſt, quòd magis hominibus debeatur, quàm ut ſupremæ voluntatis, poſtquam jam aliud velle non poſſunt, liber ſit Stylus, & licitum* (Bald. apud Gloſſ. *in l. cit. V. licitum* legit *liberum*) *quod non redit, arbitrium.*

4 *Dico 2.* poteſtatem teſtandi non ita eſſe Juris naturalis, ut ſi Lex poſitiva, quæ defunctorum ultimas voluntates ratas haberi præcipit, deficeret, teſtamenta &c. firma perſiſterent: cujus ratio eſt, quia nemo poteſt de re aliqua diſponere pro eo tempore, pro quo non habet ampliùs ullius rei dominium; aut jus ſuum transferre in alterum, pro quo tempore Juris omnino incapax eſt. talis eſt diſpoſitio Teſtamentaria; fit enim pro mortis tempore, quo moriens Juris in hæc corporalia omnino incapax fit, & omnium rerum externarum amittit dominium *conf.* quia bona defuncti ex natura rei ſunt bona vacantia, cùm defunctus jus, quod in illa habuit, per mortem omne amiſerit. atqui bona vacantia cedunt occupanti. igitur etiam res à defuncto relictæ hoc modo occupanti cederent, non obſtante voluntate defuncti, niſi Lex illam roboraret. Dicendum igitur, quòd ultimæ voluntates defunctorum, conſideratâ ſolâ rerum naturâ, nil aliud ſint, quàm juſtum teſtatoris, ſed infirmum tamen ex natura ſua deſiderium, ac proinde dominium rerum ab ipſo relictarum transferre non poſſint, niſi Lege poſitiva confirmentur.

5 *Dico 3.* facultatem teſtandi originem traxiſſe partim à Jure Civili, partim à Jure gentium minùs propriè dicto. *A Jure civili* quidem, quatenus hoc Jure apud aliquem populum primò teſtandi uſus inter Cives ſuos Legibus eſt introductus; *à Jure gentium* autem, quatenus deinde aliarum gentium tam moribus, quàm Legibus receptus fuit. Eſt autem hoc Jus gentium minùs propriè dictum; quia ad Jus gentium propriè dictum ea duntaxat pertinent, quæ gentes ſervare tenentur inter ſe, & quæ omnium, ac ferè omnium gentium uſu ad earum commune bonum, & felicitatem promovendam recepta ſunt. atqui Teſtamenti confectio, licèt plerarumque gentium moribus recepta ſit, ipſam tamen communis boni, & felicitatis promotionem, ac ſocietatis inter eas conſervationem immediatè non reſpicit. ergo &c.

Neque obſtat Reſolutioni huic 1. *l. fin. C. quor. bonor.* ubi Impp. *Lex ipſa Naturæ*, inquiunt, Conſanguineos *ſucceſſores facit*; nam dici poteſt, Conſanguineos Lege Naturæ defuncto ſucceſſores fieri conditionatè ſolùm, & ex ſuppoſito, ſi per Legem poſitivam concedatur Teſtamenti factio; tunc enim obligatio naturalis pietatis poſtulat potiùs bona relicta defuncti Conſanguineis quàm extraneis cedere. 6

Non obſtat 2. uſus antiquiſſimus, quo ante omnem Legem Civilem conditam tempore antiquorum Patriarcharum, teſtamenti factio, quamvis non ita ſolennis, ut nunc, apud omnes ferè gentes invaluit; quia negari non poteſt, etiam priſca illa Patriarcharum tempora ſuas habuiſſe Leges, ſi non ſcriptas, ſaltem conſuetudinarias, quibus introduci ab una, vel altera gente potuit teſtamenti factio, & deinde à cæteris recipi, ſicque fieri Juris gentium minùs ſtrictè dicti.

Non obſtat 3. Doctorum concors ſententia, quâ traditur Legitimam, quatenus includit alimenta neceſſaria liberis, iiſdem, ſi ſeipſos non poſſint alere, ipſo naturæ Jure deberi; dicendum enim deberi liberis ex ſuppoſito, quòd parentes eorum de bonis ſuis diſponendi poteſtatem à Jure poſitivo acceperint. 7

Non obſtat 4. ingenita illa homini à natura propenſio, quâ ſi ante omnem particularem caſum interrogati fuiſſent, num tribuere dominio tantam vim cuperent, ut poſſint de rebus ſuis ad animæ ſuæ ſalutē, & charorum ſibi ſolatium in tempus mortis diſponere, omnes profectò, ſaltem moratiores, & immortalitatis animæ ſuæ conſcii pro ſimili diſpoſitione votum dediſſent; hoc enim plus non probat, quàm juſtum deſiderium, ſed imperfectum, quod ſecutæ Leges perfecêre, & efficax reddidêre.

Quæritur 4. an teſtandi facultas per 8
Legem, ſtatutum, vel conſuetudinem abrogari poſſit? Negant non pauci tum ex ijs, qui Teſtamenti factionem Juri naturæ tribuunt, tum ex cæteris, qui illam Gentium

Juri adscribunt, simili ducti ratione; quia sc. tam Jus naturale, quàm Gentium immutabile est, & propterea humanæ reformationi non subjacet: Naturale quidem, quia ab altiori potestate est positum; Gentium autem, quia secundùm naturale dictamen, arbitraria gentium conventione inductum est, & sic obligationem Justitiæ parit, quæ ab una sola parte, manentibus ijsdem circumstantijs, non potest excuti.

9 Sed verior videtur affirmativa, quam etiam defendunt Vasq. *de succeſſ. creation. l. 1. §. 1. n. 9.* Ludvvell. *c. 2. p. 1. fol. 15.* Stryck. *de cautel. testam. c. 1. §. 9.* & noviſſimè Clariſſ. P. Schmier. *tr. de succeſſ. hæred. p. 1. c. 1. n. 38.* *Proceditque hoc*, etiamsi concederetur, quòd testamenti factio originem suam ex Jure naturæ trahat, prout concedit laudatus P. Schmier. *l. cit. n. 22. & seqq. Ratio est*, quia Testamenti factio non est Juris præceptivi, sed permiſſivi tantùm. atqui ea, quæ Juris permiſſivi tantùm, quamvis Naturalis sunt, ab humana Juriſdictione infringi, vel circumscribi possunt, ut patet in libertate congenita omnibus, quæ servitute Jure gentium inducta tolli, & in potestate contrahendi, à natura concessa cunctis, quæ per Leges positivas minoribus, & alijs auferri potuit.

10 Argumentum contrarium nimium probat; probat enim nulli Genti liberum fuisse aut facultatem testandi inter suos admittere, aut admissam certis limitibus claudere: cujus tamen contrarium apertè convincitur 1. ex ijs, quæ de Athenienſibus in Solone narrat Plutarchus, apud quos ante Solonis tempora Testamenti nullus fuit usus: idem de Germanis antiquis testatur Tacitus *de Morib. German.* non quòd Testamenta improbaverint, sed quòd propinquiores sibi voluerint hæredes ab intestato esse. 2. ex natura Feudi, & Fideicommiſſi familiæ, in quibus succeſſio Testamentaria regulariter abrogata est, & bona Feudalia, vel Fideicommissaria illis, qui de familia sunt, necessariò relinqui debent. 3. ex Statutis quorundam locorum, quibus aut non de omnibus bonis, aut solùm in favorem certarum personarum testari licet. Heig. *l. 1. q. 23. n. 9. & seqq.* Miller *ad Struv. Exercit. 28. th. 3. lit. N.* P. Schmier *l. cit. n. 41.*

11 Quæritur 5. An Testamentum, quod incusso gravi metu extortum est, subsistat? *Satis certum est*, spectato solo Jure Naturali, illud subsistere: quia hoc Jure ad confectionem Testamenti sufficit voluntas libera; libertatem autem gravis metus non tollit, cùm coacta voluntas revera sit voluntas *l. si mulier 21. §. si metu 5. ff. quod met. caus.*

Difficultas est, an subsistat etiam Jure positivo? Menoch. *de arbitr. cas. 395. n. 7.* Peregrin. *l. 2. de Jur. fisc. tit. 6. n. 4.* Fachin. *l. 10, contr. c. 15.* Harppr. *Inst. de testam. ordin. n. 44.* affirmant subsistere, quamvis dicant rescissioni esse obnoxium. *Moventur 1.* quia plus probari non potest, quàm quòd ad Testamenti confectionem requiratur, ut illa sit voluntaria; talis autem est, etsi sit metu extorta, ut dictum est. 2. quia aliud medium supereſt, quo hæres indemnis fiat, videlicet rescissio Testamenti, quam rescissionem generaliter concedit Prætor omnibus metum passis *l. ait Prætor 1. ff. quod met. caus.* 3. aditio hæreditatis metu facta subsistit; quia permittitur adversus illam restitutio in integrum. ergo etiam subsistet Test.

Verùm his non obstantibus, verisimiliùs dicitur, Testamenta metu extorta, esse ipso Jure invalida. Ita Vasq. *de Succeſſion. creation. l. 2. §. 17. n. 5.* Brunnem. *in l. 1. C. siquis aliq. testar. n. 5.* Haun. *tom. 2. de J. & J. tr. 6. an. 183.* Magnif. D. Verlohner *tr. de Testam. art. 1. q. 1. n. 3. & 4.* P. Wiest. *hic n. 48. Ratio est 1.* quia, ut dicitur *l. habeat 1. C. de SS. Eccl.* libertas testandi debet esse pleniſſima, ita, ut quivis possit habere hæredes, quos optat. atqui non ita optatus hæres est ille, cujus institutio ex Testatore est metu gravi extorta. ergo &c. 2. Testamentum, quod factum est vi illata coactis testibus, ut ejusdem confectioni interfint, nullum, & irritum est, ut dicitur *l. qui testamento 20. §. fin. ff. qui testam. facer. poss.* ergo multo magis irritum erit, quando ipse testator coactus est vi, vel metu ad instituendum hæredem sibi ingratum. 3. Testamenti factio, ut *n. 5.* dixi, est creatura Juris Civilis, & ad hoc introducta favore decedentium. atqui exiguus præstaretur favor defuncto, si valeret Testamentum metu extortum; sic enim deberet habere hæredem, quem noluit. ergo ne, quod favore defuncti introductum est, ad ejus læsionem videatur inventum contra *l. quod favore 6. C. de LL.* & *Reg. quod ob gratiam 61. in 6.* dicendum, quòd Testamentum metu gravi extortum invalidum sit. 12

Ex his patet ad Argumenta oppoſita. 13
Ad 1. per coactam voluntatem volumus quidem, sed quod nobis ingratum est, testator autem, ut dictum est, debet posse hæredem habere sibi gratum. ergo &c. *Ad 2.* per rescissionem Testamenti juvari quidem hæres potest, non tamen defunctus, utpote cujus Testamentum primùm morte perficitur, & conſ. primùm post illam rescindi potest. *Ad 3.* ab aditione hæreditatis malè arguitur ad institutionem hæredis: nam illa perficitur inter vivos, hæc morte; illa rationem contractûs habet, non etiam Testamentum: mirum igitur esse non debet, quòd illa subsistat, hoc corruat, quando metu ab invito extortum est.

Quæritur 6. an validum sit Testamentum, ad quod Testator inductus est falsis suggestionibus, & doloſis persuasionibus, ut siquis improbè mentiatur, quòd is, qui propinquior ab intestato venit, jam sit mortuus, vel quòd testatorem affecerit gravi injuria, ejus hæreditatem contemnat, non appetat, &c. 14

&c. R. ejusmodi Testamentum perinde esse invalidum, ac id, quod metu extortum est, Ita Jason. *in l. fin. C. siquis aliq. testar.* Barri. *de succes. test. & intest. l. 1. tit. 9. n. 13.* Berlich. *p. 3. pract. concl. 7. à n. 2.* Hartm. Pistor. *p. 1. q. 29. à n. 3.* Carpzov. *p. 3. const. 5. defin. 8.* Brunnem. *in l. fin. ff. siquis aliq. testar. n. 8.* Haun. *tom. 2. de J. & J. tr. 6. n. 192.* Manz. *de testam. tit. 3. q. 2. à n. 2.* Magnif. D. Verlohner *simil. tr. art. 1. q. 1. n. 5.* P. Wiest. *hic n. 49.* Ratio est, quia hujusmodi suggestiones, mendacia, doli aliquando voluntarium omnino tollunt, plerumque admodum minuunt. igitur conveniens fuit, ut non minùs irritarentur per Jus positivum Institutiones ita factæ, ac irritatæ sunt extortæ metu.

15 Aliud esset, si testator antea offensus, aut aversus ab hærede, ab isto sine importunitate, vi, aut dolo, blando sermone, vel officijs placatus, aut aliàs suasionibus, precibus, lacrymis inductus fuisset ad illum instituendum; nam ejusmodi institutiones haberi pro validis debent. Gaill. *l. 2. obs. 117. n. 4.* Carpz. *defin. 7.* Brunnem. *n. 1. & 2.* Manz. *q. 3. à n. 4.* Wiest. *n. 50.* & sumitur ex *l. fin. C. siquis aliq. test.* cujus expressa verba sunt: *Judicium uxoris postremum in se provocare maritali sermone non est criminosum.* Ratio est, quia ista libertatem testandi nec tollunt, nec minuunt.

16 Dixi *sine importunitate, vi, aut dolo &c.* nam si blanditiæ jungerentur cum circumstantijs, quæ vim, metum, vel dolum significarent, Testamentum redderetur irritum. Tales sunt 1. si pater novercæ instigationibus impulsus, contra proprium sanguinem suæ voluntatis judicium dedit *l. non est 2. ff. de inoff. testam.* 2. si ad blanditias accedant, vel præcesserunt aliæ fraudulentæ machinationes, aut violentæ minæ. 3. si blanditiæ adhibeantur etiam sine minis, ab aliqua potente persona; quia hujus persuasiones minis æquiparantur. 4. si preces, & blanditiæ sint instantissimæ, & importunæ; nam hæ vim minarum habent. 5. si moribundo jam testatori, & vi morbi oppresso adhibeantur; nam huic quantumvis moderatæ preces, etiam sibi charissimorum, molestæ, & odiosæ sunt, ut proin testator his consentiens, non ex animi sententia, sed suæ tantùm quietis gratiâ fecisse præsumatur. Vide Berlich. *concl. 7. cit. à n. 29.* Harppprecht. *Inst. de testam. ordin. n. 47.* Manz. *q. 3. cit. à n. 15.*

17 Quæritur 7. cui deferatur hæreditas, relicta per Testamentum metu, vel dolo extortum? Illi, qui Testamentum ejusmodi putant subsistere, volunt eam deferri Fisco, & hoc colligunt 1. *ex l. qui dum captat. 1. ff. siquis aliq. testar.* ubi generaliter statuitur, ut siquis dolo, aut vi prohibuerit, ne defunctus testamentum conderet, vel conditum mutaret, hæreditas deferatur Fisco. 2. *ex l. civili 1. C. eod.* ubi crimen refertur cogentis, vel inducentis aliquem, ut quem noluit, hæredem scriberet. 3. *ex ratione*; nam sic inducens, vel compellens aliquem meritò privatur hæreditatis commodo.

Verùm his non obstantibus, adhæreo sententiæ, cujus fundamentum jam posui, dum *n. 12. & 14.* dixi, Testamentum metu, vel dolo extortum esse invalidum: dico proin hoc casu locum non esse Fisco, sed hæreditatem devolvi ad hæredes ab intestato, vel scriptos priori Testamento; ne sc. isti, tanquam insontes, graventur alieno scelere, Ita Jason *in l. 1. cit. n. 3.* Vasq. *l. 2. de succes. §. 17. n. 5.* Barry *l. 1. de succes. test. & intest. tit. 9. n. 10.* Manz. *de testam. tit. 3. q. 1. à n. 21. Excipitur*, si qui coëgit testatorem, ut se institueret, erat solus tanquam proximior successurus ab intestato; tunc enim hæreditas defertur Fisco, & ita deferri potest sine agnatorum remotiorum injuria, utpote qui eo casu jus in hæreditatem non habuerunt, neque acquisiverunt per hoc, quòd propinquior in pœnam Jure suo exciderit; quia pœna unius non debet esse alterius præmium. 18

Argumenta contraria vim non habent. *Ad 1.* Lex illa pœnalis est: cons. ad nostrum casum extendi non debet; aliud enim est prohibere dolo, vel metu, ne defunctus testamentum condat, vel conditum mutet, aliud eundem compellere ad illud condendum, vel conditum immutandum. Accedit, quia etiam priori casu non est universaliter verum, quòd hæreditas deferatur fisco, ut videbimus *n. seq.* *Ad 2.* Lex illa Codicis damnat quidem crimen metu compellentis ad Testamentum conficiendum, hæreditatem tamen non adjudicat fisco. *Ad 3.* etiam in nostra sententia Testamentum metu, vel dolo extorquens privatur hæreditatis commodo. 19

Quæritur 8. cui deferatur hæreditas casu, quo defunctus dolosè impeditus, vel prohibitus fuit, quo minùs Testamentum conderet, vel conditum immutaret? R. multum interesse, quis dolum fecerit, an is, qui sperabat hæreditatem ab intestato sibi obventuram, aut sciebat se Testamento hæredem esse scriptum, an verò alius extraneus. 20

Si primum, videndum, an solus defuncto sit successurus ab intestato, vel in Testamento scriptus, an verò cum eo alij. *Si solus*, tota hæreditas ei aufertur, & applicatur fisco *l. qui dum captat 1. ff. siquis aliq. testar.* *Si plures*, fisco cedit duntaxat portio illius, vel illorum, qui deliquerunt, reliquis suæ portiones manent intactæ, ne alieno graventur scelere, ut rectè notant Menoch. *de arbitr. cas. 395. n. 13. & seqq.* Barry *de succes. test. & intestat. l. 1. tit. 9. num. 11.* Wiest. *hic n. 45.*

Si verò secundum contingat, & doli, vel metûs author sit aliquis extraneus, major est controversia. Menoch. *l. cit. à n. 20.* utitur 21

distinctione, & putat eo casu dolum extranei non obfuturum hæredibus venientibus ab intestato, nociturum tamen hæredibus eo Testamento, cujus mutatio sic dolosè impedita est, scriptis. Melius alij cum Barry *l. cit.* indistinctè asserunt, dolum eo casu illis, qui nihil egerunt, sive ex Testamento, sive ab intestato successuri sint, nequaquam obfuturum. *Ratio est*, quia *l. qui dum captat cit.* & *l. un. ff. quib. non compet. bonor. possess.* confiscatio solùm decernitur, quando Testamentum mutari prohibuit institutus, ejúsve dominus, vel pater. *Conf. à pari;* nam etiam Legatarijs, aut fideicommissarijs universalibus factum instituti, defunctum dolosè prohibentis à mutando Testamento, non nocet *l. Marcellus 3. §. fin. ff. ad S. C. Trebell.* igitur etiam non nocebit factum extranei prohibentis mutationem institutis non communicantibus in delicto.

22 Quæritur 9. quotuplex sit Testamentum? ℟. Jure Civili antiquo duo Testamentorum genera in usu fuerunt: quorum altero utebantur Pacis tempore, & appellabant *Calatis comitijs;* quia coram universo populo in Comitia coacto conditum fuit; altero, cùm in prælium exituri essent, quod *Procinctum* dicebatur, & nuncupabatur coram Commilitonibus. Accessit deinde tertium Testamentorum genus, quod appellabatur *Per æs, & libram;* quia per imaginariam quandam venditionem, adhibito Libripende, quinque testibus, Civibus Romanis puberibus præsentibus, & emptore familiæ conficiebatur, prout refertur §. *sed ut nihil 1. de testam. ordin.*

Hodierno Jure Testamentorum genus duplex est, Solenne, & non Solenne. *Solenne*, quod etiam *Perfectum* dicitur, est, in quo adhibentur omnes solennitates Jure communi præscriptæ. *Non solenne*, quod etiam *Imperfectum*, & *Privilegiatum* appellatur, illud vocatur, quod etsi solennitates à Jure communi præscriptas, vel nullas, vel non omnes habeat, ex privilegio tamen, sive Juris favore valet. Utrumque dividitur in Scriptum, & Nuncupativum. *Testamentum scriptum*, seu *in scriptis* est, quod scripto perficitur; Nuncupativum, quod vivæ vocis adminiculo sine scriptura.

§. II.

De Testamento Solenni.

SUMMARIUM.

23. 24. *Solennitates requisitæ in Testamento solenni scripto.*
25. *In Nuncupativo.*
26. 27. *Differentia inter Scriptum, & Nuncupativum.*
28. 29. 30. *Qualitates in testibus Testamentarijs requisitæ.*
31. *In territorio Pontificio derogatum est Legibus quoad numerum testium.*
32. 33. *Extra illud servandæ sunt etiam in foro Canonico.*
34. *Nec eximuntur ijsdem Clerici.*
35. *Respondetur ad Argumenta contraria.*
36. *Testamentum destitutum solennitatibus invalidum est in foro externo.*
37. *Et potuit invalidari in foro etiam interno.*
38. *An defacto ita invalidatum sit, argumenta pro negativa.*
39. *Deciditur pro affirmativa.*
40. *Solvuntur Objectiones.*

23 QUæritur 1. quænam Solennitates requirantur ad *Testamentum Solenne* scriptum? ℟. ad hoc de Jure communi requiritur 1. ut sit scriptum à testatore, vel ejus jussu ab alio, expresso ipsius testatoris, & hæredis, vel hæredum nomine. Si alius Testamentum scripserit, testator illud debet subscribere, aut si scribendi ignarus est, adhibere debet testem alium ultra præscriptum aliàs numerum §. *sed cùm 3. Inst. de testam. ordin. l. hac consultissima 21. C. h. tit.*

2. Ut adhibeantur in illo septem, vel, ut suprà dictum est, octo testes idonei, iique sint rogati, seu ad hoc vocati, & invitati *l. hac consultissima cit.* & *l. hæredes 21. §. in testamentis 2. ff. qui testam. fac. poss.*

3. Ut his testibus simul præsentibus, eúmque videntibus testator illud exhibeat, dicátque hanc suam esse ultimam voluntatem *l. hac consultissima cit. Recess. Imp. de Anno 1512. Tit.* von den Testamenten / §. die Form. ꝛc.

4. Ut testes omnes, & singuli nomen 24 suum propria manu subscribant, eíque sigillum apponant §. *sed cùm*, *l. hæredes*, *l. hac consultissima citt.* & *l. cùm antiquitas 28. §. cùm autem 1. C. h. tit.* Si unus, vel alter illorum litteras nesciat, subscribere loco illius, vel illorum alius testis potest, facta tamen mentione alienæ subscriptionis. Manz. *de testam. tit. 4. n. 132.*

5. Ut totum negotium testandi peragatur uno, eodémque loco, & tempore, unóque contextu, i. e. nullo actu alieno, sive extraneo, qui ad confectionem Testamenti non spectet, interveniente, nisi ob urgentem necessitatem ad modicum intervallum in-

interruptio aliqua facta sit ; ea enim non obest *l. citt.*

Præsentia Notarij publici non est necessaria, quamvis consultum sit, ut Instrumentum publicum fiat super contestatione testatoris, & subscriptione, ac sigillatione testium, ut bene advertit Pirh. *hic n. 3. in fin.*

25 Quæritur 2. quænam solennitates requirantur ad *Testamentum solenne Nuncupativum* ? R. ad hoc sufficit, si testator coram septem testibus idoneis, & rogatis, simul, uno, eodémque tempore ultimam suam voluntatem tam circa hæredis institutionem, quàm circa Legata, & alia palàm articulata, sive distincta voce declaret, ut intelligi possit §. *fin. Inst. de Testam. ordin. l. hac consultissima cit. §. per nuncupationem 2. l. in Testamentis 26. C. h. tit.* Neque requiritur certa verborum formula, quibus hæres nuncupatur, sed valida est nominatio hæredis, *quam seminecis, & balbutientis lingua profudit*, ut *l. quoniam 15. C. h. tit.* dicitur.

26 *Differt* igitur Testamentum solenne Nuncupativum à solenni in Scriptis. 1. Quia in hoc plerumque celatur ultima voluntas, & ignoratur hæres institutus, ob quam causam etiam *Clausum* vocari solet ; in Nuncupativo autem debent palàm nuncupari, & declarari hæredes, ut sciant testes, quinam sint instituti §. *per nuncupationem cit.* & *l. jubemus 29. princ. C. h. tit.*

2. Ad Testamentum scriptum necessaria est scriptura, sine qua nullum est Testamentum ; Nuncupativum verò fieri potest nuda voce coram testibus : & quamvis de facto etiam ipsum à Notario publico in Scripturam redigi soleat, manet tamen Nuncupativum ; quia scriptura non ad substantiam illius pertinet, sed adhibetur solùm facilioris probationis causâ, ne testibus antea mortuis, quàm defuncti voluntatem coram Judice declararent, copia probationis deficeret. Clar. §. *testamentum q. 4. n. 1.* Vinnius *in §. fin. Inst. de testam. ordin. n. 3.* Pirh. *hic num. 2.* Wiest. *n. 62.*

27 3. In Testamento nuncupativo testes nec subscribunt, nec subsignant : horum utrumque requiritur ad Testamentum scriptum, & quidem conjunctim ; nam siquis subscribat tantùm, & non subsignet, aut vicissim, habetur pro non adhibito *l. ad testium 22. § siquis 4. ff. qui testam. facer. poss.*

4. Addunt alij, quòd in Testamento nuncupativo testes non debeant esse rogati : sed contrarium est verius juxta *Auth. rogati C. de testib.* quæ generaliter, & indistinctè in Testamentis testes rogatos exigit.

28 Quæritur 3. quinam testes idonei in hunc finem sint ? R. ut quis idoneus in finem istum sit testis, debet esse 1. Homo liber §. *testes, 6. Inst.* & *l. hac consultissima cit.* quia Servi Juris Civilis communionem non habent *l. qui testamento 20. §. servus 7. ff. qui testam. facer. poss.*

2. Mas, & pubes §. *testes* & *l. qui testamento citt. princ.* & §. *mulier 6.* quibus textibus impubes, & fœmina à munere isto arcetur, ista quidem ob fragilitatem sexûs, ille autem ob ætatem, & judicij infirmitatem.

3. Sanæ mentis, ob cujus defectum idoneus testis non est, qui mente captus, & furiosus est, extra furoris remissi, sive dilucidi intervalli tempus *l. qui testamento cit. §. ne furiosus 4.* Idem dicendum de prodigo §. *testes cit.* quia à furioso non multùm distat, & in Jure eàdem ferè, quâ iste, conditione censetur *l. lege 1. ff. de Curat. furios.* & *l. his qui 12. §. Divus 2. ff. de tutor & curator. dat.*

4. Non mutus, aut surdus §. *testes cit.* vel cæcus *arg. l. si non speciali 9. C. h. tit.* quia si cæcus sit, testatorem videre ; si surdus, ea, quæ dicuntur, audire, & intelligere ; si mutus, eorum, quæ audijt, rationem non potest reddere.

5. Non ipse hæres illo Testamento in- 29
stitutus §. *sed neque 10. Instit. de testam. ordin.* ob suspicionem falsitatis. Legatarij tamen testes adhiberi possunt §. *legatarijs 11. Inst. de testam. ordin.* & ratio est, quia licèt ipsi emolumentum aliquod ex testamento percipiant, principaliter tamen sunt testes negotij, quod commodum hæredis concernit ; & si ipsi quoque testes esse non possent, testium defectu ultimæ voluntates non rarò corruerent.

6. Non domesticus ipsius testatoris, 30
vel hæredis ob eandem rationem. *Domesticorum* autem nomine hìc veniunt solùm illi, quorum alter in alterius potestate, vel ambo in potestate tertij sunt constituti. Hinc etsi pater in filij, filius in patris, aut frater in fratris, si uterque in ejusdem patris potestate sint, Testamento testes esse non possint §. *sed neque cit.* potest tamen testis esse maritus in testamento uxoris, libertus in testamento patroni, famulus conductus in testamento heri, frater in testamento fratris emancipati, pater in testamento filij, qui non ampliùs sub ipsius patria potestate consistit, imò etiam in testamento filij consistentis sub ejus potestate patria, si iste testetur de bonis suis Castrensibus.

7. Denique non talis, qui Lege intestabilis est esse jussus, & cui propter insignem improbitatem Testimonij fides ipsa Lege est abrogata, & adempta : ut sunt, qui ob carmen famosum, vel aliud crimen publico, vel privato etiam judicio damnati sunt, si damnationem sequatur infamia. Harpprecht *in §. testes cit. n. 28.* Manz. *de testam. tit. 5. à n. 55.* Pirh. *hic n. 3. Ratio est*, quia tales ad testimonium dicendum in Judicio non admittuntur, ergo multo magis repellentur in Testamento.

Quæritur 4. an solennitates enumera- 31
tæ requirantur ad Testamentum etiam de Jure Canonico ? Satis convenit inter DD. in terris Summo Pontifici etiam quoad dominium temporale subjectis, sufficere, si Paro-

chia-

chianus coram Presbytero, h. e. Parocho suo (hic enim in isto loco significatur nomine Presbyteri proprij) & coram duobus, vel tribus testibus idoneis condiderit Testamentum suum: quod apertè colligitur *ex c. cùm esses 10. h. tit.* & notat Imol. *ibid. n. 13.* Clar. §. *testamentum q. 57. n. 2.* cum communi DD. Unde dicendum, quòd in eodem Pontificio territorio per dictam Constitutionem derogatum sit Legibus Civilibus quoad numerum testium: *quoad numerum*, inquam, *testium*; nam cæteræ solennitates Testamentorum probabiliùs etiam ibi sunt observandæ, ut cum communi advertit Covar. *in c. cit. n. 26.* contra Abb. Molin. & alios paucos. *Ratio est*, quia divortium à Jure Civili, & ejus correctio statuenda non est, nisi SS. Canonibus sit expressa, sed potiùs in dubio hi cum illo conciliari debent *arg. can. si in adjutorium 7. dist. 10.* & *c. intelleximus 1. de nov. oper. nunt.*

32 *Controversia est*, an dispositio *c. cùm esses cit.* se extendat etiam ultra terras subjectas dominio temporali Papæ? Affirmant Abb. *in c. cit. repet. n. 17.* Fagnan. *ibid. n. 2. & 40.* Card. Sfondrati *de leg. in præsumpt. fundat. p. 2. §. 1. n. 4. & plures alij. Fundantur 1.* ipso textu *Constit. cit.* nam consuetudinem, & Legem, quâ plures requiruntur testes, Pontifex ibidem reprobat, tanquam alienam à consuetudine generali Ecclesiæ, ab institutis SS. PP. & ab ipsa Lege Divina, secundùm quam *in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum.* Deut. *19. v. 15.* & Matth. *18. v. 16.* atqui Lex ejusmodi vim obligandi non habet, nec valorem Testamenti potest tollere, ergo &c. *2.* Quando Leges Civiles peccatum nutriunt, Sanctiones Canonicæ ipsis contrariæ observandæ sunt etiam in foro sæculari, & extra territorium temporale Papæ; nam ratione peccati omnis anima judicio Apostolico subjecta est *can. si Imperator 11. dist. 96.* & *c. novit. 13. de Judic.* atqui Leges Testamentariæ, dum septem testes ad valorem Testamenti petunt, peccatum nutriunt, ut patet ex textu, & pœna ibi adjecta; nam ibi pœnam Excommunicationis (quæ omnium Ecclesiasticarum gravissima est, & non infligitur, nisi propter peccatum mortale) Pontifex decernit in eum, qui Testamenti coram Parocho, vel duobus testibus confecti valorem, & executionem impedit. ergo &c. *3.* Leges, quæ Jus commune faciunt, ubilibet observari debent, etiam extra dominium temporale Pontificis Legislatoris. atqui Constitutio *c. cit.* facit Jus commune; quia Corpori Juris communis inserta est. ergo &c.

33 Verùm his non obstantibus, dicendum, dispositionem *c. cit.* ultra territorium temporale Romanæ Ecclesiæ non porrigi; & hinc in terris Imperij solennitates Jure Civili proditæ etiam hodie requirentur ad Testamenti valorem. Ita Gloss *in c. cùm esses cit. V. improbamus*, Clar. §. *testamentum q. 57. n. 3.* Menoch. *l. 1. præsumpt. q. 80. n. 21. & seqq.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 133. n. 4. & 8.* Gonzal. *in c. relatum 11. h. tit. n. 14.* D. Gletle *p. 5. pandect. q. 7. à n. 13.* Magn. D. Christoph. de Chlingensperg *Inst. tit. de Testam. ord. q. 25.* Pirh. *hic n 9.* Engl *n. 12.* König *n. 54.* Wiest. *n. 65.* & novissimè Clariss. P. Schmier *de success. hæred. p. 1. c. 2. n. 18. & seqq.* Patet ex inscriptione; inscribitur enim Episcopo Hostiensi, cujus Diœcesis est intra Territorium temporale Papæ: quod satis indicat, quòd Constitutionem illam Pontifex extra temporale territorium suum extendi non voluerit. Accedit ratio; quia Pontifex Leges Civiles, quæ formam præscribunt actibus merè profanis, & peccatum non continent, nec vult, nec potest corrigere *arg. can. verum 6. can. duo 10. dist. 96. c. novit. 13. de Judic.* & *c. causam 7. qui fil. legit.* atqui Testamentum, spectans causam merè profanam, est negotium, sive actus merè temporalis, & Leges Civiles, quæ pro illo certas solennitates præscribunt, peccatum non continent, ut videbimus in responsione ad Argumenta opposita. ergo &c.

Proceditque hoc, non tantùm de Laicis, sed etiam de Clericis; nam etiam isti, si in terris Imperij Testamentum merè profanum condant, probabiliùs observare debent solennitates Jure Imperiali præscriptas. Laym. *l. 1. tr. 4. c. 13. n. 5. & in c. 10. de const. n. 15.* Gletle *p. 5. pand. q. 7. n. 15.* Magn. D. Christoph. de Chlingensperg *tit. quib. non est permiss. test. fac. q. 19. object. 2.* Pirh. *hic n. 11.* Wiest. *n. 67.* *Ratio est*, quia cùm in communi vitæ societate viventes sint cives, & membra Reip. æquum est, & rectæ rationi consentaneum, ut in rebus naturâ suâ Politicis Leges ejusdem, modò Clericali statui non repugnent, etiam ipsi observent; *turpis* enim *est pars sito universo non congruens*, ut dicit Aug. *l. 3. Conf. n. 8.* *Excipitur*, si contrarium habeatur per consuetudinem legitimè præscriptam, vel per statuta locorum particularia; nam hæc derogare Juri communi possunt, & cons. ubilibet attendenda sunt. 34

Argumenta in contrarium allata ma- 35
jorem speciem, quàm efficaciam habent. *Ad 1.* dum Pontifex *c. cùm esses cit.* dicit, consuetudinem, quâ plures testes ad Testamenti valorem requiruntur, esse alienam à Lege Divina, SS. PP. institutis, & generali Ecclesiæ consuetudine, non voluit dicere eam consuetudinem esse contra Legem Divinam, sed solùm præter illam; quia licèt ipsa duos, vel tres testes esse sufficientes dicat, plures tamen adhiberi non prohibet. Hinc *c. cit.* non reprobatur, sed tantùm pro terris dominij temporalis Pontificij abrogatur consuetudo illa: in quibus proinde decisioni huic standum est, cùm Pontifex, tanquam supremus Princeps superiorem non recognoscens, potestatem legislativam etiam temporalem habeat, possitque Leges condere, & conditas abrogare. *Ad 2.* negatur, quòd Leges Testa-

ſtamentariæ Civiles peccatum nutriant, ſed potiùs eidem occurrunt; quia ſolennitates, illis Legibus proditæ, inventæ ſunt ad evitandas fraudes, & excludendam omnem ſubornationem, quæ in Teſtamentis ſæpe intervenire ſolent. *Ad 3.* non eſt novum, quòd Conſtitutio aliqua Pontificia ſit Corpore Juris communis clauſa, & tamen ad Eccleſiæ univerſalis vaſtitatem non extenditur. Exemplum eſt *c. ex reſcripto 1. de locat.* & alia plura Reſcripta Apoſtolica, quæ Localia tantùm ſunt, etſi Decretalibus inſerta inveniantur, ut *in c. ex reſcripto cit.* notat Joan. Andr. & Gonzal. *n. 5.* Quare neque in noſtra Controverſia obſtabit, quòd Conſtitutio *c. cùm eſſès cit.* inſerta ſit Corpori Juris communis; adhuc enim ad Eccleſiæ Romanæ territorium reſtringenda eſt, ut ſumitur non ſolùm ex ejus inſcriptione, ſed multo magis ex ſubjecta materia, & ratione contra extenſionem illius allata.

36 Quæritur 5. in quo foro invalidum ſit Teſtamentum ſine requiſitis à Jure ſolennitatibus conditum? *Certum eſt 1.* illud invalidum eſſe in foro externo. *Ratio eſt*, quia Judex ſecundùm Leges pronuntiare debet *can. in iſtis 3. diſt. 4.* & *l. nemo 13. C. de ſent. & interloc.* atqui ſecundùm Leges hujuſmodi Teſtamentum nullum eſt, & pro infecto haberi debet §. *ex eo 7. in fin. Inſt. quib. mod. teſtam. infirm.* & *l. hac conſultiſſima cit. princ. & non ſubſcriptum*, & §. *ex imperfecto 1.* ubi Imperator, *Ex imperfecto autem Teſtamento*, inquit, *voluntatem tenere defuncti (niſi inter ſolos liberos) non volumus.* Ex quo ſequitur, quòd Judex contra Teſtamentum ejuſmodi, & hæredes, ac Legatarios in eo ſcriptos adjudicare hæreditatem debeat hæredibus ab inteſtato venientibus, eóſque à Legatis profanis liberos pronuntiare, ut rectè advertit Menoch. *l. 1. de præſumpt. q. 80. n. 7.* cum communi DD.

37 *Certum eſt 2.* ſolennitates in Teſtamento exigi Legibus ita potuiſſe, ut illis deſtitutum, & non privilegiatum Teſtamentum eſſet irritum etiam in foro conſcientiæ; ſicut defacto ex Decreto Trid. *ſeſſ. 24. c. 1. de reform. matr.* etiam in foro conſcientiæ irritum eſt Matrimonium clandeſtinum. *Ratio eſt*, quia cùm Teſtamenti factio adimi poſſit Legibus, à fortiori per eas etiam invalida reddi poſſunt Teſtamenta, quæ deſtituta ſunt ſolennitatibus à Jure requiſitis.

Certum eſt è contrario 3. potuiſſe à Jure ita decerni certas ſolennitates Teſtamentis, ut ijs non obſervatis, irrita illa eſſent quidem in foro externo, tenerent tamen in foro interno. Sequitur ex priori; ſi enim Leges irritare potuerunt Teſtamenta in foro utroque, potuerunt etiam in foro externo tantùm.

38 *Controverſia* ſolùm inter DD. & magnis partium ſtudijs agitata eſt, an defacto Teſtamenta, quæ ſolennitates Juris præſcriptas non habent, ſint irrita etiam in foro conſcientiæ; Negant Fachin. *l. 4. contr. c. 5.* Molin. *tr. 2. D. 81. n. 16.* Leſſ. *l. 2. de J. & J. c. 19. n. 12.* Zœſ. *ff. h. tit. n. 43.* & plures alij ab his *citt.* *Nituntur 1.* authoritate *l. & ſi inutiliter 2.* & *l. fin. C. de fideicommiſſ.* cui conſonat §. *fin. Inſt. de fideicommiſſ. hæred.* ubi hæres fideicommiſſa, per Teſtamentum minùs ſolenne relicta, cogitur ſolvere, vel jurare, quòd nihil tale à teſtatore audiverit: & additur ratio, *ne pereat ultima voluntas teſtatoris fidei hæredis commiſſa.* ergo voluntas illa non fuit omnino irrita. *2. l. non dubium 16. C. de teſtam.* ubi hæres ex Teſtamento, vel ab inteſtato obligatur ad Legata, & Fideicommiſſa, à Teſtatore relicta, ſolvenda, etſi voluntas ultima teſtatoris Legibus non ſit ſubnixa. Non poſſet autem obligari, ſi ejuſmodi voluntas fuiſſet omnino nulla. ergo &c. *3.* Leges irritantes Teſtamenta minùs ſolennia fundantur in præſumptione fraudis; nam ad hanc evitandam numerus teſtium, & aliæ ſolennitates requiruntur in Teſtamentis *l. fin. C. de fideicommiſſ.* atqui præſumptio iſta ceſſat, quando conſtat de contraria voluntate defuncti, adeoque de falſitate præſumptionis. ergo tum etiam ceſſant Leges Teſtamentum ejuſmodi irritantes. *4.* Ex Teſtamento minùs ſolenni naſcitur obligatio naturalis, ut communis habet ſententia, & probat etiam ratio; quia aliàs hæres ab inteſtato per Teſtamentum minùs ſolenne ſcriptus poſſet repetere, quod ex ejuſmodi Teſtamento ſolvit ad teſtatoris voluntatem implendam. hoc autem non poteſt, ut dicitur *l. etſi inutiliter*, & *l. non dubium citt.* & ideo non poteſt repetere; quia naturaliter obligabatur ſolvere. hoc autem nihil eſt aliud, quàm quòd ejuſmodi Teſtamentum in foro conſcientiæ validum ſit. ergo &c. 5. Simplex promiſſio valida eſt in foro conſcientiæ, & adimplenda, licèt Jus Civile nullam ex ea concedat actionem: & ratio unicè eſt, quia parit obligationem naturalem. talem etiam parit Teſtamentum minùs ſolenne, ut dictum eſt. ergo &c. 6. Etſi *l. quid ſit 1. ff. de Liber. & poſthum.* pro forma exhæredationis deſideretur, ut exprimatur nomen, prænomen, & cognomen, non tamen omnia requiruntur, ſed unum ſufficit, ut ibidem dicitur. ergo nec requirentur omnes ſolennitates ad valorem Teſtamenti.

Hæc Argumenta tanti æſtimo, ut judicem, ſententiam ijs firmatam admodum probabilem, & conſ. hæredem, ſi eam ſequi velit, in praxi tutum eſſe, ſi res, Teſtamento imperfecto ſibi relictas, tamdiu retineat, donec Judex pro hærede ab inteſtato pronuntiârit. 39 Speculativè tamen loquendo, & ſpectatis principijs intrinſecis, dico, probabiliùs ejuſmodi Teſtamentum non ſolenne, & non privilegiatum etiam in foro conſcientiæ nullum, & irritum eſſe. Ita Clar. §. *teſtamentum q. 90. n. 5.* Covar. *in c. 10. h. tit. n. 12. & ſeqq.* Menoch. *de præſumpt. l. 1. q. 80. n. 28.* Azor *p. 3. l. 6. c. 9. q. 1.* Vaſq. *tr.*

de testam. c. 3. dub. 1. n. 3. Haunold. *tom. 2. de J. & J. tr. 6. n. 30.* Arnold. Rath, *de testam. à n. 92.* Magnif. D. Verlohner *simil. tr. art. 3. q. 6. n. 4.* Clariss. P. Schmier *tr. de Jur. Leg. c. 1. n. 184.* & *tr. de succes. hæred. p. 1. c. 2. à n. 43.* & plures alij tum TT. tum JCti. *Rationem*, omissis cæteris, quas alij in medium proferunt, adduco unicam, eámque solidam; quia Leges absolutè irritantes contractum, vel actum, si justæ sint, censentur illum irritare etiam in foro conscientiæ; tales sunt Leges, quæ ponunt solennitates Testamentis. ergo &c. *Major* communis doctrina est: & hinc etiam ex Adversarijs multi fatentur, actus Electionis, emptionis, venditionis, donationis &c. si Lex illos ob defectum solennitatis irritet, etiam in conscientia non ligare. *Minor* ostenditur variis Juris Civilis textibus 1. §. *ex eo 7. fin. Inst. quib. mod. testam. infirm.* ibi, *Nam imperfectum Testamentum sine dubio nullum est. 2. l. si binæ 11. ff. de injust. rupt.* &c. ibi, *Quia sequens nullum est.* 3. *l. hac consultissima cit.* §. *ex imperfecto 1.* ibi, *Ex imperfecto autem Testamento voluntatem tenere defuncti (nisi inter solos liberos à parentibus utriusque sexûs habeatur) non volumus.* Et additur, ut si inter liberos conditum sit ejusmodi Testamentum, sed admixta sit persona extranea, pars istius accrescat liberis &c. *Conf.* nam Testamenti factio, ut *n. 5.* dictum est, præcisè est creatura Juris positivi. igitur tantam præcisè vim Testamenta, & ultimæ defunctorum voluntates habent, quantam ipsis Jus positivum tribuit: hoc autem Testamento, solennitatibus destituto, nisi privilegiatum sit, vim omnem adimit. ergo &c.

40 Neque obstant Argumenta sententiæ adversæ. *Ad 1.* Leges ibi allegatæ plus probant, quàm vellent Adversarij; probarent enim, etiam pro foro externo non requiri ultimatò illas solennitates, sed istis deficientibus, offerri posse terminum hæredi ab intestato, quo juret sibi non constare, quòd defunctus alium sibi hæredem voluerit. Deinde hæres ejusmodi tenetur solvere fideicommissa, non vi Testamenti, quasi hoc validum fuerit; sed quia testator fidei ejusdem commisit eorundem solutionem: ad quod ut teneatur, non requiritur, Testamentum fuisse validum, sed quòd hæres sciat hanc fuisse reverà voluntatem defuncti. *Ad 2.* ibidem additur, *Si sua sponte agnoverit*, videlicet eam fuisse voluntatem defuncti. *Ratio*, cur eo casu hæres obligetur ad solvenda Legata, & Fideicommissa defuncti, est, quia repræsentat personam defuncti, & quando hæres fatetur eam fuisse voluntatem defuncti, perinde habetur, acsi ipse defunctus id nunc declararet. ergo non debet hæres contrarium velle, ne sibi ipsi contrarius sit, sed debet voluntatem defuncti, quam repræsentat, perinde tueri, acsi sua propria esset: unde per talem agnitionem solennizatur voluntas defuncti. Proceditque hoc, ut hæres sciens voluntatem defuncti teneatur ejusmodi Legata solvere, etiamsi de ea voluntate defuncti Legatarius nihil omnino sciat. *Ad 3.* Leges illæ fundantur in præsumptione periculi universalis fraudum, sæpe alioquin committendarum, nisi Testamenta imperfecta universaliter irritentur: quæ præsumptio cùm sit verissima, etsi periculum fraudis in casu aliquo particulari cesset, Testamentum tamen, absque debitis solennitatibus conditum, etiam eo casu manebit invalidum. *Ad 4.* cùm juxta nostram sententiam, ut dictum est, Testamenti factio sit creatura Juris positivi duntaxat, meritò negari potest, quòd Testamentum minùs solenne obligationem naturalem inducat. Ad probationem adjectam dico, ideo hæredem in tali casu solutum non posse repetere, quia voluntatem defuncti sponte agnovit, & eam sciens, volénsque, Legata, testamento imperfecto relicta, solvendo est executus. *Ad 5.* negatur paritas: quia promissio simplex vim obligandi à Jure naturali habet; Testamentum autem valolorem suum acquisivit à Jure positivo, absque quo & ipsum, & quævis voluntas ultima fuisset justum quidem, sed inefficax desiderium relinquendi res suas alteri, ut dictum est *n. 4.* Hinc mirum non est, quòd simplex promissio obligationem naturalem pariat; ultima voluntas independenter à Jure positivo eam non pariat, nisi in eo, qui illam sponte agnoverit. *Ad 6.* iterum negatur paritas; hoc ipso enim, quod textus dicat unum sufficere, vult dicere non omnia requiri copulativè, sed disjunctivè duntaxat.

§. III.

De Testamento non solenni.

SUMMARIUM.

41. *Testamentum non solenne privilegiatum est septuplex: primò Pium.*
42. 43. *Quando tale esse censeatur?*
44. 45. 46 *Valet sine solennitatibus Juris.*
47. 48. 49. *In quocunque, etiam sæculari foro.*
50. 51. 52. *Alterum Militare.*
53. 54. *Tertium inter liberos.*
55. *Quartum Rusticorum.*
56. *Quintum conditum tempore pestis.*
57. *Sextum oblatum Principi.*
58. *Septimum Judiciale, seu conditum, & publicatum apud Acta.*
59. 60. 61. *Probabilius hoc offerre Testator debet per seipsum, & non sufficit, ut id faciat per Procuratorem.*
62. *Codicilli definitio.*
63. *Differentia à Testamento.*
64. *Non potest eo dari, vel adimi hæreditas directè.*
65. *Modi, quibus fieri Codicillus potest, & Clausula Codicillaris.*
66. *Effectus istius Clausulæ.*
67. *Solennitas requisita ad Donationem mortis causâ.*

41 TEstamentum non solenne validum, seu privilegiatum, ut *n. 22.* dixi, est quod licèt solennitates Legibus præscriptas non omnes habeat, ex privilegio tamen, & speciali favore Juris sustinetur. Ejusmodi Testamenta sunt septem, videlicet Testamentum ad pias causas, militare, parentum inter liberos, Rusticorum, tempore pestis confectum, oblatum Principi, & apud acta conditum. His accedit Codicillus, qui licèt Testamentum non sit, est tamen species ultimæ voluntatis, in qua non requiritur tanta solennitas, quanta ad Testamentum solenne.

42 Quæritur 1. de *Testamento Pio.* Ac 1. quidem *dubitatur*, quando Testamentum pium, seu ad pias causas factum censeri debeat? R. Testamentum pium nomen suum præcipuè accipit à fine, seu motivo supernaturali, cujus intuitu conditum est. Estque omne illud, quo hæreditas vel tota, vel ejus pars relinquitur, ut cultus, vel obsequium præstetur DEO, ut eidem pro acceptis Beneficijs habeantur gratiæ, ut Cœlitibus exhibeatur veneratio, ut peccatorum deleantur maculæ, ut à pœna his commerita obtineatur liberatio, ut Divina gratia, meritum, & præmium augeatur in cœlo &c. Bald. *in l. 1. C. de SS. Eccl.* Abb. *hìc n. 9.* Wiest. *n. 82.*

In particulari ad pias causas condita Testamenta, & Legata relicta censentur, quibus instituuntur Ecclesiæ, Monasteria, & alia pia loca, iisque pro fabrica, sustentatione Religiosorum, aut Ministrorum, & alijs personarum ibi receptarum necessitatibus aliquid relictum est.

43 2. Testamenta, & Legata, quibus relictum aliquid est pro servorum libertatibus, Eleemosynis pauperum, redemptione captivorum, & carceratorum liberatione, pro conversione infidelium, & Hæreticorum, pro educatione Orphanorum, pauperum puellarum dotatione, instructione pauperum in studijs, artificijs, & opificijs &c. modò ea non ex merè profani, ac privati boni, aut finis intuitu relicta sint Menoch. *l. 4. præsumpt. 115. à n. 3.*

3. Pijs causis annumerari solent relicta pro refectione viarum, ac pontium, pro munitione civitatis adversus hostiles incursus, pro constructione munimentorum, aut ad aliam publicam utilitatem; quia licèt hujusmodi causa verè pia non sit, cùm ad finem supernaturalem non referatur, ob utilitatis tamen publicæ favorem causis pijs æquiparatur, earumque privilegijs gaudet. Menoch. *l. cit. à n. 22.*

Dub. 2. an solennitates Juris Civilis 44
requirantur in Testamento pio? R. negativè. Patet ex *c. relatum 11. h. tit.* ubi Alexander III. Judicibus Velitrensibus præcipit, ut pronuntient pro Testamento pio, etsi illud trium solùm, aut duorum testium subscriptione, vel assertione munitum sit: idque meritò; quia bonum animæ Legis humanæ subtilitas impedire non debet. Quæ ratio cùm universalis sit, probat per *c. relatum cit.* derogatum Juri Civili esse non tantùm quoad numerum testium; sed etiam quoad reliquas solennitates, ut communiter Interpretes docent.

Adeoque valet 1. voluntas ultima, quâ Ecclesia, Monasterium &c. institutum est solo nutu, aut alijs signis externis, sine scriptura, aut voce, modò his mentem suam defunctus sufficienter expresserit. Tiraquell. *caus. piæ privil. 8. & 12.* Clar. *§. testamentum q. 6. n. 7.* Molin. *D. 134. n. 8.*

2. Valet quoad Legata pia, etiamsi ipsum Testamentum, in quo hæc Legata relicta sunt, fuerit solùm inchoatum, adeoque invalidum. Covar. *in c. 11. cit. n. 10.* Molin. *n. 9.* Pirh. *hìc n. 21. not. 6.*

3. Valet quoad eadem Legata, 45
etiamsi hæreditas non fuerit adita ab hærede, quia v. g. mortuus est, vel hæreditatem repudiavit: imò in Testamento ad pias causas non est necessaria ulla hæredis institutio. Clar. *l. cit. n. 8.* Molin. *n. 3. in fin.* Pirh. *n. 21. not. 3.*

4. Valet secundùm hæc ipsa Legata, etiamsi Testamentum, in quo sunt relicta, quoad institutionem hæredis, & alia ob defectum solennitatũ sit irritum. Covar. *n. 2. & 3.* Clar. §. *6. n. 2.* Molin. *n. 2.* Imò in Testamento pio etiam subsistunt Legata profana, siquæ in illo facta à testatore sunt *arg. Reg. accessorium 42. in 6.*

46 5. In eodem Testamento ad causas pias testes esse possunt, qui alioquin in alijs negotijs plenam probationem facere possunt, sive sint masculi, sive fœminæ, sive rogati, sive non rogati, ut *loc. citt.* notant Covar. *n. 4. & 5.* Clar. *n. 3. & 4.* Molin. *n. 4.*

6. Idem testes in Testamento pio juxta communiorem, & veriorem sententiam non requiruntur ad valorem Testamenti, sed solùm ad probationem, quando alia non habetur probatio. Rota *p. 2. decis. 74. n. 12. Ex quo sequitur*, si hæredi certò constet de voluntate defuncti, v. g. per scripturam ipsius indubitatam, vel quòd ex ore ipsius audiverit, velle se, ut hoc vel illud ex rebus suis expendatur in usus pios, hæredem in conscientia obligari ad exequendam hanc ejus voluntatem, etsi nullus interfuerit testis.

Quorum omnium ratio est, quia Institutiones, & Legata pia regulantur secundùm sanctiones Ecclesiasticas, quibus Legales solennitates omnes sublatæ, & ad illorum valorem, ultra Naturalis, & Divini Juris requisita, quidquam exigi veritum est *c. relatum cit.*

47 Dub. 3. utrum per dispositionem *c. cit.* tantùm Legibus Civilibus derogatum sit pro territorio temporali Papæ, an verò etiam pro terris Imperij, & alijs Regnis? *Primum* defendit Henric. Canis. *in c. cit. n. 5.* præcipuè ductus inscriptione illius *cap.* & paritate *c. cùm esses 10. h. tit.* cujus dispositionem *n. 33.* dixi ultra ditionem temporalem Pontificis non extendi, quia rescriptum Pontificis, quod ibi refertur, inscriptum, & datum est Episcopo Hostiensi, cujus Diœcesis est intra territorium temporale Papæ. atqui etiam rescriptum, hoc *cap.* contentum, inscriptum est Judicibus Velitrensibus, qui locus pariter situs est intra territorium temporale Papæ. ergo &c. *Conf.* ex ratione, quæ data est *suprà n. 33. cit.* quia Pontifex Leges Civiles, quæ formam præscribunt actibus merè profanis, & peccatum non continent, in territorio, quod temporali ejus dominio subjectum non est, nec vult, nec potest corrigere. Tale est Testamentum à Laico factum de rebus suis ad causas etiam pias; nam & res temporalis merè est, & potestas, qua de rebus suis ita testatur, ex Civilis præcisè Juris dispositione inducta.

48 Sed meliùs dicitur, Dispositionem *c. cit.* non concludi dominio temporali Papæ, sed in quocunque, etiam sæculari foro observandam esse. Ita omnium ferè DD. sententia, teste König *hic n. 10.* quam confirmat consuetudo, & praxis Curiarum etiam sæcularium universalis, quæ optima est Juris dubij interpres. *Ratio est*, quia Testamenta, & ultimæ voluntates conditæ ad causam piam, hoc ipso, quòd finem supernaturalem, sc. Cultum Divinum, Sanctorum venerationem, & Spiritualem animæ salutem spectent, sunt causæ spirituales, & Ecclesiasticæ; proinde non sæcularis, sed Ecclesiasticæ potestatis est, de illis statuere.

Ad Argumentum allatum in contrarium negatur paritas; nam *c. cùm esses cit.* constitutio non ideo præcise territorio temporali Papæ constringitur, quia Episcopo Hostiensi inscribitur, sed quia concernit materiam merè profanam: At dispositio *c. relatum cit.* est de causa Spirituali, & Ecclesiastica, ut dictum est. Quòd inscriptio illius sit particularis, non obest; quia sufficit, quòd sit de re spectante ad potestatem spiritualem Papæ, & rescriptum illud sit inferrum Corpori Juris communis. *Ad Conf.* Testamentum pium non materia, sed causa, & finis efficit, ob quem est conditum: qui cùm Spiritualis sit, etiam ipsum Testamentum inter causas Spirituales, & cons. potestati Ecclesiasticæ subjectas referet. 49

Quæritur 2. de solennitatibus requisitis ad reliqua Testamenta Privilegiata? R. de his pro varietate ipsorum varia etiam sunt constituta. 50

Primum est *Testamentum Militare*: in hoc distinguendum est inter Jus Justinianæum, & novum Imperij; nam *Jure Justinianæo* militis Testamentum, quod ab eo in Castris, & expeditione fuit conditum, nullas omnino exigebat solennitates, sed sufficiebat, si quocunque modo, etiam litteris sanguine proprio inscriptis in clypeo, vel gladio in arena de ejus ultima voluntate constaret, *in princ. & §. plane 1. Inst. de militar. testam. l. militibus 1. l. Divus 24. & l. miles 35. ff. eod.*

Jure novo Imperij favor iste permansit militibus solùm tunc, quando in conflictu existunt; nam si in Castris, sed extra conflictum, vel procinctum ad conflictum testentur, duo saltem testes sunt adhibendi, prout voluit Maximilianus I. *Constitutione edita 1512. tit. de Testam. §. 2.* Non est autem necesse, ut testes isti habeant qualitates, aliàs requisitas in testibus Testamentarijs; nam esse possunt etiam non rogati, etiam fœminæ, prout colligitur ex *l. Divus cit.*

Porro ratio, quare in Testamento militis remissæ solennitates sint, vel nimia Juris imperitia, & istius peritorum in castris defectus fuit, vel potiùs favor tum Reip. ne solius Testamenti ordinandi causâ stationem deserere cogantur; tum ipsorum militum, ut voluntates ipsorum ultimæ non ita facilè destituantur: & fortassis etiam commilitonum, ut in expeditione faciliùs hæredes existant. 51

Gaudent autem hoc privilegio non tantùm Milites, qui in numerum relati juramentum militare ad vexilla præstiterunt, sed & illi,

& illi, qui licèt milites non sint, castra tamen cùm simili periculo vitæ, & quidem militum causâ sequuntur, ut sunt Curiones Castrenses, Consiliarii, Medici, Chirurgi, Mercatores, vulgò Merckatenter / ꝛc. *l. un. ff. de bonor. possess. ex testam. milit.*

52 Addidi, *favorem istum concedi Militi, quando in castris, & expeditione versatur*; nam de Veteranis, qui missionem obtinuerunt, distinguendum est: Vel enim ejusmodi miles Testamentum condit post missionem, aut extra castra; & tunc Jure communi utitur §. *sed hactenus 3. Inst. de milit. testam.* & *l. ne quidam 17. C. eod.* Vel illud ante missionem, & quidem in castris, vel expeditione condidit; & tunc si is intra annum, quo à bello reversus est, moriatur, Testamentum est validum, & in eo militariter condito institutus hæreditatem acquirere potest: secus, si moriatur postea; tunc enim non valet, nisi casu, quo hæredi conditio post annum demum extitura adjecta fuerit §. *sed hactenus cit.* *Ratio est*, quia conditio, quandocunque existens, retrotrahitur, atque ideo perinde habetur, acsi ab initio purè institutio facta fuisset *l. si pupillus 26. de condit. instit.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *Inst. tit. de Milit. testam. q. 3.*

53 II. *Testamentum Parentum* (quo nomine hìc etiam Ascendentes veniunt) *inter Liberos.* In hoc distinguendum est, an Nuncupativum sit, an verò Scriptum. *Si Nuncupativum est*, ut valeat, sufficiunt duo testes, coram quibus testator suam voluntatem exprimat: neque necesse est, ut illi omni Jure sint habiles; nam in hoc Testamento etiam fœmina testis esse potest, cùm in eo non Jus Civile, sed Gentium observetur *l. fin. C. famil. herciſc. Auth. quod sine C. h. tit.* Fachin. *l. 4. contr. c. 11.* Gaill. *l. 2. obs. 112. n. 4.* Vinn. *l. 2. select. qq. c. 18.* Gletle *de testam. p. 1. c. 3. §. 2. n. 5.* Imò testes hoc casu non requiruntur de substantia, sed tantùm de probatione, ut alijs *citt.* bene advertunt Magnif. D. Verlohner *de testam. art. 4. q. 4. n. 2.* Clariss. P. Schmier *p. 1. de succeſſ. hæred. c. 3. n. 106.*

Si verò scriptum sit, Jure Codicis aliud non requiritur, quàm ut de voluntate patris sufficienter constet: unde si scheda reperiatur, de qua constet, quòd animo conficiendi Testamenti à patre sit conscripta, vel subscripta, perinde custodienda illa, & executioni mandanda est, acsi omnes solennitates adessent *l. hac consultissima 21. §. ex imperfecto 1. C. h. tit.*

54 Hodie verò illa tantùm Scriptura Patris valet, quæ habet conditiones expressas *Novell. 107. c. 1.* vi cujus requiritur 1. ut Testamentum hoc pater ipse scribat, vel ab alio scriptum saltem subscribat, & liberi manum patris agnoscant. 2. ut in ejusmodi Scriptura declaret tempus Testamenti conditi. 3. ut claris verbis exprimat liberorum nomina, & uncias, ex quibus hæredes eos esse cupit. 4. ut si facere divisionem rerum suarum inter eos voluerit, res singulas inter ipsos distribuendas notet. 5. si in eodem Testamento aliquid relinquat uxori, vel alteri personæ extraneæ, aut eam cum liberis in partem hæreditatis vocet, ut respectu istius valeat Testamentum, necesse erit, ut sint adhibiti saltem duo testes, ut colligitur ex *Novell. cit. c. 1. ℣. si tamen* junct. *l. 12. ff. de testib.* Carpzov. *p. 3. constit. 4. defin. 20.* Imò, ut notat König *hìc n. 9.* probabilior sententia quinque desiderat *arg. l. ult. §. fin. C. de Codicill.* alias quoad istiusmodi personam extraneam Testamentum erit invalidum, & quod ipsi relictum est, accrescet liberis *l. hac consultissima*, & §. *ex imperfecto citt.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *tit. de Test. ordin. q. 28.*

Porro causa hujus privilegij Testamento inter liberos indulti est, quòd hìc nulla præsumatur fraus, cùm liberi alias ab intestato essent successuri: imò ad paternam hæreditatem quodammodo ab ipsa natura vocentur, & non tam in bona paterna, quàm propria succedant. Estque hoc juxta communem DD. verum, etsi liberis inæquales partes sint assignatæ: cujus ratio est, quia alias privilegium nullam haberet vim, & frustraneum esset Testamentum, si omnes æquales partes deberent accipere, sicut ab intestato.

III. *Testamentum Rusticorum.* Tale di- 55
citur non solùm, quod Aratores, vinitores, pastores, & similes aggrestes, sed etiam quod alij, quamvis nobiles, ruri degentes condunt; nam sicut illis, sic istis quoque, cùm ruri testantur, quoad testium numerum, & subscriptiones aliquid remissum est *l. fin. C. h. tit.* & *Constit. Maximiliani cit.* idque meritò, quia *cit. Lex*, & *Constitutio* non tam rusticitati, quàm difficultati cogendi tot testes, qui scribere nôrint, consulere voluit: in necessitate tamen duntaxat, & quando tot testes in loco, ubi Testamentum conditur, inveniri non possunt; nam si ibidem haberi possint septem testes, iique litterati, totidem adhiberi, & subscribere Testamentum debent. Si verò totidem testes litterati non reperiantur, videndum, an septem alij, qui partim litterati, partim illiterati sint, haberi possint, vel non; nam priori casu totidem adhibendi sunt, & subscriptio facienda ab ijs, qui litteras callent, etiam pro reliquis illiteratis. Posteriore autem casu, quo neque septem testes illiterati cum litteratis mixti inveniuntur, valebit Testamentum confectum coram quinque testibus, non tamen coram paucioribus, Jure communi spectato, ut patet ex *l. fin. cit.* ibi, *Minus autem nullo modo concedimus.*

IV. *Testamentum conditum tempore pe-* 56
stis. In hoc aliqui existimant sufficere quinque testes, si plures haberi nequeant, ut putat König *hìc n. 12.* imò quibusdam visum fuit, eo casu sufficere duos, vel tres legitimos, cùm plures metu contagionis convocari non possunt, aut comparere nolunt; & rationem

dant; quia tempore necessitatis meritò à solennitate Legali, & Regulis Juris communis receditur. Sed communior, & verior sententia est, spectato Jure scripto, quoad testium numerum nihil in hoc Testamento remissum esse, sed tantùm hoc relaxatum, ne omnes uno, eodémque tempore, & simul adhiberi necesse sit, prout colligitur ex *l. casus 8. C. h. tit.* idque ob periculum, & metum contagionis. Fachin. *l. 5. contr. c. 92.* Barry *l. 1. de Testam. n. 8. ℣. hæc omnia*, Berlich. *p. 2. concl. 5. n. 6.* Brunnem. *in l. 8. cit. à n. 1.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *tit. de testam. ordin. q. 24.* Magnif. D. Verlohner *de testam. art. 4. q. 5. n. 2.* Dixi, *spectato Jure scripto*; nam Jure consuetudinario passim subsistunt, & etiam in Camera Imperiali sustinentur Testamenta, luis contagiosæ tempore condita, si condita illa sint coram tribus, vel saltem duobus testibus, prout testatur Gaill. *l. 2. observ. 118. n. 18.* Mynsing. *cent. 1. obs. 96. n. 1.* Brunnem. *l. cit. n. 4. & 5.* Gletle *de testam. p. 1. c. 3. §. 1. n. 8.* P. König *hic n. cit.* P. Wiest. *n. 97.* P. Schmier *p. 1. de succes. hæred. c. 3. n. 135.*

57 V. *Testamentum oblatum Principi*, quod etiam *Insertum* dicitur: quòd tum fit, quando testator sine ulla solennitate ultimam suam voluntatem libello supplici insertam offert Principi, ac Princeps illud in Consilio lectum in scrinia referri jubet *l. omnium 19. C. h. tit.* ubi licèt Principis nomine præcipuè Imperator, seu Princeps supremus veniat, nihil tamen prohibet, quo minùs offerri Testamentum possit ejus Curiæ, aut Cancellariæ, vel etiam Secretarijs, aut Consiliarijs à Principe, aut ejus Curia hoc fine ad ægrotum missis *arg. l. omnium cit.* Imò idem Jus etiam ad Principes inferiores, & Imperij Status porrigitur, ut monet Myllerus *de Princip. & Statib. Imper. c. 28. n. 1.* & ex eo König *hic n. 5.* Ratio privilegij est, quia authoritas Principis defectum solennitatũ supplet, imò easdem superat, ut dicitur *l. omnium cit.*

58 VI. *Testamentum Judiciale*, seu *conditum*, *& publicatum apud Acta*: quod tunc fit, quando Testator voluntatem suam ultimam scripto comprehensam ipsemet offert Judici, aut viva voce declarat, quæ sit ejus voluntas ultima, simúlque petit, ut ad acta referatur; nam ita ordinatum Testamentum, etsi nec testes, nec ullas alias solennitates habeat, publica fide sustinetur *l. omnium cit. Ratio est*, quia acta Judicialia non minùs, quàm authoritas Principis supplent numerum, & nomina testium, omnémque falsitatis suspicionem removent. *Proceditque hoc*, etsi obligatio facta sit Judici aliàs incompetenti, ut *l. cit.* innuitur, ibi *Cujuscunque Judicis*: neque opus est, ut fiat in ipso loco Judicij; quia ex communi DD. hujusmodi Testamenti factio est actus Jurisdictionis voluntariæ, & quidem simplicis, qui coram quovis Judice, & tam in, quàm extra territorium jus dicentis expediri potest. Berlich. *p. 3. concl. 4. n. 12.* Wesenb. *ff. de testam. n. 10.* Stryck. *de caut. c. 7. §. 34.* Gletle *de Testam. p. 1. c. 3. §. 5. n. 3. & 4.* König *hic n. 5.* Imò ut Magnif. D. Verlohner *art. 4. cit. q. 2. n. 2.* ex Dauth. *de Testam. n. 435.* Lautterbach *de Testam. Judic. Thes. 20.* advertit, Comites, Barones, Nobiles Testamenta sua possunt condere apud propria acta, & coram suis Judicibus, seu Scabinis, ex ratione, quia in actibus Jurisdictionis voluntariæ etiam quis in propria causa Judex esse potest, nisi desideretur causæ cognitio.

Dubium est, an requiratur, ut ipse Testator Testamentum personaliter offerat Judici, an verò sufficiat, si illud offerat per nuntium, vel procuratorem? Hoc secundum sufficere existimant Andr. Gerhardus, Fulgosus, Alexander apud Berlich. *p. 3. concl. 4. n. 31. in fin.* quibus consentiunt Myller *de Princip. & Stat. Imp. c. 28. §. 4.* Struv. *ad ff. Exercit. 32 th. 9.* Miller *ibid. lit. L.* Stryck. *de cautel. Testam. c. 8. §. 13. & seqq.* Clariss. P. Schmier *de succes. hæred. p. 1. c. 3. n. 88. & seqq. Fundantur 1.* quia *l. omnium 19. C. h. tit.* non requirit oblationem, aut insinuationem personalem. 2. Quia in Testamento apud acta facto sublatæ sunt omnes solennitates Juris Civilis, & solùm in eo desiderantur, quæ sunt de Jure naturali, & gentium, atqui considerato Jure naturali, & gentium, Testamentum non minùs per alium, quàm per Testatorem offerri potest. 3. Quia in omni negotio Civili Procurator admittitur, idémque est facere per alium, & per seipsum *Reg. 68. & 72. in 6.* ergo cùm oblatio Testamenti nusquam reperiatur excepta, etiam ipsa fieri per procuratorem poterit. 59

Sed dicendum, requiri oblationem personalem ab ipso testatore. Ita Boer. *class 3. D. 2. th. 7.* Modest. Pistor. *ad l. omnium cit.* Hartman. Pistor. *q. 28. n. 1. n. 9. & n. 10.* Daniel Moller. *ad Constit. Saxon. p. 3. const. 3. n. 3. & seqq.* Ferdin. Vasq. *de succes. creation. l. 2. §. 17. requis. 27 n. 83. & 84.* quos citat, & sequitur Berlich. *concl. 4. cit. n. 32.* Colligitur ex *l. omnium cit.* cujus verba ad ipsum Testatorem directa sunt, adeoque factum ejus proprium *l. cit.* ipsi non remittitur. *Ratio est*, quia cùm ultimæ voluntates omnium maximè fraudibus subjectæ sint, tanto etiam majorem cautelam adhibere opus est ad illas excludendas, ne fortè spurium Testamentum Judici offeratur pro vero, & sic subvertatur ultima Testatoris voluntas. 60

Ad Argumenta contraria sufficiens responsio dari potest. *Ad 1.* etsi expresè præsentia Testatoris *à l. omnium cit.* non requiratur, eam tamen requiri in Testamento ad acta condito sufficienter colligitur tum ex *l. cit.* ubi Imperator, vel alius Judex inferior vult hominum voluntates audire, quod non fieret, si Testator suam voluntatem per litte- 61

ras,

ras, vel procuratorem duntaxat indicaret; tum ex alijs Juribus, quæ in genere ad substantiam Testamenti exigunt, ut testator præsens à testibus videatur, & audiatur. *Ad 2.* in ejusmodi Testamento non omnes solennitates sublatæ sunt; nam *l. omnium cit.* dicitur, hoc Testamentum omnium aliorum Testamentorum solennitatem superare, dum sc. in eo testes non sunt necessarij, reliquæ verò solennitates in eo nihilominus observantur. *Ad 3.* licèt in alijs casibus Regulæ *citt.* locum habeant, non tamen in hoc nostro casu: ratio disparitatis est; quia in alijs, siquid fraude actum præter intentionem mandantis est, facilè rescindi, & retractari potest; at in Testamento id fieri non potest, cùm mortuus aliquando Testator non revertatur ampliùs, ut Testamentum spurium, pro suo obtrusum Judici, possit evertere: unde actus offerendi planè personalissimus erit, ut dicit König *hìc n. 6.*

62 Quæritur 3. de *Codicillo*, & *Donatione mortis causâ?* Et 1. quidem *dubitatur*, quid sit *Codicillus?* ℟. *Codicillus*, sic dictus, quia est quasi parvus Codex, definiri potest, quòd sit *ultima voluntas minùs solennis defuncti, sive testati, sive intestati, de eo, quod is post mortem de rebus suis fieri vult, absque directa hæredis institutione.* Ita quoad rem communiter DD. licèt in verbis quidam dissentiant.

Differt à Testamento 1. quoad testium numerum, & qualitates; nam in Codicillo sufficiunt testes quinque, iique non rogati, imò etiam fœminæ §. *fin. Inst.* & *l. fin. junctâ* Gloss. C. *de Codicill.* *Excipitur* Codicillus à cæco factus; nam in hoc necessarij sunt septem testes, aliáque, quæ requiruntur in eorum Testamento *l. hac consultissima 8.* C. *qui Testam. fac. poss.*

63 2. Codicillus etiam ab eo, qui intestatus decedit, fieri potest; valet enim, quo quis relinquit Legata solvenda ab eo, qui in bonis ipsi successerit: eáque tenetur solvere hæres etiam ab intestato §. *non tantùm 1. Inst. de Codicill.* & *l. siquis 3. ff. de Jur. Codicillor.*

3. Testamentum non valet, nisi unicum; Codicilli non unus tantùm, sed plures fieri possunt: & si contrarij quidem non sint, omnes subsistunt; si verò contrarij sint, prior revocatus censetur *l. cùm proponatis 3.* C. *eod.*

4. In Testamento scripto necesse est, ut Testator ultimam suam voluntatem subscribat manu propria, & obsignet; in Codicillo autem neutrum requiritur, sed sufficit, si in scriptis factum fuerit, ut testes quinque requisiti interfuerint ejus confectioni, illúdque uno, eodémque tempore subscripserint §. *fin. Inst. de Codicill. l. Divi 6.* §. *Codicillos 1. ff. de Jur. Codicill.* ibi, *Neque signari necesse est.*

64 5. Testamenti præcipua pars, imò caput, & fundamentum est institutio, sive subrogatio hæredis in universum jus, quod tempore mortis testator habuit §. *ante hæredis 34. Inst. de Legat.* Contrarium contingit in Codicillo; hoc enim hæreditas directè nec dari, nec adimi, aut hæredi Testamentario conditio adijci potest §. *Codicillis 2. Inst. l. per manus ff. 10. l. hæreditatem 2.* & *l. si idem 7.* C. *eod.*

Dixi *directè*; potest enim in Codicillo Fideicommissum relinqui, adeoque hæres instituui indirectè: & hinc si hæreditas Codicillis directè relicta fuerit, Institutio directa trahitur ad Fideicommissariam, quasi hæres ab intestato succedens rogatus esset restituere hæreditatem, ei, qui scriptus est in Codicillo *l. siquis 3. princ. ff. de Jur. Codicill.* idque, ut sustineatur ultima voluntas eo modo, quo potest. Zœs. *ff. eod. n. 7.* Pirh. *n. 7. hìc.* Similiter potest Testator in Codicillo significare, hæredem institutum commisisse aliquid, ob quod dignus sit privari hæreditate, séque velle, ut privetur: & tunc si delictum probetur, privabitur *l. hæreditas 4.* C. *de his, quib. ut indign. &c.*

Dub. 2. quot modis fieri Codicilli pos- 65
sint? ℟. fieri possunt quatuor modis. 1. Ante Testamentum: & tunc per subsequens Testamentum vel confirmantur, vel revocantur. 2. Cum Testamento, sive in Testamento per adjectam Clausulam Codicillarem. 3. Post Testamentum. 4. Ab intestato.

Porro Clausula Codicillaris aliquando additur Testamento expresè, aliquando tacitè adjecta censetur: quod fit maximè in triplici casu. 1. Si Testator dicat, se velle suam dispositionem valere omni modo, quo potest. 2. Si Testator jurat se velle, ut omnia in Testamento serventur, vel ut hæres de ijs servandis juret. 3. Censetur apposita Clausula Codicillaris in Testamento militis, & in Testamento inter liberos, saltem quoad ea, quæ sunt in utilitatem liberorum.

Effectus Clausulæ Codicillaris, Testa- 66
mento explicitè, vel implicitè adjectæ est. 1. Quòd si Testamentum sit nullum ob defectum solennitatis, Legata valeant, & hæres ab intestato teneatur illa solvere, dummodo Testamentum habeat solennitatem ad Codicillum requisitam. 2. Hæres ab intestato, si non sit necessarius, debet hæreditatem restituere hæredi per tale Testamentum instituto, sicut si institurus fuisset per substitutionem Fideicommissariam, quamvis retinere sibi possit quartam Trebellianicam, ut colligitur ex *l. posthumus 12.* §. *si paganus 1. ff. de injust. rupt. &c.* *Ratio est*, quia talis Institutio fieri potuisset in Codicillo, ut dictum est *n. 64.* 3. Si Testator injustè exhæredavit, vel scienter præterijt hæredem necessarium, tenetur hæres ille vi Clausulæ Codicillaris restituere hæreditatem hæredi instituto Testamento illo invalido, retentâ solùm portione sibi debitâ. *Ratio est*, quia quoad alia poterat Testator per Substitutionem Fideicommissariam eum gravare per Codicillum. Dixi, *si scienter præterijt*; si enim fecit ex ignorantia, vel per imprudentiam, & oblivionem, non præsumitur voluisse illi præferre hæredem extraneum.

Dub. 3.

67 Dub. 3. quæ solennitates requirantur ad *Donationem mortis causâ?* ℟. ad hanc de Jure communi requiritur eadem solennitas, quæ ad Codicillos sufficit *l. fin. C. de donat. mort. caus.* Quare necessarij sunt quinque testes, non tamen rogati, aut masculi. Qui autem cum paucioribus testibus testari possunt, poterunt etiam cum paucioribus donare mortis causâ, autCodicillos condere *l. Marcellus 15. ff. de mort. cauf. donat.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *tit. de testam. ord. q. 29.*

Illud cum Harpprecht *Inst. de Codicill. n. 21.* hìc restat notandum, solennitatem hactenus descriptam ad valorem Codicilli, & mortis causâ donationis (quod etiam de Legatis, & Fideicommissis dicendum) non requiri ad valorem, sed tantùm ad probationem: idque verum est non tantùm in foro interno, sed etiam externo. Patet ex §. *fin. Inst. de fideicommiss hæred. l. & si inutiliter 2. & l. fin. C. de fideicommiss.*

§. IV.

De Hæredis Institutione.

SUMMARIUM.

88. *Testamentum generaliter condere possunt, qui specialiter non prohibentur.*
69. *Naturâ prohibentur Infantes, & mente capti.*
70. *Ebrij ebrietate perfecta.*
71. *Ob vitium corporis surdi, & muti simul à nativitate.*
72. *Lege ob defectum ætatis prohibentur Impuberes.*
73. *Ob vitium morum Prodigi, contrahentes incestas nuptias, Hæretici.*
74. *Damnati ob carmen famosum, rei læsæ Majestatis, & repetundarum, aliique Lege intestabiles.*
75. *Ob defectum Statûs Filiusfamilias, Servi.*
76. *Capti bello justo, obsides apud hostem.*
77. *Deportati, Banniti.*
78. *Damnati ad capitale supplicium.*
79. *Canone prohibentur testari Usurarij manifesti.*
80. *Excommunicati ob Hæresin.*
81. *Religiosi Professi, & Coadjutores formati Societatis JEsu.*
82. *Clerici Beneficiati de Beneficialibus sustentationi superfluis.*
83. *Consuetudine induci potest, ut hi testari possint ad causas pias.*
84. *An etiam ad profanas, argumenta negativæ sententiæ.*
85. *Concluditur pro affirmativa.*
86. *Solvuntur Argumenta contraria.*
87. 88. 89. *Prohibiti testari ne quidem ad causas pias testari possunt.*
90. *Hæredes instituti possunt omnes, qui Jure non prohibentur.*
91. *Enumerantur qui ab hæreditate repelluntur ut Indigni absolutè.*
92. *Indigni secundùm quid.*
93. *Incapaces simpliciter Jure Civili recensentur.*
94. *Incapaces secundùm quid.*
95. *Prohibiti institui Canone sunt Hæretici, & persecutores Cardinalium.*
96. *Jure speciali FF. Minores de Observantia, & Capucini.*
97. *Professi Societatis JEsu, & Coadjutores formati ejusdem.*
98. *Domus Professæ Societatis cum limitatione.*
99. *Potest hæres tutâ conscientiâ retinere partem Institutionis nomine relictam FF. Minoribus.*
100. *Quo tempore hæres debeat esse capax?*
101. *An noceat incapacitas temporis intermedij?*
102. *Quinam sint Hæredes necessarij?*
103. *Tales non sunt Fratres, & Sorores.*
104. *Necessarij solùm instituì debent in Legitimam.*
105. *Quæ Jure recentiore est Triens, vel Semis.*
106. *Quod tamen non procedit in filijs adoptivis.*
107. 108. *Requisita, ut exhæredare possit pater filium.*
109. *Filius patrem, frater fratrem.*
110. *Quo Jure debeatur Legitima?*
111. *Quomodo relinquenda?*
112. *An onerari illa possit Fideicommisso &c.*

PRæcipua Testamenti pars, ut *n. 64.* insinuavi, est Institutio hæredis, eáque adeo necessaria, ut sine ipsa Testamentum non valeat *l. proxinè 3. ff. de his, quæ in Testam. delent. &c.* Ut rite fiat hæc Institutio, requiritur 1. ut fiat ab habente potestatem testandi. 2. Ut Testamento instituatur, qui capax sit Institutionis, & successionis. 3. Ut in eo non prætereatur, qui debuisset instituì. Atque hinc

68 Quæritur 1. quinam possint Testamentum concedere? ℟. in hoc Regula generalis est, quòd omnes homines de bonis suis ante mortem testari possint, qui specialiter non prohibentur *l. habeat 1. C. de SS. Eccl.* & *l. ex facto 43. ff. de vulg. & pupillar. substit.* ubi iniquum esse asseritur, seclusâ gravi causâ, auferre Testamenti factionem homini sanæ mentis. *Ratio est.* quia Testamenti factio est de genere permissorum, & Edictum de ijs, qui testari nequeunt, prohibitorium, cujus hæc est natura, ut posse censeatur, cui specialiter non interdicitur. Estque hoc ita verum, ut ne quidem illi, qui actu nihil in bonis habent, condere Testamentum prohibeantur, modò aliquid habere possint; quia per

per Testamentum homo disponit, non tantùm de ijs, quæ habet, sed etiam de ijs, quæ habebit tempore mortis. Porro ij, qui testari prohibentur, triplicis maximè generis sunt; nam aliqui prohibentur naturâ, alij Lege, alij Canone.

69 Dub. 1. quinam naturâ prohibeantur Testamentum condere? R. hi sunt duplicis generis; nam aliqui prohibentur testari ob defectum animi, alij ob vitium corporis.

Ob defectum animi 1. testari non possunt *Infantes*, sive ij, qui nondum habent rationis usum, ut bonum à malo sufficienter possint discernere. König *hic n. 15.*

2. *Mente capti, & furiosi*, ut habetur §. *præterea 1. ℣. item furiosi Inst. quib. non est permiss. testam. facer.* Intellige, tum, quando actu usu rationis carent: valet enim Testamentum, quod condiderunt tempore lucidi intervalli; item quod condiderunt, antequam inciderent in furorem, vel amentiam *℣. item cit.* ubi ratio redditur; *quia neque Testamentum rectè factum, neque ullum aliud negotium rectè gestum postea superveniens furor perimit.*

70 3. *Ebrij* ebrietate perfecta, & cum quodam mentis temporario exilio, quamdiu ejusmodi ebrietas durat. Aliud est, si sit modica, & talis, quæ usum rationis non adimit. Reisner. *de Testam. vol. 1. p. 2. c. 12. n. 3.* & ex eo König *n. 15. cit.*

In dubio, an quis fecerit Testamentum tempore ebrietatis, vel furoris, aut lucidi intervalli, standum est judicio testium, & conjectura sumenda ex ipso Testamento: nam casu, quo istud ritè ordinatum est, pro ejus valore pronuntiandum; secus, si in eo sint impressa delirij vestigia. Qua verò ratione ipsi testes hac in re judicium formare possint, præcipuè quoad ægrotos delirantes, latè tradit Lugo *D. 24. à n. 63.*

71 *Ob vitium Corporis* testari prohibentur Surdi, & Muti simul à nativitate §. *item surdus 3. Inst. quib. non est permiss.* & *l. discretio 10. C. qui testam. facere &c. Ratio est*, quia voluntatem suam certò manifestare non possunt.

Dixi *à nativitate*; nam si defectus iste proveniat solùm ex morbo, vel casu, eo effectus, testari non prohibetur, modò antè didicerit litteras, & testetur in scriptis, quæ sua sit ultima voluntas.

Addidi *Muti, & surdi simul*; nam siquis tantùm sit mutus, aut tantùm sit surdus, testari potest, modò voluntatem suam voce, aut scripto possit exprimere §. *item surdus*, & *l. discretio citt.*

Idem dicendum de *Cæco*: nam is solùm testari non potest in scriptis, quòd scripturam recognoscere nequeat: nuncupativè autem, & observata solennitate à Jure præscripta, potest *l. hac consultissima 8. C. qui testam. fac. poss.* & *Recess. Imp. de Anno 1512. tit. de Notarijs* §. aber zu eines blinden.

72 Dub. 2. quinam testari prohibeantur Lege? R. isti sunt triplicis generis; nam aliqui testari prohibentur ob defectum ætatis, alij ob vitium morum, alij verò ob defectum, vel conditionem statûs.

Ob defectum ætatis testari prohibentur *Impuberes*, ut habetur §. *præterea 1. Inst. quib. non est permiss.* & *l. si filiusf. 9. ff. qui testam. facer. Ratio est*, quia licèt aliquod judicium habeant, fragile tamen illud, & ad hunc actum non satis firmum, & consf. non justa voluntas esse videtur *l. fin. C. de testam. milit. Proceditque* hoc, etsi impubes ejusmodi sit pubertati proximus, vel præcocitas Judicij, & malitia ætatem suppleat, ut rectè advertit König *hic n. 18.* quia Leges præcisè certum annorum numerum ad Testamenti factionem postulant: hinc Ulpianus *l. in omnibus 1. §. unde quæritur 1. ff. de tutel. & ration. distrah.* respondit, pupillos ne quidem authoritate Tutoris interveniente, testari posse.

Dixi *Impuberes*; nam Puberes, licèt alios actus inter vivos, quando minores adhuc sunt, sine Curatorum suorum consensu celebrare nequeant, possunt tamen sine eorum consensu testari. *Ratio est*, quia consensus Curatoris solùm requiritur, ne Minor sibi præjudicet. atqui testando non sibi præjudicat, cùm Testamenti effectus primùm post mortem eveniat. ergo &c.

Ob vitium morum intestabiles à Jure 73
Civili redditi sunt 1. *Prodigus*, cui à Judice bonorum administratio est interdicta §. *item prodigus 2. Inst.* & *l. is cui 18. ff. qui testam. fac. poss. Proceditque hoc*, etiam de Testamento, quo salubriter, & prudenter posteritati suæ consuluerunt, nisi hoc fecerint ante interdictum; quia *LL. citt.* loquuntur generaliter: unde non est attendenda *Novella Leonis 39.* quâ ejusmodi Testamentum etiam tempore interdicti confectum approbatur.

2. *Qui incestas nuptias scienter contraxit*; nam horum bona omnia statim fisco cedunt. *Novell. 12. c. 1.* Si tamen liberos ex justo Matrimonio habeat, hi succedunt, & fisco præferuntur, imò & ascendentes usque ad tertium gradum. *Novell. 134. c. ult.*

3. *Hæretici*, & eorum credentes, fautores, receptatores *l. Manichæos 4. §. ergo 5.* & *Auth. credentes C. de Hæret. & Manichæis. Procedit* autem hoc de Hæreticis non toleratis; nam illi, qui in Germania nostra Confessionem Augustanam profitentur, testari possunt, quia ob pacem, & fœdus cum eis initum, permittente, & tacitè consentiente Pont. retinent Jura, & immunitates Civiles, ut notat Laym. *l. 2. tr. 1. c. 16. n. 4.*

4. *Damnati ob carmen, & libellum* 74
famosum, ut habetur *l. is cui 18. cit. in fin.* quæ tamen Legis sanctio hodie parum attendi videtur ob frequentiam illorum, qui libellis famosis aliorum famam proscindere satagunt: habet tamen, ut notat Stryck. *de cautel. testam. c. 5. §. 50.* etiam nunc effectum istum, ut si Advocatus, ad impugnandum Testamentum adhibitus, Exceptionem inte-

stabilitatis ex hoc capite oppoſuerit, omnino audiendus ſit, cùm claram Legem, nullibi mutatam pro ſe habeat.

5. Rei criminis læſæ Majeſtatis *l. ex judiciorum 20. ff. de accuſat.* item *rei repetundarum*, ut habetur *l. ead.* ubi hoc delictum priori crimini læſæ Majeſtatis conjungitur, & aſſeritur, ob tale crimen facultatem de bonis ſuis teſtandi amitti.

6. Denique quicunque *Lege inteſtabiles* ſunt eſſe juſſi *l. cùm Lege 26. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* ubi ratio redditur; quia *cùm Lege quis inteſtabilis jubetur eſſe, eò pertinet, ne ejus teſtimonium recipiatur, & eò amplius - - - ne ipſi dicatur teſtimonium.* condi autem Teſtamentum nequit, niſi adhibitis teſtibus. ergo qui Lege inteſtabiles facti ſunt, cùm teſtimonium ipſis dici non poſſit, condere Teſtamentum non poterunt.

75 *Ob defectum, vel conditionem Statûs* denique condendi Teſtamenti facultatem non habent. 1. *Filiusfamilias:* ubi tamen diſtinguendum eſt inter ejuſdem bona; ſolùm enim teſtari non poteſt de bonis adventitijs. *Inſt. princ. quib. non eſt permiſſ. l. qui in poteſtate 6. pr. ff. & l. ſenium 3. §. filium 1. C. qui teſtam. fac.* de Caſtrenſibus autem, & quaſi Caſtrenſibus, ſi pubes ſit, Teſtamentum condere non prohibetur *princ. cit. & l. fin. C. eod.* neque opus eſt ad hoc conſenſu patris; quia in his Patrisfamilias locum obtinet *arg. l. nulla 4. ff. de Judic.* & paſſim DD.

2. *Servi*, ſive deinde ſint ſervi hominis, ſive pœnæ, v. g. ad metalla damnati *l. ejus 8. l. filiusf. 16. l. ſi filiusfam. 19. ff. qui teſtam. facer.* Neque poteſt ad Teſtamentum condendum conſenſum eiſdem præſtare dominus; quia *Teſtamenti factio non privati, ſed publici Juris eſt*, ut ait Papinianus *l. teſtamenti 3. ff. eod.* Intelligi autem hoc debet de Servis propriè dictis; nam impropriè tales, vulgò Leibeigne / à Teſtamenti factione de Jure communi non excluduntur.

76 3. *Capti bello juſto:* item *Obſides*, qui ſunt loco captivorum §. *ſervi 3. Inſt. de Jur. perſon. l. eum qui 8. princ. & l. obſides 11. ff. qui teſtam. fac. Procedit hoc* antiquo Jure Romano; hodierno enim inter Chriſtianos, ſublata hac ſervitute, capti bello, & obſides poteſtatem teſtandi habent, & eorum Teſtamenta, licèt in captivitate apud Turcas, & Infideles condita, ſuſtinenda ſunt; quia etſi ab ipſis ejuſmodi Captivi habeantur pro ſervis, nos tamen tales eos non reputamus. Fleck. *Biblioth. Jur. l. 2. tit. 20. n. 29.* Manz. *de teſtam. tit. 2. à n. 179.* Magnif. D. Chriſtoph. de Chlingenſperg *tit. quib. non eſt permiſſ. q. 1.* Magnif. D. Verlohner *de mod. ſucced. art. 2. q. 1. n. 5. & 6.* Clariſſ. P. Schmier *de ſucceſſ. hæred. p. 1. c. 1. n. 47.*

77 4. *Deportati*, ac quibus igni, & aquâ interdictum eſt *l. ejus qui 8. §. ſi cui 1. & ſeq. ff. qui teſt. fac. poſſ.* Idem videtur dicendum de *Bannitis*, aut *proſcriptis* ab Imperatore, vel Camera Imperiali; non verò de *Relegatis*, aut proſcriptis ex aliquo Statu Imperij. *Ratio diverſitatis eſt*, quia priores deſinunt eſſe Cives Romani, & ſimul habentur pro hoſtibus Imperij; poſteriores autem Jus Civitatis Romanæ retinent, ac proinde jus teſtandi ſalvum ijſdem manet. Gaill. *de Pac. publ. l. 2. c. 12. n. 3. & 5.* Haun. *de J. & J. tr. 6. n. 220.* König *hic n. 24.*

78 5. *Damnati ad mortem, ſeu capitale ſupplicium*, ſpectato ſaltem Jure antiquo *l. ejus qui cit. & l. ſiquis 6. §. ſed etſi 6. ff. de injuſt. rupt. &c.* ubi additur ratio, quia ſervi pœnæ fiunt, bonâque eorum confiſcantur. Verùm hæc ratio Jure Recentiori *Novell. 134. c. ult.* non procedit; nam iſto Jure ſolummodo publicantur illorum bona, qui Majeſtatis crimine damnati ſunt, vel qui poſtquam de capitali crimine ſunt accuſati, mortem ſibiipſis conſcivêre, & ſupplicium anteverterunt; cæterorum verò bona parentibus, & liberis uſque ad tertium gradum ſervantur. Hinc non pauci cum Magnif. D. Verlohner *q. 1. cit. n. 9.* exiſtimant, hodie, ſpectata ſaltem æquitate, ita damnatos, ſecluſa contraria conſuetudine, de bonis ſuis teſtari poſſe.

79 Dub. 3. quinam teſtari prohibeantur Canone? R/. horum duo ſunt genera; nam aliqui prohibentur in pœnam delicti, alij ob conditionem ſtatûs.

In pœnam delicti inteſtabiles de Jure Canonico ſunt. 1. *Uſurarij manifeſti*, niſi priùs ſatisfecerint, & uſuras reſtituerint, vel cautionem idoneam de ijs reſtituendis præſtiterint *c. quanquam 2.* junct. Gloſſ. *V. aliter de Uſur. in 6. Proceditque hoc*, etſi condidiſſet Uſurarius Teſtamentum, antequam manifeſtus fieret; quia *c. cit.* Uſurario abſolutè negatur facultas teſtandi. atqui etſi condiderit Teſtamentum ante crimen, vel manifeſtationem illius, ſi tamen decedat in crimine, verè dicitur teſtari ut Uſurarius; quia teſtari non eſt tantùm ſcribere, vel nuncupare hæredem, ſed ſua bona vi ultimæ diſpoſitionis illi relinquere. ergo &c. Addidi *Manifeſtus;* nam, ſi dum vivebat, manifeſtum non fuit ejuſdem crimen, etſi manifeſtetur poſt ejus mortem, Teſtamentum ab Uſurario conditum valet; quia Teſtamentum morte Teſtatoris confirmatur, quo tempore Uſurarius notus adhuc non erat.

80 2. *Excommunicati ob Hæreſin*, eorúmque fautores, receptatores, defenſores &c. *c. excommunicamus 13. §. credentes de Hæretic.* Quod aliqui extendunt etiam ad reliquos Excommunicatos non toleratos, ex eo, quòd nequeant communicare cum teſtibus, ſine quibus condi Teſtamentum non poteſt. Sed argumentum iſtud non evincit intentum; eſto enim communicando cum teſtibus, & ſic condendo Teſtamentum Excommunicatus agat illicitè, non tamen agit invalidè, cùm non obſtante

stante Excommunicatione, jus, & dominium temporalium bonorum retineat, & per ipsam potestatem de ijs disponendi non amittat. Hinc dicendum, ita Excommunicatos adhuc testari validè. Ita Engl *hic n. 8.* Wiest. *num. 23.* Clariss. P. Schmier *p. 1. de succes. hæred. c. 1. n. 61.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *tit. quib. non est permiss. q. 10.* & sumitur ex *c. excommunicamus §. credentes cit.* quo textu SS. Canones potestatem testandi solùm adimunt excommunicatis ob Hæresin. igitur per argumentum à sensu contrario reliqui Excommunicati potestatem testandi retinent; exceptio enim firmat regulam in casibus non exceptis *l. quæsitum 12. §. item respondit 13.* junct. Gloss. *V. non potest ff. de instruct. vel instrum. legat.*

3. Denique, qui hostiliter persequuntur, capiunt, percutiunt aliquem ex S. R. E. Cardinalibus, vel ad capturam ejus, percussionem &c. cooperantur *c. Felicis 5. de pœnis in 6.*

81 *Ob conditionem Status* Canone testari prohibentur 1. *Religiosi Professi*; nam isti regulariter neque ad causas pias, etiam cum licentia Superioris sui ordinarij testari possunt *can. quia ingredientibus 7. caus. 19. q. 3.* & *c. quia 2. h. tit.* *Ratio est*, quia cùm velle, & nolle non habeant *can. non dicatis 11. caus. 12. q. 1.* in ijs deficit voluntas, & simul bona, de quibus testentur, cùm ob Votum solenne Paupertatis ferè incapaces dominij, ac proprietatis sint, & quidquid acquirunt, acquirant Monasterio. *Auth. ingressi C. de SS. Eccl.* Idem dicendum de *Coadjutoribus formatis* Societatis JEsu: non verò de ijs, qui post biennium Novitiatûs Simplicia Vota in eadem ediderunt, & *Scholastici*, vel *Coadjutores nondum formati* dicuntur; nam etsi & hi verè Religiosi sint, sunt tamen capaces dominij, ut habetur in Bullis Gregorij XIII. incipit *Quantò fructuosiùs*, & *Ascendente Domino*: igitur etiam testari poterunt de bonis suis, saltem de Superiorum suorum licentia. Multo magis testari possunt *Novitij*; quia cùm nondum emiserint Vota Substantialia Religionis, dominium bonorum nec ademptum, nec ligatum ipsis est. Imò ex privilegio Pontificio de bonis, quorum administrationem, & usum habent, aliquando testari possunt etiam Religiosi Professi: & tale defacto habent Ordines Militares S. Joannis Equitum Melitensium, & S. Mariæ Teutonicorum &c.

82 2. *Clerici Beneficiati*, non quidem absolutè (nam de Patrimonialibus, & quasi Patrimonialibus integra ipsis ut disponendi, ita etiam testandi potestas est) sed de Beneficialibus, seu intuitu Ecclesiæ principaliter quæsitis, & congruæ sustentationi superfluis, ut clarè habetur *c. quorundam 1. c. adhæc 8.* & *c. quia nos 9. h. tit.* *Procedit* autem hoc, spectato Jure communi; nam ex privilegio Pontificio potestas testandi Clericis dari potest, non solùm ad causas pias, sed etiam ad profanas; cùm enim potestas ista sublata sit Clericis Jure tantùm Ecclesiastico, Pontifex, qui est supra omne Jus Ecclesiasticum, dispensare in Lege potestatem eam tollente poterit.

83 Gravis est difficultas, & celebris controversia, an per consuetudinem, saltem immemorialem, induci possit, ut Beneficiarij de reditibus Ecclesiasticis superfluis, & illis, quæ ex his comparata sunt, liberè, ac licitè testari, vel per aliam ultimam voluntatem possint disponere? *certum est*, quòd consuetudine induci possit, ut testari valeant ad causas pias; nam id apertè colligitur ex *c. relatum 12. h. tit.* ubi Alexander III. disertè asserit, non improbandam consuetudinem, vi cujus de bonis mobilibus per Ecclesiam quæsitis aliqua pauperibus, & Religiosis locis, & ijs, qui viventi serviunt, juxta servitij meritum conferantur. Accedit ratio, quia per hoc nihil fit, quòd adversatur Juri naturali Justitiæ, vel intentioni Fundatorum, & cons. non apparet, quo ex capite reprobetur hujusmodi consuetudo. Punctum controversiæ in eo situm est, an obtineri à Clericis per consuetudinem, saltem immemorialem, possit facultas disponendi de bonis Beneficialibus superfluis ad causas profanas?

84 Negativam acriter defendunt Abb. *in c. 7. h. tit. n. 5.* Navar. *de redit. Eccl. q. 1. monit. 53.* & *q. 3. monit. 1.* & *duob. seqq.* Molin. *tr. 2. de J.* & *J. D. 147. n. 31.* Tann. *tom. 3. D. 4. q. 6. dub. 8. n. 249.* Vasq. *de redit. c. 2. §. 1. n. 83.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 3. n. 7.* Henric. Canis. *in c. 1. h. tit. n. 18.* P. Engl *hic n. 3.* P. Pirh. *n. 42.* P. Krimer *n. 2149.* P. Reiffenstuel *n. 335.* P. Schmier *p. 1. de succes. hæred. c. 1. n. 91.* & *seqq.* & alij, ex quorum sententia consuetudo ista irrationabilis, ac proinde invalida est. *Fundantur 1. arg. c. relatum cit.* ubi Pontifex, ut vidimus, solùm approbat consuetudinem relinquendi ad causas pias. igitur à contrario inferendum videtur, quòd improbari debeat consuetudo, quâ Clerici de bonis, intuitu Ecclesiæ quæsitis, testantur ad causas merè profanas. 2. Clericis Testamenti factio ad causas profanas prohibita est à SS. Canonibus, ut congerendis opibus minùs intenti, magis autem proni sint ad causas pias promovendas, & Eleemosynas largiendas, dum vivunt. atqui si consuetudo universaliter permittens facultatem testandi ad causas profanas legitimæ consuetudinis authoritatem habet, finis iste non obtinetur, sed potiùs excitantur studia fini huic contraria. igitur consuetudo ista non legitima, sed irrationabilis dici debet. 3. Beneficiarij majorem facultatem à Jure sibi concessam habent, ut disponere de bonis Ecclesiasticis sibi superfluis possint inter vi-

vos, quàm mortis causâ, atqui ex DD. omnium confessione graviter peccant Clerici, si ejusmodi bona in magna quantitate expendant ad usus profanos e. g. donando consanguineis divitibus. Ergo similiter, imò magis peccabunt mortaliter, si de ijs ad easdem causas disponant mortis causâ. 4. Episcopi de superfluis reditibus Ecclesiasticis testari nequeunt, nisi ad causas pias, imò ne ad has quidem sine speciali facultate Summi Pontificis. atqui Episcopi ideo non possunt testari ad causas profanas, quia præsumuntur habere amplos, & superfluos reditus. ergo nec Clerici ita testari poterunt, si & ipsi superfluos, & abundantes reditus habeant. habent autem persæpe, præsertim in Germania nostra, ergo &c. 5. Ejusmodi consuetudo non leve damnum infert Ecclesijs, & parum utilitatis affert hæredibus profanis: illis quidem, quia hoc modo Beneficiatorum bonis alio aversis ipsæ negliguntur; his autem, quia ut experientiâ constat, Clericorum bona apud hæredes profanos vix unquam fructificant, imò mala magna, & clades familijs afferunt, manifesto indicio maledictionis Divinæ. 6. Multi dubitant, alij etiam negant, uspiam introductam esse consuetudinem de reditibus superfluis testandi ad causas profanas; quia dicunt, in ijs locis, ubi ex consuetudine Clerici de bonis suis indistinctè ad causas profanas testantur, hoc permitti, quòd Beneficia ibi censeantur non dare superfluos reditus.

85 Hæc sententia quamvis admodum probabilis sit, & in praxi suadenda, probabilior tamen tum authoritate, tum ratione videtur affirmativa, cum qua dicendum, posse per consuetudinem, saltem immemorialem, induci facultatem disponendi de reditibus Ecclesiasticis etiam ad causas profanas. Ita Covar. *in c. 7. h. tit. n. 23.* Azor *p. 2. l. 7. c. 9. q. 1.* Garc. *p. 2. de Benef. c. 1. n. 16. & seqq.* Barbos. *Jur. Eccl. l. 3. c. 17. n. 68.* Gonz. *in c. 12. h. tit. n. 2.* Haun. *tom. 2. tr. 6. n. 257.* Gletle *de Testam. p. 1. c. 4. §. 7. n. 13. & seqq.* Schambog. *de Testam. p. 1. q. 40. per totam.* Magnif. D. Verlohner *de Testam. art. 2. q. 1. n. 15.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *tit. quib. non est permiss. test. facer. q. 19.* Wiest. *hic n. 40.* & apud hos plurimi alij *citt. Ratio est* 1. quia quòd Clerici Beneficiarij de ejusmodi bonis testari nequeant, Jure humano tantùm est introductum. atqui Jus humanum, etiam Ecclesiasticum, consuetudine legitimè præscripta abrogari potest *c. fin. de consuet.* idque vel in totum, vel in partem. ergo &c. 2. Facultas de bonis istis testandi à Clericis obtineri potest per privilegium Pont. & tale ex concessione Julij III. & Pauli V. habent Clerici Romani, & Urbi Romanæ vicini, atqui consuetudo, saltem immemorialis, in Jure æquiparatur privilegio *c. super 26. de V. S.* ergo &c. 3. Consuetudine induci potest, ut fructus Beneficij vacantis ad aliquod tempus cedant hæredibus defuncti, vel alijs personis, etiam sæcularibus; nam hæc non reprobatur *Extrav. 2. Joann. XXII. de Elect.* 4. Pontifices, & alij Superiores Ecclesiastici sciunt, hanc consuetudinem testandi etiam ad causas profanas passim vigere, nec contradicunt, vel illam damnant, utique contradicturi, si irrationabilis esset.

Neque sententiam istam subruunt Ar- 86
gumenta *n. 84.* allata. *Ad 1.* textus *c. relatum cit.* tantùm constituit Jus humanum, cui derogari potest per consuetudinem, nisi ista improbetur ut irrationabilis; non autem improbata est ullo Jure consuetudo testandi etiam ad causas profanas. ergo &c. *Ad 2.* quòd ob ejusmodi facultatem testandi ad causas profanas aliquando Clerici studeant bona congerere, & minùs liberales fiant in pauperes, & causas pias, per accidens solùm est, neque facit, ut propterea ipsa consuetudo reprobari debeat; nam etiam ex eo, quòd ijsdem per Jus commune sublata sit potestas testandi liberè, quandoque illi accipiunt ansam ea prodigendi, vel negligendi, neque tamen propterea Jus potestatem hanc tollens irrationabile dici debet, aut potest. *Ad 3.* etiam adversùs Legem, quâ inter vivos ad causas profanas disponere prohibentur Clerici, prævalere consuetudo, saltem immemorialis, potest, cùm & ipsa sit Lex merè humana, quamvis defacto meliùs negetur, ejusmodi consuetudinem alicubi vigere, & legitimè introductam esse. *Ad 4.* quòd aliqui etiam ex nostræ sententiæ Patronis defendant, Episcopos ad causas profanas de superfluis reditibus suis testari non posse, causa non est, quòd putent pro ipsis ejusmodi consuetudinem induci non posse, sed quòd existiment, talem consuetudinem defacto nondum esse inductam. *Ad 5.* damnum, quòd ex consuetudine hac patiuntur Ecclesiæ, non est injustum, cùm superflua ipsis ex Justitia non debeantur, & si aliquando fuissent debita, consuetudine, præsertim immemoriali, sic debita esse desijssent. Quòd verò talia bona apud Laicos non fructificent, causa non est, quasi injusto titulo illa acquisiverint, sed quia cùm sine labore illa acquisierint, leviter illa prodigant. *Ad 6.* difficile est negare aut consuetudinem hujusmodi alicubi vigere, aut omnia Beneficia in tali Diœcesi, ubi consuetudo hæc viget, adeo esse tenuia, ut non plura ex illis reditus superfluos afferant.

An verò cæteri, qui Jure testari pro- 87
hibiti sunt, saltem testari possint ad pias causas, in dubium vocari potest: in quo, ut certa ab incertis dividantur, pro certo habendum est etiam ad pias causas testari non posse. 1. Infantes, mente captos, & furiosos, saltem extra tempus dilucidi intervalli; quia ob defectum usûs rationis carent judicio, & voluntate. 2. Hæreticos, & Majestatis crimine con-

condemnatos ; quia talium bona addicuntur fisco. 3. Religiosos, ut dictum est *n. 81.*

Dubium procedit in reliquis : in cujus resolutione non conveniunt DD. Affirmat cum quibusdam Riccius *prax. aur. p. 4. res. 89.* & duplex sententia ista fundamentum habet. 1. *ex l. habet 1. C. de SS. Eccl.* ubi Constantinus Augustus potestatem relinquendi sua locis Sacris, & causis pijs concedit unicuique generaliter, & nullo inter personas facto discrimine. 2. Quia SS. Canones in Testamento ad pias causas plus non exigunt, quàm quod requiritur Jure naturali, & gentium, ut dictum est *n. 44.* atqui Jure naturali, & gentium isti non prohibentur testari ad causas pias, ergo &c.

88 Hæc opinio pia quidem, & ubi consuetudo locorum non adversatur, in praxi tenenda est; si tamen Juris rigorem velimus attendere, verior est negativa, quam etiam defendunt Clar. §. *testamentum q. 5. n 2.* Tholosan. *l. 42. Synt. c. 8. n. 3.* Vasq. *l. 3. de succes. §. 22. n. 2.* Barry *l. 1. de succes. testat. & intest. tit. 4. n. 12.* Wiest. *hic n. 21.* & apud hos plures alij. *Ratio est*, quia potestas condendi Testamentum introducta est Jure Civili, ut dictum est *n. 4.* igitur quibus illa hoc Jure adempta est, ijs neque ad causas pias competere potest, nisi concessa, vel restituta sit à SS. Canonibus : nusquam autem in his concessa, vel restituta prædictis legitur, ut testari possint ad causas pias, ergo &c. *Conf.* ex *c. licèt 4. v. quamvis de sepult. in 6.* ubi Filiof. specialiter indulgetur, ut cum consensu patris per ultimam voluntatem de bonis adventitijs relinquere ad causas pias posset, igitur ante hoc indultum neque ad causas pias etiam de consensu patris testari poterat : hoc autem non ob aliam causam, nisi quia Lege prohibetur, ergo sine speciali indulto Canonum nec cæteri Lege intestabiles testari possunt ad causas pias.

89 Neque contrarium evincunt Argumenta opposita. *Ad 1.* generalis illa particula *Unicuique* in *l. habeat cit.* ut *ibid.* Interpretes explicant, intelligi debet de personis habilibus : ratio explicationis istius est, quia *l. cit.* Imperator solùm abrogavit Leges Imperatorum antiquiorum, quibus vetabatur per ultimam voluntatem aliquid relinqui Collegijs Orthodoxis, tanquam illicitis ; quoad habilitatem autem personarum, quæ prohibentur testari, nihil mutavit. *Ad 2.* in Testamentis, & ultimis Voluntatibus ad causas pias sufficit observari ea, quæ Jure gentium requiruntur quoad solennitates, & modum testandi ; at quoad personarum habilitatem spectandum est Jus Civile, quòd cùm personis hujusmodi testandi potestatem ademerit generaliter, censebitur adempta illis etiam quoad causas pias.

90 Quæritur 2. quinam Hæredes esse, & instituì possint? R. Hæredes esse possunt omnes omnino homines, nisi specialiter prohibeantur, quicunque illi sint, sive Laici, sive Clerici, & ipsi etiam Religiosi. Si tamen Religiosus instituatur hæres, ipsi relicta acquiruntur Monasterio, cùm ipse proprietatis sit incapax. *Excipiuntur* Scholastici Societatis JESU, & Coadjutores nondum formati, qui hæredes in particulari ita instituì possunt, ut sibi acquirant, nisi jam bonis suis renuntiaverint.

Neque instituì tantùm possunt personæ in particulari, sed etiam Communitates, & Collegia, Ecclesiæ, Hospitalia, Monasteria, Congregationes, & Conventus utriusque sexûs Regularium : imò ipse DEUS, & SS. Cœlites, ut patet ex *l. Lex Falcidia 1. §. ad municipium 5. ff. ad Leg. Falcid. l. quoniam 26. C. de SS. Eccl.* & *Novell. 131. c. 9.* Si DEUS, & BB. Cœlites sint instituti, vel Legati nomine ipsis aliquid relictum, illud impendi debet in horum Cultum, Altarium, & Templorum ornatum, alimenta pauperum &c. ut rectè alijs *citt.* advertit P. Wiest. *hic n. 116.*

Dixi autem, quòd omnes homines, Communitates &c. hæredes esse possint, nisi specialiter prohibeantur. Horum autem duplex est genus ; alij enim prohibentur ipso Jure, & vocantur *Incapaces;* alij quidem ipso Jure possunt existere hæredes, sed sine effectu, cùm eis auferatur hæreditas, & hi appellantur *Indigni.* Ex ijs, qui Incapaces dicuntur, alij tales facti sunt Lege, alij Canone, alij Jure speciali.

Dub. 1. quinam ab hæreditate capien- 91
da repellantur ut *Indigni?* R. hos duplicis esse generis ; nam aliqui sunt absolutè tales, alij secundùm quid. *Absolutè indigni* sunt, quibus hæreditas aufertur, & acquiritur fisco. *Secundùm quid indigni* sunt, quibus aufertur hæreditas, & acquiritur proximè venientibus ab Intestato.

Sub priori Indignorum Classe sunt. 1. Qui testatore per vim occiso, ante quæstionem, ob homicidium de familia habitam, tabulas Testamenti aperuit, recitavit, descripsit, atque hæreditatem adijt *l. cùm aliter 1. & tot. tit. ff. de S. C. Silan. l. si ea quæstio 3. C. de his, quib. ut indign. hæred. aufer.* 2. Qui mortem testatoris, vel injuriâ, vel veneno necati, non vindicavit *l. necessarios 5. §. fin. l. si sequens 15. §. cùm ex parte 1. & §. seq. ff. de S. C. Silan. l. hæredem 17. ff. de his, quæ ut indign. l. hæredes 1. l. cùm fratrem 9. & l. cùm Silanianum 11. C. de his, quib. ut indign.* 3. Qui testatorem occidit *l. fin. §. præterea 4. ff. de bon. damnat.* imò & is, qui occiso non succurrit, cùm facilè potuisset *l. indignum 3. ff. de his, quæ ut indign.* Excipitur, nisi occisus ante mortem injuriam remiserit expresè, vel tacitè, reum post factam injuriam instituendo, vel Testamentum, cùm posset, non immutando. 4. Qui patronum post ejus mortem, quasi illicitæ mercis negotiatorem, detulit *l. Divi 1. ff. eod.* Neque

obest, quòd hoc agendo præmium à Rep. mereatur; quia, cùm ingratitudinis quædam sit species Patroni delatio à Liberto facta, aliud à Republ. exspectare præmium debet, quàm hæreditatem, vel partem Legati, quam sibi fiscus hoc casu non ut pœnam, sed ut debitam sibi vendicat. Brunnem. *ibid. n.* 6. 5. Qui Testamentum usque ad ultimam sententiam impugnavit tanquam falsum per calumniam *l. alia 8. C. de his, quib. ut indign.* Idem dicendum de eo, qui Testamentum inofficiosum dixit, atque succubuit *l. Papinianus 8. § meminisse 14. ff. de inofficios. testam.* 6. Qui contra Legum præcepta, & Constitutiones Principum sciens uxorem duxit; quæ enim per supremam voluntatem hujus uxoris ei relicta sunt, à fisco vendicantur *l. aufertur 2. §. idem si 1. ff. de his, quæ ut indign. l. fiquis 6. & Auth. ex complexu C. de incest. & inut. nupt.* 7. Qui vivi, & ignorantis Testatoris bona tanquam sua alicui donavit, adeo que spem futuræ successionis præmatura dispositione antevertit; nam mortuo testatore, hæreditas applicatur fisco *l. aufertur cit. §. fin.* 8. Qui fidem in fraudem Legis accommodavit, ac secretò promisit, quòd velit relicta in Testamento restituere personis, quæ capere aliquid prohibentur *l. in fraudem 10. princ. ff. de his, quæ ut indign.* 9. Qui postquam Testamento institutus est hæres, postea in Codicillis à testatore pronuntiatur indignus *l. hæreditas 4. C. quæ his, quib. ut indign.* 10. Qui in priori Testamento institutus, in posteriore ab eodem Testatore præteritus, & ipsi à testatore sciente hæres incapax prælatus est *l. cùm quidam 12. ff. de his, quæ ut indign.* 11. Qui semel institutus, Testatorem volentem mutare Testamentum quo minùs mutaret, actu prohibuit juxta dicta *n.* 20.

92 *In secunda Indignorum classe* numerantur. 1. Qui capitales inimicitias cum Testatore exercuit; nam si apparet noluisse Testatorem relicta præstari, Exceptione doli mali repelli potest *l. si inimicitiæ 9. princ. ff. de his, quæ ut indign. l. apud Celsum 4. §. præterea 10. ff. de dol. mal. & met. except.* 2. Qui testatori palàm, & apertè malèdixit, ac infaustas voces adversùs eum jactavit *l. si inimicitiæ cit. §. sed etsi 1.* 3. Qui Testamentum in odium hæredis celavit, aut suppressit; talis quippe amittit Legatum *l. si Legatarius 25. C. de Legat.* 4. Qui à tutela gerenda, etsi capax esset, se excusavit; nam si ejus gerendæ intuitu Legatum ipsi relictum est, illud amittit, & ipsum Legatum hæredi accedit *l. post legatum 5. §. amittere 2. ff. quib. ut indign.* 5. Qui successione agnita, non præstitit Legata, fideicommissa, & Libertates intra spatium unius anni. *Novell. 1. c. 1. §. 1.*

93 Dub. 2. quinam Lege facti sint incapaces Institutionis Testamentariæ? R. etiam isti sunt duplicis generis; nam aliqui sunt simpliciter incapaces, alij secundùm quid.

Simpliciter incapaces de Jure Civili sunt. 1. Peregrini, qui Jus Civitatis Romanæ ex causa pœnæ amiserunt, quales sunt Deportati *l. qui deportantur 1. C. de hæred. instituend.* quibus æquiparantur damnati in perpetuum ad triremes, & Banno Imperiali percussi. 2. Damnati ad metallum, vel aliud opus publicum *l. si in metallum 3. ff. de his, quæ pro non script. habent.* 3. Hæretici non tolerati eorúmque fautores, & Apostatæ *l. fin. C. de hæretic. & l. his, qui sanctam 3. C. de Apostat.* 4. Liberi perduellium, seu reorum criminis læsæ Majestatis *l. quisquis 5. §. filij 1. C. ad Leg. Jul. Majest.* 5. Nubens intra annum luctûs *l. fiqua mulier 1. de secund. nupt.* Sed Legis istius rigor Jure Canonico temperatus est *c. super illa 4. & c. fin. eod.* 6. Collegia illicita, quæ sc. speciali Lege, aut S. C.to approbata non sunt *l. Collegium 8. C. de hæredib. instituend.* & ratio est, quia favorem non merentur, cùm sint fomenta conspirationum, & fabricæ machinationum adversùs Rempublicam. 7. Denique omnes ob delictum prohibiti testari; tales enim, sicut condere Testamentum nequeunt, ita neque ex ipso capere possunt. Clar. §. *testamentum q. 34. n. 2.*

Secundùm quid Incapaces de Jure Civili 94 sunt. 1. Imperator, qui instituì nequit in causa litis §. *fin. Inst. quib. mod. testam. infirm.* quia, ut *l. Imperatorem 91. ff. de hæred. instituend.* ait Paulus, *Imperatorem litis causâ hæredem instituì invidiosum est; nec calumnia facultatem ex Principali Majestate capi oportet.* 2. Servus, suspectus de adulterio commisso cum domina; nam ab hac non potest instituì, priusquam cognitio de adulterio, cujus illa insimulata est, terminetur. *princ. Inst. de hæred. instit.* 3. Filij naturales; nam hi, licèt non extante legitima prole, hæredes à patre scribi ex asse possint, *Novell. 89. c. 12.* ea tamen extante, scribi duntaxat possunt in unica uncia *l. matre 2. C. de natural. liber.* 4. Nepotes naturales ex filio legitimo, vel legitimi ex filio naturali; nam de his idem jus est, quod de filijs naturalibus *l. fin. C. eod.* 5. Filij spurij, & ex coitu per Leges damnato geniti; nam his licèt alimenta necessaria Canonica æquitate parentes jubeantur relinquere *c. cùm haberes 5. de eo, qui duxit in matr. quam poll. per adult.* ab ipsis tamen (ab alijs enim non prohibentur instituti) hæredes scribi, vel eisdem ab intestato succedere nequeunt. *Auth. licèt C. de natur. liber. & Novell. 74. c. 6.*

Dub. 3. quinam Hæredes instituti pro- 95 hibeantur Canone, vel alio Jure speciali? R. eorum, qui Canone prohibentur instituti, duo sunt genera. 1. Hæretici, eorundem credentes, receptatores, fautores, ac defensores *c. excommunicamus 13. §. credentes de Hæret.* 2. percussores, & hostiles persecutores Cardinalium *c. fin. de pœn. in 6.*

Illi autem, qui speciali Jure Institutionis sunt incapaces, maximè Religiosi sunt, non tamen omnes; nam illi, qui capaces sunt

sunt possidendi bona immobilia, etiam scribi hæredes possunt tam in communi, quàm in particulari secundùm suas personas, ita tamen, ut, quemadmodum *n. 90.* monui, sibi relicta acquirant non sibi, sed Monasterio. Tales autem ex Decreto Trid. *sess. 25. c. 3. de Regular.* sunt omnes Ordines Religiosi tam virorum, quàm mulierum, etiam Mendicantes.

96 *Excipiuntur* ob speciales Ordinis sui Constitutiones, & Regulas 1. FF. Minores de Observantia, & PP. Capucini; nam isti, ut patet ex *c. exijt 3. ỳ. ad hæc cùm Fratres de V. S. in 6.* & *Clem. 1. §. item quod ỳ. cùm enim eod.* neque in communi, neque in particulari institui hæredes possunt, sed si quid ipsis relinquatur Institutionis nomine, aut Conventibus, vel Ecclesijs ipsorum, Institutio, tanquam in persona incapaci facta, nulla est, & hæreditas cohæredi adjuncto, vel substituto, aut si substitutus, vel cohæres datus non sit, ab intestato succedenti obveniet, ut cum alijs notat Sylv. *V. testamentum 1. q. 6.*

97 2. Professi, & Coadjutores formati Societatis JESU in particulari, prout habetur *p. 6. Const. c. 2. §. 12.* Aliud dicendum de ijs, qui nondum ediderunt sua ultima Vota, sicut & de ipsa Societate, ejúsque Collegijs, & Domibus Probationis; nam istæ capaces sunt possidendi bona immobilia. igitur scribi etiam hæredes possunt. Imò pro valido habendum erit Testamentum, quo instituitur hæres Professus, vel Coadjutor formatus, si instituatur intuitu Societatis, vel certi alicujus Collegij, aut Domûs; quia præcipuè attendendum est, cujus respectu, & cujus contemplatione aliquid fiat. Manz. *de testam. tit. 6. n. 183.* Haun. *tom. 2. tr. 6. n. 286.* Wiest. *hic n. 123.*

98 3. Domus Professæ Societatis ejusdem, non tamen absolutè; nam scribi hæredes & ipsæ possunt: si tamen immobilia ipsis in Testamento relinquantur (idem est, si donentur) nequeunt illa retinere, sed oblata opportuna occasione, debent ea vendere, & inde redactam pecuniam in necessarios usus convertere; quia præter Ecclesiam, domum, hortum suburbanum cum domo sua ad extraordinariam Religiosorum relaxationem, bona immobilia, vel reditus stabiles possidere non possunt. *Const. c. 2. cit. §. 5.* & *Const. Julij III.* incip. *Exposcit edita 12. Cal. Aug. 1550.*

99 Dub. 4. an cohæres, vel hæres substitutus, aut ab intestato succedens hæreditatem, vel ejus portionem, FF. Minoribus Institutionis nomine relictam, tutâ conscientiâ retinere possit, vel contrà æstimationem Fratribus dare teneatur? Secundum affirmat cum quibusdam alijs Sylv. *V. Testamentum 1. q. 6.* si hujusmodi hæres, vel cohæres sciat, quòd testator dispositionem suam jure Codicilli, & meliori, quo potest, modo valere voluerit. Deducunt hoc *arg. l. cùm servus 39. §. fin.* & *l. sed si res 40. ff. de Legat. 1.* quo utroque textu, si is, cui res relicta est, illius in specie recipiendæ ob personæ suæ conditionem capax non est, æstimatio ejusdem ipsi debetur, si hujus saltem sit capax.

Sed meliùs negatur, quòd eo casu hæres etiam in foro conscientiæ teneatur ad æstimationis præstationem. Ita Bald. *in Auth. ingressi C. de SS. Eccl. n. 4.* Felin. *in c. 8. de probat. n. 52.* Rodriq. *tom. 2. Regul. q. 78. art. 2.* Gletle *de testam. p. 2. c. 1. §. 2. n. 11.* Wiest. *hic n. 122.* & noviss. Clariss. P. Schmier. *p. 1. de succes. hæred. c. 1. n. 190.* Colligitur ex *Clem. 1. ỳ. cùm enim de V. S.* ubi FF. Minores dicuntur successionis nullatenus capaces esse; jam autem essent aliquo modo capaces successionis, si ipsis deberetur æstimatio pro rebus relictis. ergo &c. *Conf.* quia clausulæ *Ut testamentum valeat jure Codicilli, & meliori modo, quo potest*, effectus est conversio Institutionis in Fideicommissum universale; hujus autem incapaces sunt Conventus, & Ecclesiæ Minorum non minùs, quàm Institutionis directæ *per ỳ. cùm enim cit.* ergo &c.

Neque obstant textus allati; distinguendum enim est inter eos, qui successionis hæreditariæ simpliciter capaces sunt, & inter eos, qui ejusdem omnino sunt incapaces: prioribus, si rei relictæ recipiendæ ob conditionem personæ capaces non sunt, debetur æstimatio illius, non verò posterioribus, quippe cùm receptio æstimationis sit quædam species successionis.

Dub. 5. quo tempore hæres debeat esse capax? ℟. hic distinguendum est inter hæredem extraneum, & suum. Nam si *Extraneus* instituitur hæres, tria in eo tempora debent inspici, quibus capax esse debet, nim. tempus facti Testamenti, quia Institutio incapacis non valet; tempus mortis testatoris, quia per hanc Institutio confirmatur; & tempus aditæ hæreditatis, quia tunc res hæreditariæ hæredi acquiruntur cum effectu §. *in extraneis 4. Inst. de hæred. qual. & differ. l. si alienum 49. §. in extraneis 1. ff. de Hæred. instituend.* At in *Hærede suo*, & *necessario* tempus aditionis non consideratur, sed sufficit duobus temporibus, nempe testamenti conditi, & mortis testatoris capacem esse; quia in suis hæredibus non est necessaria aditio, cùm ipsa suitas absque ulteriori facto ijsdem pro aditione sit *l. in suis 14. ff. de suis*, & *legit.* Harpprecht *ad §. in extraneis 4. cit. n. 2.* Manz. *de testam. tit. 6. q. 9. à n. 1.* Magnif. D. Verlohner *de testam. art. 6. q. 2. n. 9.* Clariss. P. Schmier *de succes. hæred. p. 1. c. 1. n. 194.* & *seqq.*

100

101 Quodsi medio tempore, quod intercessit inter institutionem, & mortem Testatoris, vel inter mortem hujus, & aditionem hæreditatis incapacitas superveniat, hæredi illa non nocet; quia tria tantùm tempora, ut dictum est, inspici debent, ut ait Florentinus

nus *l. si alienum cit. ℣. medio autem.* Et hinc si Civis Romanus sit hæres scriptus, postea vivo Testatore peregrinus factus, mox iterum ad civitatem pervenit, incapacitas tempore, quo peregrinus fuit, non attenditur, ut rectè infert Ulpianus *l. sed si 6. §. solemus 2. ff. eod. Conf.* nam neque si ipse Testator medio tempore inter Testamentum à se conditum, & mortem suam factus est incapax, propterea Testamentum vitiatur, vel irritatur *§. non tamen 6. Inst. quib. mod. Testam. infirm.*

102 Quæritur 3. quinam præteriri in Testamento nequeant, ita, ut vel instituì, vel nominatim exhæredari illos necesse sit? R. Tales sunt 1. Filij, & Filiæ legitimæ, horúmque, si præmortui sint, nepotes, & neptes §. *sui autem 2. Inst. de hæred. qual. & differ.* etiam posthumi, etiam adoptati ab ascendentibus *princ. & §. nominatim 1. Inst. de exhæred. liber.* Imò hodierno Jure etiam emancipati §. *emancipatos 3. Instit. eod.* 2. respectu matris etiam filij illegitimi? nam hi, licèt, si instituti sint, hodierno Jure ab hæreditate abstinere possint, à matre tamen instituti hæredes debent; aliàs ipsis præteritis, invalidum fiet Testamentum. P. Wiest. *hic n. 103.* 3. Liberis non existentibus, à filijs instituti parentes, aut his deficientibus, ascendentes alij gradu propinquiores debent *l. nam etsi 15. princ. ff. de inoffic. Testam. & Novell. 115. c. 4. in princ.*

103 Frater fratrem non tenetur instituere, sed impune illum præterire potest: & idem multo magis est de cæteris consanguineis collateralibus. Quodsi tamen frater, fratre germano, vel consanguineo sine causa exhæredato, hæredem instituat personam turpem, ut sunt meretrices, concubinarij, lenones, arenarij, mimi, lusores publici, filij Presbyterorum, adulterini, incestuosi, & quocunque coitu legibus damnato procreati, Testamentum istiusmodi, etsi Jure ipso nullum non sit, obnoxium tamen impugnationi est, & propositâ à fratre, vel sorore querelâ inofficiosi, rumpi potest *l. fratres 27. C. de inoffic. Testam.*

104 Dub. 1. an Hæredes necessarij in tota substantia necessariò instituì debeant? R. negativè; quia nimis durum Testatoribus foret, in eventum mortis non habere liberam potestatem disponendi de rebus suis, & de alijs bene merendi. Satisfacient ergo Testatores, si hæredibus necessarijs, quos à successione excludendi justam causam non habent, relinquant Legitimam, seu illam bonorum portionem, quæ ijsdem Jure debetur; nam de cætera substantia pro voluntatis suæ arbitrio possunt disponere.

105 Porrò Legitima hæc antiquo Jure erat Quadrans, seu quarta pars substantiæ defuncti, ut §. *sed hæc 3.* & §. *fin. instit. de inoffic. testam.* dicitur; novo autem Jure, & quo hodie utimur, portio ista aucta est, ut debeatur ijsdem Triens, & aliquando semis, ut de Liberis patet ex *Auth. novissima C. de inoffic. Testam.* & *Novell. 18. c. 1.* de Parentibus, & alijs ascendentibus, uti etiam de Fratribus, & Sororibus, quando ijsdem præteritis, persona turpis est instituta, colligitur ex *c. cit. in fin.* ubi Legitima aucta dicitur personis omnibus, quibus ab initio, h. e. Jure antiquo, competebat querela inofficiosi, atqui istam habebant parentes præteriti à filijs §. *necessarius 1. Inst.* & *l. nam etsi 15. ff. de inoffic. testam.* & Fratres, si ipsis neglectis instituta fuit persona turpis §. *non autem 1. Inst. de inoff. testam.* & *l. fratres 27. C. eod.* ergo &c.

Dixi *Triens, & aliquando Semis*; nam 106
portio Liberis debita (quod etiam ex communiore dicendum de Fratribus) augetur pro eorundem numero, & Triens quidem ijsdem debetur, si quatuor sint, vel pauciores; semis autem, si quinque, vel plures. *Auth.* & *Novell. citt. Excipiuntur* Filij adoptivi; nam horum portio Legitima nullo Jure est aucta, & conf. ijsdem non debetur plus, quàm Quadrans, ut Jus antiquum disposuit. Manz. *de testam. tit. 12. q. 3. n. 15. Ratio est*, quia illorum Legitima tantùm aucta est, quibus de Jure antiquo Querela inofficiosi competit *juxta cit. c. 1. Novell.* atqui arrogatis non querela, sed conditio ex Lege Divi Pij competit. ergo &c.

Dub. 2. an semper filijs debeatur Le- 107
gitima? R. negativè; nam aliquando exhæredari possunt: quod tamen ut rite fiat, ex præscripto *Novell. 115. c. 3.* tria requiruntur.

1. Ut fiat ex justa causa. Sunt autem causæ 14. ibi relatæ. 1. si quis parentibus suis manus intulerit. 2. si eisdem maledixerit, vel aliâ gravi injuriâ affecerit. 3. si pro patre carceri incluso detrectaverit fidejubere. 4 si parentem furiosum neglexerit, & hic postea sanus factus testetur. 5. si vitæ illius insidias struxerit. 6. si accuset in causa criminali, extra casum, quo contra Principem, vel Rempublicam parens deliquit. 7. si damnum grave dederit. 8. si captivum non redemit. 9. si testamentum condere prohibuerit. 10. si ut maleficus cum maleficis versetur. 11. si sit Histrio, & cum Histrionibus maneat. 12. si Novercæ se miscuerit. 13. si à vera Religione desciscat, & fiat Hæreticus. 14. si filia ante annum 25. libidinosè vixerit, & ut ita vivat, honestum matrimonium respuat. Præter has causas nulla alia, quamvis æquè gravis, vel gravior, si in prædictis non contineatur, ad exhæredandum filium, vel filiam sufficit, ut expressè Imperator *c. 3. cit. princ.*

2. Ut illa causa disertè, & in specie in 108
Testamento exprimatur; secus, nullum præjudicium inde generabitur Liberis, ut iterum habetur *c. 3. cit. in fin.* imò, ut cum Gom. & Covarr. teste König *hic n. 36.* innumeri alij docent, Testamentum ejusmodi erit ipso Jure invalidum.

3. Ut causa hæc exhæredationis ab hærede in Testamento instituto probetur *c. 3. cit. in*

cit. in princ. Probationis tamen defectus non vitiat Testamentum: & hinc etsi in illa hæres defecerit, propterea tamen exhæredatus Testamentum impugnare, aut hæreditatem sibi vindicare nequit. König *l. cit. in fin.*

109 Iisdem requisitis opus est, ut rite exhæredentur, vel prætereantur parentes à Liberis casu, quo his aliàs succedunt, vel fratres à fratribus, casu institutæ personæ turpis. Pauciores tamen in his sunt exhæredandi causæ. Nam causæ exhæredandi parentes *Novell. 115. cit. c. 4.* referuntur octo. 1. si pater filium accusaverit criminaliter. 2. si nurui se miscuerit. 3. si vitæ filij sit insidiatus. 4. si testari eum prohibuerit de peculio castrensi, vel quasi castrensi. 5. si pater matrem, & mater patrem interfecerit. 6. si captivum neglexerit reducere. 7. si furioso alimenta denegaverit. 8. si veram Religionem contempserit, & Hæreticis se adjunxerit.

At verò causæ, ob quas fratres ab hæreditate fratris etiam casu institutæ personæ turpis arcentur, *Novell 22. c. 47.* tres duntaxat enumerantur. 1. si frater fratri mortem machinetur. 2. si eum capitaliter accuset. 3. si facultatibus ejus magnum damnum inferat.

110 Dub. 3. quo Jure liberis, parentibus, & fratribus debeatur Legitima, & quo Titulo, ac quomodo hæc illis sit relinquenda.

Ad 1. distinctio fieri debet inter personas, quibus ea debetur; nam fratribus in casu institutæ personæ turpis debetur Jure solùm Civili, ut communis DD. habet teste P. Wiest, *hic n. 110.* qui rationem dat, quòd etsi Jus naturale prohibeat instituì personam turpem, non tamen præcipiat, fratrem præ quovis alio, etiam piâ causâ, in hæreditatis partem vocari. At Liberis, & Parentibus quoad substantiam saltem debetur Jure naturæ; Liberis quidem à parentibus in alimenta, parentibus autem à Liberis, si sine filijs isti decedant, titulo pietatis, & gratitudinis. De Parentibus patet ex *c. si pater 1. ℣. fin. h. tit. in6.* ubi Bonifacius VIII. disertè ait, matrem à filio Testamento privari non posse portione Jure naturæ debita: de filijs autem ex *l. scimus 36. §. illud præterea 2.* ibi, *Ne filius fraudetur debito naturali C. de inoffic. testam.* de utrisque ex *Novell. 1. princ. §. primum 2.* ubi Imperator dicit filijs, nepotibus, patribus, & matribus Legitimam deberi secundùm naturam. Addidi *Quoad substantiam*; nam determinatio quantitatis, quòd debeat esse Triens, vel Semissis, est à Jure Civili: unde etiam *Legitima* appellatur, videlicet à Legibus, quibus determinatio ista facta est.

Ad 2. antiquo Jure hæredibus necessa- 111
rijs relinqui Legitima poterat quoque modo, sive Jure hæreditario, sive Jure Legati, Fideicommissi, Donationis mortis causâ &c. *§. igitur 6. Inst. l. Papinianus 8. § siquis mortis 6. ff. & l. omni modo 30. princ. ℣. & hæc C. de inoffic. testam.* Verùm hoc Jus quoad Liberos, & Parentes correctum est per *Novell. 115. c. 3. princ.* ut adeo hoc Jure istis Legitima relinquenda sit titulo Institutionis.

Ad 3. Legitima Liberis, Parentibus, ac 112
Fratribus in casu turpis personæ institutæ relinqui liberè, & sine onere debet, ita, ut illa à testatore neque Fideicommisso, neque conditionibus, aut dilationibus, vel alia ratione gravari possit, prout patet ex *l. quoniam 32. & l. scimus 36. §. cùm autem 1. C. de inoffic. testam.* & meritò quidem; cùm enim Legitimæ portio Legis dispositione potiùs, quàm judicio Testatoris definita sit, conveniens non fuit, eam istius arbitrio gravaminis adjectione deteriorem reddi.

§. V.

De Substitutionibus, & Legatis.

SUMMARIUM.

113. *Præter Institutionem in Testamentis sæpe fiunt substitutiones & Legata.*
114. *Duplex acceptio Substitutionis.*
115. *Ejus definitio, & divisio.*
116. *Definitio substitutionis Vulgaris, Effectus.*
117. 118. *Et contraria.*
119. *Definitio substitutionis Pupillaris.*
120. *Effectus.*
121. *Contraria.*
122. *Definitio, Effectus, & Contraria Substitutionis Exemplaris.*
123. *Militaris.*
124. *Compendiosæ.*
125. *Reciprocæ.*
126. *Definitio Substitutionis Indirectæ, seu Fideicommissariæ*
127. *Differentia à Substitutionibus Directis.*
128. *Divisio Fideicommissi in universale, & Particulare.*
129. *Expressum, & Tacitum; Purum, & conditionatum.*
130. *Commune, & Familiare.*
131. *Quis Fideicommissum possit relinquere?*
132. *Quomodo?*
133. 134. *Cui?*
135. *Quis eodem onerari?*
136. *Privilegia Filijfam Fideicommisso onerati.*
137. 138. *Quando Substitutus excludatur per ingressum Religionis, & susceptionem Clericatûs.*
139. *Fiduciarius Hæres in Fideicommisso potest deducere Trebellianicam.*
140. *Requisita ad hoc.*

141. *Eam deducere potest Hæres suus simul cum Legitima.*
142. *Probabiliùs etiam de Jure Civili.*
143. *Etiam quando Legitima est Semis.*
144. *Casus, in quibus deductio Trebellianicæ cessat.*
145. *Onera hæreditatis cui incumbant?*
146. *Legati definitio.*
147. *Differentia à Fideicommisso, Institutione directa &c.*
148. 149. *Quis facere Legata possit, & cui?*
150. *Quæres legari possint?*
151. 152. *An etiam aliena?*
153. 154. *Quomodo Legatum relinqui possit?*
155. 156. 157. *Cui debeatur, si relictum sit personæ, vel loco incerto?*
158. 159. *Quando peti Legata possint, & solvi debeant?*
160. *Gravatus Legatis ex his deducere potest Falcidiam.*
161. *Hujus definitio, & quis deducere illam possit?*
162. 163. *Ex quibus deducenda?*
164. 165. *Secundùm quod tempus bonorum quantitas spectetur ad hunc effectum?*
166. 167. 168. *Quibus casibus deductio Falcidiæ cesset?*

113 PRæter Hæredis Institutionem, quæ ut *princ. §. præc.* dixi, præcipua est Testamenti pars, frequenter fiunt Substitutiones, & Legata. Substitutiones quidem, ut casu, quo hæres institutus hæres esse non vult, vel non potest, Testamentum effectum suum habeat in alio, quem Testator hæredi instituto substituit; Legata autem, quia non tenetur substantiam totam Hæredibus relinquere, sed trientem duntaxat, vel semissem, prout dictum est *n. 105.* extra quam portionem, quæ alijs relinquuntur, qui Hæredes non sunt, Legata vocantur.

114 Porro *Substitutionis* nomen dupliciter potest accipi. *1. Genericè*, & prout non in hæreditate tantùm, sed etiam in Legato, & Donatione mortis causâ fieri potest: quo sensu communiter definitur, quòd sit *unius, vel plurium in alterius, vel aliorum locum ad rem aliquam in ultima voluntate facta vocatio.* Molin. *tr. 2. D. 182. n. 1. 2. Pessim*, & prout à DD. passim solet: & tunc Substitutio est *vocatio ad hæreditatem, vel istius partem, si in hæreditatis partem quis institutus est, in locum alterius, sc. hæredis instituti.* P. Wiest. *hic n. 165.* Est autem Substitutio duplex, directa, & indirecta.

115 Quæritur 1. quid, & quotuplex sit *Substitutio directa?* R. *Substitutio Directa* est substitutio, per quam substitutus immediatè, & sine ministerio alterius instituti hæreditatem testatoris consequitur. Ita fit, quando Testator in ultima sua voluntate dicit: *Instituo hæredem Titium, & si is hæres non erit, Cajus hæres esto;* nam si Titius hæres non sit, Cajus eo casu hæreditatem immediatè, & propria manu, non verò alterius v. g. instituti Titij ministerio consequitur. Species Substitutionis Directæ sex enumerantur, videlicet Substitutio Vulgaris, Pupillaris, Exemplaris, Compendiosa, Reciproca, & Militaris. Tres tamen posteriores ad priores revocari possunt, cùm ab his sola verborum conceptione differant: & hinc quidam DD. tres tantùm substitutionis directæ species ponunt.

116 *Substitutio Vulgaris*, ut eam definit Duarenus *de Vulg. & pupill. substit. c. 4.* est *Substitutio directa, & simplex, quâ instituitur secundus hæres in casum, quo primus hæres non erit.* Dicitur *Vulgaris*; quia per illam cuivis ætati, & personæ institutæ in casum vulgarem substituitur. *Effectus* præcipuus illius est, ut casu, quo hæres institutus hæreditatem adire vel non potuit, vel non voluit, locus fiat substituto, & sic sustineatur Testamentum *l. quamdiu 69. ff. de acquir. vel amitt. hæred. & l. æquissimo 2. §. si duo 8. ff. de bonor. possess. secund. tabul.*

Exspirat ex triplici capite. 1. Si institutus ipse hæreditatem adeat *l. post aditam 5. C. de impub. substit.* Ratio est, quia deficiente conditione, deficit actus conditionatus; atqui substitutus vocatus est ad hæreditatem sub conditione, si illam institutus non adeat, & hæc deficit, eo hanc adeunte. Ergo deficiet etiam substitutio, & jus hæreditatem illam petendi. 117

2. Si substitutus ante institutum, vel aditam hæreditatem decedat; tunc enim jus substitutionis cum ipso intermoritur, ita, ut nihil inde accedat hæredibus ejusdem *l. un. §. in novissimo 5. C. de caduc tollend.* jus enim, quod necdum habuit defunctus, nisi in spe, & quod in bonis ejus non fuit, non potest transmitti ad hæredes illius: nec hæreditas, quam substitutus nondum adijt, deferri potuit, eo præmortuo.

3. Si institutus professus est Religionem successionis hæreditariæ capacem; tunc enim substituto excluso, professo suo succedit monasterium, vel Religio, prout colligitur *ex Novell. 123. c. 37.* ubi monasterij favore sublata sunt omnia substitutionum onera. Ratio est, quia Religiosus ipsa sua Professione se, suáque bona, & jura omnia transfert in monasterium. *Auth. ingressi C. de ss. Eccl.* Ergo in illud etiam transfertur jus adeundi hæreditatem delatam, & ejus aditione excludendi substitutum. Additur *successionis hæreditariæ capacem*: nam si institutus professus est Religionem incapacem hæreditariæ successionis, manet jus suum substituto, cùm eo casu nec professus, nec Religio hæreditatem adire possit, & cons. censeri debeat impleta conditio, *si hæres non erit*, sub qua facta est substitutio. 118

Substitutio Pupillaris est *substitutio directa, & simplex, quâ quis impuberem in sua potestate constitutum, & post mortem suam in alterius* 119

terius poteſtatem non recaſurum, hæredem inſtituit, eique alium hæredem ſubſtituit ſub conditione, ſive in caſum, quo is ante pubertatis annos deceſſerit. Colligitur *ex princ. Inſt. de pupill. ſubſtit. l. hæredes 1. §. ſubſtituere 2.* & *l. ſeq. princ. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.* & approbatur à Jure Canonico *c. ſi Pater 1. §. fin. h. tit. in 6. Ratio eſt*, quia cùm impuberes ob Judicij imbecillitatem Teſtamenti condendi jus ante pubertatem ipſi non habeant, ut dictum eſt *n. 72.* ne omnino inteſtati decedant, meritò vicem eorum parentes ſupplent.

120 *Effectus* ejuſdem præcipuus eſt, quòd ſubſtitutus pupilli à ſucceſſione, & ipſa etiam legitima excludat matrem pupilli, & cæteros ejuſdem conſanguineos, ſive aſcendentes, ſive laterales, quin ulli eorum querela Inofficioſi competat, prout ſtatuitur *c. ſi pater cit. l. Lucius 45. princ. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit. l. Papinianus 8. §. ſed nec impuberis 5. ff. de inoffic. teſtam. l. precibus 8. C. de impuber. & alijs ſubſtit.* Ratio eſt, quia Teſtamentum filius impubes non ipſe ſibi fecit, ſed pater. igitur mater, ſi conqueri poſſet, deberet conqueri non de filio, ſed de marito; de marito autem conqueri non poteſt, quòd in Teſtamento præterita fuerit, quia iſte uxorem inſtituere non tenetur. ergo &c.

121 *Exſpirat* autem ſubſtitutio hæc varijs modis. 1. Patre condente novum Teſtamentum; tunc enim prius Teſtamentum, quo Subſtitutio facta eſt, rumpitur. 2. Eo deportato, & paſſo maximam capitis diminutionem. 3. Morte Subſtituti ante impuberem, cui eſt ſubſtitutus. 4. Impuberis emancipatione, per quam exit è poteſtate patris; quia, ut ſubſiſtat hæc Subſtitutio, opus eſt, ut impubes ſubſtitutus ſit in poteſtate patris teſtatoris, non tantùm tempore conditi Teſtamenti, ſed etiam mortis teſtatoris. 5. Eodem pubertatem adepto, dum Teſtator vivit; quia per Subſtitutionem Pupillarem ei tantùm proſpectum eſt, qui Teſtamentum non poteſt condere. 6. Hæreditate non adita ab impubere, ſi ipſi extraneus ſubſtitutus fuit; quia aditionis omiſſione Teſtamentum paternum corruit, & conſ. etiam evaneſcit Subſtitutio Pupillaris.

122 *Subſtitutio Exemplaris*, ſic dicta, quia ad exemplum Pupillaris eſt introducta, ex qua cauſa etiam *Quaſi pupillaris* vocatur, eſt *Subſtitutio ſimplex, & directa, quâ pater, aut mater, vel alius ex aſcendentibus filio, aut nepoti mente capto, vel*, ut communis DD. addit, *prodigo, aut ſurdo, & muto à natura ſubſtituit hæredem alium in caſum, quo in eodem ſtatu, ſeu non recuperata ſanitate, ille eſt deceſſurus.* Sumitur ex §. *qua ratione 1. Inſt. de pupill. ſubſtit.* & *l. humanitatis 9. C. de impub. & alijs ſubſtit.*

Effectus illius præcipuus eſt, quòd eo, cui exemplariter hæres ſubſtitutus eſt, in furore, vel amentia, hiſque vicina intemperie decedente, bona ejus undecunque quæſita ad Subſtitutum devolvantur *l. humanitatis cit. l. ſed ſi plures 10. §. ad ſubſtitutos 5. ff. de vulgar. & pupill. ſubſtit.*

Exſpirat hæc Subſtitutio ijs ferè modis, quibus Pupillaris. Et 1. quidem, ſi teſtandi facultas auferatur Teſtatori. 2. Si ejus Teſtamentum corruat, vel ex eo hæreditas non adeatur. 3. Si liberi naſcantur ei, cui ſubſtitutio facta eſt. 4. Et præcipuè, ſi furioſus, & mente captus reſipuerit, h. e. non ſolùm ad breve intervallum, ſed ita ſanitatem recuperaverit, ut ea ſtabilis, vel ſaltem ad notabile tempus duratura videatur §. *qua ratione*, & *l. humanitatis cit.* ubi etiam ratio redditur; quia jam poteſt ſibi facere Teſtamentum.

Subſtitutio Militaris, quam aliqui ſta- 123
tim poſt Vulgarem collocant, eſt *Subſtitutio directa, & ſimplex, quia quis ex ſolo privilegio hæredem ſibi ſubſtituit.*

Sunt autem Milites pluribus modis privilegiati quoad faciendas Subſtitutiones. 1. Enim miles ſubſtituere poteſt etiam puberi, & mentis compoti: & tunc ſi inſtitutus poſt pubertatem decedat, is, qui eidem ſubſtitutus eſt, admittetur ſaltem ad bona, quæ inſtitutus à patre eſt conſecutus *l. centurio 15. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.* 2. Poteſt ſubſtituere unum ad tempus certum, vel incertum, alium ſubſtituere, ut bona ipſius relicta poſt illud tempus ab inſtituto tranſeant ad ſubſtitutum; nam eo caſu ſecundò inſtitutus, ſeu militariter ſubſtitutus adveniente tempore hæreditatem capit immediatè à teſtatore, neque primò inſtitutus poteſt aliquid deducere, ſicut poteſt Hæres Fiduciarius *l. centurio cit.* 3. Poteſt ſubſtituere filio, qui ſui juris non eſt futurus poſt ejus mortem *l. cùm filiuſ. 28. ff. de teſtam. milit.* 4. Subſtitutio militis vim habet, etiamſi hæreditas non adeatur ab inſtituto *l. miles 41. §. fin. ff. de teſtam. milit.*

Subſtitutio Compendioſa dicitur, quæ 124
plures Subſtitutionum ſpecies pro diverſis temporibus, verbis ſaltem generalibus expreſſas continet, ita, ut pro uno tempore ſit Vulgaris, pro alio Pupillaris, vel Exemplaris &c. Talis eſt, ſi Teſtator dicat: *Titius filius meus hæres eſto, & quandocunque deceſſerit, Cajus hæres eſto;* vel: *Inſtituo hæredem Titium filium meum, & quandocunque mortuus fuerit, ſubſtituo Cajum;* nam hæc Subſtitutio, ſi Titius hæreditatem non adierit, erit Subſtitutio Vulgaris; ſi autem adita hæreditate, ante pubertatem deceſſerit, Pupillaris; ſi verò poſt pubertatem mortuus ſit amens, vel furioſus, Exemplaris; & aliquando, ſi ſana mente deceſſerit, Fideicommiſſoria.

Subſtitutio Reciproca denique illa dici- 125
tur, in qua teſtator duos, vel plures hæredes inſtituit, eóſque ſibi invicem ſubſtituit, ut ſi unus non poſſit, aut nolit eſſe hæres, ejus portio reliquis, vel uni ex reliquis accreſcat. Exemplum ponitur *l. jam hoc jure 4. §. quod*

jus 1 ff. de Vulg. & pupill. substit. si v. g. testator dicat: *Titius ex semisse hæres esto, & ex altera semisse Cajus: quòd si verò Titius hæres non sit, Cajus hæres erit solus, & vicissim Titius, si Cajus non fuerit.* Ob hanc verborum brevitatem ab aliquibus appellatur *Breviloqua*; sed ne confundatur cum Compendiosa, quæ non minùs brevis est, meliùs retinetur nomen Reciprocæ.

126 Quæritur 2. quid sit *Substitutio indirecta*? R. *est, quâ hæres Testamento institutus, vel ab intestato veniens à defuncto gravatur, & obligatur, ut hæreditatem totam, vel ejus quotam, h. e. mediam, tertiam, vel aliam similem partem alteri restituat, seu tradat.* Ita DD. communiter. Hæc Substitutio etiam *Fideicommissoria*, dicitur; id verò quod ita restitui jubetur, *Fideicommissum*; cui restitutio facienda est, *Fideicommissarius*; is autem, qui ejusmodi restitutione alteri facienda gravatur, *Hæres fiduciarius.*

127 *Differt* Substitutio Fideicommissaria, seu Indirecta ab alijs directis. 1. Quia directè substitutus hæreditatem sua manu ab ipso Testatore accipit; indirectè institutus mediante alio, seu ministerio hæredis primò instituti. 2. Substitutus indirectè, si semel hæreditatem adijt, modò testandi sit capax, eam per Testamentum, vel aliam ultimam voluntatem transmittere potest, ad quem vult: hoc non potest Hæres fiduciarius; nam tradere eam debet illi, qui per Fideicommissum ipsi à Testatore est substitutus. 3. In Substitutionibus directis hæreditas tota devolvitur ad Substitutum hæredem sine diminutione, seu detractione alicujus partis; at in Substitutione indirecta hæres primò institutus detrahit Quartam Trebellianicam: de qua *n. 139.*

128 Dub. 1. quotuplex sit Fideicommissum? R. est duplex, Universale, & Particulare. *Universale est*, quando hæres fiduciarius gravatur relinquere alteri hæreditatem totam, vel ejus quotam. *Particulare*, quando res singularis una, vel plures in restitutionem veniunt, e. g. fundus, torques, certa pecuniæ summa &c. Hoc posterius in plerisque sequitur naturam Legati, & Jure novo reipsa ab eo non differt, ut notat Zœs. *ff. ad S. C. Trebell. n. 9.* Pirh. *hic n. 72.* Hinc præter ea, quæ infrà *à n. 146.* de Legatis dicam, de hoc secundo Fideicommissorum genere non est opus plura addere.

Subdividi Fideicommissum tripliciter
129 potest. 1. In Expressum, & Tacitum. *Expressum est*, quando voluntas fideicommittentis expressa oratione, & verbis inflexis manifestatur. *Tacitum*, quando præsumitur ex proportionatis indicijs, ut si testator prohibeat, ne bona immobilia alienentur extra familiam *l. peto Luci 69. §. fratre 3. ff. de Legat. 2.* 2. In Purum, & Conditionatum. *Purum* est, quando Hæres fiduciarius absolutè gravatur, ut hæreditatem restituat. *Conditionatum*, quando sub conditione gravatur, qualis non infrequenter est illa, *Si hæres fiduciarius sine liberis decesserit.*

130 3. In Fideicommissum Commune, & Familiare. *Commune est*, ubi non specialiter attenditur ad familiam. *Familiare*, ubi principaliter respicitur ad familiam. Et ita sua bona immobilia sæpe relinquere solent Nobiles, & Illustres, dum ultima sua voluntate cavent, ut hæres institutus ea post mortem alijs de familia restituat, sicque bona illa ad familiæ nitorem, & splendorem conservandum perpetuò apud eandem maneant. Porro hujusmodi Fideicommissa familiæ, si ea conditione relinquantur, ut in ijs succedat natu maximus de familia, vocantur *Majoratus*; si verò ita ordinentur, ut primogenitus primùm succedat cum suis descendentibus, & in horum defectum secundogenitus cum suis descendentibus, & sic deinceps, *Primogenituræ* dicuntur. Anton. Peregrin. *de fideicommiss. art. 27. n. 24.* Knipschilt *de fideicommiss. famil. c. 6. n. 268.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *Inst. tit. de fideicomm. hæred. q. 2.*

131 Dub. 2. quis Fideicommissum relinquere possit, & quomodo id fieri debeat? R. Fideicommissa relinquere possunt omnes, qui jus testandi habent *l. sciendum 2. ff. de Legat. 1.* Neque opus est, ut, quando quis relinquit Fideicommissum, actu testetur; quia etiam ab intestato Fideicommissa relinqui possunt §. *præterea 10. Inst. de fideicommiss. hæred. l. eam quam 14. & l. ex testamento 29. C. de fideicomm.* Ratio est, quia testator hæredes ab intestato sufficienter honorâsse censetur, quòd hæreditatem non ademerit, quam eis adimere potuisset *l. conficiuntur 8. §. sed ideo 1. ff. de Jur. Codicill.* Similiter in ejusdem testatoris arbitrio est, quale Fideicommissum velit relinquere, Universale, vel Particulare, Purum, vel Conditionatum, Commune, an Familiare.

132 Olim fiebant per verba precatoria, *Rogo, peto, fidei committo*, & similia: hodie scrupulosa verborum conceptione sublata, fieri possunt per verba qualiacunque; nec per verba tantùm, sed etiam per scripturam, libellum, epistolam, imò & nutum *l. & in epistola 22. C. de fideicomm.* & *l. nutu 21. pr. ff. de Legat. 3.* Ut tamen legitimè relinquatur Fideicommissum, observandæ sunt solennitates, Testamentariæ quidem, si relinquatur in Testamento; Codicillo propriæ autem, si fiant in Codicillo. *Excipitur*, ni si quis præsens rogetur; tunc enim licèt pauciores, quàm Testamentum, vel Codicillus requirat, adhibeantur testes, imò si nulli, Fideicommissum potest subsistere, si Fideicommissario juramentum exigente, is, qui rogatus est, recuset jurare, quod fidei suæ nihil commissum fuerit §. *fin. Inst.* & *l. fin. C. de fideicommiss.*

133 Dub. 3. cui Fideicommissa relinqui possint? R. olim relinqui poterant etiam ijs, qui Institutionis incapaces sunt; imò

inde

inde originem ſuam illa traxerunt; uſitatiſſimum námque erat, ut qui vellent bona ſua ad aliquos tranſmittere, qui hæredes Teſtamento inſtitui, vel Legata ex eo capere Jure non poterant, inſtituerent alium Inſtitutionis capacem, eúmque rogarent, ut hæreditatem, vel ejus partem, vel rem etiam ſingularem reſtitueret alteri, cui volebant.

134 Hodie Fideicommiſſum univerſale relinqui ſolùm poteſt capacibus directæ Inſtitutionis, & cum quibus Jure communi Teſtamenti factio eſt §. *legari 24. Inſt. de Legat.* juncta *l. per omnia 1. ff. de Legat. 1.* Si incapaci relictum ſit, diſtinguendum eſt, an palàm illi relictum ſit, an verò tacitè, ex fide ſecretò interpoſita. *Si primum*, fidei commiſſum ita relictum habetur pro non ſcripto, neque hæres illud tenetur præſtare *l. ult. in fin. ff. quib. ut indign. l. qui deportantur 1. C. de hæred. inſtituend.* *Si ſecundum*, fiſcus relictum vendicat *l. ſi ei 1. C. de delator.* Ratio ſic ſtatuendi fuit, ne Lex, quæ aliquos Inſtitutionis hæreditariæ incapaces reddit, Fideicommiſſorum Beneficio facilè eluderetur. Perez. *in C. de fideicommiſſ. n. 3.* Zœſ. *ff. ad S. C. Trebell. n. 2. & 3.* Haun. *tom. 2. de J. & J. tr. 7. n. 129.* Wieſt. *hic n. 203.*

135 Dub. 4. quis Fideicommiſſo onerari poſſit? R. eo onerari poſſunt omnes, ad quos judicio defuncti aliquid relinquentis, vel non adimentis eſt perventurum, etiamſi ſolùm ſuccedant ab inteſtato; nam & his defunctus dediſſe videtur, quòd cùm poſſet, non ademerit *l. ſi incertus 1. §. ſciendum 6. ff. de Legat. 3.* Imò ipſe etiam Fideicommiſſarius rogari, & gravari poteſt, ut quæ ex Fideicommiſſo ab Hærede Fiduciario accepit, rurſum alij reſtituat §. *eum quoque 11. Inſt. de fideicomm. hæred.* & ita contingit hodie in Fideicommiſſo perpetuo Familiæ, vi cujus ſenior familiæ gravatur onere conſervandi bona ex Fideicommiſſo accepta, eáque poſt mortem ſuam reſtituendi alteri de familia ſeniori futuro.

136 Filius tamen in hæreditate, quam Fideicommiſſo univerſali gravavit pater, triplex Beneficium habet. 1. Si in Teſtamento patris fuit præteritus, & ipſe hæreditatem paternam aliâ viâ e. g. reſciſſo Teſtamento, eſt conſecutus; hic enim Fideicommiſſum præſtare non cogitur *l. quidam 31. C. de fideicommiſſ.* 2. Si naſcantur eidem Liberi: nam tunc iſti, extraneo ſubſtituto excluſo, ſuccedunt; quia, niſi aliud probetur, non cenſetur pater filium voluiſſe gravare aliter, quàm ſub tacita hac conditione, *Si ſine liberis deceſſerit*, prout ſtatuitur *l. cùm avus 102. ff. de condit. & demonſtr.* & *l. cùm acutiſſimi 30. C. de fideicommiſſ.* 3. Si filius (idem dicendum de extraneo) Fideicommiſſo gravatus, ſuſcipiat Clericatum, vel ingrediatur Religionem, ibique Profeſſionem emittat; nam eo caſu Clericus bona illa, quæ aliàs ceſſiſſent Subſtituto, hoc excluſo, relinquere poteſt Eccleſiæ, vel alteri piæ cauſæ; ea verò, quæ ſub fideicommiſſo relicta ſunt filio, aut extraneo, ipſa Profeſſione tranſeunt ad Monaſterium, modò iſtud ſit capax ſucceſſionis hæreditariæ, prout in favorem Religionis ſpecialiter conſtitutum eſt *c. in præſentia 8. de probat.* & *Auth. niſi rogati C. ad S. C. Trebell.* quæ ſumpta eſt ex *Novell. 123. c. 37.*

137 Dub. 5. an ſemper excludatur Subſtitutus, & ſuccedat Eccleſia, vel Monaſterium hæreditariæ ſucceſſionis capax, quando inſtitutus, gravatus Fideicommiſſo reſtituendo alteri, ingreditur Religionem, vel ſuſcipit Clericatum? R. cum diſtinctione: Vel enim hæres Fideicommiſſo gravatus eſt abſolutè, vel addita conditione, *Si ſine liberis deceſſerit. Si primum*, probabiliùs Subſtitutus non excludetur perpetuò, ſed ſuccedet poſt mortem Profeſſi naturalem, ut cum communiore docet Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 190. n. 35.* *Ratio eſt*, quia diſpoſitio *c. in præſentia*, & *Auth. cit.* eſt exorbitans à Juris communis Regulis, & ſolùm loquitur de caſu, quo expreſsè additur dicta conditio. igitur ad caſum, quo illa tacitè ſubintelligi poteſt, extendi non debet.

138 *Si ſecundum*, regulariter quidem Subſtitutus excluditur, multis tamen caſibus admittitur. Talis eſt 1. ſi de contraria voluntate teſtatoris expreſsè conſtet vel ex Teſtamento, vel ex alijs perſpicuis indicijs, quòd nolit per Monaſterium excludi Subſtitutum, Covar. *l. 1. var. c. 19.* Pirh. *hic n. 76.* Reiffenſtuel *ibid. n. 625.* cum alijs. *Ratio eſt*, quia per *Auth. & Novell. cit.* Subſtitutus à Monaſterio excluditur ex præſumpta ſolùm voluntate teſtatoris, quòd is iſtud illi fuiſſet prælaturus, ſi de Religione cogitâſſet. atqui tali caſu præſumptio iſta ceſſat. ergo &c. 2. Si Inſtituto in eventum, quo deceſſerit ſine liberis, Subſtitutus ſit filius, aut nepos, vel etiam cauſa pia, puta pauperes, captivi, Eccleſia Parochialis &c. quia tum privilegiatus concurrit cum privilegiato, quo caſu, ceſſantibus privilegijs, ſervatur Jus commune. 3. Si hæres gravatus Religionem ingrediatur animo fraudandi Subſtitutum; quia fraus ſua nemini patrocinari debet, & conſ. nec Monaſterium, mediante Profeſſione gravati in fraudem facta, bona illa conſequi poterit. 4. Si hæres ad ingreſſum Religionis ſuaſionibus, & blanditijs Regularium fuiſſet inductus; quia eo in caſu Monaſterium nec cætera Profeſſi bona conſequitur *can. conſtituit 42. cauſ. 16. q. 7.* 5. Si ingreſſus Religionem revertatur ad ſæculum, vel ante Profeſſionem moriatur, aut Profeſſionem quidem emiſit, ſed invalidè; quia *Auth. & Novell. citt.* quando ad excluſionem Subſtituti exigunt ingreſſum gravati in Monaſterium, accipi debent de ingreſſu cum effectu, ut eo perſona Divino ſervitio perpetuò mancipetur. 6. Si Monaſterium in bo-

na Professi succedere recuset ; nam hoc si fiat, statim à Professione edita ad bona à testatore relicta substitutus admitti debet: quod ipsum dicendum, si Professionem edat in Religione, quæ successionis hæreditariæ capax non est. 7. Si conditio, *Si sine liberis decesserit*, apponatur in contractu oneroso ; quia Jura, quæ Substitutũ excludunt, solùm loquuntur de ultimis Voluntatibus, aliisque contractibus gratuitis, ut proinde ad alios casus extendi non debeant.

139 Dub. 6. an hæres fiduciarius hæredi per Fideicommissum universale substituto teneatur restituere omnia, quæ à testatore accepit ? ℟. negativè, sed potest sibi retinere quartam partem eorum, quæ rogatur restituere, prout statuitur §. *sed quia 5. Inst. de Fideicommiss. hæred.* Pars hæc *Trebellianica* dicitur à Trebellio Consule Romano, & Senatusconsulto, quod sub ipso factum est, & ab Authore *Trebellianicum* appellatur.

140 Ut verò deduci Trebellianica ista possit, duo requiruntur. 1. Ut qui deducere eam vult, sit hæres, & quidem directus *l. mulier 22. ff. ad S. C. Trebell.* nam hæres fideicommissarius, etsi etiam ipse hæreditatem per Fiduciarij manum acceptam, vel partem illius jubeatur tertio restituere, non tamen propterea potest Trebellianicam deducere, & eam sibi retinere. 2. Ut deducturus Trebellianicam hæreditatem adierit ; nam si illam non adijt, deductio Trebellianicæ cessat, quippe quæ solùm concessa est hæredi.

141 Dub. 7. an Hæres suus, & Necessarius v. g. filius Fideicommisso gravatus, possit deducere Trebellianicam simul cum Legitima ? ℟. affirmativè : idque verum est, sive purè, sive sub conditione sit gravatus restituere alteri. Res satis clara est de Jure Canonico ; nam *c. Raynutius 16.* & *c. Raynaldus 18. h. tit.* Pontt. Innocentius III. & Gregorius IX. disertè approbant sententiam Judicis delegati, pronuntiantis utramque à liberis Fideicommisso gravatis deduci posse. *Neque obstat*, quòd textibus *citt.* liberi Fideicommisso gravati fuerint sub conditione, *Si sine liberis decesserint* ; quia Apostolica decisio se in hoc non fundat, sed in eo, quòd Trebellianicam detrahere permissum sit hæredi extraneo ; & cons. permissum etiam esse debeat hæredi filio, ne hic deterioris conditionis sit, quàm ille : quæ ratio non minùs urget, si filius purè, quàm si sub conditione gravetur.

142 De Jure Civili quid in dubio isto dicendum, controvertunt DD. Negant hoc Jure utramque simul deduci ab Hærede suo, & necessario posse, Perez *in C. ad S. C. Trebell. n. 11.* Zœs. *ff. ibid. n. 92.* Wisenbac. *D. 9. ad dict. S. C. tum n. 13.* Struvius *Exercit. 36. n. 30.* Vinnius *l. 2. select. qq. c. 29.* & alij Legistæ plerique allegantes pro se plures Juris istius textus. Affirmat Fachin. *l. 5. contr. c. 1.* Brunnem. *ad l. jubemus 6. C. ad S. C. Trebell. n. 4.* Clariss. P. Schmier *p. 1. de success. hæred. c. 4. n. 28.* & allegatur pro hac sententia *Novell. 108. c. 1.* qua antiquas Leges correctas vult Fachin. *l. cit.* Omnibus consideratis saltem dubia manet Juris Civilis dispositio : sed ex hac ipsa dubietate assumi Argumentum pro affirmativa potest ; nam quando dubia est Juris Civilis dispositio, Leges interpretationem accipiunt à SS. Canonibus *arg. c. intelleximus 1.* & *c. seq. de nov. oper. nunt.* ita, ut istorum perspicua dispositio in utroque foro sit observanda ; est autem SS. Canonum dispositio in casu proposito satis clara, ut fatentur Adversarij. ergo &c.

Dub. 8. an Trebellianica deduci pos- 143
sit, quando etiam, Legitima est semis, seu dimidia pars bonorum, ut fit, quando quinque vel plures sunt Liberi, qui rogati sunt restituere hæreditatem ? Negat Covar. *in c. Raynutius cit.* §. *11. n. 10. in fin.* Rationem dat, quia absurdum videtur esse, quòd obligatus hæreditatem restituere, ex ea plus consequatur, quàm is, cui illa restituenda est. hoc autem fieret, si in casu præsenti liceret utramque deducere ; quia præter semissem, Legitimæ nomine deductam, Hæres fiduciarius nomine Trebellianicæ consequeretur etiam alterius semissis partem quartam. ergo &c.

Sed adhuc tenenda est affirmativa, quam etiam defendunt Cravetta *cons. 50.* Fachin. *l. 5. cit. c. 3.* Haun. *tom. 2. de J. & J. tr. 7. n. 376.* Pirh. *hic n. 80.* Wiest. *n. 221.* cum alijs, & evincunt hoc textus Canonici, ac rationis paritas : ideo enim præter Legitimam deduci à Liberis Trebellianica potest, quia aliàs deterior esset conditio istorum, quàm hæredis extranei, quippe qui ex Institutione consequeretur Trebellianicam, cùm illi ex voluntate Testatoris nihil, sed tantùm id consequerentur, quod ipsis debetur Juris Beneficio, & à testatore negari non potest. atqui hæc ratio non minùs militat pro Trebellianicæ deductione, quando Legitima est Semis, quàm quando pars minor est. ergo &c.

Ex quo cadit Argumentum allatum pro adversa sententia ; nam absurdum videri non debet, quod æquitas, & favor liberorum suadet. Neque inæqualitas hoc casu est nimia ; etsi enim ultra semissem sibi nomine Legitimæ debitam consequantur etiam Trebellianicam, singuli tamen adhuc consequuntur minus ex hæreditate, quàm Fideicommissarius.

Dub. 9. quibus casibus cesset deductio 144
Trebellianicæ ? ℟. complures casus cum alijs refert Barry *de testat. & intest. l. 15. tit. 7.* Præcipui sunt. 1. Si hæres aliquo modo tentavit evertere Fideicommissum. 2. Si hæres institutus, & gravatus hæreditatem non adijt, vel illam adijt per Fideicommissarium coactus. 3. Si hæres gravatus est restitutione faciendæ piæ causæ, nisi etiam ipse sit pia causa. 4. Si ejus detractionem testator prohibuerit. 5.

Denique

Denique cessat deductio Trebellianicæ in omnibus Testamentis, in quibus cessat deductio Falcidiæ: de qua *infrà n. 160. & seqq.*

145 Dub. 10. ad quem pertineant onera, & actiones hæreditariæ, ad Hæredem Fiduciarium, an verò ad Fideicommissarium? ℟. cum distinctione: Vel enim Hæres Fiduciarius detraxit quartam Trebellianicam, vel eam non detraxit. *Si primum*, ratione illius sustinere debet omnia onera, & actiones, quamvis inter ipsum, & Fideicommissarium cum proportione dividi debeant. Zoes. *ff. ad S. C. Trebell.* *Si secundum*, actiones hæreditariæ omnes competunt Fideicommissario, & adversùs ipsum; hæres autem fiduciarius ab omnibus oneribus ipso Jure liber est §. *sed quia 7. ℣. si verò Inst. de fideicommiss. hæred. Proceditque hoc*, etsi Fideicommissario petente, coactus sit adire hæreditatem, modò Trebellianicam non deduxerit §. *sed quia cit. V. sed etiam*, & *l. quia poterat 4. ff. ad S. C. Trebell.*

146 Quæritur 3. quid sit *Legatum?* ℟. Legati nomen dupliciter sumi potest, scilicet pro re legata, & deinde pro actu legandi. Hæc secunda acceptio est propria, & in hac definitur à Justiniano §. *legatum 1. Inst. de Legat.* quòd sit *donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præstanda*; vel ut alij cum Molin. *tr. 2. D. 193. n. 2.* est *Ultima voluntas, quâ defunctus rem particularem, h. e. id, quod rationem hæreditatis non habet, alicui ab hærede præstandum liberaliter relinquit.* Dicitur *ab hærede præstanda*: non quòd necessarium istud sit; nam aliquando præstatur ab ipso testatore, aliquando ab alio: sed quòd ordinarium sit; plerumque enim præstatur ab ipso hærede, non quidem quoad dominium (quia hoc ex Juris dispositione rectâ viâ à defuncto transfertur ad Legatarium) sed quoad possessionem, quam si Legatarius apprehendat authoritate propria, Legatum hæredi restituere tenetur *l. hoc interdictum 1. §. 2. ff. quod Legatorum.*

147 Differt autem Legatum 1. *à Fideicommisso universali*; quia hoc non est donatio rei particularis, ut Legatum, sed universalis, quæ hæreditatis rationem habet. 2. *Ab hæredis Institutione directa*; quia Legatum non habet sibi annexa ea onera, quæ sibi annexa habet hæreditas. 3. *A Donatione inter vivos*; quia hæc statim firma est, Legatum autem, ut quævis alia ultima voluntas, usque ad extremum spiritum est revocationi obnoxia. 4. *A Donatione mortis causâ*; quia hæc etiam à vivente transit in donatarium, quamvis ante mortem hujus non sit firma; non ita Legatum. Item donatio mortis causâ conventionem, sive acceptationem exigit; Legatum autem solius defuncti, rem aliquam post mortem suam in aliquem conferre volentis, voluntate relinquitur. Zoes. *ff. de Legat. n. 9.*

148 Dub. 1. quis facere Legata possit, & cui? ℟. legandi facultatem habent omnes, qui Testamenti faciendi jus habent *l. sciendum 2. ff. de Legat. 1.* ut adeo in re ista locus sit *Regulæ 42. in 6.* quòd *accessorium sequatur naturam principalis*; est autem Legatum accessorium Testamenti. ergo &c. Relinqui Legata regulariter omnibus, & solis possunt, qui possunt hæredes instituere, vel saltem instituti §. *legari 4. Inst. de Legat.*

Dixi *Regulariter*; nam Regula hæc plu- 149
res Exceptiones patitur, vi quarum Legati capaces aliqui sunt, etiamsi Institutionis sint incapaces. Tales sunt 1. Professi, & Coadjutores formati Societatis JEsu; quia Legata his facta, cùm sint rerum singularium, se habent instar Eleemosynæ, & rei donatæ, cujus Religiosi omnes capaces sunt, ita tamen, ut non sibi acquirant, sed Monasterio. 2. FF. Minores reformati, & Capucini Ordinis S. Francisci ob eandem rationem, modò Legato non adijciatur conditio, vel modus ipsorum Professioni repugnans, qualis esset, si eis legaretur vinea, vel domus Monasterio non contigua sub conditione, ut eam retineant, excolant, locent &c. 3. Spurij; nam illis, etsi hæredes instituti nequeant, ut dictum est *suprà n. 94. in fin.* Jure tamen saltem Canonico aliquid relinqui potest in alimenta competentia, sicut & in dotem, quæ loco alimentorum succedit *c. cùm haberet 5. de eo, qui dux. in matr.* Hoc tamen, ut rectè advertit Molin. *tr. 2. D. 195. n. 4.* potiùs æs alienum his filijs debitum, quàm Legatum est: Unde si competentia alimenta excedat, aut Spurius aliunde habeat, ex quo competenter vivat, quoad excessum in utroque foro erit invalidum.

Dub. 2. quænam res legari possint? 150
℟. ut res aliqua legari possit, necessarium est 1. ut existat, vel saltem existere in rerum natura possit *l. si servus 108. §. qui quinque 10. ff. de Legat. 1.* & *l. quidam 7. ff. de tritic. vin. ol. leg.* *Ratio est*, quia impossibilium nulla est obligatio. *Reg. 185. ff.* & *Reg. nemo 6. in 6.* 2. Ut non sit extra commercium humanum, i. e. talis, quæ ab aliquo acquiri, haberi, & possideri non possit. Unde Templa, aliáque sacra, vel publico usui destinata loca, uti & liber homo, legari non possunt §. *non solùm 4. Inst. de Legat. l. si servus 39. §. 8. & seqq. ff. de Legat. 1.* *Estque hoc ita verum*, ut eo casu ne quidem eorum æstimatio debeatur *l. 39. cit. §. fin.* 3. Ut alienari, & per consequens legari non sit prohibita. Hinc legari nequeunt, quæ juncta, aut fixa ædibus, & istarum parietibus adhærent *l. cætera 41. §. sed & ea ff. de Legat. 1.* 4. Ut non sit res propria ipsius Legatarij; quia quod est proprium alicujus, ampliùs ejus fieri non potest §. *sed si 10. Inst. de Legat.* 5. Ut etiam non sit res talis, quæ Legatario tota debetur; nam si tali casu plus in Legato non sit, quàm sit in debito, inutile Legatum est, quippe per quod Legatarius nihil amplius acquirit, quàm quod aliàs eidem debetur §. *è contrario 14. Inst.* & *l. fin*

l. fin autem 29. ff. de Legat. 1. 6. Et universim res legata talis esse debet, ut ex ea ad Legatarium aliquid commodi, & emolumenti pervenire possit; quia id exigit natura donationis, cujus Legatum species quædam est §. *legatum 1. Inst. de Legat.*

151 Dub. 3. an valeat Legatum rei alienæ, seu quæ nec ad Testatorem, nec ad Legatarium spectet? De Jure Civili res est explorata; nam hoc spectato, distinguendum est: Vel enim Testator eam relinquens scivit illam alienam esse, vel hoc nescivit. *Si hoc secundum*, nullum Legatum est; *Si primum*, validum est, ita tamen, ut ea domino invito auferri non possit: sed hæres eo casu tenebitur illam justo pretio redimere, & redemptam Legatario tradere, vel si consequi à domino eandem nequeat, solvere Legatario justam æstimationem ejusdem §. *non solùm 4. Inst. l. unum 67. §. si rem 8. ff. de Legat. 2.* & *l. cùm alienam 10. C. eod.*

Controversia est, an idem teneat etiam de Jure Canonico? Negat Gloss. *fin. in c. filius noster 5. h. tit.* Abb. *ibid. n. 5.* Imol. *n. 9.* & alij apud Covar. *ibid. n. 9.* ob textum *c. filius cit.* ubi Gregorius I. pronuntiat rei alienæ legatæ retentionem injustam esse, & præcipit eam restitui ex ratione, quòd non *Lege Sæculi*, seu Civili, quâ hæres rem alienam legatam præstare cogitur, sed *Lege DEI*, quæ eam domino restitui jubet, vivendum sit: unde putant hoc textu correctam fuisse dispositionem Juris Civilis.

152 Sed retinenda est affirmativa sententia, quam etiam defendunt Covar. *l. cit. n. 10.* Mantica *de Conject. ult. volunt l. 9. tit. 10.* Fachin. *l. 5. contr. c. 38.* Zoes. *ff. de Legat. & Fideicomm. n. 24.* Gonzal. *in c. 5. cit. n. 13.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *Inst. tit. de Legat. q. 7.* P. Pirh. *hic n. 84.* P. Wiest. *ibid. n. 136.* Clariss. P. Schmier *p. 1. de success. hæred. c. 1. n. 245. cum duob. seqq.* & patrocinatur eidem apertè *can. si Episcopus 5. caus. 12. q. 5.* *Ratio est*, quia differentia inter Jus Civile, & Canonicum inducenda non est, nisi id Jure Canonico expressum sit, vel necessum à Jure Civili necessitas suadeat. atqui neutrum sit in casu proposito. *Non primum*, ut patebit ex Responsione ad textum allegatum pro adversa sententia. *Non secundum*; quia Leges Civiles, quæ alienæ rei Legatum permittunt, nihil iniquitatis continent, cùm secundùm ipsas domino invito res sua non auferatur, sed eidem solùm offeratur occasio illam vendendi pro justo pretio.

Ad Argumentum contrarium in textu *cit.* & casu ejusdem pater filio vix reliquit sustentationem congruam, & hac ipsa privatus fuisset, si Legatum rei alienæ, Ecclesiæ Messanensi factum, debuisset redimere: unde cùm Legitima sub alimentorum nomine Jure naturæ debeatur filijs, meritò decidit Pontifex Legatum istud ab Episcopo Messanensi retineri non posse, cùm filius eo casu obligatus non fuerit illud redimere, vel æstimationem ejusdem præstare.

Dub. 4. quomodo Legatum relinqui 153
possit? R. relinqui potest, prout Testatori placuerit. Et 1. quidem non tantùm purè, & simpliciter, sed etiam non purè, & adjecta conditione, modo, die, & tempore, eóque vel certo e. g. ad proximas Calendas Junias, vel incerto, ut cùm Studiorum cursum Legatarius absolverit, cùm ex peregrinatione, expeditione bellica &c. salvus redierit &c.

2. Relinqui potest vel in Testamento, ubi hæres instituitur aliquis, vel sine hæredis institutione; nam sine Testamento legans censetur hæredem ab intestato succedentem gravâsse, ut talia Legata solvat *l. siquis 3. princ. ff. de Jur. Codicill.*

3. Relinqui potest cum, vel sine scriptura, & nudis verbis, ut sumitur ex *c. indicante 4. h. tit.* *Proceditque* hoc non tantùm de Legatis factis ad piam causam, sed etiam ad profanam, ut rectè notat Pirh. *hic n. 37.*

4. Si nudis verbis, seu nuncupativè absque hæredis institutione, aut Testamento, vel Codicillo legatum relictum sit, nulla requiritur solennitas *l. ult. C. de fideicomm.* sed sufficit, quòd de voluntate, ac dispositione defuncti, obligantis hæredem ad solvendum Legatum, undecunque constet, ut colligitur ex *c. indicante cit.* & notat *ibidem* Gloss. *V. nudis verbis*, Abb. *n. 2.* Vivian. *in ration.* Pirh. *l cit.*

5. Si in Testamento relictum sit, di 154
stinguendum est inter Legata profana, & ad causas pias; nam Legata profana à Testamento pendent, ita, ut si Testamentum corruat, etiam ipsa, tanquam accessoria, corruant, & invalida fiant *l. si ex testamento 29. C. de fideicomm. l. fin. §. illud C. de Codicill. l. si nemo 9. C. de testam. tutel.* Si verò relicta sint ad causas pias, à valore Testamenti non pendent, sed etiam hoc corruente, præstanda sunt ex sententia communiter recepta non tantùm in terris Ecclesiæ, sed etiam in Imperio Romano, adeoque in utroque foro, Ecclesiastico, & Sæculari, ut alijs *citt.* tradit Pirh. *hic n. 88.*

Dub. 5. an, & cui debeatur Legatum, 155
si hoc relictum sit loco, vel personæ incertæ, v. g. quia duo eodem nomine appellantur? R. eo casu, nisi ex conjecturis, aut circumstantijs colligi possit, cui illorum potiùs relinquere Testator voluerit, Legatum corruere, & neutri deberi *l. si fuerit 10.* & *l. siquis 28. ff. de reb. dub.* *Proceditque* hoc probabiliter non tantùm in foro externo, sed etiam in foro animæ, ut notat Pirh. *n. 89.* ubi rationem dat, quia *LL. citt.* utrique adimunt Legatum absolutè, & hæ justæ sunt, quippe spectantes bonum publicum, quietem possessionum, & litium diminutionem; Leges autem justæ in foro externo observandæ sunt etiam in foro interno. ergo &c.

Controversia est, an etiam caduca fiant 156
Legata relicta Ecclesiæ, vel alteri pio loco incerto,

certo, aut pauperibus generatim? Affirmat Socinus *in l. quidam 5. ff. de reb. dub. n. 12.* Sed contra expressam dispositionem Juris, quo Legata incerta favore pauperum, & qui istorum nomine veniunt, sustinentur. Clarus est textus *l. id quod 24. C. de Episc. & Cler.* cujus tenor est: *Id, quod pauperibus Testamento, vel Codicillo relinquitur, non ut incertis personis relictum evanescat, sed omnibus modis ratum, firmúmque consistat.* Quare dicendum, ejusmodi Legata omnino præstanda esse.

157 Cui autem præstanda sint, media distinctione eruitur. Vel enim ejusmodi Legatum relictum est pauperibus, vel Ecclesiæ. *Si pauperibus*, in pauperes illius loci, in quo Testator mortuus est, distribui debet. *Novell. 131. c. 11. Si verò Ecclesiæ, vel alteri pio loco*, ex pluribus in dubio censetur relictum illi, cui testator speciali affectu addictus fuerat. *Si de affectu speciali non constet*, videndum, an ex duabus Ecclesijs, inter quas dubium est, una sit Parochialis, altera non, vel an utraque sit Parochialis defuncti, eò quòd in utraque habuerit domicilium, an verò neutra. *Si primum*, Legatum applicabitur Ecclesiæ Parochiali. *Novell. cit. c. 9. Si secundum*, inter utramque ex æquo dividetur. Tiraquell. *caus. piæ privil. 56.* & alij passim. *Si tertium*, dabitur pauperiori *c. 9. cit.* quia in dubio censetur testator legâsse illi Ecclesiæ, cui legando majus opus Charitatis exercet. Quodsi verò Ecclesiæ illæ sint æquè divites, vel æquè pauperes, in optione Episcopi erit applicare illud, cui voluerit, vel potiùs inter easdem dividetur, ut cum alijs notat Covar. *in c. 4. b. tit. n. 2.*

158 Dub. 6. quando peti possint, & solvi debeant Legata? R. in hoc generalis est Regula, Legata primùm esse præstanda post mortem Testatoris, & quidem non ante aditam hæreditatem *l. omnia 32. princ. ff. de Legat. 2. Excipiuntur* Legata pia; hæc enim persistunt firma, etiamsi hæreditas non adeatur.

An statim post aditam hæreditatem peti possint, pendet ex modo, quo aliquid Legato relictum est; nam si purè relictum est, peti statim potest; si verò sub conditione in futurum pendente, ante eventum conditionis non debetur, nec peti potest *l. un. §. sin autem 7. C. de Caduc. tollend. l. si cùm hæres 4.* & *l. si post diem 5. §. sed si 2. ff. quand. dies Legat. &c.* quia antè non est certum debitum.

159 *Excipitur 1.* si Legatum relictum sit sub conditione impossibili; quia pro puro hoc Legatum habetur *l. si post diem cit. §. itemque 4. Excipitur 2.* si conditio remittatur à Jure, & pro non adjecta habeatur, qualis est, si Legatum relictum sit Virgini sub conditione, *Si non nupserit*; nam etiam nubenti debetur tale Legatum *l. cùm tale 72. §. Mæviæ 5. ff. de condit. & demonstr. Excipitur 3.* si quo minùs conditionem impleret Legatarius, per hæredem, vel per eum stetit, in cujus persona illa implenda fuit; tunc enim ea pro impleta habetur *l. si post diem cit. §. item si 5. Excipitur 4.* quando Legatum v. g. 100. aurei alicui puellæ in dotem, *si nupserit*, relictum fuit principaliter, non intuitu ipsius personæ, sed pietatis; nam eâ mortuâ, hujusmodi Legatum non exspirat, sed alteri puellæ pauperi maritandæ applicandum est, ut rectè advertit Sylv. *V. Legatum 1. q. 10. Excipitur 5.* & generaliter, quandocunque præsumi potest, quòd Testator nihilominus relicturus Legatum fuisset, etsi conditio impleta non fuisset: ita *Novell. 123. c. 37.* statuitur deberi Legatum alicui relictum sub conditione *Si nupserit*, etiam casu, quo loco nuptiarum ingreditur Religionem, ex benigna interpretatione voluntatis defuncti, adhuc legaturi, si cogitâsset de Religione.

Dub. 7. quod Beneficium competat 160
Hæredi, quando à Testatore ultra modum gravatus est Legatis, ita, ut ijs solutis, non remaneat ei quarta pars bonorum defuncti? R. eo casu ex Legatis detrahere potest, quantum necesse est ad illam quartam complendam, ut habetur *Inst. de Leg. Falcid. & C. eod.* Statutum id fuit tum propter hæredes, ne solum nomen hæredum absque hæreditate haberent, tum propter ipsos testatores, ne eorum hæreditas propter nimium Legatorum onus repudiaretur. Lex detractionem istam concedens *Falcidia* appellatur ab ejus authore Cajo Falcidio Tribuno plebis; à Lege autem translatum nomen est ad ipsam partem, quam detrahere, vel detrahendo complere per eam concessum est.

Est igitur Falcidia *quarta pars bonorum,* 161
ex Legatis, Fideicommissis, & mortis causâ donationibus ab hærede deducta, & sibi servata. Deducere hanc licet cuicunq; hæredi, non tantùm necessariò, sed etiam voluntario, & extraneo: imò si ille sit de numero descendentium, vel ascendentium, de bonis Testatoris non tantùm quartam illorum partem, sed legitimam suam portionem integram accipere potest; quia hanc Testator de bonis suis disponendo non potuit diminuere. Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 213. n. 1.*

Dub. 8. quæ deducenda sint, priusquam à Legatis detrahatur Falcidia? R. 1. deducendum est totum æs alienum defuncti, sive omnia debita, & quæcunque in foro conscientiæ obnoxia sunt restitutioni §. *cùm autem 3. Inst. de Leg. Falcid.* & ratio est, quia Legata solvenda sunt ex bonis Testatoris; sed bona ejus non intelliguntur, nisi quæ deducto ære alieno supersunt *l. subsignatum 39. §. bona 1. ff. de V. S.* 2. Deducendæ sunt expensæ funeris §. *cùm autem cit.* & quidquid hæres in Testamenti insinuatione, Inventarij confectione, & universim ratione hæreditatis, vel manumissionis servorum quovis modo necessariò expendit. 3. Demum deduci debent omnia Legata privilegiata, seu illa, ex quibus Falcidia non potest detrahi.

163 His deductis, residuum bonorum, relictorum à defuncto, in quatuor partes dividitur, & harum quarta hæredi manet, tres reliquæ inter Legatarios pro rata portione ejus, quod cuique relictum est, distribui debet §. *fin. Inst. de Leg. Falcid.*

Quodsi etiam hæredi titulo Legati aliquid relictum sit, non tenetur illud computare in quartam partem titulo hæreditatis sibi debitam, sed pari jure cum alijs Legatarijs uti potest *l. in quartam 91. ff. ad Leg. Falcid.* Quo Falcidia differt à Trebellianica; in hanc enim hæres gravatus, seu fiduciarius computare etiam illud debet, quod Legati nomine ipsi relictum est: imò etiam fructus perceptos eo tempore, quod inter mortem testatoris, & restitutionem Fideicommissi intercedit, ut habetur *in l. fideicommissaria 28. §. planè 1. ff. ad S. C. Trebell.*

164 Dub. 9. secundùm quod tempus quantitas bonorum defuncti spectari debeat, ut Falcidiam rite deducat Hæres? R. spectari debet secundùm tempus mortis defuncti §. *quantitas 2. Inst. de Leg. Falcid.* Et hinc si quid post Testatoris mortem, incerta, & nondum adita hæreditate, bonis accrescat, vel decrescat, Legatarijs nec prodest, nec nocet, sed totum hæredis lucro, vel damno cedit *l. in ratione 30. princ.* & *l. in quantitate 73. princ. ff. ad Leg. Falcid. Ratio est*, quia hæreditas mortis tempore hæredi defertur, ut eam, si velit, statim adire possit: eóque tempore ut plurimum cedit dies Legatorum, h. e. Legatarijs quæritur jus ad Legata: quæ proinde, quanta eo tempore fuerunt, tanta debentur, ita, ut nec bonorum incremento augeantur, nec decremento decrescant. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *Inst. de Leg. Falcid. q. 5.*

165 Quodsi hæreditas ita decrevit post mortem testatoris, ut hæres non possit quartam detrahere, liberum hæredi erit adire hæreditatem, nec ad eam adeundam cogere illum Legatarij poterunt *l. nam quod 14. §. quare 6.* & *l. cogi 16. §. generaliter 2. ff. ad S. C. Trebell.* Si hæreditatem non adeat, etiam extinguentur Legata, nec debebuntur ab intestato, nisi specialiter hoc Testator voluerit *l. eam 14. C. de fideicomm.* Si verò adeat hæreditatem, solida, seu integra Legata præstare debet, nec quidpiam potest deducere. Pirh. *hìc n. 92.*

166 Dub. 10. quibus casibus cesset deductio Falcidiæ? R. hos casus recensent Gloss. *fin. in §. ult. Inst. de Leg. Falcid.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 213. à n. 9.* Pirh. *hìc n. 93.* Wiest. *n. 155. & seqq.* Et

1. quidem deduci Falcidia nequit de Legatis relictis ad causas pias, prout ex *c. nos quidem 3.* & *Auth. similiter C. ad Leg. Falcid.* communiter deducunt DD. qui proinde docent eâ *Auth.* abrogatam esse *l. Lex Falcidia 1. §. ad municipium 5. ff. ad Leg. Falcid.* ubi dicitur Falcidia etiam ad ea, quæ DEO relinquuntur, porrigi. *Excipitur*, nisi hæres institutus etiam ipse sit causa pia; tunc enim detrahere Falcidiam potest, quia tali casu privilegiatus concurrit cum pariter privilegiato, & cons. statur Jure communi.

2. De Jure Codicis *l. in testamento 7. C. ad Leg. Falcid.* deduci Falcidia nequit de Legatis relictis in Testamento militari; quia militis in disponendo voluntas sola spectatur: quod Jus tamen aliqui cum Mantica *de conject. ult. volunt. l. 6. tit. 1. n. 37.* volunt esse sublatum per *Novell. 1. c. 4.*

3. Quando servis libertas, aut aliquid 167
in eorum libertatem legatur §. *fin. Inst. de Leg. Falcid.* & *l. Papinianus 8. §. quarta 9. ff. de inoffic. testam.*

4. Quando testator non ignarus virium patrimonij sui, expresè prohibuit Falcidiam detrahi. *Auth. sed cùm testator C. ad Leg. Falcid.* & *Novell. 1. c. 1. & 2.*

5. Quando alicui legatur Instrumentum, vel Scriptura de re aliqua, cujus Legatarius jam erat dominus *l. si prædiorum 15. C. eod.*

6. Quando prælegata est dos, ut uxori restituatur *l. cùm dotem 57. ff. eod.* quia in hac uxor recepit, quod suum est.

7. Si alijs aliquid legetur tanquam debitum; quia Falcidia non debetur, nisi deducto ære alieno, ut *suprà n. 162.* dictum est.

8. Quando res aliqua ita legatur, ut in perpetuum alienari non possit, sed apud successores ejus, cui relicta est, semper maneat. *Auth. sed & ea C. ad Leg. Falcid.* & *Novell. 1. c. 1.*

9. Quando hæres de bonis hæredita- 168
rijs aliquid surripuisse, detraxisse, vel occultâsse convictus fuerit. *Novell. 1. c. 2. princ. & sancimus.*

10. Quando hæres, Inventario non rite confecto, adijt hæreditatem, réspue hæreditarias tractare cœperit. *Novell. 1. c. 2.* quia de ijs subtraxisse præsumitur: & hinc in foro externo tenetur Legata præstare integra, etiam ultra vires hæreditatis. *Auth. sed cùm testator C. ad Leg. Falcid.*

11. Quando hæres à Judice admonitus, intra annum Testatoris voluntatem executus non fuit; nam eo lapso, non solùm perdit jus detrahendi Falcidiam, sed etiam tota hæreditate spoliari potest, excepta legitima portione, si sit de numero eorum, quibus illa debetur. *Novell. 1. c. 1.*

12. Si hæres Legata integra sciens, prudénsque solvit; tunc enim tenetur & reliqua solvere, neque illa, quæ jam solvit, repetere potest *l. error 9. C. ad Leg. Falcid.* & *Novell. 1. c. 3.* Idem est, si solvit ex Ignorantia Juris, & persona talis sit, in qua ignorantia hæc non toleratur: secus, si ex ignorantia facti v. g. quia putavit, plus esse in hæreditate *l. error cit.*

§. VI.

§. VI.

De Testamenti Resolutione.

SUMMARIUM.

169. *Testamentum validè confectum resolvitur aut viâ Juris, aut adminiculo hominis.*
170. *Prius contingit primò, quando rumpitur.*
171. *Quod fit Agnatione Posthumi.*
172. *Etiam quoad Legata.*
173. *Cum triplici exceptione.*
174. *Arrogatione, vel Adoptione.*
175. *Ubi an rumpatur etiam quoad Legata pia.*
176. *Et denique mutatione voluntatis Testatoris.*
177. *Ubi quando Testamentum posterius deroget priori.*
178. *Testamentum irritatur, quando Testator patitur diminutionem capitis.*
179. 180 *Exceptiones.*
181. *An Testamenta etiam irritentur superveniente furore, surditate, prodigalitate?*
182. *An secuta Testatoris Professione Religiosa? Argumenta sententiæ affirmantis.*
183. *Resolvitur negativa.*
184. *Si professus ille sit Religionem successionis hæreditariæ incapacem, statim effectum habet.*
185. *Si capacem, exspectanda est mors ejusdem naturalis.*
186. *Testamentum destituitur propriè, & improprie?*
187. *Quot modis destituatur propriè?*
188. *Quid sit Querela inofficiosi? & quibus competat?*
189. *Contra quos?*
190. *Quando cessat?*

169 OLim resolvebatur Testamentum solo lapsu decennij, hodie temporanea ista Testamenti evacuatio sublata est, ut constat ex *l. sancimus 27. C. de Testam.* & remanserunt duo duntaxat modi, quibus resolvi Testamenta, etiam validè confecta, possunt, videlicet viâ Juris, & facto hominis. *Viâ Juris* id contingit tripliciter, cùm sc. Testamentum rumpitur, irritatur, vel destituitur. *Adminiculo hominis* autem, quando, motâ Inofficiosi querelâ, rescinditur officio Judicis.

170 Quæritur 1. quando *rumpatur* Testamentum? R. tunc illud *rumpitur*, quando *in eodem statu manente Testatore, ipsius Testamenti jus vitiatur*, i. e. si vitium infirmans directè incurrit in ipsum Testamentum, etsi persona Testatoris maneat in eodem statu Juridico, nullam patiens capitis diminutionem §. *rumpitur 1. Inst. quib. mod testam infirm.* Fit autem hoc tribus modis, Agnatione posthumi, Arrogatione, vel Adoptione, & voluntate Testatoris mutatâ.

171 Dub. 1. quando Testamentum rumpatur *Agnatione Posthumi*? R. Agnatione posthumi Testamentum rumpitur, quando Testatori post mortem, vel post Testamentum absolutum, & perfectum nascitur filius ex justis nuptijs procreatus, de quo nulla in Testamento facta est mentio §. *nominatim 1. V. posthumi Inst. de exhæred. liberor.* *Proceditque hoc*, etsi iste illico, & in obstetricis manibus decesserit, ut clarè habetur *l. quod certatum 3. C. de posthum. hæred. instit.*

Difficultas est, utrum rumpatur hoc casu tantùm quoad institutiones, an verò etiam quoad Legata? Videntur hæc adhuc deberi ob *Auth. ex causa C. de Liber. præterit.* ubi dicitur *Testamentum ex causa exhæredationis vel præteritionis irritum esse quoad Institutiones, cætera autem* (conf. etiam Legata) *permanere firma.*

Sed retinenda est communis sententia, juxta quam, si Testamentum rumpatur agnatione posthumi, etiam Legata non conservantur. 172 Ita Gaill. *l. 2. obs. 113. n. 2.* Menoch. *de arbitr. cas. 147. n. 1.* Barry *de test. & intest. l. 10. tit. 10. n. 9.* Brunnem. *in l. sicut 9. C. de testam. milit. n. 5.* Magnif. D. Christoph de Chlingensperg *Inst. quib. mod. testam. infirment. q. 3.* Magnif. D. Verlohner *tr. de testam. art. 9. q. 1 n. 1.* Clariss. P. Schmier *p. 1. de success. hæred. c. 1. n. 461.* P. Wiest. *hic n. 226. Ratio est*, quia donatio inter vivos, quæ duorum voluntate nititur, fortior est, quàm Legatum, aut Fideicommissum, quod ex sola Testatoris voluntate pendet. atqui donatio inter vivos, nativitate Liberorum, tanquam inofficiosa, revocatur, ut dictum est *suprà Tit. 24.* ergo multo magis Legatum.

Excipitur 1. si quid legatum sit ad 173 piam causam in quantitate moderata; nam etiam illi, qui Liberos habent, ejusmodi facere Legata assolent. Barry *l. cit. n. 10. Excipitur 2.* si quid Legatum sit pro exoneranda conscientia e. g. in restitutionem usurarum, & aliorum malè partorum? quia talia Legata sunt non tam liberalitas, quàm necessaria restitutio. *Excipitur 3.* generaliter quodcunque Legatum, si tale sit, ut verisimiliter Testator illud censeatur fuisse relicturus, etsi filios habuisset; quia tunc præsumptio contraria cessat.

Sic limitatæ responsioni non obstat Argumentum sumptum ex *Auth. cit.* quia hæc solùm procedit in filio jam nato, vel nascituro, scienter præterito, non verò in nascituro, vel nato præterito ignoranter; de isto enim, & non de illo præsumi potest, quòd ejusmodi Legatum relicturus non fuisset.

174 Dub. 2. quando Testamentum rumpatur *Arrogatione*, vel *Adoptione*? R. Adoptione, vel Arrogatione rumpitur, quando Testator post Testamentum conditum sibi arrogat aliquem, qui sui Juris est, vel adoptat unum ex descendentibus, & in familiam, ac potestatem suam redigit §. *rumpitur cit.* junct. *l. cùm in adoptivis 10. C. de adoption. Ratio est*, quia suus hæres Testamento præteritus id agnatione rumpit §. *cit.* is autem, qui arrogatur, vel ab aliquo ascendente adoptatur, fit suus hæres §. *posthumorum 2. Inst. de exhæred. liberor.* nam adoptio, & arrogatio est quædam quasi Agnatio Civilis. ergo &c. Idem dicendum, ut rectè monet P. Jacobus Wex. *Ariadn. p. 2. tab. 6. ad Libr. 2. Inst. membr. 1. n. 1. in fin.* quando vitium natalium per legitimationem à filio naturali tollitur.

175 Controverti hìc potest, an Testamentum arrogatione, vel adoptione rumpatur etiam quoad Legata pia? Inquo opus est distinctione: vel enim hæc relicta sunt in moderata aliqua quantitate, vel contrà in magna. *Si primum*, quoad ea Testamentum non rumpitur; quia quoad illa, ut ex *n. 173.* patet, etiam non rumpitur agnatione. *Si secundum*, videndum est, an adoptatus sit aliquis ex descendentibus, vel alius extraneus. *Si aliquis ex descendentibus*, rumpetur Testamentum quoad talia Legata; quia in hoc naturalia, & Civilia Jura concurrunt. *Si Extraneus*, nec Legata, etiam in magna quantitate relicta, nec ipsum etiam Testamentum pium hujusmodi Arrogatione evacuabitur, sed sufficiet, si conservatis cæteris, quæ in tali Testamento ordinata sunt, sic arrogato præstetur Quarta, quæ ei debetur ex Constitutione Divi Pij *l. Papinianus 8. §. siquis impubes 15. ff. dein offic. Testam.*

176 Dub. 3. quomodo Testamentum rumpatur mutatione voluntatis Testatoris? R. hæc mutatio fieri dupliciter potest, verbo, vel facto. *Quoad mutationem verbalem* regula traditur, eam ad eversionem Testamenti non sufficere, licèt coram septem testibus expressa sit, nisi decennium à tempore conditi Testamenti elapsum fuerit *l. sancimus 27. C. h. tit.* Vim majorem habet *Realis*: & hæc duplici modo potest contingere. 1. quando prius Testamentum ex voluntate consulta Testatoris conscinditur, vel laceratur, aut quocunque modo corrumpitur *l. qui in Testamento 1. princ. ff. de his, quæ in testam. &c. & l. fin. ff. de liber. & posthum.* 2. quando Testator aliud Testamentum confecit §. *posteriori 2. Inst. quib. mod. testam. infirm. & l. hac consultissima 21. §. siquis 3. C. de Testam.*

177 Si tamen priori Testamento addita fuisset clausula, derogans omni Testamento posteriori, huic necesse esset derogari in Testamento secundo, ut monet Haun. *tom. 3. tr. 6. n. 177. Excipitur 1.* si Testamentum posterius sit conditum inter Liberos; nam per hoc revocatur Testamentum anterius factum inter extraneos, quæcunque demum clausula fuerit huic oppositа, modò Juramento promissorio confirmatum non sit, neque opus est, ut clausulæ illius fiat mentio in Testamento posteriore, ut ex *Auth. hoc inter liberos C. h. tit. & Novell. 107. c. 2.* communiter DD. colligunt. *Excipitur 2.* si Testamentum prius, munitum tali clausulâ, sit profanum, & posterius pium; nam per hoc etiam sine mentione clausulæ rumpitur profanum prius, ut *in Auth. cit.* cum aliis docet Jason. *Ratio est*, quia ob enixum studium, quo quilibet Christianus præsumitur non minùs animæ suæ, quàm liberis velle prospicere, pari passu procedit Testamentum inter Liberos conditum, & conditum ad causas pias.

Quæritur 2. quando *irritetur* Testa- 178
mentum? R. Testamentum irritatur, quando vitium id infirmans, ac resolvens directè afficit personam testatoris, quòd iste post Testamentum ritè confectum, & perfectum mutârit statum, patiendo vel maximam, vel mediam, vel minimam capitis diminutionem, ubi libertas in prima, in secunda civitas, in tertia familia v. g. per arrogationem perditur §. *alio 4. Inst. quib. mod. testam. infirm. & l. siquis 6. §. irritum 5. cum seqq. ff. de injust. rupt. irrit. testam. Ratio est*, quia capite diminutus aut bona sua omnino perdit, ut fit in eo, qui passus est capitis diminutionem maximam, vel mediam, aut saltem illa in potestate sua habere desinit, ut fit in illo, qui passus est capitis diminutionem minimam, quippe qui illa in domum, & familiam alienam transtulit.

Excipitur 1. Testamentum militis, 179
de peculio Castrensi, vel quasi Castrensi factum; hoc enim ejus arrogatione non rumpitur *l. siquis cit. §. fin. Ratio est*, quia hæc bona per Arrogationem non amittit, sed retinet etiam post illam tam dominium, quàm administrationem illorum.

Excipitur 2. Testamentum eorum, qui post illud rite perfectum ab hostibus capit sunt: nam istorum Testamenta, non tantùm, si redeant, sed etsi in hostium potestate decedant, quasi jure postliminii sustinentur, & effectum consequuntur perinde, ac si in hostium potestatem non deveniissent, aut cùm caperentur, occubuissent §. *fin. Inst. quib. non est permiss. testam. fac. & l. Cornelia 12. ff. qui testam. facer. poss.*

Excipitur 3. si capitis diminutionem 180
passi statum postea recuperent, & mortis tempore cives, suique Juris sint: ubi tamen distinguendum est inter passos capitis diminutionem infimam, & inter passos capitis diminutionem maximam, vel mediam; nam priorum voluntas præcedens ut reconvalescat, necesse est, ut Testator de novo declaret, quòd eandem valere velit: quod tamen non requi-

requiritur, ut reconvaleſcat voluntas præcedens in poſterioribus §. *non tamen 6. Inſt. quib mod. teſtam. infirm.* & *l. qui ex liberis 11. §. teſtamento 2. ff. planè ff. de bonor. poſſ. ſecund. tabul. Ratio eſt*, quia capitis diminutionem maximam, aut mediam paſſus ſtatum mutat invitus; paſſus verò infimam, volens. is autem, qui ſtatum mutat invitus, non cenſetur mutare priorem voluntatem; ſecus, ſi ſtatum mutet volens. ergo &c.

181 Dub. 1. an Teſtamenta etiam irritentur furore, ſurditate, & prodigalitate ſuperveniente? *Ratio dubitandi eſt*, quia hujuſmodi naturali, aut morali vitio laborans perinde, ut capite diminutus, in eum ſtatum devenit, in quo Teſtamentum non poteſt facere, ut conſtat ex dictis *n. 69.* Verùm hæc ratio levis eſt, cùm maxima ſit inter hunc, & capite diminutum diſparitas; iſte enim ſtatum, i. e. libertatem, civitatem, aut familiam amittit, ille hæc omnia retinet. igitur licèt Teſtamentum de novo non poſſit condere, nihil tamen impedit, quo minùs antea rite conditum hæredem, & exitum habeat P. Wieſt. *hic n. 237.*

182 Dub. 2. an Teſtamentum, ante ingreſſum Religionis conditum rumpatur, aut irritetur, ſecuta poſtea Profeſſione? Affirmant non pauci DD. ſed non ex eadem ratione; nam 1. aliqui cum Gloſſ. *in Auth. ſiqua mulier V. competere C. de SS. Eccl.* putant id rumpi Profeſſione, quaſi agnatione, quòd Profeſſo Monaſterium loco filij ſit. 2 alij irritari id putant profeſſione eadem, quaſi capitis diminutione, quòd per eam mutetur ſtatus, & Profeſſus ſui Juris eſſe deſinat. 3. alij cum Bartol. Bald. &c. exiſtimant Profeſſionem continere tacitam quandam revocationem, quòd profitendo cenſeatur ſe, ſuáque omnia dedicâſſe Monaſterio.

183 Sed meliùs cum communiore DD. negatur, Teſtamentum Profeſſione aut rumpi, aut irritari; quia non apparet, ex quo capite rumpatur, aut irritetur. Non enim rumpitur 1. *quaſi poſthumi præteriti agnatione;* quia Monaſterium vel non habetur loco filij, vel ſi loco filij habetur aliquando, non habetur, niſi in caſibus Jure expreſſis, qualis tamen præſens non eſt. Non 2. *quaſi capitis diminutione;* quia eſto, Profeſſione mutetur ſtatus, ea tamen mutatio eſt alterius, & ſublimioris ordinis, quàm quæ capitis diminutione inducitur, ut adeo à capitis diminutione ad Profeſſionem Religioſam non liceat ducere Argumentum. Non denique 3. *quaſi mutata voluntate priore*, quâ Teſtamentum condidit; quia imprimis tacita revocatio non ſufficit *l. ſancimus 27. C. h. tit.* Et ſi ſufficeret, hæc tamen immeritò ex Profeſſione præſumitur; quia Religioſus tantùm illa bona ſua Monaſterio dedicâſſe præſumitur; de quibus ante ingreſſum, vel Profeſſionem diſpoſitionem non fecit. *Auth. nunc autem C. de Epiſc. & Cleric.* ibi, *Si priùs teſtatus non fuit.*

Dub. 3. quando effectum habeat Te- 184
ſtamentum, conditum à Religioſo ante ingreſſum ſuum in Religionem? R. cum diſtinctione: Vel enim teſtator ingreſſus eſt Religionem ſucceſſionis hæreditariæ incapacem, vel contrà ejus capacem.

Si primum, ejus Teſtamentum ſtatim à Profeſſione emiſſa effectum habet, ita, ut hæreditas eo relicta ſtatim deferatur, & Legata debeantur, non ſecus, acſi naturaliter fuiſſet mortuus, ut cum communi notat Pal. *tr. 16. D. 1. p. 14. n. 5. Ratio eſt*, quia Profeſſio in ejusmodi Religione edita quoad omnes effectus, ac proinde etiam quoad Profeſſi bona idem operatur, quod mors naturalis.

Si ſecundum, Teſtamentum Teſtatoris 185
talem Religionem ingreſſi effectum non habet uſque ad mortem naturalem illius, adeò, ut ante illam nec hæreditas, nec Legata danda ſint ijs, quibus relicta ſunt, ſed omnia Profeſſi bona tam quoad proprietatem, quàm quoad uſumfructum interea maneant penes Monaſterium, ut cum alijs rectè advertit Sanch. *l. 7. mor. c. 3. n. 69.* tunc enim Profeſſio non æquiparatur morti naturali, ſed Monaſterium repræſentat perſonam Profeſſi, quamdiu iſte ſuperſtes eſt. Et hinc ſi hæres, vel legatarius decedant ante Teſtatorem Profeſſum, hæreditatem, & legata ad hæredes ſuos non tranſmittent, ſed illa, tanquam caduca, pleno jure, & perpetuo remanebunt penes Monaſterium *arg l. ſtatius 48. §. Cornelio 1. ff. de Jur. fiſc.*

Excipitur, ſi Teſtator voluiſſet, ut ſuum Teſtamentum ab ipſo Profeſſionis die effectum haberet; poteſt enim Religionem ingrediens diſponere de rebus ſuis, prout voluerit. Quocunque autem modo diſpoſuerit, diſpoſitionem illam emiſſa Profeſſione revocare non ampliùs poteſt; quia revocatio talis condendi Teſtamenti poteſtatem ſupponit, quâ caret Profeſſus.

Quæritur 3. quomodo *deſtituatur* Te- 186
ſtamentum? R. Teſtamentum deſtituitur, cùm vitium id infirmans directè afficit hæredem; cùm enim iſtius inſtitutio caput, & fundamentum Teſtamenti ſit, ut dictum eſt *n. 68.* hærede deficiente, etiam Teſtamentum irritum fieri neceſſe eſt.

Fit autem hoc dupliciter, propriè, & impropriè. *Impropriè* deſtituitur, quando hæres ſcriptus moritur ante Teſtatorem; tunc enim non poteſt jus ſuccedendi tranſmittere ad hæredes ſuos, cùm ipſemet nondum hæres fuerit; quia nemo vivus hæredem habet. *Propriè* deſtituitur, quando Teſtatore defuncto, adiri hæreditas potuiſſet, ſed ob omiſſam aditionem effectum non conſequitur.

Quod iterum dupliciter poteſt con- 187
tingere. 1. ſi ideo non adijt hæreditatem, quia intra annum deliberandi mortuus eſt. ſi ſimpliciter repudiet hæreditatem. *Si ſecundum contingat*, ſimpliciter deſtituta hæreditas dicitur, non verò, *ſi primum*; quia eam adeun-

di jus intra annum hæres illo institutus ad hæredes suos transmittit: qui si eam repudient, tum enim verò per se loquendo Testamentum destitutum dicetur *l. testamentum 1. ff. de injust. rupt. &c. & l. cùm in antiquioribus 19. C. de Jur. deliberand.* non tamen omnino; quia, ut testis est Haun. *tom. 2. de J. & J. tr. 6. n. 151.* non desunt DD. qui tali casu Legatarijs, & Fideicommissarijs velint concessam facultatem, ut saltem Legata, & Fideicommissa consequantur ex *Novell. 1. c. 1. §. 1. ℣. si verò nullus aliter.* Quidquid de hoc sit, destituto hujusmodi Testamento, Legata tamen pia in eo relicta præstanda sunt, ut communissima habet sententia apud Barry *l. 10. de testat. & intestat. tit. 13. n. 14.*

188 Quæritur 4. quid sit *Querela inofficiosi?* & quibus competat? R. *Querela inofficiosi* est remedium extraordinarium, Jure introductum. competens personis, quæ cùm Lege hæredes deberent institui, contra pietatis officium immeritò exhæredatæ, velpræteritæ fuerunt: *Inst. princ. &l. hoc colore 2. ff. de inoffic. testam.*

Competit hoc omnibus ijs, quibus ex Juris dispositione debetur Legitima; transmittúntque hi illam etiam ad hæredes, cum discrimine tamen: nam si Sui isti sint, transmittunt ad eos etiam non præparatam; si verò extranei, per contestationem litis, vel ejus comminationem, aut agnitam bonorum possessionem jam præparatam *l. scimus 36. §. fin. & l. fiquis 34 C. de inoffic. Testam.*

189 Instituenda autem est Querela ista contra hæredes institutos, postquam delatam sibi hæreditatem adiverunt *l. Papinianus 8. §. si conditioni 10. ff. eod.* Petitur per illam, tum ut Testamentum, contra officium e. g. paternum factum, rescindatur; tum ut hæreditas quasi ab intestato restituatur agenti *l. quæ nuper 31. C. & l. eum qui 21. §. item respondit 2. ff. eod.*

Hodie in linea ascendente, vel descendente regulariter locum non habet; quia ex recepta in praxi sententia, si inter Ascendentes, & Descendentes injusta exhæredatio, vel præteritio contingat, Testamentum quoad Institutiones habetur pro nullo, & præteritis, tanquam ab intestato, permittitur ex æquo cum alijs ad hæreditatem venire. *Novell. 115. c. 3. & 4.* quod confirmatur in Jure nostro Bavarico **Landrecht** *tit. 35. art. 1. Excipitur 1.* si legitima causa exhæredationi adscripta est, quæ tamen ab hærede probari non potest. 2. si post commissam ingratitudinem, & subsecutam exhæredationem reconciliatio inter patrem, & filium facta est; nam hoc duplici casu Testamentum etiamnum valet, & per Querelam everti debet. **Landrecht** *tit. 35. cit. art. 1.* Fachin. *l. 6. contr. c. 79.* Anton. Faber. *Error. pagm. decad. 14. error. 7.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg. *Inst. tit. de inoffic. testam. q. 3.*

Cessat Querela hæc pluribus casibus, 190
1. si supp tat aliud remedium ordinarium, quo exhæredatus, salvo Testamento, ad hæreditatem, vel partem, illius perveniat *§ tam autem 2. Inst. de inoffic. test.* Ratio est, quia Querela hæc est remedium extraordinarium, cui locus non est, quando aliud Ordinarium datur. 2. si instituta sit causa pia; quia quòd Testamentum ex inofficiosi querela everti possit, sapit meram Juris Civilis subtilitatem, quæ in Testamentis ad pias causas factis non attenditur: hinc tali casu filius consequetur solam Legitimam. Tiraquell. *cauf. piæ privil. 14.* 3. si exhæredatus Testamentum approbavit, aut Querelæ quomodocunque, etiam tacitè v. g. Legatùm eo relictum agnoscendo renuntiavit *l. fiquando 35. §. & generaliter 2. C. eod.* potest tamen eo casu ex textu *cit.* agere pro supplemento Legitimæ, 4. si quinquennio tacuerit post aditam hæreditatem *l. fiquis filium 34. in fin. C. eod.* Legitimam tamen, & iftius supplementum petere potest usque ad 30. annos. Brunnem. *in l. cit. n. 6.* 5. si exhæredatio facta sit ex justa, veráque causa. *Novell. 115. c. 3. §. 14. ℣. sive igitur.* Plura de his Civilistæ.

§. VII.

De Executione Testamenti, & aliarum Ultimarum Voluntatem.

SUMMARIUM.

191. *Licet cuilibet constituere Executores Testamenti sui.*
192. *Talis potest esse fœmina, minor 25. annis, Clericus, & Religiosus.*
193. *Nec unus tantùm, ùque etiam diversæ professionis.*
194. *Religiosus ad munus istud suscipiendum indiget licentiâ Superioris.*
195. 196. *Gesta tamen absque hac valent.*
197. *Initio munus hoc suscipitur liberè, ad susceptum autem implendum compelli quis potest.*
198. *A Judice Executoris competente.*
199. *Etiamsi id Testator prohiberit, aut Legatarij non petant.*
200. *Tempus, intra quod executio fieri debet.*
201. *Non est continuum, sed utile.*
202. *Pœna intra hoc tempus non exequentis Testamentum.*
203. *Ubi cui pars Executori relicta accrescat?*
204. *Debet dare rationem Executionis suæ.*
205. *Religiosi, & Clerici non exempti Episcopo.*
206. *Exempti Clerici Sæculares Papæ, vel ejus Legato.*

Quæ-

191 QUæritur 1. quotuplicis generis sint Executores Testamentorum? R. quemadmodum Tutores, ita & Executores Testamentorum, aliarúmque Ultimarum Voluntatum sunt triplicis generis, videlicet Testamentarij, Legitimi, & Dativi. *Testamentarij* vocantur, qui ab ipso Testatore in ultima sua voluntate designati sunt; *Legitimi*, qui à Lege, seu Jure dati; *Dativi*, qui à Magistratu, seu Judice constituti.

Cuilibet Testatori licet Executorem Testamenti sui constituere, quem ipse vult. Si Executorem ipse non constituit, executio, etiam quoad Legata, est penes hæredes, ut colligitur ex c. *nos quidem 3. h. tit.* ibi *Cujus desiderium*, i. e. supremæ voluntatis executio, *à Religiosa fœmina ejus hærede protrahitur. Excipiuntur* ea, quæ pro redemptione captivorum, vel pauperum alimentis sunt relicta; horum enim executio, alio à Testatore non destinato, non ad hæredes, sed ad Episcopum loci, tanquam patrem pauperum, & miserabilium personarum spectare debet *l. nulli 28. C. de Episc. & cler.* & *Novell. 131. c. 10.* nisi aliud consuetudo loci legitimè introducta habeat.

192 Quæritur 2. quinam esse Testamentorum, & Ultimarum Voluntatum Executores possint? R. possunt esse quicunque: & ij quidem 1. non tantùm mares, sed etiam fœminæ c. *nos quidem 3. h. tit.* & *l. à filio 15. ff. de alim. legat.*

2. Non tantùm majores, sed etiam minores 25. annis, modò decimum septimum ætatis annum excesserint; quia hæc ætas sufficit, ut quis sit Procurator ad negotia c. *quia generaliter 5. §. fin. de Procurator. in 6.*

3. Non tantùm Laici, sed etiam Clerici: imò & Religiosi, etiamsi Testamentum conditum sit solùm ad causas profanas, ut colligitur ex c. *tua 17. c. Joannes 19. h. tit.* & c. *Religiosus 2. eod. in 6.* qui ultimus textus de Religioso ultimæ Voluntatis executore generaliter loquitur, nulla distinctione facta inter causas pias, & profanas. *Ratio est*, quia justæ voluntatis defuncti ad causas etiam profanas executio inter pia opera numerari solet, quæ Religiosum non dedecent.

193 4. Constitui possunt Executores, non unus tantùm, sed plures. Si plures constituantur, & unus eorum decedat, absens sit, vel aliàs impeditus, possunt procedere reliqui c. *Religiosus cit. §. sanè*, ubi etiam ratio additur, *ne* scilicet *Testatoris voluntatem diu impediri, vel nimis differri contingat. Excipitur*, nisi in talem casum aliud sit Testamento expressum §. *sanè cit.* cùm enim rationabilis voluntas Testatoris pro Lege habeatur, id, quod Testamento expresserit, in hujusmodi eventum observandum erit. Vivian. *in* §. *sanè cit.*

5. Perinde est, sive Executores, quando plures constituuntur, unius, an diversæ professionis sint; potest enim constitui Laicus cum Clerico, vel Religioso; *Neque obstat*, quòd aliàs in uno, eodémque officio non debeat esse dispar professio *can. in nova 22. caus. 16. q. 7.* quia id non procedit, quando qui diversæ professionis sunt, admittuntur ad aliquid agendum, non ut Collegium, vel ut corpus unitum, sed ut singuli, & diversa capita. Pirh. *hic n. 102.*

Quæritur 3. an omnes Religiosi, & 194
quo pacto Executores Testamentorum, & Ultimarum Voluntatum esse possint? R. possunt omnes, quibus id per Regulam, & Constitutiones peculiares Ordinis sui non repugnat, non tamen sine licentia Superioris sui, prout statuitur c. *Religiosus 2. cit.* & *Clem. un. h. tit.*

Dixi, *quibus id non repugnat &c.* propter FF. Minores Ordinis S. Francisci, qui Executores Testamentorum esse omnino prohibentur, ita, ut neque Superior ipsis dare licentiam possit. *Clem. exivi 1. § item quod v. cúmque dicti de V. S.* & redditur ibi ratio; *quia pro nulla re temporali possunt in Judicio experiri;* Executoris autem munus sæpe expediri, & rite obiri nequit sine litigio.

Addidi, *non tamen sine licentia Superioris:* Hanc in Religionibus non exemptis dare potest non tantùm Prælatus Ordinis, sed etiam Episcopus, & Sede Episcopali vacante, Capitulum; in Exemptis verò solus Prælatus Ordinis, isque non supremus tantùm, sed etiam immediatus, nisi per peculiares Ordinis Constitutiones aliud quid præscribatur, prout fit in Societate JEsu, ubi ad munus Executoris Testamenti suscipiendum facultatem dare potest solus Generalis, seu is, cui ab isto potestas hanc concedendi communicata est. *Const. p. 6. c. 3. §. 7. lit. D.*

Dubium est, an gesta à Religioso, qui 195
munus exequendi Testamentum sine licentia Superioris contra Canonum prohibitionem suscepit, sint valida? Negant cum pluribus alijs Sylv. *V. testamentum 2. q. 2. dict. 3.* Covar. *in c. tua nos 17. h. tit. n. 2. in fin.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 247. n. 9.* Moventur 1. *arg. l. non dubium 5. C. de LL.* secundùm quam nulla sunt, quæ Lege prohibente fiunt. 2. *Ratione:* quia Religiosus velle, & nolle non habet, nisi dependenter à suo Superiore. igitur isto nolente, Religiosus executoris munus suscipiens perinde se habet, ac is se habet, qui non vult esse executor, sed hujus acta, siquid agit circa executionem Testamenti, invalida sunt; quia verus executor non est. ergo etiam Religiosi executionis munus suscipientis sine Superioris sui licentia.

Sed adhuc probabilius est ejusmodi 196
executionem regulariter esse validam. Ita cum communiore DD. Menoch. *l. 2. præsumpt. 46. n. 14.* Azor *p. 1. l. 12. c. 11. q. 1.* Pal. *tr. 16. D. 4. p. 13. §. 1. n. 8.* & plures alij ab his *citt. Ratio est*, quia adest sufficiens voluntas, & consensus testatoris, & executoris, spectato Jure naturali: & licèt Canones

nes prohibeant, non tamen irritant executionem factam.

Ex quo patet ad Argumenta allata in contrarium. *Ad 1.* Lex illa solùm procedit, quando non sistitur intra terminos prohibitionis, sed res aliqua ad formam requiritur; non autem ita requiritur licentia in nostro casu, ergo &c. *Ad 2.* quamvis Religiosus sine licentia Superioris non possit velle, aut nolle aliquid licitè, potest tamen velle, & nolle simpliciter, quod sufficit ad valorem actûs, à Jure non irritati, ut notat Frid. Senens. *cons. 293. in fin.*

197 Quæritur 4. an is, cui à Testatore Executoris munus est demandatum, compelli possit ad illud suscipiendum? R. regulariter non posse compelli ad illud suscipiendum, posse tamen ad implendum, si illud expresè, vel tacitè in se susceperit. Ita passim DD. & colligitur ex *c. Joannes 19. h. tit.* *Ratio est*, quia officium Executoris est instar officij Procuratoris, quod licèt à principio voluntarium, post susceptum tamen mandatum necessariò implendum est *l. invitus 17. C. de Procurat.*

Dixi *regulariter*; quia imprimis ad id munus suscipiendum cogi potest Religiosus à Superiore suo Regulari. Deinde si ita necessitas exigat, Clericum sibi subditum, recusantem acceptare munus Executoris, compellere potest Episcopus ad pia Legata exequenda, si non ut Executorem Testamentarium, saltem ut Delegatum, & Commissarium suum, ut rectè advertit Pirh. *hic n. 113.*

Addidi *Expresè, vel tacitè*; sufficit enim acceptatio tacita, quæ ex facto aliquo cognosci possit, ut si actum aliquem muneris exerceat, vel si litteras, in quibus Executoris munus ipsi demandatum est, scienter accepit, nec contradixit, aut contrà protestatus est *arg. Clem. 1. de Procurat.* & tradit Bartol. *in l. Titius 24. ff. de Constit.*

198 *Dubium est*, à quo Judice Executor Testamenti ad exequenda Legata in illo relicta compelli possit? R. cum distinctione: Vel enim Testator est Clericus, vel Laicus. *Si primum*, insinuatio Testamenti coram solo Judice Ecclesiastico, & ab hoc solo fieri compulsio debet, nec immiscere se eo casu Judex Sæcularis in executionem potest.

Si secundum, Gloss. *in c. 17. V. pijs voluntatibus h. tit.* distinguit inter Legata pia, & non pia. *In Legatis pijs* admittit Executorem compelli ad ea exequenda posse tam à Judice Sæculari, quàm ab Ecclesiastico; at *in profanis* putat compulsionem spectare ad solum Judicem Sæcularem. Sed meliùs sentit Gloss. *in c. 6. V. ab Episcopo h. tit.* cum communi doctrina, juxta quam compulsio etiam tali casu est mixti fori, ita, ut inter Judicem Laicum, & Ecclesiasticum locus præventioni fit. *Primum* colligitur ex *c. nos quidem 3. c. si hæredes 6. c. tua 17. h. tit.* & statuitur in Trid. *sess. 22. c. 8. de reform.* *Alterum* de Legatis profanis sumitur ex *c. 6. cit.* & *c. Joannes 19. h. tit.* *Ratio utriusque est*, quia Judex Ecclesiasticus subvenire debet miserabilibus personis, & destitutis omni auxilio *c. super quibusdam 26. de V. S.* sed defunctus est talis persona, cùm ipsemet agere non possit, ut ultima sua voluntas impleatur, ergo &c.

Proceditque hoc 1. etiamsi Testator 199
prohibuisset in Testamento, ne Episcopus, vel Judex Sæcularis Executorem ad exequendum compellat, prout constat ex *c. tua cit.* & ratio est, quia cùm Testator sit persona privata, non potest tollere, vel impedire dispositionem Juris publici, & communis.

Procedit 2. etsi is, cui talia Legata in Testamento relicta sunt, id non exigat, vel non possit exigere, prout colligitur ex *c. nos quidem cit.* ubi processum est ad ejusmodi compulsionem ex mero officio Episcopi, nemine petente.

Quæritur 5. intra quod tempus hæres 200
des, & Executores ultimam Voluntatem defuncti implere debeant? R. distinguendo: vel enim Testator ipse certum tempus executioni præscripsit, vel non præscripsit. *Si primum*, intra illud tempus implenda est ejus Voluntas ultima; quia hæc est instar Legis, & pro Lege habenda *can. ultima 4. caus. 13. q. 2.* *Si secundum*, executio fieri debet, quamprimum post aditam hæreditatem potest, ut communis docet cum Sylv. *V. Testamentum 2. q. 6.* Quodsi hæres, vel Executor post præviam monitionem, saltem unam, à Judice Ecclesiastico, vel Sæculari factam, illam intra annum non exequatur, eo elapso, potestas exequendi, saltem quoad pia Legata, devolvitur ad Episcopum, ut habetur *c. nos quidem 3. h. tit. Auth. hoc amplius C. de fideicomm.* & *Novell. 131. c. 10.*

Dubium est, an tempus Executori ab 201
homine, vel Jure statutum ad implenda defuncti jussa sit continuum, vel utile? Continuum esse, & cons. etiam ignoranti, & legitimè impedito currere, docet Durand. *in Specul. l. 2. p. 2. tit. de Instrum. addit. §. 13. n. 39.* ex ratione, quia definitum est in favorem eorum, quibus aliquid in Testamento relictum est, præsertim si in piam causam e. g. pauperum alimenta relictum sit, ne Legatis, sive relictis diu carere debeant. atqui tempus definitum in favorem alterius continuum est juxta doctrinam receptam Gloss. *in c. 3. V. numerandum de Præbend. in 6.* ergo &c.

Hæc sententia valde probabilis est, probabilius tamen est illud esse utile, adeoque ignoranti, & legitimè impedito non currere. Ita Abb. *in repetit. c. cùm esses 10. h. tit. n. ult.* Covar. *in c. 3. cit. n. 3. & 4.* Barbos. *ibid. n. 3.* Pirh. *hic n. 122.* *Ratio est*, quia hoc tempus executoribus concessum non statutum est in merum favorem Legatariorum, sed in odium, & pœnam Executorum negligentium, ut patet ex *c. 3. cit.* ibi *implere neglexerit.* atqui tempus statutum in favorem

unius

unius & odium alterius ignoranti, & legitimè impedito non currit. ergo &c.

Hinc cadit Argumentum sententiæ oppositæ.

202 Quæritur 6. quæ sit pœna hæredis, vel Executoris, si hic intra tempus à Jure definitum negligat exequi voluntatem Testatoris ultimam? R. in pœnam privatur rebus à defuncto sibi relictis cum fructibus, & cæteris emolumentis, ut habetur *c. si hæredes 6. h. tit. Auth. hoc amplius C. de fideicomm.* & *Novell. 1. c. 1.* §. *siquis autem 1. princ. Extenditur hoc 1.* tam ad Legata pia, quàm ad profana, cum discrimine tamen; nam qui Legata profana exequi negligit, pœnam istam primùm incurrit post annum negligentiæ; at qui pia, etiam intra illum, ut patet ex *Novell. 131. c. 12. ỳ. si autem Legatum. Extenditur 2.* tam ad Executorem, qui hæres est, quàm ad eum, qui non est hæres; nam *l. si Patroni 55. §. quid ergo 3. ff. ad S. C. Trebell.* generaliter pronuntiat, *eum, qui destituit supremas defuncti voluntates, indignum esse, ut aliquid consequatur ex ea voluntate. Excipiuntur*, hæredes necessarij; nam hi, etsi negligentes sint in exequenda ultima voluntate Testatoris, etiam quoad Legata pia, non tamen ideo privantur sua portione Legitima, quippe quæ illis non ex voluntate Testatoris, sed ex Juris dispositione obvenit.

203 *Dubium est*, cui applicanda sint emolumenta, quibus ob negligentiam in executione Testamenti commissam privatus est hæres, vel Executor? Quod resolvendum est distinctione: *vel enim Testator jam ipse de his disposuit in Testamento*; & tunc omnino standum est voluntate Testatoris, & emolumenta applicanda illi, cui Testator voluit. *Vel contrà nihil de illis disposuit*, & tunc iterum distinguendum est, an dispositio facta sit ad pias causas, an verò ad profanas. *Si primum*, Episcopus facultatem habet vindicandi sibi omne lucrum, seu commoda, quæ hæredi, vel executori relicta erant, & quibus ob negligentiam privatus fuit, ita tamen, ut ad pias causas ea applicet, ut habetur *Auth. licèt C. de Episc. & Cleric.* & *Novell. 131. c. 11. ỳ. siquis autem hoc facere &c. Si secundum*, lucrum, & commoda, relicta executori, deferuntur alijs cohæredibus, aut collegatarijs, vel etiam hæredibus ab intestato venientibus, ac deinceps alijs secundùm ordinem præscriptum in *Auth. hoc amplius C. de fideicomm.* & *Novell. 1. c. 1.*

Quæritur 7. quænam sit obligatio Exe- 204
cutoris post executionem factam? R. tenetur ad rationem reddendam, cum duplici tamen limitatione. 1. Si res sint minimæ; nam de his ejus Juramento creditur, si commodè Instrumentum non poterat confici. 2. Siquæ Testator ipsi secretò exequenda commisit; hoc casu tamen ipsi non creditur, nisi commissionem secretam sibi factam vel ex Testamenti ipsius tabulis, vel per idoneos testes probet.

Dubium est, cui rationem executionis 205
Testamenti, & aliarum ultimarum voluntatum reddere debeant Clerici, & Religiosi Testamentorum Executores? R. cum distinctione inter Religiosos, & Clericos Sæculares. *Religiosi*, etiam Exempti, si claustrales sint, seu in Monasterio degant, rationem reddere Episcopo suo Diœcesano debent; nam in hoc puncto eidem subjiciuntur, ut patet ex *Clem. un. h. tit.* Idem dicendum de *Clericis Sæcularibus non exemptis.*

Major difficultas est *de Clericis Sæcula-* 206
ribus exemptis; nam paritas rationis etiam ad hos videtur extendi. Meliùs tamen negatur, & dicitur, istos Executionis Testamentariæ rationes Papæ duntaxat, vel ejus Legato, aut alteri suo legitimo Superiori teneri reddere. Ita Gloss. *in Clem. cit. V. tales*, Abb. *ibid. n. 8.* Barbos. *n. 5.* Pirh. *hic n. 111.* Wiest. *n. 289. Ad rationem dubitandi* negari etiam potest, quòd eadem sit ratio in Clericis Sæcularibus, quæ in Religiosis exemptis; nam, ut Gloss. *cit.* dicit, impulsiva hujus prohibitionis causa fuit, quia Religiosi plus in his delinquebant, quàm Sæculares.

§. VIII.

De Commutatione Ultimarum Voluntatum.

SUMMARIUM.

207. *Executor non potest commutare ultimas Voluntates.*
208. *Exceptiones.*
209. 210. *Jussus dare aliquam pecuniam pauperibus, potest sibi servare, si verè pauper sit.*
211. *Sed partem aliquam tantùm.*
212. *Ad causam piam relicta commutare potest Papa.*
213. *Relicta ad profanam Princeps Sæcularis.*
214. *Utrum Ultimas Voluntates commutare possint Episcopi? Rationes negandi.*
215. *Defenditur sententia affirmans.*
216. *Solvuntur Objectiones.*
217. *Quid tenendum de alijs Prælatis?*
218. *Quid de Vicario Generali, Sede plena?*
219. *Et Sede vacante?*
220 221. *Enumerantur causæ legitimæ commutandi.*

207 QUæritur 1. an commutare Ultimas Voluntates possint Executores? R. non posse, sed standum ipsis omnino est voluntate defuncti, & hæc, si defacto, & de Jure,

sive licitè, & honestè possit, omnino implenda, ita, ut relicta à Testatore in alios, quàm destinata sunt, usus converti, etiam de hæredum consensu, nequeant *c. conquestus 16. de for. compet. c. nos quidem 3. h. tit. Clem. 2. de Relig. domib.* & Trid. *sess. 22. c. 6. de reform.* *Ratio est*, quia Executorum munus, & officium, ut ipsum eorum nomen indicat, est executione, seu ministerio suo implere, quod supremæ voluntatis suæ elogio defunctus constituit.

208 *Excipitur 1.* si mutetur in melius quoad tempus, terminum executioni à Testatore præfixum præveniendo; quia talis præventio non censetur esse contra voluntatem defuncti *arg. l. post mortem 12. C. de Fideicomm.* ubi rogatus post mortem suam restituere hæreditatem alteri, potest restituere illam etiamnum vivens.

Excipitur 2. si ipse Testator Executori facultatem in opus, quod melius judicaverit, commutandi specialiter concessit; quia etiam hac in re defuncti voluntas servanda, & commutandi facultas Executori adimenda non est. Socin. *de oblat. l. 19. n. 21.* Wiest. *hic n. 292.*

Excipitur 3. si Legatum relictum certo loco, aut alteri usui, ad illum applicari non possit; tunc enim Legata, saltem pia, ita implenda sunt, ut quàm minimè recedatur à voluntate defuncti: quod fiet, si cum Episcopi consensu Executores id, quod ita relictum est, applicent ad alium usum pium. Molin. *tr. 2. D. 249 n. 7.*

209 *Dubium est*, an Executor, jussus pecuniam distribuere in pauperes, aut impendere in alios usus pios, partem aliquam sibi ipsi applicare possit, si ipse sit verè pauper? Negat hoc posse, nisi in casu extremæ necessitatis, cum quibusdam alijs Sylv. *V. Testamentum 2. q. 2. dict. 5.* & videtur hoc etiam probare ratio. 1. Quia Testamento relicta expendenda sunt secundùm voluntatem defuncti *c. tua 17. h. tit.* hoc autem non facit Executor, partem à Testatore pauperibus relictorum applicando sibi *arg. l. si mandavero 22. §. si tibi 7. ff. mandati*, ubi dicitur eum, qui jussus est dare, quæ (vel potiùs, ut alij legunt, *cui*) voluerit, & illud ipse consumpserit, mandati actione teneri. 2. Quia siquis pro Pœnitentia à Confessario injuncta jussus est aliquid pecuniarum erogare in pauperes, nullam ejus partem potest applicare sibi. ergo similiter hoc negandum est de Executore Testamenti.

210 Sed respondendum est distinguendo: Vel enim Testator voluit, ut pecunia ab ipso relicta certis, & ab Executore distinctis personis distribuatur; & tum si de hoc constat, ejus mens omnino implenda est *c. tua 17. h. tit.* Vel contrà nulla determinata persona ab eo est destinata, sed Legatum solùm relictum pauperibus in genere; & tunc verius est, si Executor verè pauper sit, eum posse relictorum partem aliquam applicare sibi. Ita Menoch. *l. 4. præsumpt. 125. n. 17.* Sanch. *l. 6. mor. c. 11. n. 54. & 55* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 83. n 21.* & apud hos plurimi alij *citt.* *Ratio est*, quia si ipse verè pauper sit, relictorum pars, quam ipse sibi attribuit, jam est expensa in pauperem, & cons. impleta Testatoris voluntas: Imò ejusmodi applicatio congruit ordini Charitatis, quæ à seipso incipit.

Addidi autem, *Partem aliquam*; nam 211
jussus erogare pecuniam in pauperes, eam totam nec sibi, nec alij soli applicare potest, quòd Testator utendo numero plurali censeatur voluisse subvenire egestati plurium.

Neque obstant Responsioni nostræ Argumenta opposita. *Ad 1.* dispositio *l. cit.* intelligi debet de eo, qui sibi applicat relictum, quod ex mente Testatoris in alios distribuendum erat; non verò de illo, qui partem aliquam sibi retinet ex ijs, quæ distribuenda erant in pauperes solùm in genere. *Ad 2.* negatur paritas; nam Confessarius injungendo hujusmodi Eleemosynam, eam injunxit pœnitenti in pœnam; pœnæ autem rationem non haberet, si pœnitens eam posset retinere sibi.

Quæritur 2. an ad commutandas ulti 213
mas Voluntates necessaria sit authoritas Superioris, & cujus? *Necessariam* illam esse, indubium est ex ijs, quæ hactenus dicta sunt. Cujus Superioris authoritate opus sit, expediri distinctione potest: Vel enim res ibi relictæ ad causam piam relictæ sunt, vel contra ad causam profanam.

Si primum, extra controversiam est, eam commutationem fieri posse à Summo Pont. Colligitur ex *Clem. 2. de Relig. Domib.* nam ib. Clemens V. postquam dixit, ea quæ, ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum non alium usum converti debere, addidit Clausulam, *Salva Sedis Apostolicæ authoritate* igitur Argumento à sensu contrario authoritate Sedis illius commutatio fieri potest. Nec immeritò; nam penes Sedem Apostolicam est suprema, generalis, & immediatè à Christo collata administratio, & dispositio omnium rerum, quæ relationem ad finem supernaturalem habent, ita, ut disponere de ijs liberè possit, prout publicæ, & privatæ necessitates exegerint, aut utilitates suaserint, ut cum S. Thom. *2. 2. q. 100. art. 1.* communiter docent TT. & Canonistæ. atqui relicta ad causas pias vel maximè relationem habent ad finem supernaturalem, igitur si ita vel necessitas, vel utilitas suaserit, illa ad alium usum, quàm à Testatore præscriptum sit, applicare Pontifex, & sic ultimam Voluntatem commutare poterit.

Si secundum, & ultima Voluntas solùm 214
tendat ad causam profanam, ad commutationem illius sufficit authoritas Principis, vel Magistratus Sæcularis supremi, ut cum communi docet Suar. *l. 2. de Legib. c. 14. n. 11.* & colligitur ex *l. legatum 4. ff. de administr. rer. ad civit. pertin.* *Ratio est*, quia res istæ, & volun-

voluntates ſubditorum, quatenus iſtas reſpiciunt, proprio Principi ita ſubijciuntur, ut de ijs ſaltem ex juſta, & publicam utilitatem concernente cauſa diſponere valeat, prout ſumitur ex *l. Lucius, 11. princ. ff. de eviction.* & *l. quod ſemel 5. ff. de Decret. ab Ordin. faciend.*

214 *Dubium eſt*, an commutare ultimas Voluntates etiam poſſint Epiſcopi? Negant Molin. *tr. 2. D. 249. n. 5.* Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg. 83. n. 2.* Pirh. *hic n. 132. in fin.* & alij ab his *citt.* juxta quos ſolius Principis, videlicet Papæ, ſi cauſa pia ſit, vel Principis Sæcularis, Superiorem non recognoſcentis, ſi cauſa profana, proprium eſt ultimas Voluntates Teſtatorum ex rationabili cauſa commutare. *Fundantur 1.* textibus compluribus Juris Canonici *c. conqueſtus 16. de for. compet. c. nos quidem 3. h. tit. c. tua 17. eod.* & præſertim *Clem. 2. de Relig. Domib.* quâ Epiſcoporum curæ commendatur, ut in certos uſus largitione fidelium relicta in eos convertantur; illorum autem converſio, aut commutatio ſoli Papæ vindicatur. 2. Ex *l. legatum 4. cit.* quâ prohibetur, ne pecunia, quæ civitati, aut municipio relicta eſt, in aliam rem, quàm defunctus voluit, citra ſupremi Principis authoritatem convertatur. atqui in Hierarchia Eccleſiaſtica Supremus Princeps eſt ſolus Papa. ergo &c. 3. Ex *ratione*: quia Legem Superioris relaxare, aut ei derogare inferior non poteſt. ita derogaret Epiſcopus, ſi commutaret ultimas voluntates defunctorum; quia commutatio iſta Jure Eccleſiaſtico communi vetita eſt *can. ultima 4. cauſ. 13. q. 3. c. nos quidem, c. tua, & Clem. citt.*

215 Sed his non obſtantibus, communior, & in praxi apud Epiſcopos recepta ſententia eſt, quæ iiſdem rerum ad certos uſus pios relictarum à Teſtatore, in alios ſimiles uſus converſionem, ex juſta cauſa, & ad inſtantiam hæredum, vel ſaltem de conſenſu illorum permittit. Oſtenditur 1. ex *can. præter hoc 6. ℣. deinde diſt. 32.* ubi aſſeritur, quòd *oblationes vivorum, & mortuorum in Epiſcoporum diſpoſitione ſint.* 2. Ex Trid. quod *ſeſſ. 22. c. 6. de reform.* Epiſcopis non tantùm præſcribit modum, quem obſervare debent in commutationibus ultimarum Voluntatum, ſed etiam Commutationes iſtas ex juſta cauſa faciendi poteſtatem iiſdem generali Delegatione confirmat. 3. Ex *ratione*: quia Teſtatorum voluntas, quando ex juſta cauſa in alios, præſertim meliores uſus, relicta convertuntur, non infringitur, ſed declaratur, ut licèt non formalis, virtualis tamen, & interpretativa eorum diſpoſitio adimpleatur.

216 Argumenta Adverſariorum faciunt quidem illorum ſententiam admodum probabilem, non tamen convincunt. *Ad 1. Clem. cit.* intelligi debet de caſu, quo Teſtamento relicta ad cauſas pias convertuntur ad uſum minùs pium, & minùs utilem, ac ſine juſta ab ipſis hæredibus, vel executoribus: tres reliqui textus executionem ultimarum Voluntatum Epiſcopo quidem commendant, non verò adimunt eidem poteſtatem eas commutandi in melius. *Ad 2.* Lex illa Civilis attendenda non eſt, cùm poteſtatem ſic commutandi, ut paulò antea dixi, Epiſcopi à Sede Apoſtolica per Delegationem generalem acceperint. *Ad 3.* ita commutando non ipſi Epiſcopi Juri communi Eccleſiaſtico derogant, ſed eidem jam antea derogavit Pontifex, & Conc. Trid. dum *l. cit.* vel confirmavit, vel conceſſit generalem poteſtatem ex juſta cauſa commutandi ultimas Voluntates.

Quæritur 3. an præter Pontificem, & 217 Epiſcopos poteſtatem commutandi ultimas Voluntates etiam habeant alij? R. habent omnes, quicunque Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem obtinent: adeoque etiam S.R.E. Cardinales, quamvis Presbyteri, vel Diaconi tantùm, in Eccleſia ſui Tituli: item Prælati Epiſcopis inferiores, qui Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in certum Territorium, & populum exercent: & probabiliùs etiam Capitulum, Sede Epiſcopali vacante; quia commutatio iſta non eſt actus Ordinis, ſed Juriſdictionis Epiſcopalis, & quidem probabiliter Ordinariæ, ut rectè advertit P. Wieſt. *hic n. 303.* hæc autem ab Epiſcopo Sede vacante ad Capitulum tranſit.

Dubium eſt, an ea poteſtas etiam com- 218 petat Vicario Generali? R. diſtinguendo inter Vicarium generalem Sede plena, & ea vacante. *Vicarius Generalis, Sede plena*, relicta in certos uſus convertere in alios, etiam meliores, vi mandati ſui generalis non poteſt; quia Commutationes iſtæ ſunt de cauſis gravioribus, & arduis, quas ut exequi Vicarius Generalis Epiſcopi poſſit, ſpeciali mandato ejusdem indiget.

De Vicario Generali Capituli Sede va- 219 cante diſtinguendum eſt inter Jus antiquum, & novum Trid. nam Jure antiquo etiam ipſe opus habebat ſpeciali mandato Capituli ad faciendam ejusmodi commutationem; nunc autem poſt Trid. ſufficit mandatum generale: & ratio eſt, quia ex ejusdem S. Synodi Decreto totum exercitium Jurisdictionis Epiſcopalis à Capitulo Sede vacante transfertur in Vicarium Generalem à ſe electum, vel confirmatum: cons. etiam ſine ſpeciali mandato ea poterit, quæ aliàs tale mandatum requirerent, niſi ſpecialiter aliquid ſibi reſervâſſet Capitulum. Guttier. *l. 1. qq. can. c. 11. n. 10.*

Quæritur 4. quænam cauſa eſſe de- 220 beat, ut ad commutandam ultimam Voluntatem ſufficiat? R. ſufficit quæcunque cauſa juſta, & rationabilis, ut rectè obſervat Monet. *de commut. ult. volunt. c. 6. n. 109.*

Talis in ſpecie eſt. 1. ſi Ultima Voluntas impleri nequeat: quia impoſſibilium nulla eſt obligatio *l. impoſſibilium 185. ff.* & *Reg. 6. de R. I. in 6.* igitur tali caſu impleri illa debebit in alio.

221 2. Si in ejus executione occurrat magna difficultas; nam id quoque, quod valde difficile est, reputatur moraliter impossibile, cùm id tantùm dicamur posse, quod commodè possumus *c. statuimus 13. de offic. deleg. in 6. & l. nepos 125. ff. de V. S.*

3. Si in ejus commutatione inveniatur evidens utilitas; nam hæc necessitati æquiparatur, & hinc quæ ob necessitatem, ferè omnia etiam permittuntur ob evidentem utilitatem inde provenientem.

4. Si eam suadeat pietas, v. g. redemptio captivorum, detentorum à paganis, sublevatio pauperum tempore famis &c. cùm enim tali casu oppignorari, & distrahi possint res Ecclesiarum mobiles, calices, vasa &c. ex eadem causa etiam commutari ultimæ voluntates poterunt.

5. Si alia similis causa urgeat: unde ut in hujusmodi Voluntatibus ultimis commutandis prudenter procedat Superior, in consideratione adducet non tantùm causam ipsam, sed etiam Legata, an pia illa, vel solùm profana sint; certum enim est, quòd ad commutanda Legata profana minor sufficiat causa, quàm ad commutanda Legata pia.

§. IX.

De Portione Canonica Episcopali.

SUMMARIUM.

222. *Quid sit Portio Canonica Episcopalis?*
223. *Cui debeatur, & ex quo capite?*
224. *Quibus casibus non præstetur?*
225. *An debeatur ex ijs, quæ Ecclesijs obveniunt Jure Institutionis, aut mortis causâ donatione.*
226. *An ex relictis Ecclesiæ, vel Monasterio exempto? Argumenta sententiæ affirmantis.*
227. *Concluditur pro negativa.*
228. *Respondetur ad Argumenta contraria.*
229. *Quid dicendum, si Testator Episcopo reliquit propriam suam portionem?*
230. *Præsertim, quando addidit conditionem, ut ea portione Episcopus esset contentus?*
231. *Cui Episcopo debeatur Portio Canonica, quando Testator Legatum fecit Ecclesiæ alterius Diœcesis?*

Portio Canonica sic dicitur, quia à SS. Canonibus introducta, & approbata est. Duplex dividitur, una *Episcopalis*, altera *Parochialis*. De hac ex instituto agetur *infrà Tit. 28. à n. 83.* de Episcopali hìc.

222 Quæritur 1. quid sit *Portio Canonica Episcopalis?* quibus debeatur? & quo ex capite?

Ad 1. respondeo, regulariter, & spectato Jure, est quarta pars obventionum, & bonorum mobilium, ac immobilium, quæ inferioribus Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus, cæterisque Sacris, & Religiosis locis, intra Diœcesim sitis, per ultimam Voluntatem à defunctis pro anima sua relicta sunt *can. Vulteranæ 25. & pluribus seqq. caus. 12. q. 2. c. conquerente 16. de Offic. Judic. Ordin.* Dixi *regulariter*, & *spectato Jure*; nam ex consuetudine pro diversitate locorum diversa est, prout innuit *c. requisivisti 15. h. tit.* & alicubi quidem minor est quartâ, alibi autem major, videlicet tertia, vel etiam dimidia. Gloss. *in c. 15. cit. V. quartam.*

223 *Ad 2.* debetur Episcopo: *Episcopi* autem nomine hìc veniunt etiam Prælati inferiores quicunque, qui in certum territorium, & populum, pleno jure sibi subjectum, Jurisdictionem quasi Episcopalem exercent.

Ad 3. tria sunt capita, ex quibus Portio ista debetur Episcopis, & ijs, qui Jurisdictionem quasi Episcopalem in populum habent, videlicet Superioritas, quam in Ecclesias sibi subjectas obtinent *can. decrevimus 10. caus. 10. q. 1.* onus pastorale, quod ijsdem incumbit *c. conquerente cit.* & communicatio, quæ intercedit inter ipsum, & Ecclesiam, cui aliquid est relictum *c. requisisti cit.*

Quæritur 2. quibus casibus Portio hæc 224
non præstetur? R. casus ejusmodi plures alijs *citt.* enumerat P. Wiest. *hic n. 258. & seqq.* & 1. quidem, si quid Ecclesijs, vel alijs ejusmodi locis obvenerit ex contractu, vel donatione inter vivos. 2. si relictum sit personæ, non Ecclesiæ, vel dignitati. 3. si pauperibus Studiosis alendis, puellis egenis dotandis, aut alijs miserabilibus personis; quia relictum censetur ipsis personis. Neque refert, etsi istæ in certa aliqua domo simul habitent, modò illa Episcopi authoritate erecta non sit. 4. si relictum sit Ecclesiæ, vel Monasterio, non pro anima, sed ob aliam causam, e. g. pro servitio ab Ecclesia sibi præstito. 5. si pro ædificatione, vel reparatione Ecclesiæ, pro suppelectili, & ornamentis Sacris, pro excitando Sacello, vel Altari, pro fundatione Beneficij, vel Missæ &c. 6. si locus Sacer, cui aliquid relictum est, gaudeat speciali privilegio Apostolico, quo eximatur à Portione reddenda Episcopo: sed hoc privilegium, ut ejusmodi immunitatem defacto præstet, obtineri debet in forma speciali. 7. si tales Ecclesiæ, & loca Sacra vi consuetudinis, vel potiùs præscriptionis ab obligatione portionem istam solvendi sint factæ immunes; nam adversùs illam præscriptio quadragenaria cum titulo conjuncta prævalet, ut patet ex *c. de quarta 4. de præscript.*

Quæritur 3. an Canonica Portio de- 225
beatur etiam ex ijs, quæ Ecclesijs, Monasterijs

rijs &c. obveniunt mortis causâ donatione, aut Jure Institutionis? *Rationem dubitandi* faciunt *c. ex parte, c. officij, c. requisîsti*, & *c. fin. citt.* ubi cùm de Portione Episcopali agitur, ponuntur verba *Relicti*, & *Legati*, quæ propriè conveniunt ijs, quæ Legati, non quæ Institutionis, aut donationis mortis causâ nomine ad successores transeunt.

Sed adhuc respondendum est affirmativè cum communi DD. ídque ex paritate rationis: ideo enim ex Legatis debetur Episcopo portio Canonica, quia pro animæ salute per ultimam Voluntatem relicta sunt; hoc autem contingit non minùs per mortis causâ donationem, & institutionem hæredis, quàm per Legatum relictum Ecclesiæ. ergo &c. Quare dicendum, Portionem CanonicamEpiscopo solvendam ex ijs omnibus, quæ ad hunc finem, sc. pro animæ salute, ultima Voluntate à defuncto relinquuntur, & obveniunt Episcopis Diœcesanis: Imò non de his tantùm, sed etiam de hæreditate, quæ Ecclesiæ ab intestato defertur, Episcopo portionem illam deberi, non obscurè traditur *c. de sancto 2. de succeſſ. ab intestat.*

Ad rationem dubitandi textus *citt.* de Legatis loquuntur, non quòd ex illis solis debeatur Canonica Portio, sed quòd ea frequentissimè obveniant Ecclesijs, hæreditates autem rarò. Deinde verbo *relicta* etiam includitur Hæredis Institutio, ut colligitur ex *c. Raynutius 16. ℣. mortuo*, & *l. quoniam 15. C. de testam.* & ideo necesse non erat specialem mentionem fieri de Institutione. Sed neque opus erat fieri mentionem de mortis causâ donatione; cùm enim ista ultimis Voluntatibus connumeretur, facilè quisque colligere poterat, eandem in hac, quæ in alijs Voluntatibus ultimis obligationem esse.

226 Quæritur 4. an Episcopo debeatur Portio Canonica etiam de relictis Ecclesiæ, vel Monasterio exempto? Affirmat Hostiens. *in Summ. de Sepultur. n. 12.* Laym. *l. 3. tr. 5. c. 12. n. 13.* & alij ab his *citt. Nituntur 1.* textibus *citt.* & *can. constitutum 60. cauſ. 16. q. 1.* ubi generaliter, & indistinctè portio ista conceditur Episcopo ex ijs, quæ Ecclesijs, & alijs locis pijs Diœcesanis sunt relicta. 2. *paritate* cum Portione Canonica Parochiali, quam etiam Exempti solvere de funeralibus, & cæteris hujusmodi obventionibus debent. *Clem. dudum 7. §. & deinde ℣. verum de sepultur.* 3. *praxi hodierna* nonnullarum Ecclesiarum Cathedralium Germaniæ nostræ, quæ nomine Portionis Canonicæ partem vigesimam, vel aliam similem exigunt de ijs omnibus, quæ locis Religiosis, etiam exemptis, ultima Voluntate relinquuntur à Clericis Beneficiatis, saltem Parochis.

227 Verùm his non obstantibus, meliùs negatur, quòd ex his Portio Canonica debeatur Episcopo. Ita Innoc. *in c. requisîsti cit. in princ.* Syl. *V. Canonica portio q. 3.* Barbos. *de Offic. Epiſc. alleg. 86. n. 10.* Pirh. *hic n. 100.* Wiest. *n. 267.* & ipso teste cæteri DD. plerique. *Ratio est 1.* quia in Ecclesijs exemptis cessat causa, ob quam cæteræ Ecclesiæ Portionem Canonicam Episcopo debent solvere, cùm illarum Diœcesanus non ipse, sed Papa sit. 2. Portio Canonica tantùm solvitur Episcopo ab Ecclesijs sitis intra Diœcesin ejusdem, atqui locus exemptus in Diœcesi æquiparatur loco extra Diœcesin sito; & propterea dicitur esse *in Diœcesi quidem*, sed non *de Diœcesi*. 3. Portio Canonica est unum ex Juribus Episcopalibus, pertinentibus vel ad Legem Episcopi Diœcesanam, vel Jurisdictionis. atqui à Lege Diœcesana eximuntur Monasteria omnia, à Lege Jurisdictionis autem saltem Exempti. ergo &c.

Argumenta contraria debilia omnino 228 sunt. *Ad 1.* rationes allatæ satìs probant, textuum *citt.* generalitatem restringi solùm ad loca non exempta. *Ad 2.* negatur paritas: nam ratio solvendi Portionem Canonicam Parochialem locum habet, etiamsi defunctus sepultus sit in loco exempto; solvitur enim ideo, quia defuncto ab Ecclesia Parochiali ex obligatione ministrata sunt Sacramenta, aliáque Divina. *Ad 3.* defalcatio illa vicesimæ, vel alterius similis partis potiùs habet rationem spolij, quàm Portionis Canonicæ, & exigitur non tantùm ex ijs, quæ Ecclesijs, & locis sacris, sed etiam, quæ personis privatis, & consanguineis relicta sunt ab ejusmodi Clericis, ex quibus tamen, ut ex *n. 224.* patet, Portio Canonica peti non potest.

Quæritur 5. an si quis in Testamento 229 Episcopo reliquit propriam suam partem, & præter hanc alia multa in eodem Testamento relicta sint Monasterijs, vel alijs pijs causis, Episcopus, non obstante, quòd propriam portionem ex Testamento sit consecutus, adhuc petere possit Portionem Canonicam ex alijs pijs legatis, relictis in illo Testamento? R. cum distinctione: Vel enim Testator Episcopo propriam aliquam Portionem legavit absolutè, vel conditionatè, ut illâ solâ esset contentus.

Si primum, Jus suum Episcopo inviolatum manet, ita, ut non obstante, quòd illam Portionem consecutus sit, insuper petere possit Portionem Canonicam ex alijs Legatis pijs, ut decisum est *c. officij 14. h. tit. Ratio est*, quia quando concurrunt duo debita, quæ ex diverso capite, & à diversis relicta sunt, nisi vel is, cui debentur, alterutri debito spontè renuntiârit, vel ex parte relinquentis detur animus compensandi, utrumque debitum peti potest *l. Titia 19. §. qui Marco 1. ff. de annuis Legat.* atqui in proposito casu duo concurrunt debita, quæ ex diverso debentur capite, & à diversis, nempe Legatum ex mente Testatoris ab hærede, & Portio Canonica ex dispositione Juris ab Ecclesia solvenda: neque dici potest, quòd Episcopus renuntiârit Portioni Canonicæ,

aut ex parte relinquentis datus fuerit animus compenſandi : *primum non ;* quia renuntiatio eſt ſtricti Juris, neque ſine neceſſitate eſt aſſerenda : *ſed neque ſecundum* ; quia cùm relinquens non ſit debitor Epiſcopi , deberet exprimere adjecta conditione , ſeu pacto , *ut Epiſcopus contentus ſit Portione legata.* cùm igitur hoc non fecerit , non cenſetur legando ipſi portionem ex hæreditate , eidem voluiſſe auferre Portionem Canonicam.

230 *Si ſecundum contingat* , & Teſtator propriam Portionem Epiſcopo leget ea conditione , ut illâ ſolâ eſſet contentus , multum intereſt , an Epiſcopus Legatum illud repudiaverit , an verò acceptârit. *Si repudiavit* , Portionem Canonicam Jure ſibi competentem exigere poteſt ex omnibus Legatis relictis Eccleſiæ , vel Monaſterio &c. *Procedit-que hoc* , etſi Teſtator prohibuiſſet eam ſolvi ; quia hæc Portio debetur Epiſcopo ex diſpoſitione Canonis , ſeu Juris communis , cui pactis privatorum derogari non poteſt. *Si acceptavit* Portionem ſibi legatam ſub ea conditione , ultra id , quod ipſi relictum eſt , petere ampliùs nihil poteſt , ut deciſum eſt *c. officij cit.* & ratio eſt , quia ita acceptando Legatum Portioni aliàs ſibi debitæ renuntiâſſe cenſetur. *Excipitur* , niſi conſtet , quòd Teſtator in fraudem modicum quid pro Mortuario , & funeralibus conſtituerit , ut in cæteris Epiſcopus Portione Canonica privaretur ; nam tali caſu ipſe nihilominus ex alijs pijs relictis Portionem à Canone conſtitutam poteſt exigere *c. officij cit.* & ratio *ibidem* datur ; quia dolus , & fraus alicui patrocinari non debent.

Quæritur 6. cui Epiſcopo debeatur Portio Canonica ex Legato , quòd à Teſta- 231
tore alterius Diœceſis e. g. Ratisbonenſis relictum eſt Eccleſiæ ſitæ in noſtra Eyſtettenſi ? R. deberi Epiſcopo Eyſtettenſi non Ratisbonenſi. Ita alijs *citt.* Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg. 86. n. 29.* *Ratio eſt* , quia portio Canonica præſtanda eſt Epiſcopo , non ratione perſonæ relinquentis , ſed ratione Juriſdictionis , Curæ Paſtoralis , & Superioritatis , quæ cùm reſpectu Eccleſiæ ſitæ in Diœceſi Eyſtettenſi competat ſoli Epiſcopo Eyſtettenſi , etiam portio Canonica huic erit ſolvenda.

TITULUS XXVII.

De Succeſſionibus ab inteſtato.

HActenus de Teſtamentaria Succeſſione. Sequitur de ea , quæ ab Inteſtato conceditur. Hæc quia ex diſpoſitione Legis , juſtam defuncti voluntatem ſupplentis , datur. *Legitima* appellatur *l. legitimam 8. ff. de hæred. petit.* & *l. ea verò 3. §. de illo 2. ff. pro Socio.*

§. I.

De Natura Succeſſionis ab Inteſtato , & requiſitis.

SUMMARIUM.

1. *Definitio Succeſſionis ab inteſtato , & diviſio.*
2. *Locus ei eſt , quando ſuccedi non poteſt ex Teſtamento.*
3. *Differentia ejus à Succeſſione Teſtamentaria.*
4. *Ordo Succeſſionis ab inteſtato.*
5. *Modus computandi Gradus in ordine ad Succeſſionem in linea recta.*
6. *In linea tranſverſa.*
7. *Forma hujus Succeſſionis.*
8 9. *Probanda , ut locus eidem ſit.*
10. *Materia , finis , effectus.*

1 QUæritur 1. quid ſit *Succeſſio ab Inteſtato* , & quotuplex ? R. *eſt hæreditatis legitimæ extra caſum ultimæ Voluntatis defuncti acquiſitio tot. tit. ff. ſiquis omiſſ. cauſ. teſtam. &c.* Duplex eſt ; nam alia eſt ſucceſſio in ſtirpes , alia in capita. *Succeſſio in ſtirpes* illa dicitur , quando non habetur ratio multitudinis , vel paucitatis perſonarum ſuccedentium , ſed ſtirpis , ex qua deſcendunt ſingulæ , ita , ut hæreditas dividatur , non in perſonas æqualiter , ſed in ſtirpes §. *cùm filius 6. & §. fin. Inſt. de hæredit. quæ ab inteſtat.* *Succeſſio in capita* , quando inter ejuſdem gradûs hæredes ſecundùm numerum perſonarum viritim hæreditas dividitur. *Novell. 118. c. 3. in fin.*

Quæritur 2. quando locus ſit Succeſſioni Legitimæ , ſeu ab inteſtato ? R. locus 2
eidem tum demum eſt , quando ſuccedi non poteſt ex Teſtamento *l. quamdiu 39. ff. de acquir. vel omitt. hæred.* & *Reg. 89. ff. de R. J.* quod multiplici modo fieri poteſt. 1. quando defunctus nullum condidit Teſtamentum , vel quia non voluit , vel quia non potuit , quòd ſc. impeditus fuerit aut facto , quia v. g. morte præventus eſt ; aut Jure , quia furioſus , impubes , filiuſf. aut alius Lege , vel Canone prohibitus *l. inteſtati 1. princ. v. planè ff. de Suis , & legitim. hæred.* 2. quando Teſtamentum quidem condidit , ſed invalidum , eò quòd ſolennitates , ad ejus valorem à Jure requi-

requiſitas omiſerit *l. fin. C. fam. herciſc.* 3. quando Teſtamentum à defuncto confectum validum quidem fuit, ſed ruptum, & invalidum factum, v.g. agnatione poſthumi præteriti, capitis diminutione, aut Querela inofficioſi propoſita. 4. denique quando ex Teſtamento, quod defunctus condidit, nemo hæres exiſtit, eò, quòd vel mortuus fuerit ante Teſtatorem, vel hæreditatem adire nolit. *princ. cit.* & *l. inteſtatus 64. ff. de V. S.*

3 Quæritur 3. in quo differat, & in quo conveniat Succeſſio Legitima, & Teſtamentaria? R. differt, quòd iſta fiat voluntate Teſtatoris, illa ex diſpoſitione Legis, defectum juſtæ voluntatis ſupplentis: in cæterisplerisque conveniunt; nam 1. in utraque ſucceditur in jus univerſum defuncti *l. hæreditas 62. ff. de R. J.* 2. utrâque Fideicommiſſum relinqui poteſt §. *præterea 10. Inſt. de Fideicomm. hæred.* 3. ex utraque Falcidia detrahitur *l. filiuſf. 18. ff. ad Leg. Falcid.* 4. in utraque aditione hæreditatis opus eſt *l. ſi. ex pluribus 9. ff. de Suis, & legit. hæred.* aliàs hæreditas non tranſmittitur ad transverſales hæredes *l. quoniam 7. C. de Jur. deliber.*

4 Quæritur 4. quo ordine ſuccedatur ab inteſtato? R. ordo iſte deſcribitur *Novell. 118.* & non obſcurè approbatur etiam à Jure Canonico *can. Sacerdotes 1. cauſ. 12. q. 4. 1.* & ante omnes ab inteſtato ſuccedunt defuncto ejusdem Liberi legitimi, aliíque ex his præmortuis deſcendentes. *Novell. cit. c. 1.* quia ad bona à defuncto relicta vocantur voto ipſorum parentum, quippe qui meritò credi poſſunt, quòd relicta à ſe bona potiùs velint pertinere ad eos, per quos illorum diuturnitatis memoria in ævum eſt duratura, *l. liberorum 220.* §. *fin. ff. de V. S.* 2. ſi Liberos legitimos, vel ex his deſcendentes defunctus nullos reliquerit, ſuccedunt eidem Aſcendentes. *Novell. cit. c. 2.* parentes enim cum Liberis eadem penè perſona reputantur §. *quodſi 4. ỳ. ei verò Inſt. de inut. ſtipul.* imò iſtis ſuccedendo, ad propria ſua bona reverti videntur *l. ſucceſſorium 1.* §. *largiùs 12. ff. de Succeſſ. edict.* 3. deficientibus tam Aſcendentibus, quàm Deſcendentibus, ab inteſtato ſuccedunt conſanguinei ejuſdem collaterales. *Novell. cit. c. 3.* 4. ſi neque ex iſtis aliquis extet, marito ſuccedit uxor, & viciſſim *l. un. C. unde vir, & uxor &c.* Clerico autem, ſi Beneficium aliquod habuit, Eccleſia, in qua habuit Beneficium *can. fin. cauſ. 12. q. 5. c. ſed hoc 1. h. tit.* & *l. ſiquis Presbyter 20. C. de Epiſc. & Cleric.* nam Eccleſia Clerico Beneficiato eſt loco uxoris *arg. c. inter 2. de translat. Epiſc.* 5. & ultimò ſuccedit Fiſcus, Sæcularis quidem, ſi defunctus ſit Laicus *l. ſcire 1.* & *l. vacantia 4. C. de bon. vacant.* Eccleſiaſticus autem de Jure communi, quando defunctus eſt Clericus, & non miniſtravit in aliqua Eccleſia. Gloſſ. *fin. in c. ſed hoc cit.* Vivian. *ibid. in ration.* Barboſ. *n. 2. in fin.* Pirh. *hic n. 27.*

Quæritur 5. quomodo computandi ſint gradus in ordine ad Succeſſiones in hæreditatibus? R. diſtinguendo inter conſanguineos lineæ rectæ, & tranſverſæ. *In linea recta* aſcendentium, & deſcendentium in ordine ad Succeſſiones eodem modo computantur gradus, quo modo computantur Jure Canonico in ordine ad Matrimonium. Et hinc etiam quoad Succeſſiones procedit Regula: *Tot ſunt gradus in linea recta, quot ſunt generationes, & perſonæ, unâ demptâ*, nempe communi ſtipite, à quo prima origo conſanguinitatis inducitur, & numeratio incipit: conſ. pater, & filius erunt in primo gradu, avus, & nepos in ſecundo, proavus, & pronepos in tertio, & ſic deinceps. 5

At in Linea tranſverſa, vel laterali aliter computantur gradus in ordine ad ſucceſſiones, quàm in ordine ad Matrimonium; nam in ordine ad ſucceſſiones tot cenſentur eſſe gradus conſanguinitatis, quot ſunt perſonæ collaterales: & hinc duo fratres erunt in ſecundo gradu, Patruus, ſive patris frater, & nepos ex fratre in tertio, Patrueles verò, Conſobrini, & Amitini, ſeu fratrum, & ſororum filij in quarto, & ſic de cæteris, prout latè deſcribitur *Inſt. de gradib. cognat.* & refertur *can. ad ſedem 2. cauſ. 35. q. 5.* Ex quo formant aliqui hanc Regulam pro cognoſcendo gradu conſanguinitatis in linea laterali quoad ſucceſſiones, videlicet: *Tot gradibus in linea tranſverſa unus diſtat ab altero, quot gradibus uterque diſtat à communi ſtipite.* Regulæ veritas patebit in allatis exemplis. 6

Quæritur 6. quæ ſit forma Succeſſionis ab inteſtato? R. Forma illius conſiſtit in eo, ut deferatur ab illo, qui inteſtatus obijt, ad eum, qui ratione conſanguinitatis proximus eidem eſt. *Inteſtatus* dicitur, qui vel nullum condidit Teſtamentum, vel ſi aliquod condidit, condidit Teſtamentum invalidum, vel ſi validum, tale tamen, quod ob reſciſſionem factam à Judice, vel alia ex cauſa effectum non habuit, prout dictum eſt *ſuprà n. 2.* Unde, ut locus ſit ſucceſſioni ab inteſtato, duo requiruntur. 1. ut is, de cujus ſucceſſione agitur, obierit. 2. ut inteſtatus obierit. 7

Primum ex iſtis probari debet ab eo, qui ſuccedere in bona defuncti cupit: quod fieri poteſt pluribus modis, videlicet per duos teſtes, & nonnunquam etiam per unicum, ſi locus ſit valde diſtans. Carpzov. *p. 1. conſt. 16. defin. 38.* 2. per atteſtationem Judicis, vel Magiſtratûs loci, ubi qui mortuus eſſe dicitur. Carpzov. *Juriſpr. Conſiſt. l. 2. defin. 168. n. 5.* 3. per atteſtatum Parochi ex libro mortuali. Rota *deciſ. 220. n. 1. p. 2. diverſ.* 4. aliquando per famam, & diuturnam abſentiam. Carpz. *p. 3. conſt. 15. def. 17.* 8

Quoad alterum diſtinguendi tres caſus ſunt: Vel enim dubitatur, an conditum ſit Teſtamentum; vel contrà conſtat conditum eſſe Teſtamentum, ſed dubitatur, an validè; 9

vel

vel denique dubium eſt tam de condito Teſtamento, quàm de jure ejus, qui hæres eſſe ab inteſtato cupit. *Si primum*, onus probandi incumbit illi, qui hæreditatem ex Teſtamento petit adverſus hæredem ab inteſtato; quia teſtatum decedere eſt quid facti, quod probare debet, qui in allegatione ejuſdem ſuam intentionem fundat. Hinc hæres ab inteſtato ſucceſſionem ſibi à Lege delatam retinere eò uſque poteſt; donec probetur in Teſtamento contrarium eſſe diſpoſitum. *Si ſecundum*, ſi ex oculari inſpectione Teſtamenti nullum deprehendatur in eo vitium, vitioſum id eſſe probare debet is, qui illud impugnat; quia in dubio præſumptio eſt pro valore actûs. *Si denique tertium*, niſi unus litigantium in poſſeſſione ſit, uterque probare debet, volens ſuccedere ex Teſtamento, conditum eſſe Teſtamentum, & volens ſuccedere ab inteſtato, ſe propinquitate ſanguinis ad hæreditatem vocari; uterque enim ſe in facto fundat. Clariſſ. P. Schmier *p. 2, de ſucceſſ. hæred. c. 1. à n. 24.*

Quæritur 7. quæ ſit materia, finis, & effectus Succeſſionis ab inteſtato? ℣. *ad 1.* 10
Materia, ſeu objectum ſucceſſionis ab inteſtato eſt hæreditas legitima, quæ nempe legitimi juris diſpoſitione obvenit extra caſum ultimæ Voluntatis defuncti. König *hic n. 22.*

Ad 2. Finis, ob quem introducta eſt Succeſſio ab inteſtato, eſt, ut hæreditas inteſtati ijs obveniat, quos propinquitas ſanguinis, & naturæ conjunctio vocavit. König *n. 26.*

Ad 3. Effectus ejus idem eſt, qui ſucceſſionis Teſtamentariæ, ut patet ex *n. 3.*

§. II.

Qua ratione ſuccedant Liberi, & horum Deſcendentes?

SUMMARIUM.

11. *Primum inter hæredes ab inteſtato locum obtinent Liberi.*
12. *Legitimè nati, aut legitimati per ſubſequens Matrimonium.*
13. *Vel oblationem Curiæ Principis.*
14. *Item Arrogati, & adoptati.*
15. 16. *Spurij excluduntur à ſucceſſione tam paterna, quàm materna.*
17. *Naturales, ſi legitimi nulli adſint, Patri ſuccedunt ad duas uncias.*
18. *Matri verò cum Legitimis æqualiter.*
19. *Idem dicendum de Vulgò natis.*
20. *Liberi primi gradûs ſuccedunt in capita, ulteriorum in ſtirpes.*
21. *Corollaria.*
22. *Ex diverſis nuptijs procreati, ſuccedunt tantùm parenti ſuo.*
23. *Niſi intervenerit pactum Parificationis prolium.*
24. *Jure repræſentationis gaudent etiam Pronepotes &c.*
25. *Niſi Pater repudiaverit hæreditatem.*

11 PRimum ante cæteros inter hæredes ab inteſtato locum obtinent Liberi, ut ex *Novell. 118. c. 1.* dictum eſt *ſuprà n. 4.* idque ſine diſcrimine ſexûs, ætatis, ſtatûs, & conditionis; nam pari jure, ſpectato Jure communi, gaudent tam nati, quàm naſcituri, tam mares, quàm fœminæ, tam emancipati, quàm Sui, tam Clerici, & Religioſi, quàm Laici. Hinc quamdiu Liberi ſuperſunt, tamdiu alij conſanguinei cujuſcunque gradûs excluduntur à Succeſſione. Veniunt autem hic *Liberorum* nomine non tantùm filij, & filiæ, ſed etiam alij deſcendentes, e. g. nepotes, pronepotes; nam etiam iſti, excluſis lateralibus, ſuccedunt avo, & aviæ, non quidem vivente patre ſuo, vel matre, ſed his præmortuis, non tamen in capita, ſed in ſtirpes, ut infrà dicetur *n. 20.*

12 Quæritur 1. quinam Liberi jus prælationis ante alios in ſucceſſione ab inteſtato habeant? ℣. Liberi legitimi, Tales ſunt 1. Liberi procreati ex matrimonio verè, aut putativè juſto.

2. Legitimati per ſubſequens Matrimonium; nam iſti per omnia æquiparantur Legitimè natis, ut proinde cum iſtis ſuccedant æqualiter in bonis parentum non tantùm Allodialibus, ſed probabiliùs etiam in Feudalibus *arg. c. tanta 6. qui fil. legit. §. ſui autem 2. & §. ſed ea omnia 14. Inſt. de hæred. quæ ab inteſt. l. cùm quis 10. & Auth. ſeqq. C. de natural. liber. Novell. 118. c. 1. cit.* Mynſing. *cent. 5. obſ. 42.* Gail. *l. 2. obſerv. 141. n. 2.*

3. Legitimati per oblationem Curiæ 13
Principis; nam & hi ſuccedunt æqualiter cum legitimis Liberis, ſed ſoli patri. *Novell. 89. c. 3.* Addidi, *per oblationem Curiæ Principis*; nam Legitimati per reſcriptum Principis, vel per Comitem Palatinum non ſuccedunt, niſi quando nulli extant Liberi juſti, & legitimi. *Novell. 89. c. 9.* quod procedit, ſpectato Jure communi; nam, ut ex Gaillio, & Struvio notat König *hic n. 7.* uſu fori, & praxi hodierna invaluit, ut legitimati cum filijs ex matrimonio pòſt contracto natis ſimul ſuccedant.

4. Filij adoptivi, ſeu legitimi tantùm 14
§. ſui autem 2. & §. ſed ea omnia 14. Inſt. de hæred. quæ ab inteſtat. & Novell. 118. c. 1. Proceditque hoc, ſive cùm ſui Juris eſſet, adoptatus, vel arrogatus quis ſit ab alio, ſive adoptatus ſit, dum adhuc erat in poteſtate patris ſui. *Neque refert*, an adoptatus ſit ab aliquo extraneo, vel ab aliquo Aſcendente e. g. avo paterno, vel materno; nam quomodocunque

que ſit adoptatus, vel arrogatus, ſuccedit patri adoptivo, vel arrogatori inſtar filij naturalis, & legitimi, ac proinde, ſi plures ille filios naturales, & legitimos habeat, cum iſtis in æquales portiones *l. cùm in adoptivis 10. §. ſed ne 1. C. de Adoption.* Plura de his Legiſtæ.

15 Quæritur 2. an, & quando ſuccedere ab inteſtato poſſint filij illegitimi? R. cum diſtinctione; nam duplicis generis ſunt filij illegitimi, videlicet Spurij, & Naturales tantùm. *Spurij* ſecundùm Leges dicuntur, qui nati ſunt ex meretrice publica, corpus ſuum paſſim proſtituente; ſecundùm Canones autem, qui geniti ſunt ex muliere, cum qua nec conceptionis, nec nativitatis prolis, nec etiam intermedio aliquo tempore matrimonium conſiſtere potuit. *Naturales* vocantur cæteri, qui extra matrimonium ex concubina, uxoris loco domi detenta, vel ex alia ſeducta, ſolutâ tamen, ſunt geniti.

16 Jam ij, qui Jure Canonico Spurij appellantur, excluduntur ab omni ſucceſſione tam materna, quàm paterna, licet nulli extent Liberi legitimi. *Auth. ex complexu C. de inceſt. & inutil. nupt.* & *Novell. 89. c. uit.* adeo, ut ipſis, ſi propriâ induſtriâ aut aliâ viâ honestâ vitam conſervare poſſint, etiam alimenta non debeantur, ut habetur textibus *citt.* & dicetur *Libr. 5. tit. 16.* idque meritò, ut vel hac ratione parentum libido refrænetur.

17 *Quoad Liberos Naturales* autem diſtinguendum eſt: vel enim præter ipſos nulli adſunt Legitimi liberi, vel tales adſunt. *Si primum*, ſuccedunt ab inteſtato, ſed in duabus uncijs tantùm, inter ipſos, & ipſorum matrem defuncti concubinam, ſi ſuperſtes ſit, dividendis; reliquæ autem decem unciæ obveniunt alijs defuncti agnatis, & cognatis. *Auth. licet C. de natural. liber.* & *Novell. 89. c. 12.*

18 *Si ſecundum*, excluduntur quidem ab hæreditate paterna, non tamen à materna; nam ad hanc inſtar Liberorum, à matre ſua ex legitimo thoro genitorum, & quidem cum ijs æqualiter admittuntur: imò eædem proles, matre defuncta, non minùs, ac aliæ proles legitimæ, ab inteſtato ſuccedunt aviæ maternæ, aliiſque per maternam lineam aſcendentibus *l. Modeſtinus 8. ff. unde cognati &c.*

19 Idem dicendum de ijs, qui Jure tantùm Civili Spurij, ſeu *Vulgò quæſiti* dicuntur, quòd ſc. ex vaga & promiſcua libidine concepti ſint; nam etiam iſti ad matris, & parentum maternorum ſucceſſionem unà cum legitimis admittuntur, ut alijs *citt.* advertit König *hic n. 7. Excipitur*, niſi mater illuſtris ſit, & alios Liberos ex juſto matrimonio procreatos habeat; nam hoc caſu Spurij ex bonis maternis alendi duntaxat ſunt *l. ſiquis 5. §. ergo 4. ff. de agnoſc. & alend. liber. l. ſiqua 5. C. ad S. C. Orfitianum.*

20 Quæritur 3. quomodo parentibus ſuccedant Liberi? R. diſtinguendo inter Liberos primi gradûs, quales ſunt filij, & filiæ, & inter Liberos ulteriorum graduum, quales ſunt nepotes, & pronepotes; nam etiam hi Liberorum nomine veniunt, ut dicitur *l. liberorum 220. ff. de V. S.* & notavi *ſuprà n. 11.*

Si omnes, qui ſuccedunt, ſunt liberi primi gradûs, ſuccedunt in capita, tot ſc. æqualibus factis portionibus, quot ſunt perſonæ *Auth. in ſucceſſione C. de Suis, & legit. liber.* Si verò ſint ulterioris gradûs, ſive ſoli inter ſe, ſive cum alijs proximioribus concurrant, tantùm ſuccedunt in ſtirpes, ita, ut nepotes defuncti non plus capiant ex hæreditate, quàm conſecutus fuiſſet pater illorum, ſi ſupervixiſſet, prout ſtatuitur *Auth. cit. & Novell. 118. c. 1.* & quidem meritò; cùm enim non ex ſua, ſed ex patris ſui perſona ad hæreditatem avi vocentur, abſurdum eſſet, eos plus capere, quàm parens illorum.

Ex quo ſequitur 1. ſi ad hæreditatem 21
patris capiendam concurrant ſoli filij, tot eſſe faciendas portiones, quot ſunt filij, qui debent ſuccedere. *Sequitur 2.* ſi duo filij concurrant cum tribus nepotibus ex alio fratre ſuo præmortuo, hæreditatem dividendam ſolùm in tres partes æquales, quarum duæ cedunt filijs, tertia nepotibus æqualiter inter hos dividenda. *Sequitur 3.* ſi ſoli nepotes ſuperſint ex filijs, ex Titio quidem quinque, ex Cajo decem, hæreditatem non pro numero nepotum, ſed pro numero filiorum, ex quibus illi ſuperſunt, dividendam eſſe: proinde tantum capient quinque nepotes ex Titio, quantum acquirunt decem ex Cajo. *Neque obſtat*, quòd tali caſu nepotes ſuo jure ſuccedant; quia ut cum alijs rectè advertit Pirh. *hic n. 8.* non aliter ſuo jure nepotes ſuccedunt, niſi poſtquam jure repræſentationis in locum primum, videlicet parentum ſuorum, Juris fictione intrârunt.

Quæritur 4. quomodo parentibus ſuc- 22
cedant Liberi ex diverſis nuptijs procreati? R. regulariter ſolùm ſuccedere parenti ſuo, ex quo procreati ſunt: adeoque ſi patrem communem habeant, non verò matrem, ſuccedent omnes in bona paterna; ſi matrem, in bona materna: bona verò parentis non communis ſervabuntur duntaxat illis, qui ex eodem progeniti ſunt *l. fœminæ 3. & duabus ſeqq. C. de ſecund. nupt. l. de emancipatis 13. §. cùm enim 2. C. de legitim. hæredib. Novell. 22. c. 25. 26. & 29.* & *Novell. 84. c. 1.*

Excipitur, niſi intervenerit pactum 23
Unionis, ſive Parificationis prolium, quo bona utriuſque matrimonij communicantur, & liberi ex diverſis matrimonijs quoad jus ſucceſſionis, tanquam ex uno matrimonio nati, habentur; nam ejuſmodi pactum eſt validum, in Germania paſſim receptum, & ab Imperiali Camera approbatum, ut rectè advertit Gaill. *l. 2 obſ. 125. n. 1. & 7.* & ex eo König *n. 9.* modò fiat cum plena, & exacta cognitione cauſæ, in præſentia amicorum, tutorum, aut Curatorum, iiſque conſentientibus, & accedat authoritas Præfecti loci, à quo contractus talis confirmari, & actis publicis

licis insinuari debet ; nam quolibet istorum deficiente, non subsistit, teste eodem Gaill. *l. cit. n. 7.*

24 Quæritur 5. an jure repræsentationis gaudeant etiam Pronepotes & Abnepotes &c. R. affirmativè. Ita communis contra Bartol. & alios, qui hoc jus adimunt Abnepotibus. Sumitur ex *Novell. 118. cit.* quæ repræsentationem absolutè concedit in Descendentibus, nec eam restringit ad certum gradum. Hinc si Fideicommissum devolvatur ad Nepotem, tanquam proximiorem, & hic moriatur superstitibus Pronepotibus, & Abnepotibus defuncti Testatoris Fideicommissum instituentis, tunc Abnepotes unà cum pronepotibus acquirunt Fideicommissum, in locum suorum parentum, quos repræsentant. Vide Haun. *tom. 1. tr. 5. à n. 406.*

25 Quæritur 6. an siquis repudiavit hæreditatem, ejus filius jure repræsentationis adhuc possit succedere ? Affirmativa videtur colligi ex *l. defunctis 6. C. de Legit. hæredib.* ubi dicitur suis extantibus hæredibus, & abstinentibus, vel repudiantibus hæreditatem, jure consanguinitatis succedere posse fratrem defuncti. Sed etsi hoc casu jure consanguinitatis succedant agnati, & cognati proximi, & cons. etiam nepotes defuncti ex filio repudiante hæreditatem, non tamen sequitur, quòd succedant jure repræsentationis. Sumitur ex *l. intestati 1. §. sciendum 8. ff. de suis, & legit. hæred.* Ratio est, quia si principalis nolit adire hæreditatem, non apparet, quomodo alius ipsius nomine, eúmque repræsentando illam adire possit. Succedet ergo hoc casu repudiantis filius tunc solùm, cùm repudiantis fratres fuerint mortui, & tunc quidem non jure repræsentationis, sed proprio majoris propinquitatis.

§. III.

Qua ratione ab intestato succedant Ascendentes ?

SUMMARIUM.

26. *Post Liberos succedunt Ascendentes.*
27. *Primi gradûs æqualiter.*
28. *Ulteriorum in stirpes.*
29. *Concurrunt cum ijs fratres utriusque conjuncti.*
30. *Non tamen Ascendentes gradu remotiores.*
31. 32. *An cum Ascendentibus ad hæreditatem ab intestato admittantur etiam liberi fratris præmortui ?*
33. *An Nepotes ?*
34. *An filijs illegitimis illorum parentes succedunt ?*
35. *Quid circa hæc fiat in praxi ?*

26 SI defunctus post se nullos reliquit liberos, seu filios, nepotes &c. ab intestato succedunt Ascendentes utriusque sexûs, nim. pater, & mater, avus, & avia, proavus, & proavia &c. servatâ tamen graduum prærogativâ, ita, ut proximiores gradu excludant eos, qui remotiores ab ipsis sunt. *Novell. 118. c. 2. Procedit que hoc 1.* etsi defunctus jam fuerit emancipatus. *Novell. cit. & l. lege 14. C de Legitim. hæred. Procedit 2.* etsi fuerit illegitimus naturalis, dummodo saltem rescripto Principis fuerit legitimatus. *Novell. 89. c. 13. Procedit 3.* licèt ferit posthumus, ut cum Card. de Lugo advertit Haun. *tom. 1. de J. & J. tr. 5. n. 460.* Atque hinc, si patre jam mortuo nascatur filius, & hic quoque moriatur, mater ei superstes succedet in omnibus bonis patris : econtra si moriatur mater in puerperio, filius vivus natus ei succedit, & si ipse quoque moriatur, transfert ad patrem superstitem omnia bona materna. His positis

27 Quæritur 1. qua ratione succedant Ascendentes, quando ordo illorum est simplex, seu talis, ut præter ipsos nullus alius jus succedendi habeat ? R. hoc casu multum referre, an Ascendentes, qui succedere debent, sint ejusdem gradûs, ut pater & mater, avus, & avia, an gradu dispares, ut Pater, & Avus : item quoti sint gradûs.

Nam 1. succedunt Ascendentes primi gradûs, pater, & mater, si sint superstites, & quidem æqualiter in bona acquisita filij, undecunque illa provenerint, sive à patre, sive à matre, sive aliunde, prout contra Bartolum cum alijs notat Mynsing. *cent. 6. obs. 55. n. 3. & seqq.* & confirmat ex *Novell. 118. c. 2.* ubi Imperator generaliter, & indistinctè vult hæreditatem filij sine liberis mortui inter parentes ex æquo dividendam.

28 2. Si tam pater, quàm mater defuncti præmortui fuerint, succedunt utrinque avi, & aviæ, qui in æquali gradu defuncto conjuncti sunt, non tamen in capita, sed in stirpes, ita, ut unam medietatem hæreditatis accipiant Ascendentes à patre, alteram Ascendentes à matre, sive plures fuerint, sive unius. *Novell. cit. c. 2.*

3. Si adsint Ascendentes gradu dispares, e. g. pater defuncti cum avo, vel avia ejusdem materna, aut vicissim mater cum avo, & avia paterna, succedit propinquior, & excludit remotiorem. *Auth. defuncto*, & *Novell. cit. c. 2.* quia, ut ibi advertit Glossa *V. proximi*, in Ascendentibus repræsentationis locus non est, sicut in Descendentibus : unde

de licèt isti mixtim succedant, & remotiores cum propinquioribus, non tamen illi.

29 Quæritur 2. utrum in totam hæreditatem succedant Ascendentes, si præter ipsos supersint fratres, & sorores defuncti, & consf. sit ordo mixtus? ℟. cum distinctione: Vel enim fratres isti, aut sorores solùm sunt ex una parte conjuncti defuncto, vel tam ex patre, quàm ex matre, consf. Germani.

Si primum, hi à superstitibus parentibus defuncti excluduntur. *Si secundum*, cum ijsdem succedunt, & quidem in capita, seu æqualiter, ita ut si defunctus præter suum patrem, & matrem habeat fratrem unum germanum, & sororem, ejus bona dividenda sint in quatuor partes æquales pro numero personarum succedentium. Patet ex *Novell. 118. c. 2. ℣. si verò*, ubi Imperator concursum hunc cum defuncti Ascendentibus indulget expresè fratribus, & sororibus defuncti germanis: consf. indultum istud ad fratres, & sorores ex una tantùm parte conjunctos extendi non debet.

30 Parum autem refert, quales sint Ascendentes defuncti, an pater, vel mater, avus, vel avia &c. semper enim fratres, & sorores germanæ defuncti concurrunt cum proximioribus, exclusis remotioribus, ut docet Gloss. *in Auth. defuncto cit. V. proximis.* Et hinc quando *in Auth. & Novell. 118. c. 2. ℣. si verò* dicitur, quòd fratres utrinque conjuncti vocentur cum ascendentibus gradu proximis, intelligendum est de gradu proximis, non absolutè, sed qui superstites sunt.

31 Quæritur 3. an cum ascendentibus ad hæreditatem ab intestato admittantur etiam Liberi fratris, aut fororis præmortuæ? ℟. iterum distinguendo: Vel enim præter illos cum Ascendentibus concurrit adhuc alius frater, aut soror defuncto utrimque conjuncta, vel præmortuis fratribus & sororibus, adsunt tantùm illorum filij, aut filiæ.

Si primum, etiam ipsi ad hæreditatem patrui admittuntur, & jure repræsentationis succedunt ad stirpes, h. e. ut eam hæreditatis partem accipiant, quam habuisset pater illorum, si is supervixisset, prout expresè statutum est *Novell. 127. c. 1.* quâ derogatum est *Novell. 118. c. 3.* ubi à successione removebantur.

32 *Si secundum*, major est controversia. Affirmant Haun. *tom. 1. de J. & J. tr. 5. n. 478.* König *hic n. 13.* & plures alij ab his *citt.* & colligunt hoc ex *Novell. 127. cit.* quæ fratrum filjos indifferenter cum Ascendentibus admittit ad successionem Patrui. Verùm ex hac *Novella* non multùm probatur; expresè enim solùm agit de casu, quo fratris, vel sororis defunctæ liberi concurrunt cum fratre, aut sorore defuncti: & hinc quia correctoria est *Novell. 118.* ab eo casu extendi non debet ad casum, quo omnibus fratribus, & sororibus præmortuis, soli istorum liberi cum Ascendentibus de hæreditate certant. Quare probabiliùs Perez *in C. ad S. C. Tertull. n. 8.* cum alijs putat, eo casu, exclusis liberis fratrum, & sororum, ad patrui defuncti hæreditatem admitti solum avum, & aviam, vel alios ascendentes.

Quæritur 4. an privilegium, quod per 33
Novell. 127. cit. concessum est filijs fratrum utrinque conjunctorum, extendatur etiam ad nepotes fratris utrinque conjuncti præmortui? ℟. negativè: sed hujusmodi nepotes, & pronepotes per parentes, & fratres ipsius defuncti excluduntur, ut colligitur ex Rubrica *Novell. cit.* quâ statuitur, *Ut fratrum filij succedant pariter ad imitationem fratrum, etiam Ascendentibus extantibus*, neque fit mentio nepotum, aut pronepotum. Accedit, quia in his ratio cessat, quæ pugnat in filijs fratris præmortui; nam isti ad hæreditatem admittuntur jure repræsentationis, quia repræsentant patrem, & consf. fratrem demortui, atqui jus repræsentationis ultra fratrum filios in linea collaterali locum non habet. *Auth. post fratres, fratrúmque filios C. de legit. hæred.* ergo &c.

Quæritur 5. an liberis suis præmor- 34
tuis ab intestato etiam succedant parentes eorum illegitimi? ℟. succedunt eo modo, & casu liberis, quo isti ijsdem succedunt, si præmoriantur intestati. Hinc in spurijs, seu ex damnato coitu procreatis nulla parentum successio est; quia neque Spurij parentibus ab intestato succedunt, ut dictum est *n. 16.* Naturalium hæreditas primò devolvitur ad eorum liberos: si verò sine liberis decessêre, & mater sola superstes sit, ipsa filij sui naturalis hæres erit ex asse: si unà superstes sit pater, iste succedet in duas uncias, reliquæ autem decem unciæ devolventur ad matrem §. *fin. Inst. ad S. C. Orfitian.* junct. *Auth. licèt C. de natural. liber.* Si cum matre superstes sit frater naturalis ex eadem matre, eodémque patre procreatus, iste cum matre fratri suo defuncto succedet æqualiter, ut *arg. Auth. defuncto C. ad S. C. Tertull.* vult Salycet. *ibid. n. 5.* Haun. *tom. 1. tr. 5. n. 483.* Wiest. *hic n. 12.* quia talis frater, licèt non sit legitimus, quoad hunc tamen successionis effectum germanus censetur.

Hæc omnia ita se habent de Jure com- 35
muni. Præter hoc spectanda sunt etiam Statuta particularia, & consuetudo cujuslibet loci; nam ut Perez *l. cit. n. 9.* advertit, in multis locis receptum est, ut soli parentes liberis succedant, exclusis fratribus, & sororibus, multóque magis reliquis conjunctis ex transverso. Pariter in plerisque locis receptum est, ut bona paterna transeant ad lineam paternam, materna ad maternam. E contrario in quibusdam locis (ut in Austria) Ascendentes nullo modo succedunt Descendentibus, prout alijs *citt.* notat König. *hic n. 13.* qui tamen monet, hujusmodi Statutum, vel consuetudinem limitandam esse, ne aliquando per eam excludantur à successione

Parentes pauperes, & in hac posthabeantur consanguineis collateralibus; nam illis potiùs, quàm istis succurrendum suadet pietas Parentibus debita.

§. IV.

Qua ratione ab intestato succedant Consanguinei Collaterales?

SUMMARIUM.

36. *Ordo Successionis in Collateralibus.*
37. *Inter hos primum locum obtinent Fratres, qui succedunt in capita.*
38. *Horum liberi in stirpes, quando est ordo mixtus.*
39. *Quando simplex, in capita.*
40 41. *Quomodo succedant fratres consanguinei, & uterini?*
42. 43. 44. *Quomodo istorum liberi?*
45. *An etiam succedant Legitimi tantùm?*
46. *Illegitimi?*
47. *Legitimati?*
48. 49. 50. 51. *Quomodo succedant Collaterales cæteri?*

36 SI hęredes Ascendentes, & Descendentes demortuus nullos reliquerit. 1. Et ante cæteros ad hæreditatem admittuntur Fratres, & Sorores defuncti germani, horúmque liberi, exclusis fratribus, & sororibus consanguineis, & uterinis. *Auth. cessante C. de legit. hæred. Auth. itaque C. communia de succeſſ. & Novell. 118. c. 3. Ratio est*, quia cùm fratres germani duplici vinculo, agnationis per patrem, & cognationis per matrem defuncto conjuncti sint, meritò alijs fratribus in successione præferuntur; duo enim vincula fortiùs ligant, quàm unum. 2. Fratribus, aut sororibus germanis, seu ex utraque parte conjunctis non extantibus, ad hæreditatem vocandi sunt fratres consanguinei, & uterini, horúmque liberi, exclusis omnibus alijs collateralibus. *Auth. post fratres C. de legit. hæred. Novell. 118. c. 3. ℣. his autem non existentibus.* 3. Si neque istorum aliqui, vel liberi illorum adsint, succedunt reliqui consanguinei gradu propinquiores, exclusis remotioribus, usque ad decimum gradum, vel etiam ultra. *Auth. post fratres cit. & Novell. 118. c. 3. in fin. & c. 4.* His positis.

37 Quæritur 1. quomodo defuncto succedant fratres, vel sorores ejusdem germani, & horum liberi? ℟. distinguendo inter tres casus. Nam 1. si soli fratres hæredes sint, succedunt in capita, & æqualiter, ita, ut in tot partes dividenda hæreditas sit, quot intestatus reliquit fratres. *Auth. itaque C. communia de succeſſion. & Novell. 118. c. 3.*

38 2. Si præter fratres germanos adsint iberi ab aliquo defuncti fratre, vel sorore germana præmortua relicti, illi succedunt in capita, isti in stirpes, ita, ut ijs tantùm obveniat pars illa, quæ patri ipsorum, si superviveret, obtigisset. *Auth. cessante C. de legit. hæred. Auth. itaque cit. Novell. 118. c. 3. Neque obest*, quòd gradu remotiores sint fratribus defuncti; quia repræsentant patris sui præmortui personam, & ideo fictione Juris in eodem gradu censentur cum fratribus, & sororibus superstitibus defuncti. Hoc tamen jus repræsentationis, & fictio ultra fratrum, & sororum filios, & filias, ut *n. 33.* monui, non extenditur: conf. si ex aliquo fratre præmortuo supersint nepotes, & pronepotes, à cæteris fratribus, & fratrum liberis excluduntur, prout rectè notat Pirh. *hìc n. 18.*

39 3. Si denique soli extant filij fratrum utrimque conjunctorum, ipsis præmortuis, succedunt illi, exclusis agnatis, & cognatis, quamvis in eodem gradu secum extantibus, prout habetur *Auth. post fratres cit. & Novell. 118. c. 3.* Nec immeritò; quia frater defuncti, si superstes esset, eos excluderet. ergo etiam ejusdem filius, utpote qui fictione Juris subintrat in locum patris. De modo, quo in bonis Patrui succedunt hujusmodi filij fratrum præmortuorum, controversia est inter DD. Accursius, Bartolus, & alij eorum sectatores contendunt illos succedere in stirpes. Communior docet eos succedere in capita, & sic constitutum est à Carolo V. *in Comitijs Spirensibus Anno 1529. tit.* Kayserliche *Constitution*, und Satzung/ wie Brüder- oder Schwester-Kinder ꝛc. quod confirmat etiam ratio; quia quando filij diversorum fratrum soli succedunt, tunc non repræsentant personam patrum suorum, sed proprio conjunctionis jure, sive ex propria persona ad hæreditatem Patrui vocantur, ergo cùm illi sint æqualiter conjuncti, etiam æquales accipere debent hæreditatis partes.

40 Quæritur 2. quomodo defuncto succedant fratres, & sorores ejusdem consanguinei, & uterini? ℟. distinguendo: Vel enim omnes sunt fratres consanguinei, vel omnes uterini, vel partim sunt consanguinei, partim uterini. *Si omnes sunt consanguinei*, omnes succedunt æqualiter in bona defuncti, undecunque illa provenerint. Idem dicendum, *quando omnes sunt uterini.*

Si partim sint consanguinei, partim uterini, non conveniunt DD. Communis sententia distinguit inter bona paterna, materna, & aliunde acquisita defuncto. *In bona paterna* juxta illam succedunt soli fratres consanguinei, *in materna* soli uterini, *in aliunde acquisita*, utrique æqualiter. Sumunt hoc ex *l. de emancipatis 13. C. de legit. hæredib.* ibi: Ex-

Exceptis maternis rebus, in quibus, si de eadem matre fratres, vel sorores sint, eos solos vocari oportet.

41 Verùm non minùs probabilis est sententia, quæ sine distinctione fratres tam consanguineos, quàm uterinos ad fratris sui defuncti hæreditatem vocat. Ita Fachin. *l. 6. contr. c. 5.* Haun. *tom. 1. tr. 5. à n. 514.* P. König *hic n. 17.* P. Schmier *p. 2. de succeſſ. hæred. c. 2. n 92.* aliique non pauci, & non ignobiles DD. quod probant 1. ex *Novell. 118. c. 3. ℣. his autem non existentibus*, ubi fratres ex uno tantùm parente conjuncti, sive per patrem, sive per matrem conjuncti sint, æqualiter vocantur ad hæreditatem defuncti, neque fit discrimen bonorum, unde illa provenerint. 2. Quia postquam bona pervenerunt ad filios, desinunt esse paterna, vel materna, & efficiuntur bona fratris; ad bona autem fratris admittuntur fratres consanguinei, & uterini æqualiter. 3. Ex Adversariorum sententia sequeretur, quòd consanguinei etiam cum germanis deberent admitti in bonis paternis, & uterini in bonis maternis, quos tamen constat à germanis penitus excludi.

Ad textum in contrarium allegatum expedita responsio est; dici enim potest cum P. König *l. cit.* Legem illam per *Novell. cit.* correctam fuisse.

42 Quæritur 3. quomodo defuncto succedant Liberi relicti à fratribus, & sororibus consanguineis, & uterinis? R. cum distinctione: Vel enim ipsi soli hæreditatem prensant, vel præter ipsos supersunt adhuc aliqui fratres, vel sorores defuncti. *Si primum*, ipsi Patruo defuncto succedunt in capita, ut rectè Pirh. *hic n. 22. in fin.* König *n. 17. Ratio est*, quia tunc succedunt, non jure repræsentationis, sed proprio agnationis, vel cognationis.

43 *Si secundum*, videndum est, an fratres illi, vel sorores superstites defuncto sint conjuncti utrinque, an ex una duntaxat parte. *Si utrinque conjuncti sint*, liberi fratrum non germanorum superstites ad hæreditatem Patrui sui jus nullum habent; quia neque illorum parentes jus aliquod habent, ut dictum est *suprà n. 36. Si conjuncti sint ex una duntaxat parte*, liberi fratrum non germanorum superstites succedunt in stirpes juxta *Auth. post fratres cit.* Molin. *D. 164. concl. 5.* Pirh. *hic n. 22.* König *n. 16.*

44 Non improbabiliter tamen Zœs. *ff. de suis, & legit. hæred. n. 38.* hoc casu liberos fratrum non germanorum superstites, tanquam remotiores, omnino excludit, & totam hæreditatem tribuit fratribus non germanis defuncti. Hinc disparitatem assignat inter fratrum germanorum liberos, & inter liberos fratrum non germanorum; quia priores ideo cum superstitibus fratribus defuncti germanis succedunt, quòd jus repræsentationis eos in pari cum illis gradu fictione Juris constituat: hoc autem jus repræsentationis locum non habet in ijs, qui ex una solùm parte conjuncti sunt, ut ipse quidem existimat colligi posse ex *Novell. 127. c. 2.* quæ solùm de fratribus utrinque conjunctis loquitur.

Quæritur 4. an, & quod jus succe- 45
dendi competat Fratribus Legitimis tantùm, item illegitimis, & legitimatis?

Ad 1. Fratres legitimi tantùm, si transeant in potestatem patris adoptantis, vel arrogantis, & ipsi sibi invicem succedunt, nisi ante mortem fratris adoptivi præcesserit emancipatio *l. post consanguineos 2. §. parvi autem 3. ff. de Suis, & legit. hæred.* & *l. cùm in adoptivis 10. §. sed ne 1.* & *§. fin. C. de adoption.*

Ad 2. distinguendum est, an solùm ha- 46
beant communem patrem, an verò matrem communem. *Si primum*, nec sibi invicem, nec alijs succedunt. Stryck. *de succeſſ. ab inteſt. diſſert. 2. c. 1. §. 35.* Clariss. P. Schmier *p. 2. de Succeſſ. hæred. c. 2. n. 95. Ratio est*, quia nec agnati sunt, nec cognati: non agnati; quia agnatio ex solis justis nuptijs oritur §. *si adversùs ea 12. Inst. de Nupt.* §. *vulgò quæsitos 4. Inst. de succeſſ. cognat. l. si spurius 4. ff. unde cognati.* non cognati; quia cognatio per matrem contrahitur, quæ hic diversa ponitur §. *vulgò quæsitos cit. Si secundum*, modò germani fratres legitimi non adsint, tum sibi invicem, tum cognatis per matrem succedunt. Stryckius *l. citt. §. 36.* P. Schmier *n. 97. Ratio est*, quia jus cognationis per matrem, quæ certa est, assequuntur. Estque in his perinde, sive ex eodem patre, sive ex diverso sint geniti; nam ex eodem patre geniti, cùm ob defectum patris Legalis appellari germani nequeant *l. si spurius cit.* præ natis ex diverso patre quoad successionem in bona à fratre illegitimo relicta prærogativam non habent.

Ad 3. iterum distinguendum est, an 47
legitimati sint per subsequens matrimonium, an per Rescriptum Principis. *Si prius*, succedunt fratribus suis etiam legitimè natis; quia per omnia pro legitimis reputantur, ut declarabitur ex instituto *libr. 4. tit. qui fil. legit. Si posterius*, sibi invicem quidem succedunt, non tamen fratribus legitimè natis, nisi legitimati fuerint, antequam illi in rerum natura extiterint, vel alij fratres legitimi non extent. Stryck. *l. cit. §. 40. & seqq.* P. Schmier *n. 98.*

Quæritur 5. quomodo defuncto suc- 48
cedant cæteri Consanguinei laterales? R. circa horum successionem sequentia notanda sunt.

1. Succedunt semper propinquiores, exclusis remotioribus: & quidem non in stirpes, sed in capita, si plures existant ejusdem gradus, ita, ut æqualiter inter ipsos secundùm numerum personarum dividatur hæreditas; quia in talibus sola cognatio, & propinquitas spectatur. *Auth. post fratres cit. & Novell. 118. c. 3. & 4.*

2. Succedunt, solo graduum facto 49
discrimine, non verò sexûs, aut cognationis, vel agnationis: neque refert, utrum ex una

ſolùm parte, vel ex utraque conjuncti ſint; nam ſi e.g. Titius ab inteſtato mortuus, alijs hæredibus propinquioribus non extantibus, duos reliquit Patruos, unum patri ejus conjunctum ex utraque, alterum ex una duntaxat parte, non minùs ſuccedet iſte, quàm ille, & quidem in omnibus bonis, ſive materna illa ſint, ſive paterna.

50 3. In horum ſucceſſione locum non habet jus repræſentationis; quia hoc jus *cit. Novell. c. 3.* §. *hujusmodi* conceditur ſolis fratrum filijs, non verò eorum nepotibus, vel alijs collateralibus, ut jam ſuprà eſt dictum. Hinc ſi defunctus habuerit duos Patruos, & unus horum mortuus reliquerit filios, hi cum altero Patruo mortuo non ſuccedunt.

4. Succedere poſſunt ab inteſtato uſque ad gradum 10. ſecundùm computationem Civilem, ut tradit Gloſſ. *in Auth. in ſucceſſione C. de ſuis, & legit. hæred.* vel ut complures DD. volunt, etiam ultra decimum gradum in infinitum, quam ſuam doctrinam colligunt ex *l. vacantia 4. C. de bon. vacant. & Novell. 118. c. 3. §. fin. & c. 4.* ubi omnes agnati, & cognati ad hæreditatem vocantur ſecundùm gradûs prærogativam, nulla facta reſtrictione ad certum gradum. 51

§. V.

Quomodo ab inteſtato ſuccedat Uxor, Eccleſia, Fiſcus, & alij &c.

SUMMARIUM.

52. 53. 54. 55. *Quando ſibi invicem ſuccedant conjuges?*
56. *Quando Clerico Eccleſia?*
57. *Quomodo diſtribui debeant ejus bona, quæ Eccleſiæ cedunt?*
58. *Exceptiones.*
59. *Conſuetudine induci poteſt, ut Beneficialia cedant Conſanguineis.*
60. 61. *Quando Laico, vel Clerico ſuccedat Fiſcus?*
62. *Quis Peregrino ſuccedat, quando is mortuus eſt inteſtatus?*

52 QUæritur 1. quando in bona mariti ſui ſuccedat Uxor, & viciſſim uxori maritus? ℟. conjuges, ſecluſo pacto dotali, conſuetudine, & ſtatuto, de Jure communi ſibi invicem non ſuccedunt ab inteſtato, niſi cùm defuerit omnis alia parentum, liberorum, & propinquorum, ſeu collateralium conſanguineorum naturalis, vel legitima ſucceſſio; tunc enim præfertur conjux Fiſco, & omnia Conjugis bona, de quibus diſponere poterat, & non diſpoſuit, eidem cedunt *l. un. ff. unde vir, & uxor &c.* & *l. un. C. eod.*

53 Ad quod tamen duo requiruntur. 1. Ut inter illos fuerit verum, & legitimum matrimonium, etſi non conſummatum; quia *nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit*, ut Ulpianus *l. nuptias 30. ff. de R. I.* notat. 2. Ut tempore mortis cohabitaverit marito ſuo; nam ſi divortium inter conjuges interceſſerit, ſucceſſio iſta locum non habet: cujus ratio eſt, quia cauſa hujus ſucceſſionis eſt individua conjunctio, & ſocietas maris, & fœminæ, quâ ceſſante, neceſſarium eſt, ut etiam vocatio ad ſucceſſionem ceſſet *arg. c. ceſſante 60. de appellat.* *Excipiunt* aliqui cum Zœſ. *ff. unde vir, & uxor &c. n. 3.* ſi conjux ſuperſtes non dedit cauſam ſeparationis, ac divortij; tunc enim putant jus ſucceſſionis eidem non denegandum.

54 Dixi, *niſi cùm defecerit omnis alia liberorum &c. ſucceſſio*: quod intelligendum eſt, ſi uxor habeat aliunde, quo vitam ſuſtentet; nam ſi pauper illa ſit, & nec dotem, nec aliunde habeat, ex quo vivat, etiam liberis exiſtentibus, cum iiſdem, ſi non ſint plures, quàm tres, ſuccedit in quartam partem bonorum mariti; ſi verò ſint plures, in partem virilem, in einen Kindts-Theil.

Ubi tamen iterum tria ſunt advertenda. 1. Quòd portio hæc matris, ſeu quarta 55
non poſſit excedere 100. libras auri (libra auri conficit 72. ſolidos juxta *l. quotiescunque 5. C. de ſuſceptor.*) plus enim, quàm 100. libras accipere non poteſt. 2. Quòd iſtius quartæ portionis ſolus uſusfructus ad uxorem ſpectet, proprietate ſervata liberis, ſiqui extiterint; his autem deficientibus, etiam domino iſtius portionis potietur, ut rectè König *hic n. 19.* 3. Quòd in hanc portionem, ſeu quartam computari debeat etiam id, quod uxori à marito relictum, vel donatum eſt: quæ omnia habentur *Auth. præterea C. unde vir. & uxor &c. Novell. 53. c. 6. & Novell. 117. c. 5.*

Quæritur 2. quando, & in quibus bo- 56
nis Clerico ſuccedat Eccleſia, cui ſervivit? ℟. diſtinguendo inter bona, quæ Clericus obtinere poteſt; nam ut vidimus *ſuprà Tit. 25. n. 1.* hæc triplicis generis ſunt, videlicet Patrimonialia, Quaſi patrimonialia, & Eccleſiaſtica. *In Bonis Patrimonialibus*, & *Quaſi patrimonialibus* non ſuccedit Eccleſia, niſi quando Clericus nullos alios hæredes reliquit, qui ad ipſius hæreditatem vocentur *c. ſed hoc 1. h. tit.* *In Bonis Eccleſiaſticis* facienda eſt diſtinctio; poſſidere enim Clericus poteſt Bona Eccleſiaſtica immobilia, & mobilia. *In Bonis Eccleſiaſticis primi generis* certi, & expediti Juris eſt, quòd nec Teſtamentariæ, nec Legitimæ Succeſſioni ſit locus, cùm ea ſint ipſius Eccleſiæ, non Clerici, ac proinde extra ipſius defuncti bona, & hæreditatem. *In Bonis ſecundi generis*, ſeu ex reditibus Beneficij acqui-

acquisitis, & congruæ sustentationi superfluis, de Jure communi ita succedit Ecclesia, ut excludat etiam hæredes legitimos defuncti, ut habetur *c. investigandum 1. & c. fin. de Pecul. cleric. c. cùm in officijs 7. & c. relatum 11. de Testam.*

57 *Dubitatur*, quomodo distribui debeant hujusmodi bona, quæ Ecclesiæ ex reditibus Ecclesiasticis à defuncto relictis cedunt? R. hic videndum est, qualis persona defunctus fuerit; nam si defunctus Canonicus fuit in Collegiata, vel Cathedrali Ecclesia, distribuuntur inter singulos Canonicos, vel alios simplices Præbendarios, aut si ita visum fuerit, in massa communi pro futuris necessitatibus asservari possunt *c. relatum 12. de Testam.* Si verò defunctus fuit Episcopus, Parochus, vel alius similis, & bona, sive reditus à Collegio separatos possedit, bona Beneficialia à defuncto relicta cedunt ejus in Ecclesia, vel Beneficio successori, cum obligatione tamen, ut illa distribuat in usus pios *c. relatùm cit. fin. de Offic. Ord. in 6.* Vall. *hic n. 6.* Engl *ibid. n. 23.* Wiest. *n. 21.*

58 Quæritur 3. quibus casibus Bona Beneficialia relicta à Clerico ad Ecclesiam non deferantur? R. tres dari casus posse. 1. Ubi est Jus spolij; nam ubi hoc viget, bona illa cedunt Cameræ Apostolicæ per Constitutiones Julij III. Pauli III. & IV. Pij IV. & V. & Gregorij XIII. in ijs verò Provincijs, in quibus Constitutiones istæ receptæ non sunt, prout receptæ non sunt in Lusitania, Gallia, & Germania, ab Episcopis, aliisque collatoribus vindicari solent. 2. Ubi aliud obtentum est privilegio Apostolico; nam hoc obtineri potest, ut talia bona cedant non Ecclesiæ, sed Prælato, vel Rectori Ecclesiæ, aut alij personæ Ecclesiasticæ, imò etiam personæ sæculari, cùm Pontifex administrationem redituum Ecclesiasticorum habeat. 3. Ubi contrarium inductum est per consuetudinem legitimè præscriptam.

59 *Dubium est*, an ejusmodi consuetudo induci possit, ut consanguinei etiam in Bonis Beneficialibus ab intestato succedant Clericis? Negant complures cum Navarr. *de reditib. Eccl. q. 3. monit. 11. n. 3.* & alijs *Tit. præc. n. 84. citt.* qui proinde, sicut ibi ut corruptelam reprobant consuetudinem liberè testandi de bonis Beneficialibus, ita non meliorem judicant consuetudinem succedendi ab intestato: utrumque probant ijsdem ferè Argumentis. Sed cùm istis responsum satis ibidem sit, idcirco dicendum, ubi consuetudo legitimè præscripta id permittit, etiam in Bonis Beneficialibus relictis à Clerico consanguineos ejusdem ab intestato posse succedere. In probationem servient Argumenta *Tit. cit. n. 85.* allata, & ipsa etiam praxis; nam, ut testis est Covarr. *in c. 7. de Testam. n. 27.* Barbos. *in l. divortio ff. solut. matr. p. 2. n. 63.* Oliva *de foro Eccl. p. 2. q. 30. n. 1.* hujusmodi consuetudo in Gallia, Regno Castellæ, & alibi defacto viget.

Quæritur 4. quando Laico, vel Cl- 60
rico succedat Fiscus? R. tum demum succedit Fiscus, quando nullus alius est, qui ab intestato succedendi jus habeat; tum enim Fiscus sibi bona defuncti, tanquam vacantia, vendicat, Sæcularis quidem, si defunctus sit Laicus, Ecclesiasticus autem de Jure communi, si defunctus sit Clericus, ut dictum est *n. 4.* Antequam autem Fiscus ad se bona hæc trahat, priùs proclamationem publicam debet facere, quâ denuntietur, ut siquis putet defuncti hæreditatem sibi deberi, compareat; nam si intra tempus præfixum compareat aliquis, & jus suum legitimè probet, huic, non Fisco adjudicanda hæreditas erit.

Addidi *Ecclesiasticus de Jure communi*; 61
nam huic Juri Ecclesiæ, ut bene advertit P. Wiest. *hic n. 19.* in multis Provincijs derogatum est, in quibus bona Patrimonialia Clericorum, si intestati, & absque consanguineis decessêre, apprehendit Fiscus Sæcularis, excluso Ecclesiastico: quæ consuetudo, cùm Ecclesia acquiescente introducta sit, tolerari debet, modò bona, à Clerico Ecclesiæ intuitu acquisita, ab illo intacta maneant.

Quæritur 5. quis succedat Peregri- 62
no, si iste sine Testamento in Hospitali obeat? R. de Peregrinis *Auth. omnes peregrini C. communia de succession.* constitutum est, ut si intestati decesserint, bona ipsorum per manus Episcopi loci, si fieri potest, hæredibus tradantur, vel in pias causas erogentur: si verò hospes aliquid ex talium bonis acceperit, Episcopo jubetur restituere triplum, quibus ei visum fuerit, assignandum.

§. VI.

De Hæredibus Novitiorum, & Professorum intestatorum.

SUMMARIUM.

63. *Si Novitius de bonis suis disposuit, ea illis cedunt, in quorum favorem facta est dispositio.*
64. *Si intestatus decessit, aliqui illa addicunt Monasterio.*
65. *Præeligitur sententia negans.*
66. *Solvuntur Objectiones.*
67. *Professi bona, si Religio successionis capax non sit, statim edita Professione, devolvuntur ad hæredes ab intestato.*
68. *Si verò capax successionis sit, ad Monasterium transeunt.*
69. *Ubi quænam Monasteria sint Successionis capacia?*

70 *Ita*

70. *Ita ad Monasterium transit etiam Peculium Adventitium Filij.*
71. *Feudum.*
72. *Emphytevsis.*
73. *Majoratus.*
74. *Jus Patronatus.*
75. *An ad hoc, ut Monasterium acquirat bona Professi sui, necessarium sit, ut illa apprehendat?*
76. *Vel Professus hæreditatem, vel Legatum sibi factum acceptet?*
77. *Resolvitur negativa.*
78. *Respondetur ad Argumenta contraria.*
79. *Utrum ex bonis Professi debeatur legitima ejusdem filijs?*
80. *An statim post editam Professionem?*
81 *Respondetur affirmativè.*
82. 83. *An jus succedendi in bona Professorum, quod Monasterijs competit, tolli possit consuetudine?*
84. *An Statuto?*

63 QUæritur 1. ad quem pertineant bona relicta à Novitio Ordinis Religiosi ante Professionem demortuo? R. si dispositionem de illis aliquam fecit, extra dubium est, ea pertinere ad illum, in quem illa Testamento, donatione, aut cessione alia transtulit, sive deinde transtulerit in Monasterium ipsum, sive in alium vel alios; quia liberrimam de suis bonis testandi, & disponendi facultatem habet.

64 Controversia est, quis ei succedat, si ille decedat, nullo Testamento condito, vel alia dispositione facta? Clarus §. *Testamentum q. 28. n. 6.* Decius *in c. in præsentia &. de probat. n. 73.* & alij ejus bona addicunt Monasterio, exclusis hæredibus ab intestato venientibus. Rationem dant, quia Novitius ipso Religionis ingressu, & perseverantia in illa usque ad obitum personam suam, & cons. etiam bona sua censetur tacitè, & ipso facto Monasterio dedicâsse, prout non obscurè innuitur *Auth. ingressi C de SS. Eccl.* atqui taciti & expressi eadem vis est, idémque judicium *l cùm quid 3. ff. si cert. petat.* ergo sicut, si expressè se, suáque bona dedicâsset Monasterio, excluderentur consanguinei, ita etiam excludentur, si tacitè per ingressum, & perseverantiam in Religione. *Cons.* Novitius, quamdiu à Religione non recedit, persona Ecclesiastica, & Religiosa reputatur, ac Professorum instar privilegijs Canonis, & Fori defenditur. igitur æquum erit, ut sicut Professorum, ita etiam ipsius sine Testamento mortui bona Monasterio cedant.

65 Verùm his non obstantibus, dicendum, eo casu Novitij defuncti bona, non ad Monasterium, sed ad consanguineos ejusdem, qui ab intestato veniunt, pertinere. Ita Gutier. *l. 2. qq. Canon. c. 1. n. 101.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 140. n. 2.* Sanch. *l. 7. mor. c. 3. n. 92.* Pal. *tr. 16. D. 1. p. 16. n. 2.* & apud hos Abbas, Berojus, Navar. Suar. & plurimi alij. *Ratio est*, quia bona Novitij ad Monasterium transferuntur vel Professione Religiosa, vel ultima ipsius voluntate, aut dispositione alia valida. atqui ponitur nondum fuisse Professus, & ponitur etiam, quòd nullam adhuc fecerit validam dispositionem de illis. ergo &c. *Procéditque hoc*, ut tali casu Monasterium ne quidem Legitimam consequatur; quia nuspiam Jure expressum est, quòd Monasterium Novitio sit loco filij. Imò, secluſa prævia conventione, Monasterium ne quidem alimentorum expensas potest petere; quia ne hoc quidem Jure cautum est, & caveri etiam non expediebat, ne per obligationem eas refundendi adimeretur, vel minueretur libertas ad sæculum redeundi.

66 Neque multùm urget adducta ratio in contrarium; quia Novitius per ingressum in Religionem, & habitûs susceptionem personam suam Religioni non tradidit absolutè, sed ad probationem tantummodo. *Neque refert*, quòd ad mortem usque perseveraverit, quia mors non habet vim efficiendi Religiosum ex Novitio; & cons. etiam vim non habet faciendi, ut traditio ad probationem fiat absoluta sui, & suorum bonorum traditio, sícque excludendi hæredes venientes ab intestato. *Ad Conf.* privilegium Canonis, & fori competere etiam illi potest, qui Religiosus, & Clericus non est actu, neque confert Monasterio jus Novitij personam, & bona retinendi.

67 Quæritur 2. quis Professo succedat in bonis, si is ante Professionem suam de ijsdem non disposuit? R. cum distinctione: Vel enim Religio, in qua Professionem edidit, successionis est incapax, vel contrà illius capax.

Si primum, omnia illius bona, Professione facta, statim devolvuntur ad hæredes illius ab intestato, perinde, acsi morte naturali fuisset defunctus, ut communis omnium sensus, & certa doctrina est. *Ratio est*, quia Religiosus emittendo Professionem se spoliat omni dominio, & possessione. igitur ne bona illius domino careant, ad alium transire debent: non transeunt autem ad Monasterium ob incapacitatem ipsius ad successionem. ergo ad hæredes ejusdem venientes ab intestato, cùm nemo alius ad illa jus habeat.

68 *Si secundum*, & Religio sit successionis capax, emissâ Professione, omnia illius bona, quocunque titulo quæsita sint, transeunt ad Monasterium. *Auth. ingressi*, & *Auth. siqua mulier C. de SS. Eccl. Novell. 5. c. 5.* & *Novell. 123. n. 38.* idque approbatum etiam est de Jure Canonico *can. ingredientibus 7.* & *can. siqua mulier 9. princ. caus. 19. q. 3. Ratio est*, quia æquitas dictat, ut Religiosus, qui personam suam servitio Divino mancipat, etiam bona sua cultui ejusdem consecret, eáque relinquat potiùs Monasterio, à quo alimenta vitæ necessaria perpetuò est percepturus, quàm

quàm alijs, quibus nihil debet, & à quibus nihil accipit.

69 Jus autem succedendi habent omnia Monasteria Regularium, præter Domos, & Collegia Societatis JESU, & Monasteria FF. Minorum de Observantia, & Capucinorum; nam cæteris omnibus tam virorum, quàm mulierum, etiam Mendicantium, concessit Concilium Trid. *sess. 25. c. 3. de Regular.* ut bona immobilia possidere possint, & cons. in ijs etiam succedere.

70 Quæritur 3. quænam bona, & jura Professione Religionis, quæ capax est successionis, ab intestato transferantur in Monasterium? ℟. Regula universalis est, transferri bona, & jura omnia, quorum capax est Monasterium, adeoque

1. *Peculium* non tantùm *Castrense*, vel *quasi Castrense*, sed etiam *Adventitium filijf.* si hic sit Religionem Professus; quia hujus verè est dominus, licèt administrationem, & usumfructum ejusdem habeat pater: quem probabiliùs retinet etiam post Professionem factam à filio, ut alijs multis *citt.* docet Sanch. *l. 7. mor. c. 13. n. 39.* *Ratio est*, quia in amittendo Usufructu non domini, sed usufructuarij mors attenditur *l. si Pater 3. C.* & §. *fin. Inst. de Usufr.* igitur multo minùs attendetur mors Civilis, quæ contingit per Professionem.

71 2. *Feudum*; nam hoc si tale sit, ut obsequia vi illius debita à Monasterio præstari possint, transmittitur ad Monasterium, non tamen in perpetuum, sed tantùm, quamdiu Religiosus Professus vivit. Sanch. *l. 7. mor. c. 15. n. 36.* cum communi. *Ratio est*, quia Regula generalis est, quòd bona Professi omnia transeant ad Monasterium, à qua Regula non sunt excepta Feuda.

72 3. *Emphyteusis*, nisi concessa illa sit sub conditione, ne ad Ecclesiam, vel potentiorem personam transferatur; tunc enim non transmittitur ad Monasterium, ne contrà, quàm contractum est, propter Ecclesiæ privilegia, aut Emphyteutæ potentiam durior fiat conditio domini proprietatis, ut probabiliùs tenet alijs *citt.* Pal. *tr. 16. D. 3. p. 4.* §. *3. n. 8.*

73 4. *Majoratus*, quatuor casibus duntaxat exceptis, videlicet 1. nisi habeat annexam sibi summam Dignitatem, e. g. Regnum, Ducatum &c. 2. nisi habeat annexam Jurisdictionem temporalem in aliquod oppidum. 3. nisi in ejus institutione adjecta sit clausula Religiosum excludens. 4. denique nisi ad agnationem, & familiæ conservationem, vel cum onere nomen familiæ, & istius arma, atque insignia deferendi sit institutus. His enim casibus Professo suo in hujusmodi Majoratu non succedit Monasterium, sed ille à die Professionis ad proximum agnatum devolvitur. Molin. *tr. 2. D. 623. n. 3.*

74 §. *Jus Patronatûs*, ut colligitur ex *Auth. ingressi*, & alijs textibus *suprà citt.* juxta quos Professi bona, & Jura omnia in Monasterium transferuntur. *Excipitur*, nisi ex dispositione Fundatoris apud familiam remanere debeat, vel annexum sit Majoratui &c. qui ex natura sua, vel institutione excludat Monasterium.

Quæritur 4. an ad hoc, ut Monaste- 75
rium acquirat bona Professi sui, necessarium sit, ut illa apprehendat? ℟. distinguendo inter bona, quæ Professus habuit tempore Professionis, & inter ea, quæ Professo obveniunt post editam Professionem. *In primi generis bonis* non opus est apprehensione, sed absque hac tam dominium, quàm possessio in Monasterium transit; quia in ea bona succedit non Jure hæreditario, tanquam propriè dictus hæres, sed jure cujusdam acquisitionis naturalis, & accessoriæ personæ, prout innuitur *Auth. ingressi C. de SS. Eccl.* ibi *ipso ingressu* (h. e. ipso facto, quo quis Religionem ingreditur) *se suáque dedicat DEO*; & *Novell. 5. c. 5.* ibi *Ingredientem namque simul sequerentur res*, h. e. ipso Jure, & per sequelam. Aliud dicendum *in Bonis secundi generis*, quæ obveniunt Professo post editam Professionem; hæc enim sine traditione acquiruntur Monasterio solùm quoad dominium, non verò quoad Possessionem, ut alijs *citt.* advertit, Sanch. *l. 7. mor. c. 12. n. 28.*

Major controversia est, an hæreditas 76
delata Professo acquiratur Monasterio immediatè, an solùm mediatè, mediante videlicet acceptatione, & aditione ipsius Professi? Legistæ teste Fachin. *l. 6. contr. c. 16.* affirmant secundum, & suadere hoc etiam videtur. 1. Textus *l. Deo nobis 56. C. de Episc. & Cleric.* ubi statuitur Monachos in omnem parentum substantiam succedere, professione Monastica non obstante. 2. Monachus æquiparatur servo. atqui hæreditas delata servo non acquiritur domino, servo invito, & nolente eam adire *l. cùm proponas 3. C. de hæred. instit.* 3. si ad acquirendam hæreditatem, vel legatum Monasterio non esset necessaria aditio, & acceptatio Professi, ratio foret, quia proprium velle, & nolle non ampliùs habet. atqui hoc non obstat; quia licèt defectus proprij velle, & nolle ejus aditionem, & acceptationem à Superioris voluntate dependentem reddat, non tamen facit, ut ejus aditio, vel acceptatio non sit necessaria ad hæreditatem, vel legatum Monasterio acquirendum.

Sed his non obstantibus, probabilius 77
est, non esse opus aditione Monachi, ut hæreditas, vel legatum ipsi delatum acquiratur Monasterio. Ita Covar. *in c. 1. de Testam. n. 31.* Molin. *tr. 2. D. 140. n. 19.* Sanch. *l. 7. mor. c. 12. n. 36.* & apud hos plurimi alij *citt.* *Ratio est*, quia ipsa Professione bona, & Jura Monachi omnia, omnisque ejus voluntas transfertur in Monasterium. igitur transfertur etiam jus, & voluntas adeundi hæreditatem, vel legatum acceptandi.

Oppositæ Argumenta non multùm 78
urgent. *Ad 1.* ex *l. cit.* rectè quidem probatur,

batur, per Professionem non amitti jus Suitatis, & successionis, non tamen rectè infertur, quòd illud Professo competat, cùm omne jus, & voluntas ipsius translata sit in Monasterium. *Ad 2.* licèt Professus Religiosus æquiparetur servo quoad ipsam acquisitionem, quatenus, quidquid acquirit, acquirit Monasterio; quoad modum tamen acquirendi comparatur filiof. atqui si hæreditatem sibi delatam nolit acceptare filiusfam. potest illam adire pater *l. fin. C. de bonis, quæ liberis &c.* ergo etiam Monasterium adire poterit hæreditatem, vel legatum Professo suo delatum, etsi iste acceptare eandem nolit. *Ad 3.* hoc ipso, quòd in Monasterium per Professionem cum cæteris juribus translatum sit jus, & voluntas adeundi, vel recusandi hæreditatem, istud eandem adire etiam sine Professo suo, & immediatè potest.

79 Quæritur *5.* utrum ex bonis Professi debeatur Legitima filijs ejusdem, vel alijs descendentibus, aut ascendentibus, quos reliquit in sæculo? R. affirmativè. Patet de filijs, & alijs descendentibus ex *can. siqua mulier, Auth. ejusdem initij*, & *Novell. 123. c. 38. citt.* Idem probabiliùs dicendum de Parentibus, aliisque Ascendentibus, ut communior docet: nec immeritò; nam & ipsi, deficientibus descendentibus, hæredes necessarij liberorum suorũ sunt, ut proinde etiam ad istos meritò extendantur textus *citt.* ob rationis identitatem.

80 *Major controversia est*, an ipsis debeatur Legitima statim post Professionem, ante mortem patris Religionem professi naturalem? In qua etsi omnes facilè concedant, quòd debeatur statim, quando Religio, quàm Pater professus est, est incapax successionis, complures tamen cum Felin. Guttier. & Rodriq. volunt, Legitimam ante mortem non deberi, quando Religio, quam professus est, est successionis capax. *Fundantur 1.* quia *can. & Auth. siqua mulier* dicitur, patre post ingressum, & ante factam inter liberos dispositionem mortuo, filios Legitimam percepturos. igitur eo nondum mortuo, per argumentum à sensu contrario illam non percipiunt. *2.* Legitima filijs non debetur à patre superstite *l. hic titulus 1. §. si impubere 21. ff. de collation. bonor.* & ratio est, quia debetur jure successionis *c. cùm simus 14. de Regular.* ibi, *Quæ ipsi ex successione proveniunt;* successio autem, & hæreditas viventis non est *l. qui superstitis 94. ff. de acquir. hæred.* ergo nisi de Professis, qui liberos in sæculo relinquunt, aliter sit statutum, etiam ipsis viventibus Legitima non debebitur.

81 Sed probabilius est statim deberi Legitimam ante mortem naturalem patris. Ita Abb. *in c. 8. de probat. n. 59.* Covar. *in c. 2. de testam. n. 7.* Barb. *in c. 14. de Regular. n. 3.* Fagn. *ibid. n. 7. & seqq.* & colligitur ex *c. cùm simus 14. de Regular.* ubi Cœlestinus III. de filio, qui cum patre suo Monachalem habitum induerat, in hæc verba rescripsit: *Si ad annos discretionis pervenerit, & habitum retinere noluerit Monachalem, ipsi liberum erit eum dimittere, & bona paterna, quæ ipsi ex successione proveniunt* (sive Legitimam) *postulare.* Neque dicas, in casu *c. cit.* patrem jam fuisse mortuum morte naturali; nam hoc dicere est divinare, cùm de ea morte nulla fiat in textu mentio: imò potiùs colligitur contrarium; quia ut in lectione integra illius *cap.* apud Fagn. *l. cit.* habetur, pater solùm laboraverat leprâ, quæ est minùs periculosus morbus, nec adeo citò mortem affert.

Ex quo patet *ad arg. 1.* nam argumento à sensu contrario non est locus, ubi aliud expressum est Jure, præsertim posteriore, prout expressum est in casu nostro per *c. cùm simus cit.* *Ad 2.* quando ex morte Civili idem effectus resultat, qui ex morte naturali, id, quod dispositum est de morte naturali dispositum etiam censetur de casu mortis Civilis. atqui Professio Religiosa est mors quædam Civilis, & ex hac idem effectus resultat, qui ex morte naturali; quia per utramque patria potestas cessat. ergo &c.

Quæritur *6.* an per consuetudinem, 82
vel statutum jus succedendi in bona Professorum, quod Monasterijs competit, tolli ijsdem possit? R. consuetudine legitimè præscripta tolli potest, non verò statuto municipali, vel Provinciali, sed statutum tale, quo decernitur, ut, qui Religionem ingrediuntur, excludantur ab hæreditate, vel successione parentum, aliorúmque consanguineorum, vel ut tantùm parte aliqua hæreditatis, aut vitalitio contenti sint, quibuscunque id verbis concipiatur, est irritum. Ita plurimis alijs *citt.* Sanch. *l. 7. moral. c. 12 n. 14. & seqq.*

Ratio primæ partis est, quia jus succe- 83
dendi in hæreditate, vel legato, quod delatum est Professo, Monasterijs solùm Jure humano competit. igitur per contrariam consuetudinem, si legitimè præscripta sit, tolli omnino, & abrogari potest: erit autem legitimè præscripta, si non fuerit minor 40. annis; quia tantum tempus requiritur ad præscribendum contra Ecclesiam. Quare ubi talis est consuetudo, excluso Monasterio, bona Professi, & hæreditates ab intestato ipsi delatæ, devolventur ad filios, & consanguineos ejusdem.

Ratio secundæ partis; quia Magistratus 84
sæcularis, etiam supremus, non potest privilegia, Ecclesijs, & Ecclesiasticis personis ab Imperatoribus concessa, & ab eis acceptata, auferre sine consensu Pontificis, cùm Jurisdictionem in Ecclesiasticas personas non habeat. atqui jus succedendi concessum est Monasterijs ab Imperatoribus, ut constat ex *Novell. citt.* & ab Ecclesia acceptatum. ergo &c. *Conf.* quia tale statutum, ejúsque effectus dirigitur in illud tempus, quo Religionem ingressus jam est professus; non enim ante Professionem excluditur à successione, nec illius incapax redditur. atqui tunc jam est omnino exemptus à Jurisdictione sæculari, adeóque tali statuto nullo modo ligari potest. ergo &c.

TITU-

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis.

SUccessioni tum testamentariæ, tum Legitimæ, de qua in *duobus præc. Tit.* annectitur præsens Titulus *de Sepulturis*; quia sæpe defunctus in ultima voluntate sua de loco, & modo sepulturæ suæ disponit.

§. I.

De Loco Sepulturæ Sacræ.

SUMMARIUM.

1. *In quo loco sepeliendi Fideles sint?*
2. 3. *Ubi Cœmeteria possint construi?*
4. 5. *An quivis fideles sepeliri possint in Ecclesia?*
6. *Quænam Ecclesiæ jus sepulturæ habeant?*
7. *Quis dare possit hoc jus?*
8. *An eidem Regulares renuntiare?*
9. *In quo ex omnibus sepeliri defunctus debeat?*

1 QUæritur 1. in quo loco sepeliendi fideles sint? R. olim sepeliri corpora humana poterant in quovis loco honesto, qui propterea Religiosus fiebat, & cons. extra commercium humanum positus, modo illud domino loci sciente, & non contradicente factum sit §. *nullius 7.* & §. *religiosum 9. Inst. de rer. divis. l. invito 2. C. de religios.* & *sumpt. funer.* Quod hodie per Jus Canonicum sublatum est, secundùm quod, ut locus aliquis ob sepulturam corporis humani ibidem factam Jure, & privilegijs loci Sacri, ac Religiosi gaudeat, non sufficit, quòd privatâ, sed requiritur, ut publica Episcopi authoritate ad fidelium sepulturam sit deputatus, ut colligitur ex *c. ad hæc 4. de Religios. domib.* Talia defacto sunt Ecclesiæ, & Cœmeteria, ita dicta, quòd ibi fidelium corpora quasi dormiant, donec ex hoc suo quasi somno tubæ supremæ sono ad ultimum Judicium excitentur, & resurgant.

2 Quæritur 2. ubi Cœmeteria possint construi? R. construi possunt in, vel extra civitatem, plerumque prope Ecclesiam consecratam: idque ob triplicem rationem. 1. quia fideles piè credebant, se inferni tenebras faciliùs evasuros meritis, & patrocinijs Sanctorum, quorum ossibus sua sociarent. S. Ambros. *homil. 6. de Sanctis.* 2. ut participes fierent Sacrificiorum, quæ in Ecclesijs offeruntur, & vivorum eas ingredientium charitas excitaretur ad preces fundendas pro animabus defunctorum, ibi requiescentium *can. cùm gravia 17. caus. 13. q. 2.* 3. ut Fideles Ecclesias per Cœmeteria adeuntes, commonefierent mortalitatis, & futuri exitûs sui è vita, quâ nulla est salubrior cogitatio. *Eccl. 7. v. 40.* ob hanc enim maximè causam in aditu urbium (& templorum) collocata fuisse notat S. Chrysostom. *homil. de fid. & leg. natur.*

3 Addidi, *plerumque prope Ecclesiam;* nam ex causa rationabili construi aliquando possunt etiam in loco remoto ab Ecclesia, præsertim si destinata sint pro pestiferis, & in contagioso morbo decedentibus, ut bene notat Sylv. *V. Sepultura c. 1.*

Quæritur 3. an quivis fideles, etiam Laici, sepeliri in Ecclesia possint? R. olim in Ecclesijs sepeliri poterant tantùm Episcopi, Abbates, digni Presbyteri, & ex Laicis, qui pro Sanctis sunt habiti, & miraculis coruscabant, vel in Dignitate constituti erant, ut habetur *can. præcipiendum 15. in fin.* & *can. nullus 18. caus. 13. q. 2.* & explicat *ibid.* Gloss. *V. fideles*, & Turrecrem. *in fin.*

5 Hodie tamen sepeliri in Ecclesia possunt quicunque fideles Christiani, etiam Laici, ut constat ex *can. gravia 17. caus.* & *q. cit.* & notat *ibid.* Gloss. *V. sepeliantur.* Barbos. *de Offic.* & *potest. Paroch. c. 26. n. 8.* Pirh. *hic n. 1.* modò ipse defunctus ibi sepeliendus Ecclesiasticâ Sepulturâ non sit privandus, & Ecclesia jus sepulturæ habeat; non enim jus istud cuilibet Ecclesiæ competit, sed tantùm Parochialibus, & ijs, qui Jus illud vel privilegio, vel consuetudine legitimè præscripta obtinuerunt.

6 Ex privilegio Jus sepeliendi Fideles in Templis, & Cœmeterijs suis habent Ordo Prædicatorum, & Minorum S. Francisci. *Clem. dudum 2.* ℣. *hujusmodi*, & *Extrav. super Cathedram. 2.* §. *hujusmodi quoque int. comm. h. tit.* quod privilegium alijs etiam Religiosis communicari tradit Molin. *tr. 2. de I.* & *I. D. 214. n. 21.* Donat. *tom. 3. prax. regul. tr. 9. q. 8. n. 2.* Pirh. *hic n. 30.* Wiest. *ibid. n. 18.* Neque opus est, ut corpus defuncti, qui apud ipsos sepulturam elegerit, priùs deferatur ad Ecclesiam Parochialem; quia jus habent liberè, i. e. sine ulla contradictione sepeliendi, ut dicitur *Clem. cit.* Et hinc si Presbyteri Parochiales admoniti corpus defuncti deferre nolint ad Ecclesiam Regularem, possunt Regulares ipsimet, etiam contradicente Parocho, vel Episcopo, illud levare, & deferre ad suam Ecclesiam, ut rectè alijs *citt.* advertit Pirh. *n. 31. hic.*

7 Quæritur 4. quis dare jus, seu privilegium sepeliendi possit? ℟. universim in tota Ecclesia dare potest Papa, & quidem solus, cùm nullius alterius potestas sese ad Ecclesiam universam extendat. Præter Pontificem illud dare potest Legatus à Latere intra suam Provinciam, Episcopus intra suam Diœcesin, Prælati alij, Jurisdictione quasi Episcopali præditi, intra suum territorium.

Ut tamen Episcopus, vel alius Prælatus inferior licitè illud det, opus est justâ causâ, & consensu Capituli, ut notant Abb. *in c. 9. h. tit. n. 9.* Molin. *D. 214. cit. n. 21.* Pirh. *hic n. 32.* Ratio est, quia ejusmodi privilegium, vel concessio reputatur inter causas arduas, & præjudiciosas. atqui Episcopus sine consensu Capituli res arduas expedire, & in præjudicium unius Ecclesiæ jus illi competens dare alteri nequit, ergo &c.

8 Quæritur 5. an possint Regulares dicto Juri sepeliendi renuntiare? ℟. distinguendo: Vel enim agitur de Jure sepulturæ in Ecclesia Regulari jam erecta, vel de Jure ejusdem in Ecclesia primùm erigenda.

Si primum, ad hujusmodi Juris renuntiationem opus est solennitate ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisita, *Extrav. ambitiosæ de reb. Eccl. non alien. int. comm.* Neque obstat, quòd *Extrav. cit.* mentio solùm fiat de rebus Ecclesiasticis; nam, ut *l. rei 23. ff. de V. S.* ait Ulpianus, *Rei appellatione & causæ, & jura continentur.*

Si secundum, renuntiationi est locus; conf. casu, quo in limine fundationis cum Parocho concordia facta est de non recipiendis ad sepulturam illius Ecclesiæ Parochianis, pactum illud servandum est; quia renuntiatio ista non est Juris jam quæsiti, sed primùm acquirendi, sicque locum non habet dispositio *Extrav. ambitiosæ cit.* cùm dici non possit, quòd alienetur jus Ecclesiæ. Matthæucc. *in Offic. Curiæ Eccl. c. 48. n. 2.*

9 Quæritur 6. in quonam ex his locis, quibus jus sepeliendi competit, quisque sepeliri debeat? ℟. si defunctus Ecclesiam, vel Cœmeterium certum destinavit sepulturæ suæ, debet in eo sepeliri: si nullam elegit certam sepulturam, inferri debet Sepulturæ Majorum suorum: si Majorum etiam sepulturâ careat, sepeliendus est in Parochia sua, in qua habuit domicilium, & Sacramenta, cæteráque Divina percepit. Verùm de his distinctis §§. agendum est latiùs. Sit ergo

§. II.

De Electione Sepulturæ Sacræ.

SUMMARIUM.

10. 11. *Quinam eligere sibi sepulturam possint?*
12. *An pater filio impuberi?*
13. *An filius f. constitutus in potestate patria?*
14. *Quinam Regulares sibi eligere Sepulturam possint?*
15. *In quo loco sint sepeliendi Novitij?*
16. *An Sepultura eligi possit in loco minùs religioso?*
17. *Vel in Ecclesijs Monialium? Argumenta sententiæ affirmantis.*
18. *Deciditur pro negativa.*
19. *Hinc, qui ibi elegit Sepulturam, hanc accipere in Parochiali debet.*
20. *Solvuntur Objectiones.*
21. 22. *An electio Sepulturæ referri possit in arbitrium alienum?*
23. *Pœna inducentium ad electionem Sepulturæ in certo loco.*
24. *Requisita ad pœnam hanc incurrendam.*
25. *Quomodo probari debeat electio certæ sepulturæ?*
26. *An sufficienter probetur assertione Confessarij?*

10 QUæritur 1. quinam eligere sibi Sepulturam possint? ℟. regulariter possunt omnes, tam masculi, quàm fœminæ, etiam extra Parochiam suam, vel Sepulturam Majorum, modò locus, qui eligitur pro Sepultura, talis sit, qui jus Sepulturæ vel ex Jure communi, vel ex privilegio habet, & eligens sit pubes, mentis compos, & aliunde non prohibitus sepulturam sibi eligere. Ita Gloss. *in c. nos instituta 1. V. propriam h. tit.* Sylv. *V. sepultura q. 6.* Molin. *tr. 2. D. 214. n. 10.* Pirh. *hic n. 14.* Wiest. *ibid. n. 19.* & habetur *c. nos instituta cit.* ibi, *Nulli tamen negamus propriam eligere Sepulturam, & etiam alienam.* Idem supponitur *c. is qui 3. eod. in 6.* Pro ratione reddi potest tritum illud, quo suprema Testatoris voluntas adimplenda dicitur *can. ultimâ 4. caus. 13. q. 2. l. non negare 5. ff. quem ad. testam. aperiant. & l. habeat 1. C. de SS. Eccl.*

Excipiuntur 1. amentes, & mente capti ob defectum usûs rationis; nam Electio Sepulturæ est actus humanus, cujus incapaces sunt mente capti. 11 *Excipiuntur 2.* impuberes; nam isti ob defectum ætatis, & judicij satis maturi eligere sibi Sepulturam nequeunt, sed eorum loco Sepulturam ipsis eligit pater, ubi consuetudo loci sic habet, vel si consuetudo talis non extet, sepeliendus is est in Sepultura Majorum, vel Parochiali *c. de uxore 7. h. tit.* & *c. licèt 4. in princ. eod. in 6. Excipiuntur 3.* Religiosi; nam his, cùm velle, & nolle non habeant, potestas eligendi Sepulturam extra suum Monasterium non est, nisi ita remoti sint, ut ad id, cùm moriuntur, com-

commodè deportari nequeant; tali enim casu ex licentia à Jure indulta sepulturam sibi eligere permittuntur *c. fin. h. tit. in 6.* Quodsi verò eo casu Sepulturam sibi non elegerint, sepeliendi sunt in Parochia loci, ubi defuncti sunt, nisi vicinum sit Monasterium sui Ordinis. Ita cum alijs Sanch. *l. 6. moral. c. 14. n. 4.*

12 Quæritur 2. an, secluſa consuetudine, pater filio suo impuberi eligere Sepulturam possit? Videtur posse: nam etiam filio suo impuberi Testamentum facere, sive hæredem ipsi substituere potest *c. si pater 1. de Testam. in 6.* & *l. hæredes 1. ff. de Vulg. & Pupillar. substit.* Sed meritò negatur paritas. *Ratio disparitatis est*, quia Jus Sepulturæ est Spirituale, jus autem testandi temporale, atqui patris potestas non ita se extendit in filium ad jura spiritualia, sicut ad temporalia. ergo &c.

Quare dicendum, secluſa consuetudine, patrem filio suo impuberi non posse eligere Sepulturam, ut rectè cum alijs advertit Pirh. *hic n. 20. not. 2.* Multo minùs poterunt consanguinei, & amici pro amico, & consanguineo defuncto. Imò, ut Gloss. *in c. licèt cit. V. vel in Parochiali* tradit, nec consuetudo parentibus, & amicis dat adeo liberam potestatem, ut pro impubere eligere Sepulturam possint, ubi voluerint, sed tantùm, ut liceat illum sepelire vel in Sepultura Majorum, vel in Parochia, prout voluerint.

13 Quæritur 3. an eligere sibi Sepulturam possit filiusfam. qui adhuc in potestate patria est? *Ratio dubitandi est*, quia per Voluntatem ultimam, etiam pro anima sua, sine patris assensu, relinquere nihil potest, nisi Peculium Castrense, vel quasi Castrense habeat; est autem electio Sepulturæ quasi quædam ultima Voluntas. ergo &c.

Sed dicendum, si Fliusf. pubes est eligere sibi sepuluram potest, etiam absque patris consensu, ut habetur *c. licèt 4. §. quamvis h. tit. in 6.*

Neque contrarium probat ratio dubitandi allata; negatur enim paritas. *Ratio disparitatis est*, quia, ut *n. præc.* dictum est, jus Sepulturæ est Spirituale. quoad res autem, & Jura Spiritualia filius non ita subjectus est patri, sicut quoad bona temporalia, sed potiùs est sui Juris.

14 Quæritur 4. an nulli Regulares eligere sibi Sepulturam possint? R. à communi regula, quæ Religiosis Sepulturæ electionem prohibet, triplex maximè exceptio datur. 1. Si remoti à Monasterijs suis decedant: de quo dictum *n. 11.* 2. Si extra Claustra Beneficijs sint præpositi; quia hi in multis velle, & nolle proprium habent, ut notat Gloss. *in c. fin. V. non habeant h. tit. in 6.* 3. Prælati Regulares: iisque non tantùm supremi, sed inferiores quoque, & alijs in sua Religione subordinati, ut sunt Provinciales, Priores, Rectores, Guardiani; nam his electionem sepulturæ permittit Sanch. *l. 6. mor. c. 14. n. 7.* Rodriq. *tom. 3. Regul. q. 60. art. 1.* Pellizar. *Man. Regul. tom. 2. tr. 8. c. 5. n. 126.* quia in multis, præsertim ad suam personam pertinentibus, velle, & nolle proprium habent. Bene tamen advertit *hic P. Wiest. n. 22.* quòd hoc ipsorum velle non sit omnino absolutum, sed dependens ab Ordinis Regula, & Constitutionibus: quæ proinde spectandæ sunt, ut decerni possit, quid hujusmodi Prælatis in casu præsenti liceat.

Quæritur 5. in quo loco sepeliendi sint 15
Novitij? R. sepeliendi sunt ibi, ubi Sepulturam elegerint. Franc. *in c. fin. h. tit. n. 2.* Sanch. *c. 14. cit. n. 10.* Pirh. *hic n. 25. Ratio est*, quia electio Sepulturæ prohibita est solis Religiosis; Novitij autem non sunt propriè Religiosi, præsertim in odiosis, & habent adhuc velle, & nolle proprium. ergo &c. Si Novitius decedens Sepulturam sibi non elegerit, sepeliri debet in Monasterio, sive deinde decesserit intra Monasterium, sive extra illud, in domo v. g. parentum, ubi valetudinis gratiâ cum licentia Superiorum versabatur. Rodriq. *tom. 2. Reg. q. 39. art. 4.* Sanch. *l. cit. n. 11.* Pirh. *n. 25. cit. Ratio est*, quia Novitij gaudent juribus, & privilegijs sui Ordinis. Expensas funeris, si Novitius proprium patrimonium non habet, solvere Monasterium, seu Ordo debet; quia hujus sunt membra, in eum admissi, ut probentur. Rodriq. *q. 60. cit. art. ult.* Sanch. *n. 12.* Pirh. *l. cit.* ubi rectè monet, hac in re servandam esse consuetudinem receptam in quavis Religione.

Quæritur 6. an quis relicta Majorum, 16
aut Parochiali sepulturâ, eligere Sepulturam possit in loco minùs Religioso, sive in quo Missæ Sacrificium, cæteraque Divina, & Orationes publicæ rariùs, e. g. solùm semel, aut bis quotannis peragi solent? *Ratio dubitandi* oritur ex *c. fraternitatem 3. h. tit.* ubi ejusmodi electio, tanquam antiquæ institutioni, & rationabili Ecclesiæ consuetudini contraria rejicitur, & dicitur esse invalida.

Sed tenenda est affirmativa sententia, prout clarè decernitur *c. cùm quis 2. §. fin. h. tit. in 6.* ubi talis electio impugnari prohibetur. *Ratio est*, quia electio Sepulturæ est pars ultimæ Voluntatis defuncti *c. de uxore 7. h. tit.* quæ si rationabilis, & honesta sit, modis omnibus adimpleri debet. atqui defunctus ad electionem Sepulturæ in loco minùs Religioso moveri poterat honesta, & rationabili causa, v. g. quòd speciali devotione feratur in Sanctum, qui ibi colitur, vel quòd ob viciniam à successoribus, aut hæredibus facilius adeatur &c. ergo &c.

Ad textum *c. fraternitatem cit.* variæ sunt Interpp. responsiones: præ alijs placet, quæ cum Gonzal. *ibid. n. 9.* id exaudiendum vult de electione sepulturæ in loco minùs, i. e. non religioso, sed profano.

Quæritur 7. utrum eligi Sepultura 17
etiam possit in Ecclesijs Monialium? Samuelius *de Sepult. tr. 1. D. 6. contr. 11. concl. 7.* Murga *tom. 1. tr. 7. disquis. 12. sect. 4. concl.*

7. n. 22. Gonz. *in c. 3. h. tit. n. 5.* Ventrigl. *prax. de elect. sepult. tom. 1. annot. 52.* §. *un. n. 47.* id concedunt in Ecclesia Monalium exteriori, quamvis de interiori negent: & videtur istud posse probari. 1. Ex *can. ubicunque 6. caus. 13. q. 2.* ubi Ecclesijs Sanctimonialium jus sepulturæ expresse conceditur. 2. Ex declaratione Gregorij XIII. apud Marsil. Portel, Pellizarium, qui declarâsse dicitur corpora volentium sepeliri intra Monasteria Monialium debere sepeliri in Ecclesia exteriori, & non intra claustra. 3. Ex *Const. Leonis X.* incipit *Dudum per nos*, & in *Bullar. tom. 1. est numero 32.* ubi Pontifex iste privilegia Ordinum Mendicantium communicat etiam horum Monialibus. 4. Ex *Constit. Pauli V.* incipit *Expositum*, & in *Bullario tom. 1. est ordine 47.* ubi laudatus Pontifex jus tumulandi in Ecclesijs Monialium S. Francisci præsupponit.

18 Sed dicendum, neque in Ecclesia exteriori Monialium eligi Sepulturam, aut recipi corpora defunctorum posse sine licentia S. Congreg. Ita Nicol. *flosc. V. Sepultura n. 5.* Vincent. Petra *tom. 2. comment. fol. 198. n. 28. & seqq.* Pignatell. *tom. 4. consult. 177.* Matthæucc. *Offic. Cur. Eccl. c. 48. n. 4.* Illustriss. D. Præpositus Frising. *tom. 1. conf. 15. à n. 153.* & expresse resolutum est à S. Congr. *in Feretrana 21. Nov. 1603. in Ferrarien. 12. Jul. 1604. in Gravinen. 1. Octob. 1650. in Foro Sempronien. 23. Aug. 1652.* & maximè *in Maceraten. 8. Nov. anni ejusdem:* quæ Declarationes, cùm sint maximæ authoritatis, & teste Petra *l. cit. n. 29.* omnia Tribunalia eas recipiant, præsertim Sacra Rota, dubium omne tollunt.

19 Hinc qui Sepulturam ibi elegit, sepeliri debebit in Sepultura Majorum, vel si talem non habeat, in Parochiali; quia cessante dispositione hominis, remanet dispositio Juris, quod assistit Parocho, qui habet intentionem fundatam sepeliendi in sua Ecclesia omnes, qui decedunt intra limites suæ Parochiæ. *Proceditque hoc* etiam de Puellis, quæ educationis melioris causâ in Monasterijs Monialium degunt, si ibi decedant, ut contra Pellizarium probabiliùs docent Pignatell. *tom. 7. conf. 63.* Matthæucc. *Offic. Cur. Eccl. c. 32. n. 8.* nam sæculares omnino sunt, & in Monasterio manent, non tanquam in habitatione propria, sed aliena, animo revertendi ad propriam, cùm primùm licebit: & hinc quemadmodum Parochus illius Parochiæ assistere debet Matrimonijs illarum, ita debet etiam illas tumulare; utrumque enim inter Jura Parochialia censetur.

20 Ad Argumenta contraria non est difficilis responsio. *Ad 1. can. cit.* loquitur non de facultate eligendi sepulturam in Ecclesijs Monialium, sed de necessitate temporum, vel locorum. *Ad 2.* de Declaratione illa non constat authenticè, & si constaret, dicendum eam vel revocatam per posteriora S. Congr. Decreta, vel intelligendam de casu, quo privilegio, vel indulto speciali licet Ecclesijs Monialium Laicos ad Ecclesiasticam Sepulturam recipere, qui apud illas elegerint sepeliri. *Ad 3.* communicatio illa privilegiorum intelligenda est, quatenus illa Monialium sexui, & statui non contradicunt. *Ad 4.* Pauliana illa Constitutio procedit in puncto Juris, cui in facto obstant resolutiones Sacræ Congr. quas vidimus.

Quæritur 8. an electio Sepulturæ re- 21
ferri possit in arbitrium alienum? R. posse; nam ita referri potest etiam potestas disponendi de bonis suis, saltem ad pias causas.

Dubium est, an casu, quo Titius v. g. electionem Sepulturæ suæ commisit arbitrio Sempronij, iste autem vivente Titio non elegit, eligere eidem sepulturam possit, ipso mortuo? *Videtur posse*; nam etiam defunctus ita potest committere alteri dispositionem de bonis suis, ut locus illi etiam post mortem sit, saltem ad pias causas, prout habetur *c. cùm tibi 13. de Testam.*

Sed dicendum, non posse amplius pro 22
Titio eligere Sepulturam. Lapus *in c. is qui 3. h. tit. in 6. n. ult.* Vincent. Petra *tom. 2. comment. fol. 396. n. 43.* Matthæucc. *Offic. Cur. Eccl. c. 48. n. 27.* Pirh. *hic n. 28.* *Ratio est*, quia per mortem Parochiani statim jus sepeliendi acquisitum est illi Ecclesiæ, apud quam sepeliri debebat, cùm, non electâ sepulturâ, decessit. Unde hoc casu Titius sepelietur in Sepulchro Majorum suorum, vel in Ecclesia Parochiali. *Conf.* nam mandatum, & delegatio re adhuc integra exspirat morte committentis, & delegantis *c. gratum 20. de Offic. deleg.* igitur morte committentis electionem sepulturæ etiam exspirabit commissio.

Neque obstat Argumentum sumptum ex *c. cùm tibi cit.* nam defunctus est absolutus dominus bonorum suorum, ergo sicut disponere de illis pro libitu suo potuit, ita potestatem disponendi concedere alteri, saltem ad pias causas. At facultas eligendi sepulturam est privilegium, contra Jus concessum à SS. Canonibus: quod proinde extendi non debet.

Quæritur 9. an validum sit votum, vel 23
juramentum, quo quis se obligat ad eligendam in certo loco Sepulturam? R. cum distinctione: Vel enim ejusmodi Votum, aut Juramentum factum est sponte, & tunc indubitatò tenet, nisi mutatus sit status aut ipsius eligentis, quia v. g. factus est Episcopus; aut loci, quia destructus est. Rodriq. *tom. 3. Regul. q. 58. art. 7. §. pen.* Vel contrà ad ejusmodi Votum, Juramentum, aut etiam simplicem promissionem inductus est à Religiosis, vel Clericis in favorem suæ Ecclesiæ, & tunc irrita, ac nulla sunt, ut patet ex *c. animarum 1. h. tit. in 6.* & *Clem. capientes 3. in fin. de pœnis*, ubi in contrarium facientes statuitur pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ, & reservatæ Summo Pontifici.

Por-

24 Porro ut pœna hæc incurratur, requiritur. 1. Ut inducens sit Clericus, vel Religiosus; nam Laicus illam non incurrit, cùm textus *citt.* solùm loquantur de Clericis, & Religiosis. 2. Ut inductus sit ad votum, Juramentum, vel promissionem eligendæ Sepulturæ; nam inducens tantùm ad eligendam sepulturam sine Voto, Juramento, vel promissione inducti non incurrit eam Excommunicationem. Sylv. *V. Excommunicatio 7. n. 49.* Petra *tom. 2. Comment. fol. 396. n. 45.* Matthæucc. *Offic. Cur. Eccl. c. 48. n. 29.* 3. Ut ita inducatur ad eligendum in favorem propriè Ecclesiæ; nam siquis inducat ad eligendam Sepulturam in aliena Ecclesia, e. g. Religiosus S. Francisci ad eligendam Sepulturam in Ecclesia S. Dominici, inducens ab Excommunicatione hac liber est. Rodriq. *art. 7. cit. dub. 4.* 4. Ut inductus non debuerit aliàs sepeliri in Ecclesia, in qua ex inductione elegit Sepulturam; nam si Parochus Parochianum suum inducat ad eligendam Sepulturam potiùs in Parochiali, quàm aliena Ecclesia, immunis à pœna est, utpote quæ statuta est in favorem Parochorum, ut proinde in odium illorum detorquenda non sit. Pal. *tr. 29. D. 3. p. 2. n. 21.* 5. Ut inductio sit sortita effectum; nam si aliàs elegisset defunctus Sepulturam in tali loco, inducens non fit reus istius pœnæ. Pal. *l. cit. n. 22.*

Quæritur 10. quomodo probari de- 25
beat electio certæ Sepulturæ? R. ex communi sufficienter probatur. 1. Per duos, vel tres testes, deponentes de electione defuncti. 2. Per Testamentum, vel Codicillum, quamvis invalidum, & per quamlibet Scripturam propriæ manûs, Illustriss. Præpos. Frising. *tom. 1. Cons. 15. n. 45.* 3. Per testem unicum, concurrentibus aliis adminiculis. Sabast. Medices *de Sepultur. q. 8.*

Dubitari potest, an sufficienter probe 26
tur assertione Confessarij? Affirmat Laurent. de Franchis *Contr Episc. & Regul. p. 2. q. 64. n. 6.* melius cum Donato *tr. 9. q. 22.* negat P. Wiest. *hic n. 25.* nam Regula universalis est, quòd unius assertio non sufficiat, sed duo saltem requirantur; ab hac autem Regula non reperitur exceptus præsens casus. ergo &c. *Excipitur*, nisi loci consuetudine, vel statuto tribueretur major vis dictio Confessarij, vel alterius hominis; nam tunc standum ijsdem foret; & talem consuetudinem, vel Statutum esse in Curia Archiepiscopali Neapolitana, testis est M. Ant. Genuens. *prax. Cur. Neapol. c. 76. n. 8.*

§. III.

De Sepultura Majorum.

SUMMARIUM.

27 *Qui nullam sibi Sepulturam elegit, sepeliendus est in Sepulchro Majorum.*
28. *Quodnam sit præferendum, si pater & avus in uno, proavus, & atavus in alio loco sepulti sunt?*
29. 30. *Vel si pater in uno, cæteri progenitores in alio?*
31. *In quo loco sepeliendi sint filij Naturales, Spurij, & Adoptivi?*
32. *Uxor superstes marito suo?*
33. *Vel præmortua?*
34. *An vicissim maritus sepeliri debeat in sepulchro uxoris?*
35. *Defenditur negativa.*
36. *Requisita, ut uxor obtineat Sepulchrum mariti sui.*
37. *Ubi sepeliendi sint famuli domestici Ordinum Mendicantium?*

27 QUæritur 1. ubi sepeliendus sit, qui vivens nullam sibi Sepulturam elegit? R. si Sepulturam Majorum suorum habeat, illius corpus eidem est inferendum *can. Ebron. 2. can. placuit 7. & seqq. caus. 13. q. 2. c. nos instituta 1. h. tit.* *Ratio est*, quia ex instinctu naturali, & communi voto quilibet suis potiùs, quàm extraneis conjungi velle præsumitur, juxta exemplum Veterum Patriarcharum, qui in Sepulchris Patruum suorum sepeliri voluêre. *Gen. 25. 49. & 50.* *Majorum* autem nomine hic intelliguntur pater, avus, & alij superiores, seu Ascendentes *l. JCtus 10. ff. de gradib. affinit.*

28 Quæritur 2. cui sepulturæ inferendus sit defunctus, si pater, & avus ejusdem sepulti sint in uno loco, proavus verò, & atavus in alio? R. hoc casu defunctus potiùs inferendus est Sepulchro, quod sibi delectum habuit pater, & avus, quàm quod proavus, & atavus. Sylv. *V. Sepultura q. 8. dict. 1.* Vincent. Petra *comm. tom. 2 fol. 393. n. 25* Præpos. Frising. *tom. 1. cons. 15. n. 50. & seqq.* Pirh. *hic n. 4* Wiest. *n. 30.* *Ratio est*, quia jus sepulturæ habet se instar domicilij inter vivos; filius autem patris, & avi potiùs, quàm remotiorum progenitorum domicilium sequitur *l. assumptio 6. ff. ad municipal.* Conf. quia unio Sepulturæ procedit ex mutuo affectu dilectionis, quæ interceſſit inter vivos; hic autem major solet esse in patrem, & avum, quàm in cæteros progenitores magis remotos.

Quæritur 3. quid si pater diversum 29
etiam ab avo, & cæteris progenitoribus Sepulchrum habeat? R. in hoc non conveniunt DD.

Abb.

Abb. *in c. 1. h. tit. n. 5.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 214. n. 13.* Præpoſit. Friſing. *tom. 1. conſ. 15. n. 57. & ſeqq.* Pirh. *hic n. 4.* diſtinguunt; nam ſi pater ſponte ſibi elegit ſepulchrum proprium, diverſum à ſepulchro Majorum ſuorum, dicunt filium ſepeliendum in ſepulchro ſui patris, etſi iſte adhuc ſuperſtes ſit; ſi verò pater præter voluntatem ſuam caſu aliquo ibi ſepultus eſt, tunc cenſent filium ſepeliendum in ſepulchro avorum, ſeu majorum ſuorum.

30 Alij cum Gloſſ. *in c. is qui 3. V. ab antiquo h. tit. in 6.* Sylv. *V. Sepultura q. 8. dict. 1.* Wieſt. *hic n. 30.* indiſtinctè docent, caſu, quo pater ſepultus eſt in uno loco, avus, & majores cæteri in alio, filium ſepeliendum potiùs cum avo, & alijs majoribus, quàm cum patre *arg. c. nos inſtituta 1. h. tit.* ubi dicitur, unumquemque in Majorum ſuorum ſepulchris ſepeliendum eſſe: quod adhuc clariùs ſtatuitur *c. is qui cit.* ubi Bonifacius VIII. præcipit, eum, qui, non electâ ſepulturâ decedit, ſepeliri debere in ea potiùs Eccleſia, in qua Majorum ipſius ab antiquo ſepultura extitit, talis autem non eſt locus, ubi ſolus pater, ſed ubi cæteri progenitores ſepulti ſunt. ergo &c.

Excipiunt, ſi progenitorum ſinguli ſepulchrum diverſum habuerint; tunc enim ſepeliendus filius erit cum patre, ſaltem ſi iſte Sepulturam pro familia elegiſſet; aliàs rectiùs deferetur ad Parochialem.

31 Quæritur 4. in quo loco ſepeliri debeant filij Naturales, Spurij, & Adoptivi? R. 1. *Filij naturales* ſepeliendi ſunt cum patre, niſi is in Dignitate ſit conſtitutus *arg. l. ex facto 17. §. ſiquis 4. ff. ad S. C. Trebell.* Moron. *cent. reſponſ. 51. n. 59.* Præpoſ. Friſing. *tom. 1. conſ. 15. n. 64.* Potéſtque, ut ijdem notant, ſi decedant impuberes, ipſis pater eligere Sepulturam.

2. *Spurij*, tanquam filiorum nomine indigni, non cum patre, ſed cum matre ſepeliendi ſunt, niſi iſta ſit fœmina illuſtris: quo caſu ipſi, uti & naturales, ſi pater in dignitate ſit conſtitutus, ſepeliendi eſſent in Parochia, niſi aliàs ſibi elegiſſent Sepulturam. Sylv. *V. Sepultura q. 8. dict. 4.* Samuel. *tr. 1. D. 5. contr. 5. concl. 4.* Præpoſ. Friſing. *n. 65.*

3. *In Adoptivis eſt* adhibenda diſtinctio: Vel enim moriuntur, vivente patre adoptivo, in cujus poteſtate erant; & tunc ſepelientur in illius ſepulchro: vel contrà decedunt, adoptante, vel arrogante jam mortuo; & tunc non in hujus, ſed patris ſui naturalis ſepulchro ſunt tumulandi, ut rectè Sylv. *l. cit.* Pirh. *hic n. 4.* & ratio eſt, quia morte adoptantis ceſſat adoptio.

32 Quæritur 5. in quo loco ſepelienda ſit uxor, an in ſepulchro Majorum ſuorum, an cum viro ſuo? R. cum diſtinctione: Vel enim maritus ejus jam eſt præmortuus, vel adhuc ſuperſtes poſt mortem illius?

Si primum, & uxor ſibi ſepulturam nullam elegit, in mariti ſui, & ſi plures maritos habuit, in horum ultimi ſepulchro tumulanda eſt *can. Ebron. 2. & can. ſeq. cauſ. 13. q. 2.* junct. *c. is qui 3. §. mulier h. tit. in 6. Procedit que hoc*, etiamſi illa poſt mortem mariti reverſa ſit in domum patris, vel in alium locum ſe tranſtulerit; quia retinet nihilominus domicilium, & honorem mariti, quod privilegium cùm non detur loco, ſed perſonæ, non amittitur ob variationem locorum. Sylv. *V. Sepultura q. 9. dict. 5.* Franc. *in c. 3. cit. §. mulier n. 2.* Præpoſ. Friſing. *Conſ. 15. cit. n. 109.* Pirhing *hic n. 12. not. 2.*

Si ſecundum, altera adhibenda diſtinctio eſt: Vel enim maritus elegit ſibi ſepulchrũ proprium, vel non elegit, ſed eſt abſens, aut amens, ita, ut non poſſit declarare voluntatem ſuam circa Sepulturam. *Si prius*, in Sepulchro mariti ſui uxor ſepeliri debet; quia animi deſtinatione videtur ibi maritus ſepultus eſſe. Idem dicendum, ſi maritus non elegit propriam ſepulturam, intendit tamen ſepeliri in Sepultura Majorum ſuorum. *Si poſterius*, uxor ſepelienda eſt in ſepulchro Majorum ſuorum, vel ſi tale non habeat, aut in eo ſepeliri nequeat, in Parochiali Eccleſia in qua deceſſit. Abb. *in c. 7. h. tit. n. 6.* Sylv. *V. Sepultura q. 8. dict. 5.* Franc. *in §. mulier cit. n. 3.* Pirh. *hic n. 12. not. 2.* 33

Quæritur 6. an viciſſim, ſi uxor prior deceſſit, electâ ſibi Sepulturâ, & poſtea moriatur maritus, non electâ Sepulturâ, maritus debeat tumulari in ſepulchro uxoris ſuæ, an verò in ſepulchro Majorum? *Videtur affirmandum prius*; nam propter unionem, quæ fuit inter conjuges in vita, Jus diſpoſuit, quòd uxor debeat ſepeliri in ſepulchro mariti, ut patet ex *can. Ebron cit.* ibi, *Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum ſepulchrum.* igitur idem viciſſim dicendum de marito, cùm maritus, & uxor æquali jure cenſeantur, & gaudeant. 34

Sed dicendum, eo caſu maritum non in Sepulchro uxoris ſuæ præmortuæ, ſed Majorum ſuorum, vel Parochiali Sepulchro ſepeliri debere, niſi conſuetudo alia vigeat. Ita Abb. *in c. 7. h. tit. n 7.* Franc. *in §. mulier cit. n. 3. V. ſecundò quæritur*, Pirh. *hic n. 13.* Wieſt. *n. 32.* & colligitur ex *can. unaquæque 3. cauſ. 13. q. 2.* ubi dicitur, *Unaquæque mulier ſequatur virum ſuum*; non autem viciſſim dicitur, quòd è converſo etiam maritus debeat ſequi uxorem. *Ratio diſparitatis eſt*, quia uxor ſequitur domicilium, honorem, & jura mariti, non autem vice verſa maritus uxoris *l. cùm te 10. C. de nupt.* 35

Ad rationem in contrarium allatam maritus, & uxor æquali jure cenſentur, & gaudent quoad uſum Matrimonij, non verò quoad alia; quoad hæc enim eſt caput mulieris: & hinc à rationis paritate ab uxore ad maritum argumentum trahi non poteſt.

Quæritur 7. quid requiratur, ut uxor obtineat Sepulturam mariti ſui? R. 1. requi- 36

quiritur, ut hæc sibi non elegerit propriam Sepulturam; nam eligere sibi Sepulturam potest, etiam sine licentia mariti, cùm in hoc sit sui Juris. Sperell. *decis. 88. n. 18.* Petra *tom. 2. fol. 392. n. 16.* Matthæucc. *Offic. Cur. Eccl. c. 48. n. 26.* Unde si propriam sibi elegit, in ipsa sepelienda est.

2. Ut fuerit legitima ejus uxor, cum qua videlicet aut consummatum est Matrimonium, vel saltem contractum per verba de præsenti, eáque deducta ad domum mariti; nam sponsa de futuro non est sepelienda in Sepulchro Sponsi, cùm nondum acquisiverit domicilium mariti. Matthæucc. *l. cit. limit. 2.* Pirh. *hìc n. 10.* & apud hunc Franc. *in §. mulier cit. fin. n. 3.*

3. Ut mulier non fuerit separata à marito, propter adulterium facto divortio; quia tunc non est de domo, & familia viri, nisi ei ante mortem sit reconciliata. Sylv. *V. Sepultura q. 8. dict. 5.* Samuell. *tr. 1. D. 5. contr. 3. concl. 3. & 4.* Præpos. Frising. *tom. 1. cons. 15. n. 110. & 111.* Matthæucc. *limit. 3.* Pirh. *l. cit.*

4. Ut in viduitate non impudicè vivat; nam hoc si fiat, perdit honorem, & privilegia mariti sui defuncti *arg. l. his solis 7. C. de revoc. donat.*

Quæritur 8. ubi sepeliendi sint famuli 37
domestici Ordinum Mendicantium? R. si ipsi sibi sepulturam non elegerunt, & intra Monasterij, Collegij, vel Residentiæ, cui servierunt, septa sint mortui, in horum Ecclesijs, vel Cœmeteris, etiam Parocho loci invito, sepeliri possunt per privilegia concessa FF. Minoribus à Clem. IV. & Societati JESU à Paulo III. prout videre est apud Rodriq. *tom. 2. qq. Regul. q. 68. n. 2.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 214. n. 16.* Donat. *prax. Regul. tr. 10. q. 21. n. 2.* Pirh. *hìc n. 9.* Wiest. *n. 34.* & habetur *in Compend. privil. Societ. V. Familiares §. 1.*

§. IV.

De Sepultura Parochiali.

SUMMARIUM.

38. *Qui sepulturam Majorum non habet, sepeliendus est in Parochia propria.*
39. *Ubi sepeliendus sit, qui in loco, ubi mortuus est, habet quasi Domicilium?*
40. *Ubi qui duplex domicilium habet?*
41. *Ubi Peregrini, & Advenæ?*
42. *Quid de ijs tenendum, quando decesserunt in Monasterijs?*
43. *Deciditur pro Ecclesia Parochiali.*
44. *Præscindendo à specialibus privilegijs.*
45. *Clericus sepeliri debet in Parochia Beneficij sui.*
46. 47. 48. *Etiamsi extra hanc mortuus sit.*

38 QUæritur 1. ubi sepeliendus, qui neque Sepulturam Majorum habet, neque aliquam sibi elegit? R. de jure sepeliendus est in propria Parochia, ubi domicilium habuit, & Sacramenta, cæteráque Divina percepit *c. nos instituta 1. h. tit.* & *c. animarum eod. in 6.*

Proceditque hoc, etsi non fuisset ibidem mortuus, sed in villa, vel alibi in loco extra Parochiam suam sito, ad quem se contulit recreationis, culturæ, vel amici invisendi causâ, modò ad Parochialem Sepulturam commodè portari possit, ut statuitur *c. is qui 3. pr. h. tit. in 6. Ratio est*, quia per hoc, quòd quis transeat à loco domicilij ad alium locum, ibíque ad tempus habitet, non amittit prius domicilium, nec fit incola, aut Parochianus loci, ad quem migravit ob ejusmodi causam *l. domicilium 20.* & *l. eum qui 27. §. Celsus 2. ff. ad municipal.*

Addidi *de Jure*; quia ex consuetudine, vel etiam ex conventione Parochorum ab Ordinarijs approbata aliquando defunctus sepelitur ibi, ubi mortuus est, etiamsi loci illius Parochianus non fuerit. P. Wiest. *hìc n. 36.*

39 Quæritur 2. ubi de Jure sepeliendus sit, qui extra domicilij sui Parochiam se contulit in locum aliquem animo, non quidem ibi perpetuò manendi, sed ad tempus non breve, v. g. unum annum, vel majorem anni partem, ut sunt Litterarum Studiosi, Famuli conductitij &c.

Pontius *l. 5. de matr. c. 13. n. 12.* alijs DD. allegatis contendit, illum sepeliendum in loco domicilij, si ad eum commodè portari valeat. Communior cum Sà *V. Parochus n. 2.* Sanch. *l. 3. de matr. D. 23. n. 13.* Pirh. *hìc n. 7.* Wiest. *n. 37.* existimat eum, si in tali loco decedat, sepeliendum in loco obitûs: idque meritò; nam huic sententiæ patrocinatur tam consuetudo, quàm etiam ratio: qui enim tali animo in ejusmodi locum secedunt, contrahunt ibi quasi domicilium, adeoque etiam Parochiani ejusdem efficiuntur, ita, ut Parochus illius loci Sacramenta Pœnitentiæ, Evchariſtiæ, & Extremæ Unctionis ipsis administrare, imò & Matrimonijs illorum, dum ibi actu versantur, assistere valeat, prout colligitur ex *can. quæsti 46. caus. 16. q. 1.* & *c. fin. de Paroch.* Accedit, quia hoc omnino necessarium est propter casuum frequentiam, & distantiam à loco domicilij proprij, propter quam multa permittuntur, quæ aliàs non permitterentur, ut ait Glos. *in c. 5. V. locorum distantiam de in integr. restit.*

40 Quæritur 3. ubi ſepeliendi ſint, qui in duabus, vel pluribus Parochijs domicilium habent? R. qui in diverſis Parochijs domicilium habet, in illa ſepeliendus eſt, in qua vivens Sacramenta percepit, & Officijs Divinis interfuit: ſi hoc factum ſit in utraque, in illa ſepeliri debet, quæ prævenerit: ſi autem neutra prævenit, vel uterque Parochus inter ſe litiget, litem hac in re componet Epiſcopus. Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 214. n. 13.*

Sed quid, ſi defunctus unum quidem duntaxat domicilium habuit, ſed poſitum in confinio duarum Parochiarum, ita, ut ex una parte ſit de Parochia unius Eccleſiæ, ex altera de Parochia alterius? R. hic, ſi Sepulturam ſibi nullam elegerit, nec aliquam Majorum habeat, ſepeliendus eſt in illa Parochia, ubi domus aditum habet; quia ex aditu judicatur, cui cedat *l. ſi cui ædes ff. de Legat. 3.* Bartol. *in l. quòd conclave n. 6. ff. de damn. infect.*

Quodſi domus defuncti duas haberet januas, judicabitur ſecundùm principaliorum, & aditum magis frequentatum, & talis ſolet eſſe anterior. Illuſtriſſ. Præp. Friſing. *tom. 1. conſ. 15. n. 92.* & apud hunc Bartol. Felin. Barboſ. Riccius.

41 Quæritur 4. ubi ſepeliendi ſint Peregini, & Advenæ? R. hi, ſi moriantur in locis, per quæ tranſeunt, animo moram ibi non trahendi, nec commodè ad Sepulturam Majorum, vel propriam Parochiam eorum corpora deferri poſſint, ſepeliendi ſunt vel in Eccleſia Cathedrali ſecundùm quorundam ſententiam, vel potiùs in Parochiali, in quâ ſunt defuncti, præſertim ſi à Parocho ejuſdem loci Sacramenta perceperint. Abb. *in c. 10. h. t. n. 10.* Sylv. *V. Sepultura q. 8. dict. 2.* Molin. *l. cit. n. 17.* Pirh. *hic n. 8.* qui addunt hac in re conſuetudini cujusque loci ſtandum eſſe. Idem dicendum de Vagis, & qui nuſpiam domicilium, vel quaſi domicilium habent, ut notant Abb. *in c. 1. h. tit. n. 4.* Sylv. *l. cit.* Wieſt. *n. 38.* Et eadem eſt ratio de damnatis ad mortem, ſi ſepeliri permittantur. Sylv. *dict. 3.* Pirh. *l. cit.*

42 Difficultas eſt de hujusmodi Peregrinis, & Advenis, aliisque Sæcularibus, quando deceſſerunt intra Monaſterium, nullâ ſibi electâ Sepulturâ? Lezan. *tom. 2. V. Sepultura quoad Regulares n. 47.* Bonac. *tom. 1. de Sacram. D. 4. q. 7. p. 2. n. 10.* Barboſ. *de Offic. Paroch. c. 20. n. 22.* Donat. *prax. Regular. tom. 3. tr. 10. q. 22. n. 6.* Samuel. *de Sepult. diſp. 4. contr. 15. n. 35. & 55.* & alij apud Petram *tom. 2. fol. 273. n. 45.* volunt eorum corpora debere ſepeliri in Eccleſia Monaſterij Regularium, ubi decedunt: quod *probant 1. ex can. placuit 1. cauſ. 16. q. 1.* ibi, *Vel ſi fortuitò quenquam advenientium fratrum ibi mori contigerit:* ubi ſub nomine *Fratrum* Donatus, Lezana, & alij iſtius ſententiæ Patroni intelligendum putant quemcunque Advenam Sæcularem, ut, ſi mori eum contigerit in Monaſterio, ibidem recipi ad Sepulturam poſſit. *2.* quia jus tumulandi plurimùm dependet à Jure adminiſtrandi Sacramenta, ut adeo hoc Jure conceſſo, tanquam majore, etiam prius, tanquam minus, conceſſum meritò cenſeatur. atqui Regulares habent jus adminiſtrandi Sacramenta ijs, qui intra ſepta, & clauſuram illorum pro tempore commorantur, prout PP. Dominicanis conceſſit Nicolaus V. PP. Theatinis Pius IV. & Pius V. Minoribus de Obſervantia Clemens IV. PP. Minimis Julius II. & competere omnibus Mendicantibus cum alijs notat Mirand. *Man. p. 1. q. 49. art. 1. in fin.* *3.* quia tales perſonæ dicuntur eſſe extra territorium Parochi, & in territorio exempto. ergo ſicut Parochus nullum jus poſſet habere circa defunctum, qui obiret in aliena Parochia, ita nec ſi obeat in Monaſterio, habente exemptionem localem.

Sed his non obſtantibus, dicendum, 43 inſpecto Jure communi, & præſcindendo à ſpecialibus Ordinum, & Monaſteriorum privilegijs, peregrinum, & quemvis exterum in Monaſterium receptum, ſepeliendum probabiliùs eſſe non in Eccleſia Monaſterij, ubi deceſſit, ſed in Parochiali, intra cujus territorium eſt Monaſterium, ſi defunctus propriam Parochialem non habeat, vel commodè ad eam portari nequeat. Ita Lavor. *Elucubr. Canon. tit. 2. c. 12. n. 145.* Pignatell. *tom. 1. Conſult. 306.* Antonell. *de Regim. Eccl. l. 1. c. 12. n. 21.* Paſſerin. *tom. 2. de Stat. hom. q. 187. art. 4. n. 230.* Trullench. *de Jur. Paroch. c. 9. dub. 1. n. 5.* Petra *tom. 2. comment. fol. 275. n. 47. & ſeqq.* Matthæucc. *Offic. Cur. Eccl. c. 48. n. 14.* & extant circa hoc complures Declarationes S. Congr. *in Ravennatenſi 20. Jan. 1674. in Ripana 3. Nov. 1652.* & noviſſimè deciſum eſt ab eadem *3. Febr. 1694.* Colligitur etiam ex *c. in noſtra 10. h. tit.* ubi expreſsè cavetur, non poſſe Regulares ſepelire, niſi eos, qui verè ibi Sepulturam elegerint.

Dixi, *Præſcindendo à ſpecialibus Ordi* 44 *num, & Monaſteriorum privilegijs;* conſtat enim, quòd complures Ordines, præſertim Mendicantes, habeant hujusmodi privilegia; quæ tamen, ut vim, & vigorem adhuc hodie poſſint exerere, debent data eſſe poſt Tridentinum, vel ſi ante illud data ſunt, poſt illud à Pontifice confirmata verbis ita prægnantibus, quæ ſuadeant, mentem Pontificis fuiſſe de novo illa concedere; nam per dictam Synodum omnia hujusmodi privilegia fuerunt abrogata, prout conſtat ex *ſeſſ. 24. c. 11. & 13. de reform.* Vide Petram *tom. 2. cit. fol. 277. n. 51. & duob. ſeqq.*

Ad Argumenta contraria facilis eſt reſponſio. *Ad 1.* verba illa *can. cit.* intelligi debent de Monachis alterius Monaſterij, prout advertunt Turrecr. *ibid.* Hoſt. *in c. 7. h. tit.* Paſſerin. *l. cit. n. 230.* Petra *n. 49. circa fin.* & colligitur ex antecedentibus illius textus; loquitur enim priùs de Fratre Monacho

in

in Monasterio commorante, & sic ex contextu interpretatio insurgit, quòd dein sermo sit de Fratre Monacho adveniente. *Ad 2.* id Argumentum stringit fortasse in casu, quo constat de privilegio hujusmodi exteris receptis administrandi Sacramenta: extra hunc casum sicut Sepultura, ita etiam administratio tali Laico facienda prohibita Regularibus est, prout constat ex *Clem. 1. §. 1. de privil.* & Trid. *sess. 24. c. 3. de reform. Ad 3.* Monasterium exemptum, licèt non sit de Diœcesi, est tamen situm in Diœcesi, & sic Advena in eo existens dicendus est existere in Parochia, intra quam Monasterium situm est.

45 Quæritur 5. in quo loco sepeliri Clericus debeat? R. si Beneficiatus sit, & Sepulturam vel à se, vel à Majoribus suis electam non habeat, sepeliendum in Parochia, in qua Beneficium obtinuit, stabilem residentiam & servitium personale exigens, Ita Sylv. *V. Sepultura q. 8. dict. 6.* Franches *de Eccl. Cath. c. 17. n. 18.* Donat. *tom. 3. prax. Regul. tr. 9. q. 26. n. 1.* Matthæucc. *Offic. Cur. Eccl. c. 48. n. 9. & duob. seqq.* *Ratio est*, quia Clericus Beneficiatus domicilium proprium ibi contrahit, ubi habet Beneficium stabilem residentiam exigens *c. dilectus 29. de Rescript. & l. omnes 33. pr. C. de Episc. & Cleric.* & ad utrumque locum interpretes. *Procedit que hoc*, etsi ejusmodi Clericus Beneficiatus à loco Beneficij aliquamdiu absit; nam ipsa obligatio in Ecclesia residendi, eique deserviendi facit, ut domicilium contrahatur, ut rectè Abb. *inc. 27. de Rescript. n. 4.* Mascard. *de probat. concl. 535. n. 5.* Sanch. *l. 7. cons. c. 1. dub. 23. n. 3.*

46 *Dubium est* de casu, quo Clericus Beneficiatus in una Parochia habet Beneficium, in alia habitationem, & in hac posteriori decessit? Videtur tumulandus in hac secunda, vel saltem esse locum præventioni: idque. 1. ob decisionem Rotæ, quâ Parochianus S. Dominici, non obstante, quòd ex deputatione Episcopi serviverit Ecclesiæ S. Jacobi, adjudicatus tamen est Ecclesiæ S. Dominici. 2. qui Sepulturâ non electâ, decedunt, tumulandi de Jure sunt in Parochia, in qua domicilium habent, ut dictum est *n. 38.* & si præter domicilium habitationis domicilium adhuc aliud habuit defunctus, locus est præventioni *n. 40.* 3. qui sine Sepultura à se, vel à Majoribus suis electa decedunt, sepeliri debent in illa Parochia, cui deberetur Portio Canonica, atqui se ejusmodi Clericus sepulturam elegisset alibi, portio Canonica debita fuisset Parochiæ habitationis, in qua decessit, nam hæc de Jure debetur illi Ecclesiæ, ex qua defuncti corpus assumitur *c. certificari 9.* & *c. seq. h. tit.* ergo &c.

47 Sed his non obstantibus, dicendum, secluså speciali consuetudine, pactis, & Concordatis inter Ecclesias, Clericum tali casu sepeliendum in Parochia, in qua Beneficium habuit. Ita Professor, & Antecessor meus P. Jacobus Wiestner p. m. *hic n. 41. & seqq.* & stant pro hac responsione DD. omnes, quatenus indiscriminatim docent, Clericos Beneficiatos, si Sepulturam vel à se, vel à Majoribus electam non habeant, sepeliendos esse in Parochijs, in quibus obtinuerunt Beneficium exigens stabilem residentiam, & servitium personale. *Ratio est*, quia generaliter Fideles, qui Sepulturam Majorum, aut à se electam non habent, tumulari debent in Parochijs, in quibus proprium domicilium habent; & si duplex domicilium in diversis Parochijs habuerunt, in illa, in qua Sacramenta, cæteráque Spiritualia; & Divina perceperunt, & obierunt ex obligatione *c. nos instituta 1. h. tit.* & *c. animarum 1. eod. in 6.* atqui Clericus Beneficiatus ipsa obligatione residendi in Beneficio, eique deserviendi domicilium contrahit in Parochia Beneficij, & præterea vivens in eadem Sacramenta percepit, cæteráque Spiritualia, & Divina ex obligatione obijt. ergo &c.

48 In contrarium adducta non admodum urgent. *Ad 1.* Decisio allegata potiùs nobis favet; quia ibi Clerici corpus adjudicatum est Ecclesiæ S. Dominici ex hac solùm ratione, quia is non erat de Corpore Ecclesiæ S. Jacobi, sed ejus servitio ad tempus duntaxat, & non perpetuò, ut veri Beneficiati solent, addictus. igitur à sensu contrario, si fuisset de Corpore Ecclesiæ S. Jacobi, eique instar veri Beneficiati perpetuò adstrictus, fuisset in hac, & non in Ecclesia S. Dominici tumulandus. *Ad 2.* licèt in alijs, habentibus plura domicilia, præferatur domicilium habitationis, vel saltem concurrat, in Clericis tamen præfertur domicilium Beneficij, quia istud respectu ipsius censetur principale esse, ut notat Innoc. *in c. 17. de privil.* Abb. *in c. 27. de Rescript. n. 4.* Felin. *ibid. n. 6.* *Ad 3.* non tam locus, ex quo corpus per accidens assumitur, quàm locus, in quo defunctus Sacramenta percepit, spectandus est; nam in hoc, & non in priore solvenda est Portio Canonica, ut patet ex *c. nos instituta cit. c. de bis 4. h. tit.* & *c. cùm quis 2. eod. in 6.*

§. V.

De Personis Sepulturâ Sacrâ indignis.

SUMMARIUM.

49. *Recensentur, qui Ecclesiasticâ Sepulturâ indigni sunt.*
50. *Si horum aliquis sepulturam Ecclesiasticam accepit, corpus ejus procul ab Ecclesia abjici debet.*
51. 52. *Et Ecclesia reconciliari.*
53. *Pœnæ ita sepelientium.*
54. 55. 56. *Requisita, ut incurrantur.*
57. *Sepulturâ Ecclesiasticâ privantur Excommunicati vitandi.*
58. *An etiam non vitandi, sed publici?*
59. *Tenetur negativa, si datis pœnitentiæ signis decesserint.*
60. *Solvuntur objectiones.*
61. *Absolvi tamen prius debent à Censura.*
62. *A quo?*
63. *Et quomodo?*
64. 65. 66. *Quando Ecclesiasticâ Sepulturâ privandi sint Suicidæ?*
67. 68. 69. *An fideles, ob gravia delicta ultimo supplicio affecti, si pœnitentes obierint, in loco Sacro sepeliri possint?*
70. *Quid cum ijs faciendum, qui moriuntur in carcere, aut occiduntur, dum ex eo fugiunt?*
71. *Quid agendum, si mater moriatur prægnans?*

49 QUæritur 1. quinam repellantur à Sepulturâ Ecclesiasticâ, tanquam illâ indigni? R. 1. ab ea repelluntur Pagani, Judæi, aliique Infideles *can. Ecclesiarum 28. de consecr. dist. 1.* 2. Hæretici, eorúmque in crimine Hæreseos credentes, receptatores, fautores, & defensores *can. fin. caus. 24. q. 2. c. excommunicamus 13. §. credentes de Hæretic.* etiamsi eorum Hæresis primùm post mortem sit manifestata *can. sanè 3. caus. & quæst. cit.* 3. Infantes fidelium, qui decesserunt sine Baptismo. *Ritual. Roman. tit. de Exequijs, Rubr. quib. non lic. dar. Eccl. Sepult.* Medices *de Sepult. p. 1. q. 11. n. 15.* Samuel. *de Sepult. tr. 2. D. 1. contr. 4. n. 4.* Præpos. Frising. *tom. 1. cons. 15. n. 254.* 4. Catechumeni, ut contra Samuel. *l. cit. n. 19.* ex communi DD. tradit, & authoritate S. Ambrosij firmat. Laym. *l. 3. tr. 5. c. 12. n. 11.* quia quamvis Ecclesia pro eis oret, nondum tamen eam ingressi sunt per Baptismum. 5. Excommunicati, saltem vitandi, etiamsi Contritionis signa ante obitum dederint; quia quibus non communicamus vivis, nec defunctis in Sepultura communicare debemus *can. quicunque 37. caus. 11. q. 3. can. de Communione 1. caus. 34. q. 2.* & expressiùs *c. sacris 12. pr. h. tit.* 6. notorij, & denuntiati Interdicti, nisi constet, vel rationabiliter præsumatur, quòd signa Pœnitentiæ dederint *c. à nobis 28. de sent. excomm. c. is cui 20. eod. in 6.* & *Clem. 1. h. tit.* 7. Usurarij manifesti, nisi priùs restituerint, vel de satisfaciendo idoneam cautionem præstiterint *c. quia in omnibus 3. de Usur.* & *c. quanquam 2. ibid. in 6.* 8. Raptores, & Incendiarij, si ante restitutionem sine signis Pœnitentiæ decedant *c. super eo 2.* & *c. in litteris 5. de raptorib.* 9. ij, qui Decimas Ecclesiæ debitas injustè detinent *c. prohibemus 19. de Decim.* 10. Maledici, sive Blasphemi *c. statuimus 2. de Maledic.* 11. Religiosi proprietarij *c. Monachi 2.* & *c. super quadam 4. de Stat. Monach.* 12. qui Confessionem annuam, & Communionem Paschalem voluntariè negligunt *c. omnis 12. de pœn.* & *remiss.* 13. qui in Torneamentis, & Hastiludijs occiduntur, si talia illa sint, ut ex ijs probabile mortis periculum immineat *c. felicis 1.* & *c. fin. de Torneam.* 14. qui ferro, veneno, laqueo, præcipitio in puteum, vel flumen &c. mortem sibi ipsis sponte intulerint *can. placuit 12. caus. 23. q. 5.* 15. qui occumbunt in duello, etiam privato, ex condicto certo loco, & tempore instituto. Trid. *sess. 25. c. 19. de reform.* junctis *Constit. Gregorij XIII.* incipit *ad tollendam 1582.* & *Clem. VIII.* incipit *Illius vices 1590.* 16. denique fures, latrones, concubinarij, & quicunque peccatores publici, sine Pœnitentia notoriè decedentes *can. quibus 16. caus. 13. q. 2.* De quibus latè Illustriss. D. Præposit. Frising. *tom. 1. cons. 15. à. n. 129.*

50 Quæritur 2. quid faciendum casu, quo alicui Sepultura Ecclesiastica concessa fuit, cui illa negari debuit? R. 1. si ossa ita sepulti ab aliorum Fidelium corporibus discerni possint, exhumari debent, & ab Ecclesiastica sepultura procul abijci *c. Sacris. 12. h. tit.* Dixi, *Si discerni possint*; nam si discerni nequeant, non expedit illa extumulari ad vitandam vexationem cadaverum cæterorum Fidelium, ut habetur *c. cit.* & additur *ibidem* ratio; quia *licèt non obsit justis Sepultura nulla, vel vilis, impijs tamen celebris, & speciosa non prodest.*

51 2. Si sepultus sit Excommunicatus denuntiatus, & vitandus, Ecclesia, vel Cæmeterium, in quo sepultus est, reconciliari debet; quia per Sepulturam ejusdem pollutum censetur *c. consuluit 7. de consecr. Eccl. vel Altar.* Addidi *denuntiatus*, & *vitandus*; nam si defunctus ibi sepultus sit Excommunicatus quidem, sed toleratus, (ut in Germania sunt Lutherani) etsi licitè in loco Sacro sepeliri nequeat (cùm valdè indecens sit in tali loco sepeliri, qui præcisus est ab Ecclesia, nec Suffragiorum Ecclesiæ capax) si tamen sepultus ibidem sit, per ejus Sepulturam locus

Sacer

Sacer non violatur, cons. reconciliatione non indiget, ut cum communi advertit Pirh. *hic n. 70.*

52 3. Si sepultus sit Infidelis, non tantùm corpus ejusdem extrahendum, & Ecclesia reconcilianda est, sed etiam tigna, & parietes illius radendi, atque lavandi sunt, ut præscribitur *can. Ecclesiam 28. dist. 1. de consecr. Procedítque hoc*, non tantùm casu, quo corpus Infidelis ibidem sepultum est, antequam consecraretur Ecclesia, ut consecrari possit; sed etiam postquam consecrata est, ut Missæ, & Divina Officia celebrari in ea possint, ut satis clarè colligitur ex *can. cit.* ubi tantùm excipitur, *Si fideles fuerint, qui in ea sepulti sunt.* igitur dispositioni primæ hujus *can.* subjacebit Ecclesia, in qua post consecrationem sepultus est Infidelis.

53 4. Qui scienter in loco Sacro sepeliunt Excommunicatum non toleratum, aut Usurarium manifestum, aut nominatim Interdictum, præter reatum peccati mortalis Censuram Excommunicationis ipso facto incurrent, à qua absolvi priùs non debent, nisi postquam ad arbitrium Episcopi Diœcesani competentem satisfactionem exhibuerint ijs, quibus eo facto injuria irrogata, est prout statuitur *c. quicunque 2. pr. de Hæret. in 6.* & *Clem. eos qui 1. h. tit.*

54 *Dubium est*, quid requiratur, ut incurratur hæc Pœna? R. 1. requiritur, ut qui reus sit hujus pœnæ, corpus Excommunicati, Usurarij &c. sepeliverit proprijs manibus, vel mandato suò procuraverit sepeliri. Hinc ab ejusmodi Censura immunes sunt, qui consulunt, vel non impediunt, qui funus comitantur, vel cantant, aut Crucem, & luminaria deferunt; qui suis humeris cadaver ad Sepulchrum deferunt, vel Sepulchrum effodiunt; modò postea corpus ei non inferant. Pirh. *hic n. 80. Ratio est*, quia verè, & propriè non sepeliunt, & licèt aliquo modo cooperentur, cooperantur tamen solùm remotè, ut adeo *Constitutio Clementina cit.* quippe pœnalis, ad istos extendi non debeat.

55 2. Requiritur, ut in loco Sacro sepeliverint. Hinc Excommunicationem non incurrunt, qui ejusmodi corpora sepeliunt in loco profano: quod probabiliùs verum est, etiamsi locus ille sit vicinus, vel contiguus Ecclesiæ, aut Cœmeterio, ut contra Abb. *in c. Sacris 12. h. tit. n. 3.* cum communi advertit Gloss. *in Clem. cit. V. Cœmeterijs. Excipitur*, nisi ad ejusmodi locum efferatur cum pompa funebri, & ceremonijs Ecclesiasticis; cùm enim pompa funebris ordinetur ad Sepulturam Ecclesiasticam, dum hac privantur Excommunicati, etiam illâ privati censentur. Pirh. *n. 80. cit. not. 4.*

56 3. Requiritur, ut scienter in loco Sacro Excommunicatum &c. sepeliverint; nam qui ex ignorantia, etiam culpabili, prædictos in tali loco sepeliunt, ab hac Censura sunt liberi: & ratio est, quia *Clem. cit.* pœnam istam solùm fert in eos, qui *scienter præsumunt* tales sepelire in loco Sacro.

4. Requiritur denique, ut sponte, nulla vi, aut metu coacti hoc fecerint. Et hinc qui gravi metu coacti hoc fecerunt, pro Excommunicatis haberi non debent, ut colligitur ex *eadem Clem.* ibi, *Qui propriæ temeritatis audaciâ &c.*

Quæritur 3. quinam Excommunicati 57
priventur Sepulturâ Ecclesiasticâ? *Certum est 1.* eâ privari Excommunicatos vitandos, cujusmodi post *concil. constant.* & in eo editam *Constitutionem Martini V.* incipit *Ad evitanda scandala*, sunt notorij Percussores Clericorum, & publicè, ac nominatim denuntiati. Patet ex *c. sacris 12. h. tit.* & *c. Episcoporum 8. de privil. in 6.* ubi ipsis jus Sepulturæ Sacræ apertè adimitur. *Excipitur 1.* nisi viventes reconciliationem petierint, nec per eos steterit, quo minùs reconciliarentur; tunc enim post mortem ab Excommunicatione absolvendi, & Sepulturæ Ecclesiasticæ, sed non ante absolutionem mandandi essent *arg. c. à nobis 28. de sent. Excomm.*

Certum est 2. sepeliri in loco Sacro posse Excommunicatum toleratum, saltem occultum. Ita facilè omnes, & demonstrat hoc etiam ratio; quia cùm privatio Sepulturæ sit evitatio publica, etiam requirit causam publicam, ne aliàs pœna excedat delictum, & is, qui præsumitur bonus, hac ratione infametur.

Punctum Controversiæ versatur in eo, 58
utrum in loco Sacro sepeliri possit Excommunicatus toleratus, sed publicus? Negant cum quibusdam alijs Zœs. *h. tit. n. 9.* & Engl *n. 19.* sed ex ratione diversa: *Prior* ideo, quia putat per Sepulturam uniuscujusque Excommunicati, etiam non vitandi, violari Ecclesiam, seu locum Sacrum; *Posterior* autem, quia ait *Constitutione Martini V. cit.* nullum favorem indultum esse Excommunicatis; esset autem maximus favor, si vi illius Excommunicati non vitandi gaudere possunt Sepulturâ Ecclesiasticâ. ergo &c.

Sed dicendum est, probabiliùs Ex- 59
communicatos non vitandos quoscunque, si datis Pœnitentiæ signis decesserint, in loco Sacro sepeliri posse, quamvis expediat, ut antequam in tali loco mandentur terræ, ab ea Excommunicatione absolvantur. Ita Suar. *de Censur. D. 12. s. 4. n. 5.* Pal. *tr. 29. D. 2. p. 6. n. 12.* Petra *tom. 2. comment. fol. 397. n. 48.* Pirh. *hic n. 68.* Wiest. *n. 5.* & hoc teste communiùs DD. *Ratio est*, quia *Constit. Martini V. cit.* Fidelibus permissa est communicatio externa cum ejusmodi Excommunicatis, nec distinguitur inter vivos, & mortuos.

Neque urgent rationes contrariæ *Ad* 60
primam Zœsij dictum est *n. 51.* per Sepulturam Excommunicati tolerati locum Sacrum non violari: & ratio est, quia violatio hæc Ecclesiæ fundatur in prohibitione sepeliendi Excommunicatum in loco Sacro, quæ pro-

hibitio pér *Constitutionem Martini V. cit.* restricta est ad solos Excommunicatos vitandos. *Ad secundam* P. Engl non obest, quòd *Constitutio cit.* Excommunicatis non faveat; quia prohibitio Sepulturæ propriè non cadit in ipsos Excommunicatos, cùm sepelire seipsos nequeant, sed in alios Fideles; his autem post Concilium Constantiense, & *Constit. cit.* non magis prohibita est communicatio, quæ fit in Sepultura, quàm alia inter vivos.

61 *Dubitatur*, à quo absolvi possit, & debeat Excommunicatus in articulo mortis, ut gaudere possit Ecclesiasticâ Sepulturâ? R. absolvi potest à quolibet etiam simplici Sacerdote, saltem si alius Ordinariam, vel Delegatam potestatem absolvendi ab Excommunicatione habens non adsit. *Proceditque hoc*, etsi Censura sit reservata Papæ; quia in articulo mortis omnis reservatio cessat, idque ob necessitatem, ne occasione denegatæ absolutionis aliquis pereat, ut loquitur Trid. *sess. 14. c. 7. de Pœnit.*

62 Dixi, *saltem si alius Ordinariam, vel Delegatam potestatem absolvendi ab Excommunicatione habens non adsit*; nam multi cum Laym. *l. 5. Theol. tr. 6. c. 12. n. 14.* docent, si talis aliquis Sacerdos adsit, v. g. Parochus, vel Regularis privilegiatus, simplicem Sacerdotem ne quidem in articulo mortis absolvere validè à peccatis mortalibus, & Censuris posse: quod probant ex eo, quia Sacerdoti simplici in articulo mortis concessa est hæc potestas ob necessitatem; concessio autem ob necessitatem facta præcisè durat tamdiu, quamdiu durat necessitas; hæc verò cessat præsente alio, qui potestatem absolvendi habet. ergo &c.

63 Verùm quia complures TT. & Canonistæ contrarium tenent, & existimant, etiam præsente Ordinario quemlibet Sacerdotem in articulo mortis posse absolvere, hinc in praxi tutum erit sequi sententiam ex his duabus, quam quis voluerit.

A quocunque autem fiat absolutio ab Excommunicatione, fieri debet secundùm præscripta Canonum, ut innuitur *c. fin. h. tit.* videlicet, ut Excommunicatus priùs non absolvatur, quàm realem satisfactionem parti læsæ præstiterit, vel saltem, si statim exhiberi non possit, cautionem, seu promissionem satisfaciendi dederit.

64 Quæritur 4. quando Ecclesiasticâ Sepulturâ privandi sint Suicidæ, seu qui seipsos occiderunt, aut in proximum periculum mortis se conjecerunt? R. tum solùm, quando id fecerunt spontè, & nulla urgente causa, & insuper constat, quòd ipsemet sibi quis manus intulerit, nec defacto pœnituerit *can. placuit 12. caus. 23. q. 5.*

Ex quo sequitur, sepulturâ Ecclesiasticâ privari non posse. 1. Qui seipsos occiderunt furore, amentiâ, aut alia mentis alienatione. Pirh. *hic n. 65.* Wiest. *n. 7.* Præpos. Frising. *cons. 15. n. 217.* R. P. Schmier *p. 3. de Jurib. Eccl. c. 2. n. 33.*

2. Si casu id factum sit, qualis est, 65
cùm qui ad puteum accedit aquam hausturus, in eum prolabitur, & aquâ suffocatur. Wiest. *n. 8.*

3. Siquis in flumen, vel per fenestras præcipitem se dederit, ut malum sibi impendens evitaret, v. g. incendium, insidias, vel aliud vitæ, aut etiam pudicitiæ periculum. Pirh. *n. 64.* & colligitur ex *c. ex parte 11. h. tit.*

4. Siquis animo se occidendi seipsum lethaliter vulneravit, aliquamdiu tamen supervixit, & pœnituit. Sylv. *V. Sepultura q. 9. §. tertiò in fin.* Samuell. *tr. 2. de Sepultur. D. 1. contr. 4. n. 2.*

5. Siquis reperiatur mortuus in pu- 66
teo, vel è laqueo suspensus, in flumine submersus, veneno, vel alio simili modo interfectus, ut non constet, quòd à seipso interfectus sit. Farin. *prax. crim. q. 128. n. 19.* Covar. *var. l. 2. c. 1. n. 11.* Barbos. *de Offic. Paroch. c. 26. n. 49.* Engl *hic n. 20.* Pirh. *n. 65.* Wiest. *n. 8.* Petra *tom. 2. comment. fol. 398. n. 51.* Præpos. Frising. *tom. 1. cons. 15. n. 220.* R. P. Schmier *l. cit. n. 34.* & alij apud istos. *Ratio est*, quia in dubio præsumitur potiùs casu, aut per vim, vel insidias ab alio, quàm spontè, & à seipso interfectus esse, cùm de nemine præsumatur delictum, præsertim adeo grave *arg. l. meritò 51. ff. pro Socio.*

Quæritur 6. an Fideles, ob gravia de- 67
licta ultimo supplicio affecti, si pœnitentes obierint, in loco Sacro sepeliri possint? *Rationem dubitandi* facit textus *can. placuit 12. caus. 23. q. 5.* in quo Sepultura Ecclesiastica denegatur ijs, qui pro suis sceleribus ultimo supplicio affecti sunt. Sed respondendum est affirmativè. Ita Abb. *in c. 11. h. tit. n. 4.* Covar. *l. 2. var. c. 1. n. 11.* Pirh. *hic n. 62.* Schambog. *n. 27. & 28.* Wiest. *n. 12.* & patet ex *can. quæsitum 30. caus. 13. q. 2. Ratio est*, quia Ecclesia non negat Ecclesiasticam Sepulturam, quibus concedit sua Sacramenta, ut colligitur ex *can. quæsitum cit.* atqui extremo supplicio afficiendis, si verè pœnitentes sint, Ecclesiastica Sacramenta sua non negat. ergo &c. *Neque* obstat *can. placuit cit.* nam ut Gloss. *ibid. V. pro suis sceleribus* notat, id intelligendum est, nisi fuerint contriti.

Majoris indaginis difficultas est, an 68
rationabilis, vel saltem tolerabilis sit consuetudo, quâ certorum reorum corpora in pœnam criminis, ad aliorum exemplum, vel in perpetuum, vel ad certum tempus in loco publico suspensa, & insepulta relinquuntur. Negant nonnulli cum Brunnem. *in l. corpora 1. ff. de cadaver. punitor.* & probare istud videntur complures Juris utriusque textus. 1. Quia, ut ex *can. quæsitum cit.* est annotatum, Ecclesia Sepulturam in loco Sacro non negat ijs, quibus concedit sua Sacramenta. 2. Quia, ut dicitur *l. fin. C. si reus, vel accusat. mort.* & *l. defuncto 6. ff. de public. Judic.* reo defuncto, crimen, & ipsa etiam criminis pœna extinguitur. 3. Quia *l. cùm sit 6. C. de sepulcr.*

sepulchr. violat. prohibetur mortuorum reliquijs ulla fieri injuria. 4. Quia *l. corpora 1. & l. fin. ff. de cadaver. punitor.* jubentur corpora capite damnatorum, & animadversorum dari cognatis, & quibusvis alijs ea petentibus.

69 Verùm hi textus plus non probant, quàm quòd non passim, & omnia animadversorum cadavera sine discrimine ad hominum spectaculum, & ferarum laniatum relinqui insepulta possint; hoc enim inhumanum, & cons. à ratione alienum omnino foret. *Dicendum ergo*, si atrociora sint crimina, ad hominum terrorem, animadversorum cadavera suspensa furcâ, implexa rotæ, palo suffixa &c. relinqui sine Sepulturæ honore posse. Ita Covar. *c. 1. cit. n. 11.* Perez *in Cod. si reus, vel accusat. mort. in fin.* Zoes. *ff. de cadav. punitor. à n. 1.* Petra *tom. 2. comm. fol. 397. n. 50.* Schambog. *hic n. 27.* Wiest. *n. 15. Ratio est*, quia ex tali exemplo in totam communitatem redundat utilitas publica, quæ semper prævalere debet bono privato, quod Sacra Sepultura defuncto affert. *Conf. à pari*; quia à nemine reprobatur consuetudo, quâ punitorum cadavera ad Anatomiæ, & alios artis suæ usus conceduntur Medicis, ut inde eruant aliqua suæ artis arcana ad procurandam sanitatem corporum. atqui sanitas corporum minùs curanda est, quàm felicitas Reip. quæ procuratur exponendo in furcis, & rotis morte punitorum cadavera. ergo &c.

70 Quæritur 6. quid faciendum de cadaveribus reorum, qui ex vulnere, morbo, vel casu moriuntur in carcere, aut occiduntur, dum fugam ex eo parant, vel capiunt?

℟. in his adhibendam distinctionem, quam insinuat Farin. *prax. crim. q. 10. n. 78. & 79.* Nam si de crimine, cujus rei agun-

tur, condemnati jam sunt, aut saltem de illo per judicialem confessionem, legitimam probationem, aut facti evidentiam legitimè, & ita constat, ut ipsis nulla prorsus defensio competat, concedendum est ejusmodi cadavera, si crimen insuper atrox, aut publicè perniciosum sit, eâ, quam vivi merebantur, ignominiâ affici, & in furcam, vel rotam agi, ibique relinqui posse.

Secus, si nec condemnati, nec convicti, aut in notorio, & flagranti crimine deprehensi sint; nam in horum cadavera eo rigore non potest procedi, neque etiam de consuetudine proceditur: & ratio clara est; quia talis ante legitimam probationem criminis in furcam, aut rotam agi non poterat vivus. igitur multo minùs poterit mortuus.

Quæritur 7. quid agendum, si mater 71
moriatur prægnans? ℟. iterùm cum distinctione: Vel enim simul cum matre etiam proles est mortua, vel adhuc vivit, matre mortua, vel saltem dubium est, an vivat?

Si simul cum matre etiam proles sit mortua, non est exsecanda ex ventre matris defunctæ, sed unâ cum illa sepeliri debet, ut notat Gloss. *in can. si quidquid 35. de consecr. dist. 4* Sylv. *V. Sepultura q. 10. dict. 1.* Pirh. *hic n. 63.* Wiest. *n. 3. Ratio est*, quia fœtus est pars ventris, seu matris *l. temporibus 1. §. ex hoc rescripto 1. ff. de inspiciend. ventr. & custod. part.*

Si verò partus adhuc deprehendatur vivere, aut dubium sit, an vivat, mater scindi debet, postquam est mortua, & fœtus extrahi, ut baptizetur. Sylv. *l. cit.* Dixi, *postquam est mortua*; dum enim vivit, scindenda non est, si sine periculo mortis inferendæ scindi non possit, ut cum Sylv. notat Pirh. *l. cit.*

§. IV.

De Jure Sacræ Sepulturæ, & hujus Sumptibus.

SUMMARIUM.

72. 73. *An Jus Sepulturæ Sacræ dari alicui possit?*

74. *Quot modis possit aliquis habere Sepulchrum proprium ad usum?*

75. *Quomodo acquiratur jus Sepulturæ familiaris, aut hæreditariæ?*

76. *An Ecclesia locum, ad Sepulturam familiarem; vel hæreditariam datum uni, concedere possit alijs?*

77. *Pœna sepelientium aliquem, qui in Parochiali sepeliri debuit.*

78. *Ubi sepeliendum corpus, cùm litigatur de Sepulturæ loco?*

79. *An alibi sepultum, quàm debuit, ante omnia restitui debeat?*

80. *An aliquid occasione Sepulturæ peti, vel accipi possit?*

81. *Quando?*

82. *An jus sepulturæ propriè vendi alijs?*

72 QUæritur 1. an jus Sepulturæ Sacræ dari alicui possit? ℟. quæstionem hanc quadrupliciter formari posse. 1. An dari alicui Jus Sepulturæ possit, ita, ut fiat dominus Sepulturæ? 2. An alicui Jus istud dari possit, ut ipse in sua Ecclesia possit sepelire alios, qui id petierint? 3. An dari sic possit, ut quidem non transferatur dominium loci Sacri, transferatur tamen jus sepeliendi, & usus loci Sacri, qui uni Ecclesiæ competebat, & tribuatur alteri Ecclesiæ, vel Monasterio? 4. Denique an possit Jus istud dari, ut ipse, & sui in certa Ecclesia, vel loco sepeliantur, neque ipsis invitis alius extraneus in eo sepeliri possit?

Primo

73 *Primo modo* Jus Sepulturæ, etiam authoritate Episcopi, dari nequit, quia res Sacræ, & Religiosæ, qualis est Sepultura, & locus Sepulturæ Sacræ, non possunt esse sub dominio alicujus. *Secundo modo* spectatum Jus Sepulturæ dare potest Summus Pontifex pro tota Ecclesia, & Episcopus pro sua Diœcesi, sed hic non nisi ex justa causa, & cum consensu Capituli, ut dictum est *n. 7.* *Tertio modo*, cùm alienatio quædam sit, indiget solennitate requisita in alienatione rerum Ecclesiasticarum. *Quarto denique modo* concedi potest locus Sepulturæ à quolibet habente liberam Sepulturam, sive jus admittendi alios ad Sepulturam in sua Ecclesia, vel loco Sacro: neque opus est speciali consensu Episcopi; quia sic admittens ad Sepulturam habet facultatem à Jure Communi, vel ex legitimo speciali privilegio concessam. Pirh. *hic n. 33.*

74 Dub. 1. quot modis possit aliquis habere Sepulchrum proprium ad usum? R. duobus modis. 1. Ut sit commune toti familiæ, pro se sc. uxore, & liberis utriusque sexûs per lineam masculinam descendentibus; tale Sepulchrum *Familiare* dicitur: possúntque in eo sepeliri, etiamsi hæredes non sint, non tamen extranei sine consensu ipsorum, ad quos jus istud pertinet.

2. Ut sit constitutum pro se, & hæredibus suis; & hoc *Hæreditarium* appellatur: & admittuntur ad illud Hæredes tantùm; cons. ad familiares illud se non extendit, nisi simul Hæredes sint *l. familiare 5.* & *l. seq. ff. de Relig. & sumpt funer. l. in sepulchrum 4.* & *l. jus Sepulchri 13. C. eod.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 214. n. 5. & 6.*

75 Dub. 2. quomodo acquiratur Jus Sepulturæ familiaris, aut hæreditariæ? R. olim tale jus Sepulturæ acquirebatur, siquis in loco, vel fundo suo Sepulchrum ædificavit. Hodie ad acquirendum jus sepulturæ pro se, & familia sua, vel hæredibus, cum exclusione extraneorum, requiritur licentia ab ijs concessa, qui eam dare possunt, ut sunt Episcopus, sive Ordinarius loci, vel ex privilegio etiam Religiosi, qui illam in suis Ecclesijs, Capellis, Cœmeterijs concedere possunt. Debet tamen cum licentia ædificandi Sepulturam accedere ipsa ædificatio subsecuta; nam ad hoc, ut privativè quoad alios jus sepulturæ acquiratur in certo loco, non sufficit sola licentia Sepulturam ibidem ædificandi. Multo minùs quæsitum tale jus censetur ex solo cursu decennali, & cadaverum illatione; vel ex Jure Patronatûs, quod quis habet in Ecclesia. Videatur Barbos. *de Offic. Parocb. c. 26. n. 12. & duob. seqq.*

76 Dub. 3. an Ecclesia locum, alteri ad Sepulturam Familiarem, vel Hæreditariam datum, concedere possit alijs? R. potest, extinctâ totâ Familiâ, vel Hæredibus deficientibus; quia tunc jus illud redit ad Ecclesiam, sicut mortuo Usuario, usus redit ad proprietarium *l. pen. C. de Usufr.* Imò etiamsi superstites adhuc aliqui sint de familia, vel hæredibus, potest Prælatus Ecclesiæ, etiam invitis illis, propter necessitatem, vel aliam justam causam, extraneum aliquem admittere ad Sepulturam in tali loco. Abb. *in c. 13. h. tit. n. 5.* Sylv. *V. Sepultura q. 3. dict. 2.* Barbos. *de offic. & potest. Parocb. c. 26. cit. n. 15.* Pirh. *hic n. 34.*

77 Quæritur 2. ad quid teneantur Religiosi, vel Clerici Sæculares, si in suis Ecclesijs sepelire præsumant aliquem, qui de Jure in aliqua Parochia sepeliri debebat? R. debent restituere corpus, seu cadaver sepultum, unà cum omnibus, quæ ratione illius acceperunt. Ita statuitur *c. ex parte 5. & c. in nostra 10. h. tit.*

Neque obstat, quòd aliàs defunctorum corpora, Sepulturæ semel tradita, exhumari, & aliò transferri prohibeantur, ut constat ex *l. nemo 14. C. de religios. & sumpt. fun.* & ex *Declaratione S. Congr. Episc. & Regul. editâ 11. Sept. 1643.* quâ reprehendi jussi sunt Regulares, quòd cadaver sepultum in sua Ecclesia, ut à Curia Sæculari recognosceretur, sine consensu Episcopi permiserint exhumari, ut refert Laur. de Franchis. *Contr. Episc. & Regul. p. 2. q. 66. n. 2.* *Non*, inquam, *hoc obstat*; quia casus noster est specialis, & Jus speciale communi derogat, illúdque restringit.

Procedítque hoc etiam casu, quo raptor cadaveris esset Parochus; nam & ipse funus, & quæ intuitu ipsius acquisivit, restituere debet, ita, ut ne quidem ei debeatur Portio Canonica, nisi tamen componere cum eo illi, qui injuriam passi sunt, velint. Barbos. *in c. 6. h. tit. n. 3.*

78 Dub. 1. ubi sepeliendum sit cadaver defuncti, si alia Ecclesia asserat sibi competere Jus Sepulturæ ex causa speciali, vel quia in Ecclesia illa dicitur esse Sepulchrum Majorum defuncti, vel quia prætenditur, quòd defunctus ibi Sepulturam elegerit?

R. si lis ista tam citò decidi nequeat, sepeliendum esse in Ecclesia Parochiali, etiam Appellatione postposita; quia Sepultura hominis non recipit dilationem *l. ne corpora 38. ff. de Religios. & sumpt. funer.* Porro onus probandi incumbit Ecclesiæ asserenti, quòd sibi jus sepeliendi competat contra Ecclesiam Parochialem; quia Ecclesia Parochialis intentionem fundatam habet, quòd Parochiani sui in illa sepeliri debeant, ut bene advertit Pirh. *hic n. 41.*

79 Dub. 2. an corpus defuncti sepultum alibi, quàm altera Ecclesia prætendat, ante omnia restitui debeat, si Ecclesia hæc fuit, & est in possessione Juris sepeliendi?

R. non esse restituendum, nisi priùs Ecclesia talis probet jus, seu titulum proprietatis, saltem apparenter justum, ut latiùs dictum est *lib. 2. tit. 13. n. 30.* ubi ostenditur, casum istum à Regula generali, quæ spoliatum ante omnia restitui jubet, exceptum esse: & quidem meritò ad evitandam vexationem

cada-

cadaveris, quæ aliàs sequi posset; posset enim contingere, ut pars, seu Ecclesia, conventa Interdicto Possessorio, probaret titulum proprietatis, seu jus sepeliendi sibi competere: quo casu corpus iterum exhumandum, & restituendum esset, cùm causa proprietatis absorbeat causam possessionis.

80 Quæritur 3. an pro Sepultura aliquid exigi, vel accipi possit? R. postquam fundus aliquis semel ad Fidelium Sepulturam est deputatus, benedictus, vel consecratus, neque pro ipso fundo, neque pro jure sepeliendi in illo, neque pro ipso actu Sepulturæ sine Simoniæ vitio aliquid tanquam pretium accipi, vel peti potest. *Ratio* est manifesta; quia hæc omnia Spiritualia sunt, & Spirituale pretio temporali vendi non potest.

81 Dixi, *postquam est consecratus*, & *tanquam pretium*; nam si res temporalis non habeat rationem pretij, aut non detur pro re Sacra, peti illa, & accipi potest. In specie potest aliquid licitè peti, & accipi. 1. Pro fundo, seu terra nondum Sacra, vel benedicta, ut in Cœmeterium convertatur; quia terra illa est res merè temporalis, & pretio æstimabilis. igitur sicut aurum pro Calice, & fundus pro Ecclesia ædificanda emi, & vendi potest, ita etiam terra pro constituendo Cœmeterio. 2. Pro loco Sepulturæ digniore, aut pro obligatione non admittendi ad certum aliquem Cœmeterij locum, vel Sacellum, nisi cadavera defunctorum ex certa familia; quia hujusmodi obligatio accidentalis, & pretio æstimabilis est. 3. Pro conservatione, & reparatione Cœmeterij, vel loci specialis Sepulturæ. 4. Pro sustentatione Ministrorum, & stipendio Clericorum ad id ex officio suo non obligatorum. 5. Si fideles tali occasione aliquid sponte, & ex devotione offerant Parocho. 6. Si Parochus aliter sustentationem congruam, & sufficientem non habeat. 7. Si consuetudine legitima introductum sit, ut pro sepultura aliquid detur. Vide Barbos. *de Offic. & potest. Paroch. c. 26. cit. à n. 16.* Pirh. *hic n. 35.* Wiest. *n. 49.*

82 *Dubitatur*, an si quis habeat Sepulchrum proprium, suis sumptibus emptum, & ædificatum pro se, & suis, vendere illud quoad proprietatem possit juxta valorem fundi, & habito respectu ad solas expensas in eo ædificando factas?

Affirmat Suar. *l. 4. de Simon. c. 14. n. 18.* Negat communior DD. cùm Abb. *in c. 13. h. tit. n. 4. Ratio est*, quia postquam locus aliquis ad Fidelium Sepulturam publica authoritate Ordinarij Prælati deputatus, benedictus, vel consecratus est, non ampliùs est in ullius privati dominio, ac propterea vendi non potest. atqui talis locus est etiam Sepulchrum proprium Familiæ Christianæ in Ecclesia, vel Cœmeterio aliquo positum, ergo &c. Idem dicendum de structura, & ornamentis Sepulchri; ea enim, cùm sint superædificata, & imposita loco Sacro, censentur esse sacra, & in nullius dominio esse.

Neque dicas, non vendi Jus Spirituale Sepulturæ, sed materiale; nam cùm hoc sit inseparabiliter connexum cum Spirituali, non potest quis vendere materiale, nisi etiam Spirituale vendere censeatur juxta *can. siquis 7. cauf. 1. q. 3.*

Quodsi Jus Sepulturæ annexum sit Castro alicui, vendito Castro, non quidem venditum censebitur jus Sepulturæ, per consequentiam tamen etiam ipsum ad emptorem transibit, sicut in simili contingit, quando ejusmodi Castro annexum est Jus Patronatûs.

§. II.

De Portione Canonica Parochiali.

SUMMARIUM.

83. *Quid sit Portio Canonica Parochialis? & unde pendenda?*
84. 85. *Cui?*
86. 87. *A quo?*
88 89. 90. *Quibus casibus non debeatur?*
91. *Pars quarta illius à Parochia præstari debet Episcopo.*
92. *Quomodo?*
93. *Quænam pars priùs deducenda sit, Portio Parochialis, an Episcopalis?*

83 QUæritur 1. quid sit *Portio Canonica Parochialis?* R. *est pars* eorum, quæ occasione funeris, & sepulturæ corporis, extra propriam Parochiam tumulati, obvenerunt Ecclesiæ, in qua ejusmodi corpus tumulatum est. De Jure ferè est quarta *c. cùm super 8. h. tit.* de consuetudine aliquando tertia, & aliquando media *c. nos instituta 1.* & *c. relatum 2. h. tit.* vel potiùs secundùm Gloss. *in c. nos instituta cit. V. tertiam*, & textum *c. certificari 9. eod.* pro temporum, & locorum varietate varia.

Penditur ex omnibus; quæ occasione funeris obvenerunt tali Ecclesiæ: adeoque non tantùm de Legatis pijs, sed etiam de alijs, quæ Ecclesiæ illi per ultimam Voluntatem relicta sunt, de oblationibus, quæ occasione funeris ibidem factæ sunt, de commodis cæteris, quibus intuitu funeris fruita est &c. ut apertè colligitur ex *c. nos instituta cit.* & notat Abb. *ibid n. 7.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 214. n. 4.* Pirh. *hic n. 44.* Wiest. *n. 51.* Spectanda tamen in his omnibus est consuetudo, ut hoc loco AA. monent.

84 Quæritur 2. quibus Portio hæc solvi debeat? R. solvi debet Ecclesiæ Parochiali, in qua defunctus alioquin sepeliri debuisset, sive in illa Parochia sit mortuus, sive in alia *c. nos instituta cit.* & alijs pluribus textibus *h. tit.* Ratio portionem istam attribuendi Parochis datur *c. cit.* quia dignus est Operarius mercede sua *1. Tim. 5. v. 18.* & qui fuerunt passionum socij, esse debent & consolationum *2. Corinth. 1. v. 7.* cùm igitur Parochus sustineat onus celebrandi Divina Officia, & Parochianis suis, dum vivunt, Sacramenta, aliáque Spiritualia ministrandi, æquissimum erat, ut eidem præstaretur saltem portio eorum, quæ occasione funeris, & Sepulturæ alicujus Parochiani Monasterio, vel Ecclesiæ alteri extraneæ obveniunt, ne debitis sibi subsidijs defraudetur.

85 Quodsi defunctus duo domicilia habuit in duabus Parochijs, est distinguendum; nam si Sacramenta, aliáque Divina, dum vivebat, in utraque percepit, Portio Canonica inter utramque dividenda est, ut decisum est *c. cùm quis 2. ℣. cùm ab eo h. tit. in 6.* At si in una solùm Sacramenta, aliáque Divina percepit, vel in una quidem percepit Sacramenta, in altera officia Divina audijt, communior sententia cum Sylv. *V. Canonica Portio q. 14.* vult totam attribuendam illi Ecclesiæ, in qua defunctus Sacramenta percepit: quod colligitur ex *c. nos instituta cit.* ubi tertia pars jubetur dari illi Ecclesiæ, in qua defunctus cœlesti pabulo refici consuevit: cui consonat *c. cùm quis cit.* & *Clem. 2. h. tit.*

86 Quæritur 3. à quo solvi Portio ista debeat? R. solvi debet ab illa Ecclesia, in qua Sepultura electa est *c. nos instituta cit. c. in nostra 10.* & *Clem. dudum 2. h. tit.*

Proceditque hoc 1. etsi Ecclesia illa haberet privilegium sepeliendi eos, qui apud ipsam Sepulturam eligunt, prout constat ex *c. in nostra cit.* quia privilegium ejusmodi intelligi debet conformiter Juri communi. hoc autem Jure Quarta Parochialia solvenda est Parocho generatim, & sine exceptione, si alibi sepultum sit corpus Parochiani.

Procedit 2. etsi talis Ecclesia, in qua Parochiani corpus sepultum est, sit exempta, ut colligitur ex *Clem. dudum cit. V. verùm ne h. tit.* *Ratio est*, quia Portio Parochialis Ecclesiæ Parochiali solvitur, quòd in ista defunctus Sacramenta, aliáque Divina perceperit, vel de Jure debuerit percipere: quæ ratio æquè procedit, sive Parochianus sepultus sit in Ecclesia exempta, vel non exempta.

87 *Procedit 3.* etsi Parochianus Ecclesiæ inferioris sepultus esset in Ecclesia Cathedrali; nam adhuc Portio Canonica ex Mortuarijs solvi debet Ecclesiæ Parochiali, cùm etiam hoc casu urgeat prædicta ratio.

Procedit 4. etsi defunctus ad Monasterium se transtulerit; nam si in infirmitate constitutus ad illud se transtulit, & in ea infirmitate decessit, de bonis Monasterio relictis à defuncto, Ecclesiæ Parochiali, cujus Parochianus fuit, debet solvi Portio Parochialis canonica, ut habetur *c. de his 4. h. tit.*

Procedit 5. etsi quis sepultus sit in Sepulchro Majorum; per hoc enim, quòd sepulchrum alibi habeat, non desinit esse Parochianus suæ Parochiæ. Pirh. *hic n. 53.*

Quæritur 4. quibus casibus Portio Canonica non debeatur? 88 R. 1. non debetur ex ijs, quæ defunctus reliquit alijs Ecclesijs, ab Ecclesia Sepulturæ suæ distinctis. Gloss. *in c. 1. V. Judicij h. tit.*

2. Si relictum sit aliquid Ecclesiæ, in qua funus ad tempus solùm depositum est, suo tempore aliò transferendum ad Sepulturam perpetuam; quia in tali Ecclesia sepulturam propriè non habet. Azor. *p. 2. l. 9. c. 13. q. 4. cas. 13.*

3. Si relictum sit Ecclesiæ, in qua sepulturam defunctus accepit, pro ornamentis, fabrica, anniversario, & ad Cultum Divinum perpetuum, sine fraude tamen. Barbos *de Offic. Paroch. c. 25. n. 47.*

4. Si donatum, vel legatum sit aliquid Testamento ante Sepulturam electam condito, adeoque independenter à Sepultura, à defuncto electa in tali Ecclesia. Azor. *l. cit. cas. 10.*

5. Si Ecclesia Parochialis diu nimis vacavit, ut defunctus in illa Sacramenta, aliáque Divina percipere non potuerit; quia tunc cessat ratio illius exigendæ, & cons. etiam jus ad illam. Wiest. *hic n. 53.*

6. Si eadem Ecclesia, dum defunctus 89 decessit, non propria defuncti, sed Parochialis Rectoris, culpâ fuit interdicta; quia tunc in ea defunctus sepeliri de Jure nec potuit, nec debuit. Sylv. *V. Canonica portio n. 2. cas. 8.*

7. Si defunctus sit Novitius Religionis, & dum sanus erat, ingressus est Monasterium, atque in illo, vel alibi, quò sanitatis causâ se recepit, mortuus; quia tunc jam desijt esse Parochianus alterius Ecclesiæ *c. de his 4. h. tit.*

8. Si Legatum Ecclesiæ Parochiali à 90 defuncto relictum sit, ea quantitate, ut Portionem Canonicam ipsi debitam æquet, & ea conditione, ut ultra illud Quartæ Parochialis nomine nihil ampliùs exigatur. Donat. *tom. 3. prax. Regul. tr. 11. q. 22.*

9. Si Monasterium, vel Ecclesia à Portione Canonica præstanda per privilegium Apostolicum specialiter exempta sit, prout exempta sunt Monasteria, & Domus FF. Minorum S. Francisci, Prædicatorum, & aliorum Ordinum Mendicantium. Donat. *tr. cit. q. 4. & 5.*

10 Si obligationi Portionis istius præstandæ Parocho per consuetudinem legitimè præscriptam fuit derogatum: talis autem erit, si fuerit 40. annorum cum titulo, vel immemorialis sine titulo. Abb. *in c. 9. h. tit. n. 6. & 7.*

Quæ-

91 Quæritur 5. an Portio hæc Canonica ad Ecclesiam Parochialem tota spectet? R. negativè; nam quarta pars illius præstanda est à Parochia Episcopo, tanquam Ordinario loci *arg. c. conquerente 16. de Offic. Judic. Ordin.* ubi generatim statuitur, ut Mortuariorum, sive Legatorum, Oblationum, aliorúmque Funeralium, quæ Ecclesijs inferioribus obveniunt, quarta pars solvatur Episcopo.

Ex quo sequitur 1. casu, quo defunctus extra propriam Parochiam Sepulturam elegit in loco non exempto, ex ijs, quæ Ecclesiæ Sepulturæ obvenerunt, de Jure duas solvendas esse Portiones Canonicas, unam Episcopalem *c. officij 14. & c. requisisti 15. de Testam.* alteram Parochialem *c. nos instituta & c. cùm nuper cit.*

92 *Sequitur 2.* eodem casu electæ Sepulturæ in Ecclesia non exempta Episcopum duas ejusmodi Portiones consequi; unam enim consequitur ab Ecclesia Sepulturæ ex ijs, quæ ipsi permanent, ut paulò antea dictum est; alteram à Parochia, in qua defunctus de Jure sepeliri debuit, videlicet quartam quartæ Portionis Parochialis.

Sequitur 3. casu, quo Sepultura electa est in loco exempto, Episcopo unam solùm deberi Portionem Canonicam, videlicet quartam Portionis præstandæ Parocho; nam Ecclesia exempta Portionem Canonicam ex ijs, quæ ipsi obveniunt, non solvit.

Quæritur 6. quænam pars priùs de 93
ducenda sit, Portio Parochialis Canonica, an Episcopalis? R. priùs deducendam Portionem Parochialem, & tum primùm Episcopalem, ut cum communi advertit Abb. *in c. 9. h. tit. n. 11.* *Ratio est*, quia Portio Parochialis debetur ab ipso Testatore, Episcopalis verò ab Ecclesia tum Legataria, tum Parochiali, vel Sepulturæ. Accedit, quia Parochus habet magis speciàlem curam, quàm Episcopus.

TITULUS XXIX.

De Parochijs, & alienis Parochianis.

CUm juxta dicta *Tit. præc.* de Jure quilibet in Parochia propria sepeliendus sit, hinc meritò à Sepulturis ad Parochias, & harum constitutionem, Jura, & Limites describendos transitur.

§. V.

De Parochiæ Constitutione.

SUMMARIUM.

1. 2. *Diversa acceptio nominis* Parochia, & Parœcia.
3. 4. *Requisita, ut Ecclesia aliqua dici Parochialis possit.*
5. *An ad constitutionem Parochiæ requiratur Fons baptismalis?*
6. *Cœmeterium, & jus administrandi alia Sacramenta?*
7. *Quis numerus, ut Ecclesia aliqua dicatur habere populum?*
8. *An Parochia sit Beneficium Curatum?*

1 QUæritur 1. quid sit *Parochia*, & *Parœcia*? R. Nomina hæc antiquitus diversa sonabant, ut Gonzal. *in c. 2. h. tit. n. 7.* notat; nam Parochi apud Veteres erant, qui peregrinantibus, præcipuè Reip. causâ publicè exhibeant necessaria, juxta illud Horatij:

Proxima Campano ponti, quæ villula tectum
Præbuit, & Parochi, qui debent ligna, salémque.

Et in isto sensu *Parochia* erat præbitio, seu spatium, intra quod Veteres illi Parochi tenebantur peregrinantibus necessaria ministrare. At *Parœcia* antiquis significabat sacram viciniam, seu plurium domorum conglobationem, vel conventum eorum, qui ejusdem erant Fani consortes, qui propterea etiam *Parœci* appellabantur.

2 Hodie sublato isto discrimine, *Parochia*, & *Parœcia* idem significant, diversa tamen pro diversa istorum nominum acceptione; nam 1. in quibusdam Juris Canonici textibus Parochiæ, & Parœciæ nomen sumitur *latè*, & *minùs propriè* pro tota Diœcesi, seu Territorio, in cujus populum, & Clerum Episcopus Jurisdictionem Spiritualem exercet: & ita accipitur *can. 14. & 33. Apost. can. siquis 4. & seqq. dist. 92.* & *c. nullus 3. h. tit.* ubi pro Diœcesano Parochianus ponitur. 2. *strictè*, & in sensu præsentis Rubricæ pro certa alicujus Diœcesis Ecclesia, quæ populum certis limitibus distinctum habet, & Presbyterum, sive Rectorem, à quo Sacramenta, Verbum Divinum, aliáque Spiritualia eidem ex officio ministrentur. 3. denique, nec minùs frequenter sumitur pro ipso territorio, sive districtu, in quo hujusmodi populus alicui Ecclesiæ deputatus, & intra certos limi-

tes constitutus degit. Abb. *in Rubric. hic n. 1.* Sylv. *V. Parochia*, Pirh. *hic n. 1.* König. *n. 3.* Wiest. *n. 1.*

3 Quæritur 2. quid requiratur, ut Ecclesia aliqua dici Parochialis possit? R. 1. & præcipuè ad constituendam Parochiam requiritur potestas ligandi, & solvendi in foro Pœnitentiali, seu interno conscientiæ: idque ex necessitate muneris Parochialis, cujus præcipua pars est fidelibus administrare Sacramenta. Gloss. *in Clem. 2. V. impendant de Sepultur.* Abb. *ibid. n. 28.* Card. de Luca *Theatr. V. & J. de Paroch. discurs. 23. n. 8.*

2. Locus certis limitibus constitutus, in quo populus alicui Ecclesiæ deputatus degit, prout sumitur ex *can. un. caus. 13. q. 1.* Trid. *sess. 24. c. 13. de reform.* ibi *In locis, ubi Parochiales Ecclesiæ certos non habent limites &c.* quia Parochi populum regere dicuntur *c. in Ecclesijs 1. de Capell. Monachor.*

4 3. Authoritas Episcopi designantis eidem limites, & constituentis populum Parochianum *can. nullus 11. caus. 16. q. 7.* Præsumitur autem Ecclesia erecta authoritate Episcopi ex lapsu temporis, ex celebratione Divinorum Officiorum, & Sacramentorum administratione, ut cum alijs notat Barbos. *de Offic. Paroch. c. 1. n. 38. & 39.*

4. Ut habeat Rectorem certum, & quidem unicum *can. in apibus 41. caus. 7. q. 1. can. præcipimus 5. caus. 21. q. 2. c. cùm non ignores 15. de Præbend.* sicut enim una mulier duos sponsos, & unum corpus duo capita sine monstruositate habere non potest, ita nec una Parochia duos Parochos *can. sicut 4. caus. 21. q. 2. Neque obstat*, quòd aliquando cura Parochialis spectet ad Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ, vel Regularis; nam Capitulum est una persona ficta, & cons. licèt constituatur ex pluribus Canonicis, vel Religiosis, fictione Juris tamen adhuc est unicus Rector. Videatur Hieron. Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 6. n. 34. & seqq.*

5 Quæritur 3. utrum ad constitutionem Parochiæ requiratur etiam Fons Baptismalis, Cœmeterium, seu Jus sepeliendi mortuos, aliáque Sacramenta administrandi? Hæc quidem requirunt aliqui, & plerumque etiam Ecclesiæ Parochiali competunt. Sed dicendum, etsi illa, quando adsunt, signa sint, ex quibus colligi status Ecclesiæ possit, non tamen esse signa certa, & cons. ad constitutionem Ecclesiæ Parochialis essentialiter non requiri. Gonzal. *l. cit. n. 48. & seqq.* Barbos. *de Offic. Paroch. c. 1. n. 34.* Wiest. *hic n. 8.*

6 Ostenditur 1. *de Fonte Baptismali;* quia Ecclesia Baptismalis, & Parochialis interdum sunt distinctæ, ita, ut in una Parochia, quæ propterea etiam cæterarum *Matrix* vocatur, Fons Baptismi erectus sit pro alijs etiam Parochijs, & hæ quidem administrare Parochianis suis reliqua Sacramenta possint, non verò Baptismum.

Ostenditur 2. *de Cœmeterio*; quia Jus Sepulturæ ex privilegio etiam Religiosis Mendicantibus, ut dictum est *Tit. præc. n. 6.* & ex consuetudine, vel etiam concessione Episcopi competere potest alijs præterea Ecclesijs, & Capellis Sæcularibus. Flamin. *de resign. l. 2. q. 1. n. 108.*

Ostenditur 3. *etiam de administratione aliorum Sacramentorum;* quia ex accidenti contingere potest, ut Ecclesia Parochialis alia Sacramenta, quàm Pœnitentiæ, & Evchariſtiæ administrare nequeat, ut P. Wiest. *l. cit.* notat.

Quæritur 4. quis numerus requiratur, 7
ut Ecclesia aliqua dicatur habere populum? Volunt aliqui sufficere decem homines propter textum *can. unio 3. caus. 10. q. 3.* ibi *Ecclesia, quæ usque ad decem habebit mancipia, super se habeat Sacerdotem:* nam decem homines, ut ait Gloss. *fin. in can. cit.* faciunt plebem, sicut decem oves faciunt gregem *l. oves 3. pr. ff. de Abigeis.*

Sed dicendum, ad constituendam Parochiam requiri, & sufficere decem, non qualescunque homines, sed Patresf. seu totidem familias distinctas. Ita Marsil. *de Eccl. redit. p. 1. c. 12. n. 10.* Barbos. *in can. cit. n. 20.* Card. de Luca *de Paroch. Disc. 23. n. 13.* Pirh. *hic n. 1.* Wiest. *n. 4.* & ita habet usus Germaniæ nostræ, in qua, si in aliquo oppido, vel pago, ubi Hæretici cum Catholicis permixti degunt, decem familiæ alterutri Religioni addictæ numerentur, his, & illis Parochus concedi solet.

Neque obstat textus *can. unio cit.* quia ut DD. allegati existimant, ibi pro *Mancipia* legendum est *Mancipias* seu *Municipia*: quæ opinio admodum verisimilis est, cùm non sit credibile Concilium Toletanum, ex quo Canon iste desumptus est, de Mancipijs, seu Servis locutum esse.

Quæritur 5. an Parochia sit benefi 8
cium Curatum? R. solutio hujus quæstionis pendet à duplici acceptione Beneficij Curati; nam aliquando sumitur latè, prout Cura includit etiam potestatem, sive Jurisdictionem fori externi, quæ exercetur visitando, Leges, & Censuras ferendo, ab his absolvendo, incarcerando, & alia faciendo, quæ ad morum correctionem spectant *c. dudum 54. §. verùm, sed cùm in Jure de Elect.* Ali quando verò accipitur propriè, & strictè pro cura, sive potestate, & Jurisdictione Spirituali, quæ in foro Pœnitentiæ interno per Sacramentorum, præsertim Pœnitentiæ, & Evchariſtiæ, administrationem ex officio exercetur.

Si primo modo accipiatur Beneficium Curatum, Parochiale Beneficium à Curato differt; *si secundo modo*, cum eo ferè convenit, ut species cum genere; dantur enim Beneficia Curata, quæ non sunt Parochialia.

§. II.

§. II.

De Juribus Parochiarum.

SUMMARIUM.

9. 10. 11. 12. *Recenſentur 12. Jura Parochialia.*

13. *Sacramenta adminiſtrari Parochianis poſſunt etiam ab alio de licentia Parochi, vel ex privilegio Apoſtolico, quale reſpectu Sacramenti Pœnitentiæ, & Evchariſtiæ habent Regulares.*

14. *Non tamen reſpectu Baptiſmi, & Extremæ Unctionis.*

15. *Obligatio Parochi ad Sacramenta adminiſtranda, & Parochianorum ad ea ſuſcipienda.*

16. *Munus prædicandi ex Officio competit Parochis, & Epiſcopis.*

17. *Ex privilegio Regularibus Mendicantibus, & qui cum ipſis communicant.*

18. *Qui non debent neceſſariò eſſe conſtituti in SS. Ordinibus.*

9 QUæritur 1. quæ ſint Jura Parochialia? R. hoc recenſent Abb. *in Rubr. h. tit. n. 2.* Hoſt. *in Summ. hic n. 2.* Azor. *p. 2 l. 3. c. 12. q. 4.* Card. de Luca *de Paroch. diſcurs. 24. n. 8.* Pirh. *hic n. 3.* Schambog *n. 7.* König. *n. 13.* Wieſt. *n. 10. & ſeqq.* Sunt autem ſequentia.

1. Fons Baptiſmalis; etſi enim validè, & in neceſſitate etiam licitè baptizare quivis, quamvis Laicus, poſſit, ex officio tamen poſt Pontificem, & Epiſcopum Parochianos baptizandi jus competit Parochis *arg. can. in ſacris 56. cauſ. 16. q. 1. c. cùm olim 18. de præſcript.*

10 2. Forum Pœnitentiale, cui ita ſubjiciuntur Parochiani, ut ab alio Sacerdote, vel etiam Parocho ſine proprij Parochi licentia de Jure communi, & regulariter validè abſolvi nequeant ob defectum Jurisdictionis ad abſolutionis valorem requiſitæ *c. omnis 12. de pœn. & remiſſ.*

3. Diſpenſatio Sacramenti Evchariſtiæ; hanc enim diſpenſare de Jure communi ad Parochum pertinet, ita ut qui abſque illius licentia extra neceſſitatis caſum ea Fidelibus miniſtraret, graviter peccaret, & ſi Religioſus eſſet, privilegio non munitus, incurreret Excommunicationem Pontifici reſervatam. *Clem. 1. de privil.*

4. Solennizatio, & benedictio Matrimoniorum, *Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de reform. matr.* ubi aliter, quàm coram Parocho proprio, vel de hujus, aut Ordinarij Diœceſani licentia coram alio Sacerdote contracta irritantur.

5. Adminiſtratio extremæ unctionis; quia iſtam licitè non adminiſtrat Sacerdos, niſi ſit proprius infirmi Parochus, vel ab hoc Delegatus: imò Regulares, extra caſum neceſſitatis hoc adminiſtrantes, incurrunt Excommunicationem reſervatam Papæ. *Clem. 1. cit.*

11 6. Auditio Miſſæ diebus Dominicis, & Feſtis; ſicut enim Parochi per ſe, vel per alios illis his diebus celebrare, ita Parochiani ijsdem diebus illi in propria Parochia intereſſe Jure communi antiquo tenentur *can. in Dominicis 3. & ſeqq. cauſ. 9. q. 2. & c. ut Dominicis 2. h. tit.* quibus Juribus tamen jam per privilegia Regularium, & univerſalem conſuetudinem derogatum eſt, ut adeo nunc quilibet pro ſua commoditate etiam diebus Feſtivis, extra Parochiam Miſſam frequentare poſſit.

7. Verbi Divini Prædicatio, ut patet ex Trid. *ſeſſ. 5. c. 2. de reform.* ubi Sacra hæc Synodus Parochos obligat, ut diebus Dominicis, & Feſtis Verbum DEI per ſe, vel per alios idoneos prædicent.

8. Benedictio, & diſpenſatio Cinerum prima die Quadrageſimæ; Palmarum Dominicâ Feſtum Paſchatis antecedente; Cereorum in Feſto Purificationis.

9. Benedictio Fontis Baptiſmalis, ce- 12
lebratio Miſſæ in Cœna Domini, & Sabbato Sancto, delatio SS. Sacramenti, & Proceſſiones per Parochiam.

10. Denuntiationes Matrimoniorum, Feſtorum, Vigiliarum, quibus eſt jejunandum, Jubilæorum, & Indulgentiarum.

11. Jus Sepulturæ, vel Portionis Canonicæ, ſi Sepulturam Parochianus alibi eligat.

12. Jus Decimarum, Primitiarum, & Oblationum.

De Jure Sepulturæ, & Portionis Canonicæ dictum eſt *Tit. præc.* de cæteris ſunt aliqua hic ulteriùs explicanda. Quare

Quæritur 2. an extra caſum neceſſi- 13
tatis nullus alius, præter Parochum, Parochianis illius adminiſtrare Sacramenta poſſit? De quatuor Sacramentis procedit quæſtio, videlicet de Evchariſtia, Pœnitentia, Baptiſmo, & extrema unctione; nam hæc ſola Parochus miniſtrare, vel adminiſtrare Parochianis ſuis poteſt, & debet. Quâ in re

Certum eſt 1. quòd hæc Sacramenta miniſtrare, vel adminiſtrare poſſit etiam alius de licentia, & commiſſione Parochi; id enim ſolùm prohibetur cæteris, ne Jus Parochi violetur, quod non fit, ſi hæc ipſo conſentiente fiant.

Certum eſt 2. quòd per privilegia ſibi à Summis Pontt. conceſſa Regulares Mendicantes, & qui cum ipſis in privilegijs communicant, poſſint in Eccleſijs ſuis, Parochorum licentiâ non requiſitâ, SS. Evchari-

ſtiam miniſtrare fidelibus omnibus, quibus ejus ſumptio non eſt prohibita, excepta Communione Paſchali, & ſumptione Sacri Viatici.

Certum eſt 3. eoſdem ex ſimili privilegio, ſi ab Ordinario approbati, & à Superioribus ſuis expoſiti ſint, ex delegata ſibi à Pont. poteſtate poſſe audire quorumcunque fidelium, quibus id non eſt ſpecialiter prohibitum, Confeſſiones, non ſolùm intra, ſed etiam extra ſuas Eccleſias, e. g. in Sæcularium ægrotantium domibus, Parochorum licentiâ minimè requiſitâ.

14 *Dubium eſt* de adminiſtratione Baptiſmi, & extremæ Unctionis: cui occaſionem præbet *Conſtitutio Pauli III.* incipit *cùm inter*, *edita 1545.* ubi Clericis Regularibus Societatis JEſu conceditur facultas adminiſtrandi Pœnitentiæ, Evchariſtiæ, & *alia Sacramenta:* ex quibus verbis, ne dici debeat, quòd redundans aliquid contineant, videtur colligi, quòd ijſdem Religioſis Societatis (conſ. etiam ijs, qui in privilegijs cum ipſis communicant) hac Conſtitutione conceſſa ſit etiam adminiſtratio Baptiſmi, & Extremæ Unctionis.

Sed revera hoc non infertur, imò contrarium; additur enim *ſine alicujus præjudicio*: quod non abeſſet, ſi ſine Parochorum licentia Regulares adminiſtrare Sacramenta Baptiſmi, & Extremæ Unctionis poſſent. Verba illa *Alia Sacramenta* intelligi debent de Religioſis degentibus in terris Infidelium, & Hæreticorum, Catholicas Parochias non habentibus; nam ibi adminiſtrare Sacramenta hæc poſſunt, & adminiſtrando nulli alteri præjudicium inferunt.

Quare cum de privilegio Apoſtolico ulli conceſſo non ſatis conſtet, habeatur autem generalis prohibitio *Clem. 1. de privil.* dicendum erit, hæc duo Sacramenta extra caſum neceſſitatis, ſine conſenſu proprij Parochi, vel Epiſcopi adminiſtrari non poſſe licitè, niſi à proprio Parocho.

15 Quæritur 3. quæ ſit obligatio Parochi, ut Sacramenta Pœnitentiæ, & Evchariſtiæ Parochianis ſuis adminiſtret, & Parochianorum, ut illa ab ipſo ſuſcipiant?

℟. *Ad 1.* Parochus adminiſtrare illis Sacramenta hæc tenetur ſub gravi, cùm ſit officium illius, ut paſcat gregem ſuum: nec tantùm ſemel in anno, aut quando aliàs obligantur Parochiani illa ſuſcipere, ut quidam cum Sylv. *V. Confeſſor 1. n. 14.* voluerunt, ſed quoties id ipſi rationabiliter petierint, & Parochus expedire judicaverit, ut cum communi advertit Bonac. *D. 4. q. 1. p. 1. n. 14.* & *D. 5. q. 7. p. 4. §. 2. n. 23.* *Ratio eſt*, quia Parochus non debet ſubtrahere ea, quæ ad commodum Spirituale ſubditorum ſuorum ſpectant.

Ad 2. tempore naſcentis Eccleſiæ, dum adhuc primævo Spiritu fervebant, Fideles reficiebantur Sacro Epulo quotidie *can. Epiſcopus 59.* junct. Gloſſ. *fin. diſt. 1. de conſecr.* Pòſt creſcente fidelium numero, & Charitate refrigeſcente, ex obligatione ad Sacra Myſteria accedebatur ter in anno, videlicet in Nativitate Domini, Paſchate, & Pentecoſte *can. etſi 16.* & *can. ſæculares 19. diſt. 2. ibid.* Hodie præceptum Eccleſiæ eſt, ut ſaltem ſemel in anno, & quidem Paſchali tempore Sacramentum Altaris accedant omnes *c. omnis 12. de pœnit. & remiſſ.* ubi idem præcipitur etiam de Confeſſione ſemel in anno de peccatis proprijs coram Parocho ſuo, tanquam proprio ſuo Sacerdote, inſtituenda.

Quæritur 4. quibuſnam poteſtas con- 16
cionandi competat? ℟. ex officio munus prædicandi verbum Dei incumbit Parochis, & Epiſcopis: præter hos ſine commiſſione à Papa, Epiſcopo, vel Parocho loci nullus alius concionari poteſt, vel debet, ut notat Gloſſ. *in c. quod Dei 5. V. privilegiatum de Stat. Monach.* imò *c. excommunicamus 13. § quia vero de Hæretic.* ſtatuitur excommunicandos eſſe eos, qui officium prædicandi ſive publicè, ſive privatim ſine Epiſcopi licentia ſibi uſurpare præſumpſerint.

Excipiuntur Religioſi Mendicantes, & 17
qui cum ijs in privilegijs participant juxta *Extrav. 1. de privil. int. com.* & *Conſtit. Pauli III.* in favorem Societatis JEſu *editam 1545.* junctо Trid. *ſeſſ. 5. c. 2. de reform.* Hi enim 1. cum Superiorum ſuorum licentia, & petita benedictione Epiſcopi Verbum Dei prædicare poſſunt in proprijs Eccleſijs ſuorum Ordinum. 2. Ijdem Regulares concionari poſſunt etiam in Eccleſijs Parochialibus, ſi Parochus conſentiat, vel Epiſcopus facultatem det. 3. Poſſunt prædicare Verbum Dei in publicis, & plateis, requiſitâ tamen licentiâ Dioceſanorum, ſi commodè peti poteſt, vel ſi peti illa nequeat, non repugnantibus locorum Parochis, ut apertè ſignificat Gregorius XIII. in *Bulla*, quæ incipit, *Decet Romanum Pont. 1575.* Societati datâ.

Quæritur 5. an Regulares privilegiati, 18
ut tribus memoratis caſibus concionari poſſint, debeant eſſe conſtituti in SS. Ordinibus? ℟. negativè: ſed ſufficit, ſi primam Tonſuram habeant, & aliàs ſint idonei, ut conſtat ex *Bulla Gregorij XIII.* incipit *Vigore* Societati data 1584. ubi decernit, & declarat, unumquemque ex Societate, aliàs idoneum, etiam ad SS. Ordines non promotum, Prædicationis munus in vim privilegij hujuſmodi exercere potuiſſe, & poſſe: quod privilegium (ſicut & alia Religioſis conceſſa) etiam competit Novitijs *arg. c. Religione 21. §. quamvis de ſent. Excomm. in 6.* Pirh. *hic n. 6. in fin.*

§. III.

§. III.

De Limitibus Parochiarum.

SUMMARIUM.

19. *Explicatur* Limitum *nomen:*

20. 21. *Parochijs, & Diœcesibus constitui possunt sola authoritate Ecclesiastica.*

22. 23. *Non sunt Præscriptioni obnoxij, si certi sint.*

24. *Secus, si incerti.*

25. *Quæstio super ijs mota, si facti præcisè sit, decidi potest à Judice Sæculari.*

26. 27. 28. *Si Juris quæstionem admixtam habeat, de ea cognoscit solus Judex Ecclesiasticus.*

29. 30. 31. *Ita, ut neque Præscriptione acquiri possit à potestate Laica.*

19 QUæritur 1. quid intelligatur nomine Limitum; & quis constituere illos Parochijs, vel Diœcesibus possit? *v. ad 1. Limes*, ut rectè alijs citt. advertit Pirh. *hic n. 9.* est *Linea*, seu *longitudo distinguens spatium à spatio.* Solent hi aliquando designari per lapides in confinibus positos; in Parochijs verò, & Diœcesibus communiter per montes, flumina, paludes &c. Dixi *designari*; nam ejusmodi lapides, montes, flumina &c. propriè tantùm sunt signa Limitum, non verò ipsi limites. Ex quo sequitur, etsi Lapis limitaneus auferatur, vel fluvius ejusmodi exsiccetur, aut alium acquirat alveum, non ideo tamen Fines, seu Limites mutatos censeri, cùm signatum à signo suo non pendeat.

20 *Ad 2.* videntur limites Parochiarum, & Diœcesium constitui posse authoritate Sæculari; sic enim si fides est Beato Rhenano, Cranzio, Cromero, & alijs, Sedem Episcopalem Argentinensem, & Constantiensem Dagobertus, Bremensem, & alios Carolus M. Polonicas Miesca, sive Miezlaus primus Polonorum Rex Christianus, alias alij Reges, & Principes erexêre, & distinxêre: imò ab Isacio Angelo Ecclesias Cathedrales in Metropolitanas mutatas patet ex Constitutione dicti Imperatoris *l. 1. Jur. Orient. tit. de Metropolit.*

Sed dicendum, Diœcesium & Parochiarum limites constitui, & mutari sola Ecclesiastica authoritate posse. Sumitur ex *can. lege Imperatorum 1. dist. 10.* & *c. sicut unire 8. de excess. Prælat.* nec aliter habet perpetua, & antiquissima praxis Ecclesiæ; sic enim quædam Diœceses jam ab Apostolis, & S. Clemente sunt institutæ *can. urbes 1.* & *seqq. dist. 80. can. Provinciæ 1.* junct. Gloss. *V. eod. dist. 99.* Aliæ fundatæ sunt ab alijs S. Petri Successoribus, ut rectè monet Barbos. *de Offic. Episc. p. 1. tit. 1. c. 7. n. 7.*

21 Idem constat de institutione, & divisione Parochiarum; nam istas primùm Dyonisius Papa divisit, vel saltem divisionem, ab Evaristo Prædecessore suo factam, sed Valeriani persecutione sublatam, aut confusam restituit, ut constat ex *can. Ecclesias un. caus. 13. q. 1.* & *c. pastoralis 9. de his, quæ fiunt à Prælat.* Reliquarum deinde Parochiarum erectiones, divisiones, & uniones factæ sunt, & defacto solùm fiunt à Summis Pontt. & Episcopis in proprijs suis Diœcesibus.

Neque obstat ratio dubitandi; etsi, enim quædam Diœceses fundatæ, & institutæ legantur ab Imperatoribus, & Regibus, semper tamen id factum est, interveniente authoritate Apostolica, ut notat Tholosan. *Synt. l. 15. c. 12. n. 4.*

Quæritur 2. an Limites Diœcesium, 22
& Parochiarum præscribi possint? Rationem dubitandi facit 1. *c. quia indicante 9. de præscript.* ubi satis clarè dicitur, quòd præscriptione 40. annorum fines isti præscribi possint. 2. Jura Episcopalia, & Parochialia, v. g. visitandi, decimandi &c. imò ipsa prædia limitanea, aliáque bona, in quibus sunt fines, præscribi possunt. ergo etiam ipsi fines. 3. Saltem poterunt præscribi præscriptione immemoriali; nam prohibitio, quâ vetatur alicujus rei præscriptio, non afficit immemorialem, quippe quæ vim privilegij habet.

Sed dicendum, fines, & limites Diœ- 23
cesium, & Parochiarum, si certi sint, non esse præscriptioni obnoxios. Ita communiter omnes. *Ratio est*, quia præscriptioni locus non est in rebus respectu quarum eidem resistunt Leges, & Canones, quippe à quibus vim suam omnem habet præscriptio. atqui præscriptioni finium, si certi illi sint, clarè resistunt SS. Canones *can. quicunque 4.* & *tribus seqq. caus. 16. q. 3.* & *c. super eo 4. h. tit.* imò Leges etiam Civiles *l. agros 3.* ibi *Cujuslibet spatij temporis præscriptione cessante C. de fund. limitroph.* ut textum hunc explicat Balb. *V. amplia.* Nec immeritò; nam triplici ex ratione limites à præscriptionis Lege exempti sunt. 1. Ne Diœcesium, & Parochiarum limites, authoritate publica, & ob utilitatem publicam constituti, facilè confundantur. 2. Ut evitarentur lites, & jurgia, quæ frequentissima orirentur, si ita sublatis antiquis limitibus, authoritate privata possent constitui novi. 3. Quia Conditores Legum, & Canonum in terminis & limitibus, præter Jus publicum agnoverunt quid sacrum, ut notat Gonzal. *in c. 3. de probat. n. 6.* sacræ autem, & religiosæ res præscribi ne-

nequeunt §. *sed aliquando 1. Inst. de usucap.* & *l. alienationem 9. ff. de usurpat. & usucap.*

24 Addidi, *si certi sint limites*; nam si non constaret legitimè, & certò de finibus, aut appareret divisionem non esse factam authoritate Ecclesiastica, ei, qui in possessione est, prodesset præscriptio, quippe pro quo etiam est præsumptio, quòd si possessor rei suæ *can. volumus 2. caus. 16. q. 4.* & *c. quia indicante cit.*

Neque obstant Argumenta opposita. *Ad 1.* ibi *Finium* nomine accipitur pars functi, in qua positi sunt Fines, & Limites, & quæ non minùs, ac alia bona, & Jura præscribi possunt. *Ad 2.* etsi præscribatur Solum, in quo positi sunt limites, ut quoad proprietatem pertineat ad alium dominum, non tamen ita præscribi potest, ut illud cesset esse limes Parochiæ, vel Diœcesis, & hæc magis extendatur, vel restringatur, quàm altera. *Ad 3.* ex communiori adversus ejusmodi Limites ne quidem præscriptio immemorialis currit; quia SS. Canones præscriptionem limitum indefinitè prohibent, adeoque universaliter, quippe cùm propositio indefinita universali æquivaleat: quod maximè verum est in hoc nostro casu, cùm in isto rationes allatæ etiam contra præscriptionem immemorialem probent.

25 Quæritur 3. cui competat cognitio quæstionis motæ circa fines Diœcesium, & Parochiarum? & 2. cum distinctione: Vel enim quæstio, & contentio est de solo facto, vel etiam de Jure. *Si de facto solo* e. g. an quando, & qua authoritate divisio Parochiarum facta sit, quousque earum limites extensi sint, an certi districtûs incolæ in hac, vel illa Parochia Sacramenta perceperint, Primitias obtulerint &c. spectare cognitio quæstionis etiam ad Judicem Sæcularem potest, modò etiam reus conventus sit Laicus; quia quæstio facti, etiamsi de re Spirituali sit, merè est temporalis, nisi admixtam habeat quæstionem Juris.

26 *At si contentio sit etiam de Jure*; major est controversia; videtur enim etiam hujus cognitio competere Curiæ Sæculari. 1. Quia plus Spiritualitatis non habet, quàm illa, quæ est de finibus, divisione, extensione, restrictione Regnorum, Ducatuum, Comitatuum. hæc autem temporalis præcisè est, ergo & illa. 2. Curijs Sæcularibus speciali Jure competit cognitio causarum Juris Patronatûs, his autem accensendæ sunt quæstiones Limitum, præsertim Parochialium, utpote cum illis connexæ, cùm Patroni sit præsentare Clericum ad Parochiam, sive curam animarum intra certos limites exercendam. ergo &c. 3. De causis Decimalibus Jure speciali cognoscere Curiæ Sæculares possunt, quæ non minùs, quàm causæ Juris Patronatûs cum causis finium Parochialium connexæ sunt, cùm jus eas percipiendi ad omnia prædia, intra Parochiæ limites sita, se extendat: unde cùm connexorum sit idem Judicium, Curiæ Sæculares, quæ de causis Decimalibus possunt cognoscere, hoc ipso etiam possunt cognoscere de causis Limitum Parochialium.

Verùm his non obstantibus, dicendum, cognitionem causarum, & quæstionum de Limitibus tam Parochialibus, quàm Diœcesanis motarum, spectato Jure, competere soli Judici Ecclesiastico. Ita supponere videntur plerique DD. & colligitur ex *c. Antigonus 1. de pact. c. ex litteris 3. de probat. c. quia 2. de Religios. domib. c. si Episcopus 1.* & *c. super eo 4. h. tit.* ubi quæstiones istæ vel à Concilijs, vel à Pontt. diremptæ sunt. *Confirmat* hoc etiam praxis Curiarum Ecclesiasticarum moderna; nam ab his, non à Curijs Sæcularibus causæ istæ passim cognoscuntur, & deciduntur. *Ratio est*, quia dum de Finibus Parochialibus, & Diœcesanis agitur, agitur de extensione, vel restrictione, primò quidem, & principaliter curæ Pastoralis, secundariò autem, & accessoriè Juris percipiendi Decimas, Primitias, Oblationes &c. quæ Jura omnia cùm vel Spiritualia, vel Spiritualibus annexa sint, etiam ipsa quæstio Spiritualis erit.

27

Ad Argumenta opposita responsio non est difficilis. *Ad 1.* patet ex modò dictis, quæstionem de limitibus Parochiarum, & Diœcesium Spiritualem esse, & propterea limites potestatis Sæcularis excedere. *Ad 2.* negatur paritas; nam Jus Patronatûs, licèt Spirituale sit, in Laicum tamen potest cadere ex generali, & Juri communi inserto privilegio; non ita Cura animarum, cujus extensionem, & restrictionem, ut dictum est, quæstiones motæ super limitibus Diœcesium, & Parochiarũ respiciunt. *Ad 3.* iterum negatur paritas; quia causæ ortæ super Jure Patronatûs, vel Decimarum solùm accessoriè connexæ sunt causis Limitum Parochialium: cùm igitur accessorium ad principale, non principale ad accessorium trahi debeat, ex eo, quòd Jure speciali ad aliquem pertineat quæstio causarum Juris Patronatûs, & Decimarum, non sequitur, quòd etiam ad eum pertineant causæ limitum.

28

29 Quæritur 4. utrum potestas cognoscendi de causis istorum finium acquiri possit præscriptione à potestate Laica? *Videtur posse*; nam privilegio Apostolico acquiri potest à Laicis, ut cum Gloss. *in c. 2. de Judic. V. non præsumant* communiter docent DD. atqui præscriptio, si immemorialis sit, æquivalet privilegio Apostolico *c. super quibusdam 26. pr. V. præterea de V.S.* & *l. hoc jure 3. §. ductus aquæ 4. ff. de aqu. quotid. & æstiv.* ergo &c.

30 Sed dicendum, ejusmodi causarum cognitionem à Curia, seu Judice Sæculari nulla quanticunque temporis, etiam immemoriali, consuetudine, vel præscriptione acquiri posse. Ita communis TT. & JCtorum, quorum omnium sensus est, causas Spirituales nullius temporis præscriptione foro Sæculari

cularі posse subjici. *Ratio est*, quia Laicus de Jure est incapax quasi possessionis Jurisdictionis Spiritualis, & Ecclesiasticæ, quam ejusmodi causarum cognitio petit. atqui incapax possessionis, vel quasi etiam est incapax præscriptionis. ergo &c.

31 Et hinc patet ad rationem dubitandi; nam præscriptione immemoriali acquiri potest, quod potest acquiri privilegio Apostolico, si præscripturus sit possessionis, vel quasi possessionis capax; secus, si sit incapax, cùm tempus immemoriale vim tollendi incapacitatem non habeat, sicut tamen habet privilegium Apostolicum.

TITULUS XXX.

De Decimis, Primitijs, & Oblationibus.

INter Jura Parochiarum *Tit. præc. n. 12.* recensui etiam Jus accipiendi Decimas, Primitias, & Oblationes, cui, quia unum ex præcipuis est, integer hic Titulus assignatur.

§. I.

De Decimarum Natura, Varietate, & Obligatione.

SUMMARIUM.

1. *Etymon Decimarum, & harum divisio in Profanas, & Ecclesiasticas.*
2. *Ecclesiasticarum in Spirituales, & Temporales.*
3. *In dubio præsumuntur esse merè Ecclesiasticæ.*
4. *Merè Ecclesiasticæ pro Fructuum diversitate.*
5. *Aliæ sunt Prædiales, aliæ Personales, aliæ Mixtæ.*
6. *Quo Jure debeantur? Argumenta Adversariorum.*
7. *Decidtur, quoad substantiam eas deberi Jure naturali, & Divino.*
8. *Quoad quantitatem solo Ecclesiastico.*
9. *Solvuntur Objectiones.*
10. *Debentur titulo Justitiæ, & Religionis.*
11. *Etsi Ministri Ecclesiæ habeant Patrimonialia, unde vivant.*
12. *Solvi debent per se loquendo ex omnibus fructibus.*
13. 14. *Ex illicitè acquisitis cum distinctione.*
15. 16. 17. *Quomodo, quando, & ubi solvendæ sint Decimæ?*
18. *Quinam ad Decimas solvendas obligentur?*
19. *An Judæi, & Infideles?*
20. *An Clerici?*
21. *An Religiosi?*
22. *An Pauperes?*
23. *Quis Decimas præstare debeat, quando dominus prædij illud locavit Colono?*
24. *Quis, quando id vendidit, & lapsas nondum præstitit?*
25. *Respondetur ad Fundamentum oppositum*
26. *Solvendæ sunt Parocho.*
27. *Cum Exceptione.*
28. *Personales solvuntur Parocho Domicilij.*
29. *Prædiales illi, intra cujus fines situm est prædium.*
30. *Quid dicendum de Mixtis?*
31. 32. 33. *Cui debeantur Decimæ Novalium?*

1 QUæritur 1. quid sint *Decimæ*? R. *Decimæ*, si nominis Etymon spectemus, Decima cujusque rei pars est *l. siquis rem 2. §. fin.* junct. Gloss. *V. Decimam ff. de Pollicit.* Communiter dicuntur esse duplicis generis, Profanæ nimirum, & Ecclesiasticæ. *Profanæ* sunt species quædam Tributi, quod olim temporales domini subditorum prædijs imponebant: & hæ *Dominicæ*, & *Indominicatæ* dicebantur, ut ait Franc. de Reye *Inst. Jur. Canon. l. 2. c. 12.* *Ecclesiasticæ* verò, quæ Ecclesijs, & Clero solvuntur. Et hæ iterum sunt duplicis generis, *Ordinariæ*, & *Extraordinariæ*. *Illæ* sunt, quæ statis temporibus, & stabiliter ex fructibus prædiorum, & lucris personæ solvuntur. *Istæ*, quæ extra ordinem, & in certis quibusdam casibus à Summo Pont. imponuntur. Tales erant, de quibus agitur *Clem. 2. h. tit.* & *Extrav. un. eod.* Item illæ, quas Summi Pontifices ex bonis Ecclesiasticis pro subsidio Terræ Sanctæ, aut in Bellum Sacrum contra Saracenos, Franciæ, aliisque Regibus frequenter concesserunt. Priores communiter definiuntur, quòd sint Decima pars fructuum, & proventuum justè quæsitorum Deo in recognitionem universalis dominij debita, & Ecclesiæ Ministris propter Spirituale Ministerium solvenda.

Quæritur 2. quotuplicis generis, sint 2
Decimæ Ecclesiasticæ? R. duplicis Spirituales, & Temporales. *Spirituales*, quas alij *merè Ecclesiasticas* dicunt, sunt, quæ naturam, & statum suum primævum conservant, & ministris Ecclesiæ penduntur tanquam stipendia ob Spiritualia illorum obsequia, & functiones, quas fidelibus impendunt. *Temporales*, seu *minùs strictè Ecclesiasticæ*, quæ primitus pro sustentatione ministrorum Ecclesiæ institutæ quidem fuerunt, deinde tamen authoritate legitima Pontificis à titulo Spiritualis officij separatæ, Laicis quoque personis vel in feudum, vel alio titulo obvenerunt. Et hæ passim sub nomine *Decimarum Laicalium* veniunt.

3 Cæterùm in dubio præsumuntur Decimæ esse merè Ecclesiasticæ, & non Laicales. Unde asserenti esse Laicales incumbit onus probandi. Ita cum communi Card. de Luca *de Decim. disc. 6. n. 16.* & hoc teste multoties decisum est à Rota. *Ratio est*, quia prioribus assistit titulus originarius spiritualis, cujus mutatio, utpote odiosa, non præsumitur, sed probari debet. Manent autem Ecclesiasticæ, etiam quando Laicis conceduntur; quia his conceditur sola utilitas, ita, ut dominium directum illarum penes Ecclesiam maneat: & hinc si ad illam revertantur, pariter ad primævum suum statum, atque naturam redeunt.

4 Quæritur 3. quotuplicis generis sint *Decimæ Spirituales*, seu *merè Ecclesiasticæ*? R. sunt triplicis generis; nam etiam in triplici differentia sunt fructus, unde præstantur, nim. *Prædiales*, qui colliguntur ex prædijs; *Personales*, qui à persona ipsa, & hujus industriâ proveniunt; & *Mixti*, qui partim à re, partim à persona habentur.

5 A diversitate hac fructuum etiam Decimæ diversa capiunt nomina; nam *Prædiales* (quæ etiam *Reales* dicuntur) sunt, quæ præstantur ex fructibus Prædiorum, & fundorum, v. g. agrorum, vinearum, pratorum, hortorum, silvarum, arborum &c. *Personales*, quæ ex lucro, hominis industriâ quæsito, penduntur, v. g. ex negotiatione, venatione, militia, artificio &c. *Mixtæ*, quæ solvuntur ex fructibus mixtis, seu talibus, qui partim ex industria proficiscuntur, & partim ex prædio, ut sunt fructus animalium, lana, lac, caseus, butyrum &c. Has plerique ad Prædiales revocant: quod est quæstio de nomine, & parum attinet ad substantiam rei.

Porro ex Prædialibus, prout nunc in usu sunt, aliquæ dicuntur *Majores*, quæ ex frumento, vino, & similibus solvuntur; aliæ *Minores*, quæ ex fructibus hortorum, fœtibus animalium, aliisque ejusmodi rebus minutis præstantur.

6 Quæritur 4. quo Jure in Lege nova debeantur Decimæ? Gloss. *in c. 1. V. Decimarum h. tit. in 6.* Ancharan. *ibid.* & Innoc. *in c. fin. de Paroch.* voluêre eas deberi Jure Divino. Alij autem apud Covar. *l. 1. var. c. 17. n. 2.* distinguunt, & Prædiales quidem ajunt deberi Jure Divino, Personales verò Jure Ecclesiastico tantùm. *Nituntur 1.* varijs textibus Juris Canonici *c. Parochianos 14. h. tit.* ubi dicitur, quòd *Decimæ non ab homine, sed ab ipso Domino sint institutæ; c. tua 25. eod.* ubi Innocentius III. ait, eas *Constitutione Divina deberi; c. cùm non sit 33. eod.* ubi idem Pontifex docet *in signum universalis dominij, quasi quodam titulo speciali sibi Dominum Decimas reservâsse.* Similia habentur *can. fin. caus. 16. q. 1.* & alibi, ubi dicuntur Decimæ esse *Juris Divini*, *esse Dei*, *deberi Deo* &c. 2. textu *Matth. 23.* ubi Christus, cùm dixisset, *Decimatis mentham*, & *anethum*, subjunxit: *Oportuit hæc facere*, & *illa non omittere*; ubi illud *Oportuit* indicat obligationem Juris Divini. 3. Decimæ Jure Divino debebantur in antiquo Testamento, ergo eodem etiam debentur in novo. Imò cùm ante Legem Mosaicam jam fuerint agnitæ ab Abrahamo *Gen. c. 14. v. 20.* & à Jacobo *Genes. 28. v. 22.* signum est eas deberi Jure naturali.

Difficultas hæc solvi tota ope distin- 7
ctionis potest, quâ utuntur Covar. *l. 1. var. c. 17. princ.* Azor. *p. 1. l. 7. c. 23. q. 4.* Gutier. *qq. Canon. l. 2. c. 21. n. 9.* Suar. *tom. 2. de Relig. l. 1. c. 10. n. 3.* P. Wex *Ariadn. p. 5. tr. 1. q. 3. n. 3. & 4.* P. Pirh. *hic n. 6.* P. Wiest. *n. 7.* Clariss. P. Schmier *de Jurib. Eccl. p. 3. c. 3. n. 33. & seqq.* cum plerisque TT. & Canonistis RR. duce S. Thoma: qui dupliciter considerant Decimas, quæ Clericis præstari solent, primò materialiter, & quoad substantiam, prout sunt necessaria sustentatio Clericorum; & secundò formaliter, secundùm determinationem, seu certam quotam; ut sunt decima pars fructuum, *Priori modo spectatas* Decimas concedunt deberi Clericis Jure Divino, imò & naturali; posteriori autem modo consideratas contendunt descendere ex solo Jure Ecclesiastico.

Prima pars manifesta est, quia ratio naturalis dictat, quòd fideles teneantur alere illos, qui sibi inserviunt in Spiritualibus, cùm omnis operarius sit dignus mercede sua: cui consonat Jus Divinum *Matth. 10. v. 10. 1. Corinth. 9. v. 7. 11. & 17. 1. Timoth. 5. v. 18.* & alibi.

Pars secunda ostenditur; nam si alio 8
Jure deberentur Decimæ, deberentur vel naturali, vel divino: *non naturali*; quia ratio naturalis non probat plus, quàm ut præbeatur Ecclesiæ ministris congrua sustentatio, quod fieri sæpe potest per nonam, octavam, duodecimam partem fructuum &c. *Non Divino*; quia in Lege nova nullum extat præceptum Divinum de decima parte fructuum Ecclesiæ ministris solvenda; & Lex Mosaica, Decimarum præstationem injungens, cæremonialis præcisè fuit, cons. per Legem novam abolita. Supereſt igitur, ut secundùm quotam spectatæ Decimæ debeantur solùm Jure Ecclesiastico: & ita deberi constat ex pluribus textibus tum Decreti, tum Decretalium, præsertim hoc Titulo, & noviſſimè ex Trid. *sess. 25. c. 13. de reform.*

Neque obstant Argumenta adversæ 9
Sententiæ. *Ad 1.* Decimæ Jure Divino dicuntur introductæ, in quantum necessariæ sunt ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ: si autem velis textus istos extendi etiam ad Decimas spectatas secundùm quotam, dic eas deberi Constitutione Divina; quia primùm in Lege antiqua fuerunt constitutæ præcepto Divino, & quia exemplo illius sumptum est præceptum Ecclesiæ, ac propterea

per

per quandam imitationem etiam hoc Divinum dicitur, sicut PP. præceptum jejunij Quadragesimalis aliquando Divinum vocant, quia exemplum illius præcessit in Christo. *Ad 2.* Christus utendo verbo *oportuit* præteriti temporis satis indicat, se tantùm loqui de tempore Legis scriptæ, cui adhærentes Judæi tenebantur Divino præcepto ad solvendas Decimas. *Ad 3.* Præceptum illud Juris Divini per mortem Christi, ut *n. præc.* dixi, extinctum est, Abraham & Jacob Patriarchæ eas solverunt spontè, prior in signum gratitudinis, posterior ex voto libero.

Quæritur 5. quo Titulo debeantur
10 Decimæ? R. debentur simul titulo Religionis, & Justitiæ; atque ita solutio Decimarum erit utriusque Virtutis actus: *Religionis* quidem, quatenus fit Ecclesiæ Ministris in recognitionem Divini Dominij, & supremæ Excellentiæ, *Justitiæ* autem, quatenus fit in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ ipsis Jure Justitiæ debitam. Ex quo consectaneum est, eum, qui Decimas malitiosè non solvit, contra utramque Virtutem delinquere.

Procedítque hoc de Decimis, non tantùm spectatis secundùm substantiam, sed etiam de ijs consideratis secundùm determinationem factam ab Ecclesia, seu secundùm quotam, ut cum Suarez advertit Pirh. *hic n. 153.* Ratio est, quia Ecclesia præcepto suo eas determinando, ipsarum obligationem constituit intra objectum Justitiæ, & cons. ex Justitia illud est observandum, sicut ex Justitia observandum est pretium, quod Lex Civilis, vel Magistratus posuit frumento, & alijs mercibus.

Dubitari potest, an adhuc debeantur
11 Decimæ Ministris Ecclesiæ, si isti aliunde habeant, ex quo se alere possunt? R. distinguendo: Vel enim sustentationem competentem habent ex alijs reditibus Ecclesiasticis, vel solùm ex Patrimonio, artificio &c.

Si hoc secundum, adhuc eis debentur tam Jure Ecclesiastico, quàm Divino & naturali; quia non dantur illis ùt pauperibus, tanquam Eleemosyna ex mera misericordia, vel Charitate, sed ex Justitia, ut dictum est, tanquam merces debita laborantibus. Suar. *l. 1. c. 11. n. 9.* Laym. *Tr. 6. c. 2. n. 1.* Pirh. *hic n. 6.*

Si primum, Jure Ecclesiastico quidem per se loquendo adhuc debentur, non tamen Jure naturali, & Divino; quia tunc non haberent rationem necessariæ sustentationis, ideoque cessaret ratio, ob quam Decimæ debentur Jure naturali, & Divino. Laym. *tr. cit. c. 3. n. 9.* Pirh. *l. cit.* Addidi *per se loquendo*; nam defacto in multis locis abrogatæ sunt Decimæ, ne pendi debeant Ministris Ecclesiæ, quòd his de necessaria sustentatione aliunde provisum sit.

Quæritur 6. ex quibus rebus solven-
12 dæ sint Decimæ? R. in hoc attendendam consuetudinem. Per hanc *Personales* in plerisque locis omnino sublatæ sunt; *Prædiales* verò ex nonnullis fructibus solvi desierunt. De Jure communi solvendæ essent ex omnibus fructibus, & proventibus, qui aut naturæ beneficio, aut hominum ministerio annuatim producuntur *c. nuntios 6. c. ex parte 21. &c. h. tit.*

An ex illicitè quæsitis pendi debeant, controversia, & dubium moveri potest, cujus movendi causam dat textus *c. ex transmissa 23. h. tit.* ibi, *De omnibus, quæ licitè potest acquirere, Decimas erogare tenetur*: ex quibus verbis Argumento ducto à sensu contrario videtur inferri Decimas ex rebus illicitè acquisitis generaliter non deberi.

Sed distinguendum est: Vel enim ta- 13
les illæ res sunt, ut retineri non possint, sed restitui debeant, ut sunt ea, quæ acquiruntur per furtum, usuram, venditionem ultra justum pretium, Simoniam &c. vel contrà tales res sunt, ut illicitè illas acquisieris, licitè tamen retineas, ut sunt, quæ accipiuntur ob fornicationem, homicidium, sententiam injustam &c.

Si hoc dicendum, per se loquendo ex ejusmodi re deberentur Decimæ, ne turpis lucrator melioris conditionis sit, quàm alius bene operans; Ecclesia tamen ex tali re Decimas acceptare non solet, ne videatur approbare factum, vel peccato communicare, ut ait S. Thom. *2. 2. q. 87. a. 2. ad 2.*

Si primum contingat, & res illæ tales 14
sint, quæ restitui debeant, Prædiales quidem Decimæ ex illis debentur, non verò personales, ut rectè cum S. Thom. *l. cit.* advertit Gloss *in c. 23. cit. V. licitè*, & communis DD. Quòd *Decimæ Prædiales* eo casu debeantur etiam ab injusto possessore prædij, si fructus inde percipiat, clarum est, quia ipsum prædium onus Decimarum sustinet, & cum onere suo ad quemvis possessorem transit: unde sicut dominus, si prædium suum possideret, teneretur solvere Decimas, ita & injustus ejus possessor. Quòd autem *Decimæ personales* ex sic acquisitis non debeant solvi, ratio est, quia ea, quorum dominium non acquiritur, verè non acquiruntur, & quæ obnoxia restitutioni sunt, non acquiruntur justè; non enim computari possunt inter bona possidentis *l. si fratres §. fin. ff. pro Socio*, & *l. non possunt. 11. ff. de Jur. Fisc.*

Quæritur 7. quomodo, quando, & 15
ubi solvendæ sint Decimæ? R. *ad 1.* Decimæ Prædiales solvendæ sunt integræ *c. cùm homines 7. c. ex parte 21. c. non est 22 c. tua nobis 26. c. cùm non sit 33. h. tit.* in Personalibus deduci expensæ possunt *c. pastoralis 28. eod.* Ratio disparitatis est, quia Decimæ personales præstantur ex lucro, prædiales ex fructibus; non reputatur autem lucrum, nisi id, quod remanet deductis expensis, contrà in fructibus terræ omnia, quæ ex terra nascuntur, fructus nuncupantur, ergo &c.

16 *Ad 2.* ea in re obſervandaeſt loci cujusque conſuetudo: præſcindendo ab iſta *Decimæ Perſonales*, ubi illæ adhuc in uſu ſunt, commodiſſimè ſolvuntur ſub finem cujuscunque anni, ſicut alij cenſus, & tributa tunc ſolvi ſolent. *Mixtarum* quædam rectiùs ſolvuntur ſtatim, quædam poſt tempus: de lana ovium ſolvuntur ſtatim, ac tonſæ ſunt; de fœtibus animalium, cùm ſine matre vivere poſſunt. *Decimæ Prædiales* præſtari debent ſtatim collectis fructibus, ut deciſum eſt *c. cùm homines cit.* puta de frumento, poſtquam à ſolo eſt ſeparatum, antequam inferatur horreo, de vino, & oleo, poſtquam expreſſum eſt, & antequam recondatur cellario &c.

17 *Ad 3.* ſufficit, ſi dominus Prædij, vel colonus Parochum moneat, ut Decimas à ſolo ſeparatas, aut collectas curet avehi: neque neceſſe eſt, niſi aliter ferat conſuetudo, ut is, qui ad Decimas eſt obligatus, ſuis expenſis eas deferat in domum, vel horreum Decimatoris, ut cum communiori advertit Laym. *l. 4. tr. 6. c. 5. n. 2.* Ratio eſt, quia Eccleſia quoad Decimas ſe habet ut uſufructuarius, ſive penſionarius, cui penſio fructuum ſolvi debet, ubi res fructifera ſita eſt. Ex quo ſequitur, ſi ob moram Decimatoris damnum aliquod contingat in Decimis, ipſe id ferre, & ſibi imputare debeat.

18 Quæritur 8. quinam ad Decimas ſolvendas obligentur? R. per ſe, & ratione perſonæ ad Decimas ſolvendas obligantur omnes, & ſoli fideles baptizati, qui de manu Sacerdotis Sacramenta tenentur ſuſcipere, niſi aliquo legitimo titulo exempti ſint; ratione rei fructiferæ autem quicunque alij, qui prædia ad Decimas præſtandas obligata, poſſident; quia res tranſit cum ſuo onere.

Ex quo ſequitur 1. ad Decimas præſtandas etiam teneri Hæreticos; quia licèt defacto non recipiant Sacramenta, & alia Spiritualia à Miniſtris Eccleſiæ, tenentur tamen illa recipere, & ipſi Miniſtri parati ſunt ad hæc ipſis miniſtranda, imò ex officio ad hoc obligantur, ut quantum poſſunt, eos ad frugem meliorem revocent.

19 2. Judæi, & alij Infideles non baptizati, licèt per ſe, & ratione perſonæ ſuæ ad Decimas ſolvendas non obligentur, cùm ſecundùm illam Eccleſiæ ſubjecti non ſint, ſi tamen in terris Chriſtianorum juri ſubjectis poſſideant prædia, ratione iſtorum etiam ipſi ſolvere tenentur Decimas; quia ex quo tempore Diœceſes diſtinctæ ſunt in Parochias, prædijs intra harum fines exiſtentibus annexa eſt obligatio pendendi Decimas; quæ proinde cum re ad quemcunque iſtius poſſeſſorem tranſit.

20 3. In Clericis diſtinguendum eſt inter bona, quæ recipiunt, & poſſident Clerici titulo Spirituali ratione Beneficij, vel Miniſterij Spiritualis, & inter ea, quæ poſſident titulo temporali, ut ſunt bona patrimonialia, vel alio ſimili titulo acquiſita. *Ex prioribus* ſolvere Decimas non tenentur, ut clarè patet ex *c. novum 2. h. tit.* *Ex poſterioribus* tenentur obligatione reali, ſeu ad reales Decimas omnes, & Clerici ſimplices probabiliùs etiam obligatione perſonali, ſeu ad Decimas perſonales, ubi adhuc in uſu ſunt; quia & ipſis Parochus proprius miniſtrare Sacramenta debet.

21 4. In Religioſis inſpicienda ſunt ſingulorum Ordinum privilegia; nam Jure communi ad Decimas præſtandas etiam ipſi eorúmque Monaſteria obligantur. Excipiuntur *c. nuper 34. h. tit.* prædia & terræ; quas acquiſiverunt ante Lateranenſe Concilium, ſi proprijs manibus, ſeu ſumptibus illa excolant; nam ab onere ex iſtis ſolvendi Decimas Innocentius III. *l. cit.* generaliter omnes Religioſos eximit.

22 5. In pauperibus diſtinguenda eſt neceſſitas; nam *ſi conſtituti ſint in extrema neceſſitate*, Decimas ſolvere non obligantur, quippe cum eo caſu omnia ſint communia; *ſi in neceſſitate communi*, ita, ut ſolutis Decimis, ipſis remaneant adhuc neceſſaria ad ſe, ſuóſque alendos, obligantur ſolvere, quia obligatio Juſtitiæ paupertate debitoris non ceſſat; *ſi denique in gravi*, diſſident inter ſe DD. & pars affirmat eos teneri, pars negat, omnes verò in hoc conveniunt, non eſſe cum rigore ab ijsdem exigendas, quippe cùm ipſi Clerici ex reditibus ſuis Eccleſiaſticis in tali caſu pauperibus ex præcepto Eccleſiæ teneantur ſuccurrere.

23 *Dubitatur*, quis Decimas præſtare debeat, quando dominus prædij illud locavit Colono? R. cum diſtinctione: Vel enim ita inter dominum prædij, & colonum convenit, ut uterque fructuum partem aliquotam, v. g. dimidiam, tertiam, aut quartam percipiat; vel ut unus percipiat fructus omnes, alteri verò præſtet penſionem certam pecuniariam, aut fructuariam.

Si primum, uterque de parte ex conventione ſibi debita Decimas debet ſolvere abſque diminutione ſeminis, aut ſumptuum *c. à nobis 24. & c. tua nobis 26. h. tit.* niſi, antequam fructus dividerentur, Decimæ fuiſſent ſolutæ ex toto cumulo; hoc enim ſi factum eſſet, de reſiduis novem partibus, inter ipſos diviſis, neuter aliquid ampliùs deberet Parochiæ Decimarum nomine. Gloſſ. *in c. tua cit. V. ſic & dominus.*

Si ſecundum, ille Decimas præſtabit ſolus, qui fructus omnes ex prædio percipit, alteri autem manebit penſio indecimata. Abb. *in c. cit. n. 14. & 15.* Neque in hoc nimiùm gravatur Colonus, cùm propter hoc onus ſolvendi Decimas integras Dominus prædij ab eo penſionem minorem exigere debeat.

24 *Gravior difficultas eſt*, an caſu, quo Titius prædium ſuum vendit Cajo, illúdque tradidit, Decimæ, prioribus annis à Titio non ſolutæ, peti poſſint à Cajo? Abb. *in c. 7 h. tit. n.*

tit. n. 6. cum alijs putat in optione Ecclesiæ esse, à quo eas velit petere, an à Cajo emptore, an verò à Titio venditore.

Sed præplacet sententia affirmans super Decimis præteritis conveniendum possessorem antiquum. Ita Laym. *l. 4. tr. 6. c. 2. n. 5.* Canis. *de Decim. c. 4. n. 3.* Van Espen *J. E. U. p. 2. tit. 33. c. 9. n. 24. & seq.* Wex Ariadn. *p. 5. tr. 1. q. 4. contr. 2.* Pirh. *hic n. 116.* Schamb. *n. 51.* Clariss. P. Schmier *p. 3. de Jurib. Eccl. c. 3. à n. 136.* cum communiore DD. & colligitur ex *c. cùm non sit 33. h. tit.* ubi onus præstandi Decimas imponitur ipsis fructibus, ut adeo illas præstare teneatur is, ad quem fructus indecimati pervenerunt.

25 *Neque obstat*, quòd *can. Decimæ 66. caus. 16. q. 1.* Decimæ nuncupentur *egentium animarum Tributa*; Tributa autem præterita, si soluta non sint, à possessoribus possint exigi *l. Imperatores 7. ff. de Public. & vectigal.* Nam contra est; quia Decimæ non sunt propriè, sed solùm ob similitudinem quandam Tributa vocantur, quòd à Clericis, qui eas percipiunt, tribuantur egentibus: unde mirum non est, quòd recedant à Tributorum natura, & ad Tributa non soluta solvenda adstringi possint novi prædiorum possessores, non verò ad præstandas Decimas fructuum perceptorum ab antiquis possessoribus.

26 Quæritur 9. quibus personis, & Ecclesijs Decimæ solvendæ sint? R. olim, quando Diœceses nondum erant divisæ in suas Parochias, uniuscujusque Diœcesis Decimæ pertinebant ad Clerum illius Diœcesis, & colligebantur ab Episcopo, qui deinde cum proportione pro cujusque meritis, & necessitate eas distribuebat in Clericos Diœcesis *can. decimas 1. & can. pervenit. 3. caus. 16. q. 7.*

Post divisas Parochias illæ Jure communi solvendæ sunt proprijs Parochis, adeo, ut hi super perceptione illarum fundatam in Jure intentionem habeant adversùs quemcunque, etiam Episcopum, cui proinde, cum Parocho concurrenti, incumbet onus probandi, quòd jus Decimarum vel ex privilegio, vel aliunde habeat *c. cùm à nobis 24. c. cùm contingat 29. & c. h. tit.* *Ratio est*, quia Decimæ ex primæva sua institutione pendendæ sunt Ministris Ecclesiæ, qui populo præbent Sacramenta, vel alia Spiritualia. atqui Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, seu Parochis præcipua cura, & onus Ministerij Spiritualis incumbit, ad quod ex officio, & speciali titulo obligantur. ergo &c.

27 *Excipitur* quarta pars Decimarum; nam hæc à Parocho, ubi consuetudine contraria abrogata non est, pendi debet Episcopo, ut expressè statutum est *c. conquerente 16. de Offic. Ordin. c. de quarta 4. de præscript. c. cùm olim 19. de Censib. c. quoniam 13. h. tit.* idque ad imitationem Legis antiquæ, in qua populus Levitis solvebat Decimas, ipsi verò Levitæ ex his Decimis decimam partem dabant Sacerdotibus, ut constat *2. Esdræ 10. v. 37.*

Sunt præterea etiam aliqui casus, quibus etiamnum hodie Episcopo Decimæ debentur integræ. Et 1. quidem, si ipsemet sit immediatus Curatus alicujus Ecclesiæ, quam per Vicarium administrat. 2. si prædia intra suam Diœcesin sita nulli Parochiæ assignata sint. 3. si adhuc hodie aliqua Diœcesis in Parochias divisa non sit, sed omnis Cura animarum ad Episcopum spectet, quas procurat per Sacellanos, aut Vicarios. 4. si privilegio Apostolico, præscriptione, vel alio speciali Jure Jus decimandi acquisiverit Episcopus, ut infrà dicetur latiùs *à n. 34.*

28 *Dubium est*, cui Parocho, vel Ecclesiæ solvendæ sint Decimæ? R. distinguendo inter diversa Decimarum genera; nam 1. *Decimæ Personales*, ubi adhuc in usu sunt, spectato Jure communi, debentur illi Parochiæ, à qua Sacramenta Ecclesiæ, cæteráque Spiritualia ex obligatione ministrantur, & percipienda sunt *c. fin. de Paroch.* & *c. ad Apostolicæ 20. h. tit.* Siquis duo habeat Domicilia, videndum, quodnam ex his sit principale. Si unum sit principale, alterum accessorium, præstandæ sunt illi Parochiæ, in qua Domicilium principale habet. Si utrumque sit æquè principale, inter eas sunt dividendæ: quod etiam faciendum, si unum quidem domicilium habeat, sed tale, ut una pars illius sit in una Parochia, altera in alia.

29 2. *Decimæ Prædiales* de Jure communi solvendæ sunt illi Parochiæ, intra cujus fines sita sunt prædia *c. cùm sint 18. c. ad Apostolicæ 20. c. cùm contingat 29. h. tit.* Estque hoc verum, etsi dominus prædij alibi habitet, & recipiat Sacramenta, ut rectè advertunt DD. communiter. *Ratio est*, quia onus solvendi Decimas prædiales reale est, & impositum non personis, sed prædijs. atqui in solvendo debito reali non consideratur persona, sed res, cui est impositum debitum *l. Imperatores 7. ff. de Public. & Vectigal.*

30 3 *Decimæ Mixtæ* ex fœtibus animalium, lacte, caseo &c. debentur illi Parochiæ, in cujus territorio pecora pascunt, accubant, dormiunt; quia naturam prædialium imitantur, & sub istis simpliciter comprehenduntur. Et hinc si pecora diversis anni temporibus pascantur intra fines diversarum Parochiarum, Decimæ inter has pro rata temporis, quo in singulis aluntur, dividendæ sunt, nisi alia sit locorum consuetudo. Quod ipsum aliqui cum Rebuff. *de Decim. q. 6. n. 16.* faciendum existimant casu, quo pecora in una Parochia accubant, in alia pascuntur. Sed probabiliùs cum S. Thom. *2. 2. q. 87. art. 3. ad 2.* eo casu Decimæ debentur integrè illi Parochiæ, in qua pascuntur; quia cùm fœtus animalium proveniant ex fructibus prædiorum, meritò Decimæ ex ijs solvuntur illi Parochiæ, cui solvendæ sunt Decimæ prædiales.

31 Quæritur 10. cui debeantur Decimæ Novalium? R. cum distinctione inter diversas hujus nominis acceptiones; non enim eandem semper in Jure, & usu etiam significationem habet, ut patet ex c. *quid per Novale 21. de V. S.* 1. & *latissimè* sumitur pro terra prosciſa, quæ anno cessavit, ut dicitur *l. silva 30. §. novalis 2. ff. de V. S.* 2. *latè*, & *adhuc impropriè* pro fundo culto quidem, sed qui alios jam proferat fructus, quàm quales antè dederat, ut si ex prato ager, ex horto vinea fiat. 3. *strictiùs*, & *propriè* pro agro de novo ad cultum redacto, de quo non extat memoria, vel sulcus, aut aliud indicium, quòd aliquando cultus fuerit, ut habetur c. *quid per novale cit.* ut si locus palustris, derivatâ aliò aquâ, vel silva arboribus evulsis, aut dumetum extirpatis, & combustis sentibus, in agri, aut vineæ formam sit redactus *l. fin. §. ult. ff. de termino moto.* 4. *strictissimè* pro fundo ab hominum memoria inculto, & ad culturam redacto, ex quo Ecclesia Parochialis nullos, aut valde exiguos fructus Decimarum nomine accepit, ut habetur c. *cit.*

32 *De Novalibus primo modo acceptis* quæstio, & dubium nullum prudenter haberi potest, ad quem Decimæ ex ijs spectent; cùm enim usitatissimum in terris nostris sit, ut omnes passim agri tertio quoque anno quiescant, Decimæ, quæ ex his alijs annis colliguntur, ad eum, vel eos spectabunt, qui jus Decimandi habent in illo fundo.

Decimæ *Novalium in secunda significatione acceptorum* solvi debent illi Ecclesiæ, cui antea solvebantur, nisi aliter habeatur ex conventione, privilegio, vel consuetudine speciali. *Ratio est*, quia etsi terræ mutetur qualitas, non tamen mutatur ipsius substantia; terra enim, quæ fuit ab antiquo Decimalis, non fuit obligata ad certum genus fructuum, sed ad eos, quos tulerit.

In tertia significatione spectatorum No- 33
valium Decimæ, spectato Jure communi, & seclusis privilegijs, præstandæ sunt Parocho, vel Ecclesiæ Parochiali, intra cujus fines illa exsurgunt c. *quoniam 13.* & c. *cùm contingat 29. h. tit.* Ratio est, quia Decimæ Novalium sunt Prædiales, & reales, cùm sint onus ipsius terræ, seu fundi. ergo ut ex alijs prædijs, ita etiam ex Novalibus solvi debent Decimæ illi Parochiæ, intra cujus fines existunt Novalia.

Quartæ acceptioni denique locus est in Privilegijs Apostolicis; nam ut vi istorum aliquis immunis sit ab onere pendendi Decimas ex Novalibus, ut alijs *citt.* advertit Pirh. *hic n. 98.* tria hæc requiruntur. 1. quòd terra, sive locus ille noviter redactus ad culturam fuerit. 2. quòd talis locus ab hominum memoria non fuerit cultus, neque habitatus. 3. quòd Ecclesia Parochialis nullos, vel exiguos solùm fructus ex tali terra priùs perceperit.

§. II.

De Modis acquirendi Jus percipiendi Decimas.

SUMMARIUM.

34. *Referuntur octo modi, quibus acquiri jus decimandi potest.*
35. *Quomodo acquiri Jus istud possit Privilegio Apostolico?*
36. *Donatione Laicorum?*
37. *Venditione?*
38. *Quid in negotio Decimarum possit Compositio, & Transactio?*
39. *Utrum Decimæ infeudari etiam Laicis possint?*
40. *Vel postquam ad Ecclesiam redierunt, reinfeudari.*
41. *Duplex limitatio?*
42. 43. 44. *Quanti temporis debeat esse præscriptio, ut per eam acquiratur jus Decimandi alicui Ecclesiæ, vel loco Sacro?*
45. 46. 47. *An Decimæ præscribi etiam possint à Laicis?*
48. *Qui præscripsit Decimas prædiales intra fines alienæ Parochiæ, non hoc ipso potest percipere etiam Decimas ex Novalibus postea factis.*
49. *Exceptiones.*
50. 51. *Idem dicendum de eo, qui habet privilegium percipiendi Decimas.*

34 QUæritur 1. quibus modis acquiri jus Decimas percipiendi possit? R. acquiri potest octo præcipuè modis. 1. Collatione, vel unione Beneficij Curati; cùm enim Beneficio Curato per se annexum sit Jus Decimarum, hoc ipso, quòd quis assecutus sit hujusmodi Beneficium, aut hoc Dignitati ipsius, vel Ecclesiæ unitum, etiam assecutus est jus Decimandi. 2. Privilegio Sedis Apostolicæ; nam vi istius jus percipiendi Decimas competere aliquando potest, non solùm Ecclesijs, Monasterijs, & alijs locis, ac Personis Ecclesiasticis, sed etiam Laicis. 3. Donatione Laicorum cum consensu Episcopi c. *cùm Apostolica 7. de ijs, quæ fiunt à Prælat.* 4. Venditione; nam hac facultas percipiendi Decimas, à spirituali titulo separata, ab una Ecclesia in aliam transferri potest: opus tamen est, ut talis venditio fiat ex justa causa, & adhibitis solennitatibus; quia est alienatio rei immobilis. 5. Permutatione Decimarum unius Ecclesiæ cum Decimis alterius c. *ad quæstio-*

quæstiones 6. de rer. permut. 6. Transactione, seu amicabili compositione *c. statuimus 2. & c. veniens 8. de Transact.* 7. Infeudatione. 8. Denique Præscriptione.

35 Quæritur 2. quibus Ecclesijs *Privilegio Apostolico* applicari Decimæ possint? R. applicari possunt Ecclesijs quibuscunque, sive illæ sitæ sint intra, sive extra territorium Parochiæ, de cujus Decimis applicandis agitur. Ita DD. omnes teste Pal. *tr. 10. p. 8. n. 10. Ratio est*, quia Pontifex habet supremam potestatem, quâ, ut *infrà n. 53.* dicam, potest concedere privilegium ad eas non solvendas. igitur potest etiam concedere privilegium ad eas solvendas alibi, quàm ubi, & cui Ecclesiæ Jure communi deberentur.

Neque refert, quòd Ecclesia extra territorium talis Parochiæ sita non serviat illis Fidelibus, quorum Decimæ eidem applicantur; nam omnes unum corpus in Christo sumus, & membra debent juvari à membris. igitur ubi necessitas, vel utilitas exigit, Pontifex applicare Decimas etiam Ecclesiæ extraneæ potest.

Semper tamen Ecclesiæ, in qua sita sunt prædia, relinqui pro ejus Ministris sustentatio congrua debet; aliàs applicatio non valeret, ut bene alijs *citt.* notat Pal. *tr. 10. cit. p. 10. n. 4.* & ratio est, quia Pontifex non est omnium Decimarum Dominus, sed dispensator; esset autem iniqua dispensatio Decimarum, quæ Beneficiatum privaret stipendio sibi debito, & vellet gratis servire Ecclesiæ.

36 Quæritur 3. an, & quando *donatione Laicorum* transferri jus percipiendi Decimas in alium possit? *Rationem dubitandi* facit *c. cùm Apostolica 7. de ijs, quæ à Prælat.* ubi Innocentius III. interrogatus, *utrum quando Decima tenetur à Laico, si conferatur Ecclesiæ, ad confirmandam donationem, Episcopi consensus sine Cleri consensu sufficiat*, respondet, *monendum esse Laicum, qui Decimam detinet, ut eam restituat Ecclesiæ, ad quam spectat*, manifesto indicio, ejusmodi Donationem fuisse invalidam.

Sed distinguendum est, an Laicus, qui donat Decimas, justo, & valido titulo eas possederit, an injusto. *Si Primum*, per Donationem, in quem voluerit, locum Religiosum transferri liberè, & non accedente consensu Episcopi, Jus Decimas percipiendi potest, ut alijs *citt.* notat Barbos. *in c. 7. cit. n. 6. Si secundum*, per Donationem ab iniquo detentore transferri non potest, sed ipsæ Decimæ, & jus eas percipiendi restituendum est Ecclesiæ, cum cujus injuria & damno detinentur, ut habetur *c. cùm Apostolica cit.* Excipitur ibidem casus, quo Laicus, qui sic accipit Decimas à non habente potestatem, induci non posset, ut eas Ecclesiæ, ad quam pertinent, reddat; tunc enim accedente Episcopi consensu, transferre is illas poterit, non quidem in alium Laicum, sed in Clericos, præsertim Religiosos, vel alteri, cuicunque voluerit, Ecclesiæ applicare. Et hæc est mens, sensúsque textûs in ratione dubitandi allati.

Quæritur 4. an vendi Decimæ, & jus 37 illas percipiendi possit etiam Laicis? Ita quidem sæpe contingit, sed perperam, cùm ejusmodi translationi vehementer obstent SS. Canones *can. Decimas 1. caus. 16. q. 7. c. adhæc 15. c. quamvis 17.* & *c. prohibemus 19. h. tit.* Neque excusari mos iste potest per consuetudinem; quia cùm *c. citt.* consulatur indemnitati Ecclesiarum, & istis onerosa, atque damnosa sit consuetudo permittens Decimarum translationem in Laicos, non consuetudo legitima, sed potiùs corruptela est per textus, & DD. *in c. consuetudines 1. & alia de consuet.*

Quare ut licitè vendatur Jus percipiendi Decimas, requiritur 1. Ut vendatur alteri Ecclesiæ, vel personis Ecclesiasticis, non Laicis. 2. Ut jus istud à Spirituali titulo sit præcisum, & separatum; aliàs committeretur Simonia. 3. Ut venditio ejusmodi fiat ex justa causa, & adhibitis solennitatibus Jure præscriptis ad alienationem bonorum Ecclesiasticorum.

Quæ ipsæ Solennitates etiam adhiberi debent in Permutatione Decimarum unius Ecclesiæ cum Decimis alterius; quia permutatio est species quædam alienationis *c. nulli 5. de reb. Eccl. non alien.* & *Novell. 7. c. 1. v. alienationis.*

Quæritur 5. quid in negotio Decima- 38 rum possit compositio, & Transactio? R. dupliciter fieri hæ possunt nempe super Decimas jam præteritas, & super Decimas in futurum solvendas, aut non solvendas.

Si primum, fieri Transactio, vel amicabilis Compositio potest non solùm cum personis Ecclesiasticis, sed etiam cum Laicis: neque opus tunc est consensu Episcopi, vel Superioris. *Ratio est*, quia fructus Decimæ tunc spectantur ut res præcisè temporales, & ideo Laici, ùt conducere eas possunt, ita etiam possunt de ijs transigere, vel componere.

Si secundum, ut valeat compositio, vel transactio, requirit causæ cognitionem, & consensum Papæ, vel Episcopi; quia Decimæ sunt cibus Clericorum; de futuris alimentis autem non potest transigi sine Judice *l. cùm hi 8. ff. Transaction.* Addidi *Consensum Papæ, vel Episcopi*, qui requiritur, ut ejusmodi Transactio, vel compositio valeat in perpetuum: & quidem, si fiat cum Laicis, opus est consensu Pontificis; si cum Ecclesia, vel personis Ecclesiasticis, consensu Episcopi, vel Superioris habentis Jurisdictionem quasi Episcopalem, qui nomine Episcopi hìc comprehenditur. Plura de hoc vide *Libr. 1. tit. 36 n. 8.*

Quæritur 6. utrum Decimæ infeudari 39 etiam Laicis possint? *Certum est* illas concedi Laicis in Feudum, etiam perpetuum, posse à summo Pont. ob generalem, & supremam

mam administrationem, quam à Christo sibi communicatam habet. Idem poterant Jure antiquo etiam Episcopi, & alij Prælati inferiores: sed hæc facultas ipsis sublata est per Decretum Urbani II. in Concilio Turonensi celebrato 1096. & Concilij Latteranensis sub Alexandro III. anno 1179. vel 1180. ubi statuitur, ut imposterum omnes concessiones Decimarum in Feudum perpetuum Laicis, etiam quoad jus decimandi à titulo Spirituali abstractum, sine authoritate Pontificis factæ, sint non solùm illicitæ, sed etiam ipso Jure irritæ, prout habetur *can. Decimas 1. caus. 16. q. 7. c. quamvis 17. & c. prohibemus 19. h. tit.* Idem judicium est de quacunque alia Decimarum alienatione per donationem, venditionem, permutationem, Emphytevsin facta, ut rectè cum alijs notat Pirh. *hic n. 141.*

40 *Dubium* duntaxat restat, an Episcopus, vel Prælatus Ecclesiæ Decimas à Laico legitimè in Feudum perpetuum obtentas, si istæ per Vasalli mortem aperiantur, & ad Ecclesiam redeant, iterum concedere in Feudum alteri Laico possit? R. posse ex justa causa, neque casu illo opus est solennitatibus Juris, ut cum alijs advertit Laym. *l. 4. tr. 6. c. 6. n. 5.* Ratio est, quia prohibitio Concilij Lateranensis solùm afficit infeudationem bonorum, quæ pertinent ad Mensam Episcopi, vel Ecclesiæ. atqui talia bona non pertinent simpliciter ad Mensam Episcopi, vel Ecclesiæ, cùm non habeant dominium utile eorum, sed solùm directum. ergo &c.

41 Addenda tamen duplex est limitatio. 1. Nisi jam Ecclesiæ, vel Mensæ Episcopi incorporatæ sint; tunc enim primævam naturam assumunt, & propterea sine Sedis Apostolicæ authoritate in Laicos transferri non ampliùs possunt. 2. Nisi nova infeudatio sit Ecclesiæ damnosa, aut minùs utilis, quàm olim fuerit, quòd causa, ob quam in Feudum Laico concessæ sunt, mutato rerum statu, cessârit; tunc enim iterum requireretur consensus Apostolicus, ut bene notat P. Wiest. *hic n. 91.*

42 Quæritur 7. quanti temporis debeat esse Præscriptio, ut per eam acquiratur jus decimandi alicui Ecclesiæ, vel loco Sacro? Non pauci cum Abbat. *in c. cùm sint 18. h. tit. n. 6. in fin.* distinguunt, an Ecclesia, quæ præscribit jus decimandi, sit Parochialis, vel non. Si Parochialis non sit, requirunt tempus 40. annorum cum titulo, immemoriale sine titulo; si verò Parochialis sit, putant sufficere decennium. *Fundamentum* istius sententiæ est, quia, ut illius propugnatores existimant, in priori distinctionis casu præscribenti resistit Jus, in posteriori assistit, dum *c. cit.* & *c. ad Apostolicæ 20. eod.* dicit, eo casu sequendam esse *consuetudinem diu obtentam*; tempus autem 10. annorum in Jure censetur longum, seu diuturnum. ergo &c.

43 Sed meliùs cum communi cæterorum, etiam quando Ecclesia præscribens Parochialis est, & fundi, seu prædia, quorum Decimæ præscribuntur, sita sint intra fines illius, ut legitimè illas præscribat, requiritur tempus diuturnius, videlicet 100. annorum, si adversùs Romanam Ecclesiam, 40 autem, si adversùs Ecclesiam Romanâ inferiorem, & specialiter non privilegiatam. *Ratio est*, quia est præscriptio advesùs Ecclesiam. atqui adversùs Ecclesiam bona immobilia, quibus etiam accensentur Jura, non præscribuntur minori tempore, ut patet ex *c. de quarta 4. c. ad aures 6. c. illud 8. princ. de præscript.* & *Auth. quas actiones C. de SS. Eccl.*

Ad rationem in contrarium allatam 44 dico, id procedere, quando Præscriptio fit adversùs personas privatas; nam adversùs istas præscribuntur Decimæ, ut aliæ res immobiles, decennio inter præsentes, vicennio inter absentes cum titulo, tricennio sine titulo *l. diutina 4.* & *l. fin. C. de long. temp. præscript.* at quando præscriptio fit adversùs Ecclesiam, aliud tempus Jura *citt.* taxârunt. Habet tamen aliquid prærogativæ hoc casu Ecclesia Parochialis in præscriptione Decimarum ex fundis, qui intra fines suos sunt siti, præ alia Ecclesia extranea: illa enim, ut Decimas ex fundis suis contra Ecclesiam extraneam, vel non Parochialem tempore 40 annorum præscribat, titulo non indiget, quòd assistentia Juris, quam habet, sit loco tituli; ista autem posterior titulo habet opus, quo possessionem suam legitimet adversùs Ecclesiam Parochialem.

Quæritur 8. an Decimæ præscribi 45 etiam possint à Laicis? R. distinguendo: Vel enim Laicus præscriptionem obtendit adversùs Laicum, vel adversùs Ecclesiam, aut Personam Ecclesiasticam.

Si adversùs Laicum, & hic Decimas Canonicè, & perpetuò, ac irrevocabiliter omnino possedit, Laicus adversùs istum præscribere potest Decimas, ut cum Felin. *in c. 7. de præscript. n. 4.* docet communis DD. *Ratio est*, quia per hujusmodi concessionem Decimæ à Spiritualis officij titulo omnino avulsæ, & rebus Laicorum patrimonialibus accessisse videntur, ut adeo Laicus non ampliùs sit incapax possessionis illarum.

Si adversùs Ecclesiam, vel *Personam Ec-* 46 *clesiasticam*, major est difficultas. Pro affirmativa videtur militare, quòd Regulæ instar ab aliquibus traditur, videlicet præscriptione, saltem immemoriali, acquiri posse, quod acquiri potest privilegio Principis, cùm illa huic æquiparetur. potest autem Jus Decimandi acquiri Laicis privilegio Principis, seu Papæ, ut dictum est *n. 34.* ergo &c.

Sed dicendum, Laicos ne quidem tempore immemoriali præscribere posse Decimas adversùs Ecclesiam, vel Personam Ecclesiasticam. Ita DD. facilè omnes, & colligitur ex *c. causam 7. de præscript.* ubi disertè habetur, quòd *Laici Decimas, quia detinere,*

seu

seu possidere illas non possunt, nulla possint ratione præstribere.

47 Procedítque hoc non tantùm de Jure Decimandi directo, ut per se clarum est, quia eatenus Jus illud est Spirituale; sed etiam de indirecto, & abstracto à titulo Spirituali, ob generalitatem *c. causam cit.* quod etiam confirmatur ex ratione; nam Decimarum possessio, ut notat Gloss. *in c. 14. V. commodo de restit. spoliat.* & Abb. *in c. 5. eod. n. 24.* involvit titulum proprietatis, cujus respectu Decimarum post *Concilium Turonense*, & *Lateranense citt.* Laici sine privilegio Apostolico incapaces sunt.

Ad rationem in contrarium allatam, dico, tempus immemoriale respectu Laici possidentis Decimas facere quidem præsumptionem Privilegij Apostolici aliquando obtenti, non tamen compleре Præscriptionem possе: hinc quocunque tempore aperiatur possessionis vitium, restituere istas Ecclesiæ debebit Laicus. Regula, quæ additur, non procedit in casibus, quibus præscribens sine Principis privilegio est possessionis incapax; quia vitium possessionis tempus immemoriale non sanat.

48 Quæritur 9. an, qui præscripsit Decimas Prædiales intra fines alienæ Parochiæ, possit vi illius præscriptionis percipere etiam Decimas ex Novalibus postea factis intra eandem Parochiam? R. non posse per se loquendo, & nisi ex rationabili causa ostendat, etiam ipsas ad se pertinere. Ita expresse decisum est *c. cùm contingat 29. h. tit.* *Ratio est*, quia nemo plus præscribit, quàm possidet. atqui Decimas Novalium, quippe quæ antea non existebant, præscribens non possedit, neque illas unquam percepit. ergo &c.

Dixi *per se loquendo*; nam triplex da-
49 tur Exceptio. 1. Si cum possessione Decimarum antiquarum alienæ Ecclesiæ inchoëtur etiam possessio Decimarum provenientium ex Novalibus, uno, vel pluribus, & hæc tempore Jure definito continetur *arg. c. 1. de præscript. in 6.* 2. Si cum veteribus Decimis percipiantur semper Decimæ Novalium intra ejusdem Parochiæ fines successivè exurgentium; quia tali casu non deest possessio. Rebuff. *q. 14. n. 20.* 3. Si præscribens ex terris illis incultis jam antea aliquid Decimarum nomine percepit; tunc enim hujusmodi terra jam fuit obligata ad Decimas, & per accidens est, quòd talis generis fructus non tulerit.

Quæritur 10. an privilegium perci- 50
piendi Decimas ex prædijs, intra fines Parochiæ alicujus sitis, extendatur etiam ad Decimas Novalium, quæ post concessionem talis privilegij fiunt intra fines talis Parochiæ? R. hac in re ante omnia præ oculis habendum esse tenorem privilegij, & mentem Papæ illud concedentis.

Controversia est, quando est dubium de mente concedentis: & *rationem dubitandi* facit *c. ex parte 27. h. tit.* ubi Innocentius III. Abbati Monasterij S. Columbæ, quod ex privilegio Apostolico obtinebat Decimas in certis Parochijs, rescribit in hæc verba: *cùm tibi, quod majus est, sit concessum, ut videlicet Decimas ex laboribus terræ Parochiarum tuarum cum integritate percipias, de Novalibus eas percipere satis potes; quia ubi majus conceditur, minus concessum videtur.* *Conf.* à pari cum privilegio non solvendi Decimas, quod etiam ad Decimas Novalium se extendit, ut dicetur *infrà n. 56.*

Sed dicendum, ejusmodi Privilegium 51
ad Decimas Novalium, quæ post concessionem ejusdem fiunt, non extendi. Sumitur ex *c. statuto 2. princ.* & §. *statuimus h. tit. in 6. Ratio est*, quia hujusmodi privilegia sunt odiosa, cùm cedant in prejudicium Ecclesiarum Parochialium. igitur restringenda sunt ad prędia priùs culta, neque extendenda ad Novalia, seu prędia deinceps colenda, nisi aliud vel ex verbis privilegij, vel ex mente concedentis constet.

Ad rationem dubitandi Monasterio S. Columbæ in *l. cit.* meritò adjudicatæ sunt Decimæ etiam Novalium, quia Parochiæ, ex quibus colligebant, erant eidem incorporatæ. *Ad Conf.* nego paritatem; nam privilegium non solvendi Decimas ex vi verborum magis est universale propter negationem absolutam, quam includit. Accedit, quia cùm illud solùm privet Ecclesiam Decimis prędiorum, quæ ad unam personam, vel Monasterium pertinent, minùs grave prejudicium affert Ecclesiæ, ad quam Decimæ aliàs spectant.

§. III.

De Exemptione ab onere solvendi Decimas.

SUMMARIUM.

§2. *Modi, quibus Emptio ab onere solvendi Decimas impetretur.*
§3. *Privilegio eximere potest Pontifex.*
§4. *Et quidem solus.*
§5. *Quod privilegium est odiosum.*
§6. *Proin ad Decimas Novalium non extenditur.*
§7. §8. *Amittitur triplici ex capite.*
§9. *Exemptio hæc obtineri etiam potest consuetudine.*
60. *Etiam in totum.*
61. *Non tantùm à Clericis, sed etiam à Laicis.*
62. *Tempus ad hoc requisitum.*

63. *Tempus requisitum, ut immunitas ista acquiratur Præscriptione.*
64. *Ita tamen, ut denuo imperari solutio possit, causa sic exigente.*
65. *Quid circa hoc possit Transactio, & amicabilis Compositio?*
66. *An emi illa pro re temporali?*

52 CErtum est, posse aliquem eximi ab onere, & obligatione solvendi Decimas, ut omnes fatentur, & ratio demonstrat; nam obligatio hæc, prout ad singulas personas tendit, non est naturalis, aut Juris Divini positivi, sed Ecclesiastici tantùm. Et procedit hoc non tantùm de quota Decimæ, sed etiam de tota solutione; nam etsi præceptum solvendi Decimas quoad partem Ministrorum sustentationi necessariam naturale sit, id tamen solùm respectu Communitatis procedit: atque hinc si per ea, quæ cæteri ad Ministrorum Ecclesiæ sustentationem contribuunt, eorundem necessitati sufficienter provisum sit, poterunt ab obligatione ista absolvi cæteri. Sunt autem quinque omnino modi, de quibus quæri potest, an per eos impetrari possit exemptio ab onere solvendi Decimas, nim. Privilegium, Consuetudo, Præscriptio, Amicabilis Compositio, & Transactio. Atque hinc, ut à primo incipiamus.

53 Quæritur 1. an, & quomodo à Decimis solvendis eximat Privilegium? R. eximere, si datum sit à legitima potestate: patet ex ratione allata *n. præc.*

Dubium est 1. quisnam dare privilegium istud possit? R. dari potest à solo summo Pont. Ita omnes. *Quòd dari possit à Summo Pont.* patet ex usu, & praxi perpetua Ecclesiæ; tale enim privilegium Cruciferis Urbanus II. Fratribus Ordinis de Redemptione Captivorum Honorius IV. FF. Prædicatoribus Gregorius XI. FF. Conventualibus S. Francisci Clemens IV. & Sixtus IV. Carthusianis Martinus V. Cistertiensibus Hadrianus IV. Congregationi Cassinati S. Benedicti Eugenius IV. Carmelitis Sixtus IV. Ordini Minimorum S. Francisci de Paula Julius II. Camaldulensibus Leo X. Monialibus S. Claræ Sixtus IV. Leo X. & Paulus III. Societati JEsu Paulus III. Julius III. & Gregorius XIII. indulsêre.

54 *Quòd verò solus Pontifex privilegium hoc dare possit*, ex eo ostenditur; quia si alius dare id posset, possent vel Principes Seculares, vel Episcopi, & alij Prælati Ecclesiastici: *non Principes Sæculares*, ut patet ex *c. tua 25. h. tit.* & probat ratio; quia causa Decimarum est fori Ecclesiastici, & consl. Secularem potestatem excedit: *non Episcopi, & alij Prælati Ecclesiastici* ex antiqua Regula, quia inferior in Lege Superioris dispensare non potest. *Neque obstat*, quòd per Trid. Episcopis detur facultas applicandi Decimas uni, vel alteri loco, uniendi Beneficia, vel unita dissolvendi pro numerositate populi, & novos Clericos assignandi, quibus Decimæ dentur pro qualitate sui ministerij; nam ut Rebuff. Suar. Pal. notant, hoc faciunt ut Delegati Sedis Apostolicæ, & præterea hoc non est dispensatio, vel relaxatio Juris communis, sed debita solùm administratio Decimarum.

Dub. 2. an Privilegium exemptionis à solutione Decimarum Prædialium, concessum Regularibus, & alijs, qui de Jure communi solvere deberent Decimas, censeri debeat esse favorabile, an verò odiosum? R. esse simpliciter, & absolutè odiosum. Suar. *l. 1. de Decim. c. 18. n. 6.* Pirh. *hic n. 70.* & alij communiter. *Ratio est*, tum quia Juri communi derogat; tum quia cedit in præjudicium tertij, sc. Ecclesiarum Parochialium, & Parochorum, vel Clericorum, qui illis Decimis per hoc privantur. Et hinc 55

Infertur 1. Privilegium hoc esse strictæ interpretationis, & quamvis extendi debeat ad omnia, quæ secundùm communem verborum proprietatem continet, non tamen debere extendi ultra proprietatem, & usitatam significationem verborum privilegij. *Ratio est*, quia in Rescripto, seu Privilegio Principis nihil videtur concessum, quod cum incommodo alterius fit, nisi exprimatur *l. Prætor ait. 2. §. si quis à Principe 18. ff. ne quidem in loco publico &c.*

Infertur 2. idem Privilegium non procedere, si valde damnosum esset Ecclesijs, ita sc. ut Ecclesia, ejúsque Ministri non habeant congruam sustentationem; nam si hoc fieret, quoad excessum ab Episcopo loci deberet corrigi, & ij, qui privilegium tale habent, compelli ad necessaria Ecclesiæ Ministris subministranda, prout habetur *c. statuto 2. §. ubi autem h. tit. in 6.* 56

Inferunt aliqui 3. hoc privilegium non extendi ad Decimas Novalium, & aliorum prædiorum deinceps acquirendorum à privilegiato. Sed neutrum sat bene, prout de Decimis Novalium colligitur ex *c. ad audientiam 12. h. tit.* de Prædijs postea acquirendis ex *c. quia circa 22. de privileg.* *Ratio est*, quia licèt privilegium hoc strictæ interpretationis sit, est tamen concessum per verba indefinita, & generalia; consl. omnes species, & partes comprehendit, quas includit significatio illorum propria, atqui etiam Novalia, & prædia postea acquirenda sunt propriè dicta Prædia, & Decimæ ex illis collectæ sunt propriè dictæ Decimæ. ergo &c. Vide *suprà n. 51.*

Dub. 3. an, & quomodo amittatur Privilegium non solvendi Decimas? *Ratio dubitandi est*; quia privilegium à Principe legitimè semel concessum, debet esse perpetuum. *Reg. decet 16. in 6.* Verùm hæc Regula universalis non est, sed plures alias Exceptiones habet. In casu quæstionis non procedit, sed privilegium non solvendi Decimas amittitur. 57

1. Si

1. Si privilegium cedat in enormem læsionem, vel gravamen Ecclesiæ, & personarum, ad quas Decimæ pertinent. Colligitur ex *c. suggestum 9. h. tit.* & ratio est, quia in concessione privilegij includitur tacita conditio, *nisi enormiter lædatur Ecclesia Parochialis.*

2. Conventione, seu partium compositione *c. suggestum cit. c. dilecti 8. in fin.* & *c. nuper 34. h. tit.* Ratio est, quia talis conventio, seu compositio potest esse justa, & rationabilis, partique utrique utilis, adeoque per illam poterit tolli privilegium, vel limitari juxta conditiones conventionis.

58 3. Præscriptione, sive non usu, vel usu contrario, si v. g. privilegiati Decimas solvant, ut colligitur ex *c. si de terra 6. h. tit.* & *c. accedentibus 15 de privil.* ubi tamen distinguendum est inter non usum per viam tacitæ renuntiationis, & non usum per viam præscriptionis: ut priori modo amittatur privilegium, sufficiunt 30. anni; ut posteriori, contra Ecclesiam requiruntur 40. De primo casu loquitur *c. si de terra cit.* de secundo *c. accedentibus cit.* & sic combinari possunt textus in speciem contrarij. Vide Barbos. *in c. accedentibus cit. n. 4.* P. Wiest, *hic n. 56.*

59 Quæritur 2. an, & qua ratione obligati ad Decimas præstandas ab illis liberari possint per consuetudinem non solvendi inductam? *Certum est 1.* sic abrogatas defacto in pluribus locis esse Decimas personales, & minutas reales, ut praxis, & observantia habet.

Certum est 2. si Ministri Ecclesiæ aliunde non habeant sustentationem congruam, Decimarum obligationem omnino, & ex toto abrogari non posse; nam eatenus Decimarum prestatio est Juris naturalis.

Certum satis apud AA. est 3. posse eas saltem ex parte abrogari, si Ecclesiæ, ejúsque Ministris ex fundatione, Oblationibus, pijs Legatis &c. aliunde sufficienter provisum sit; quia tunc obligatio Juris Naturalis cessat.

60 Dub. 1. utrum immunitas ista obtineri per consuetudinem etiam in totum possit, ita, ut Decimæ nomine nihil omnino solvatur? *Videtur* non posse obtineri in totum; quia sic Ecclesiæ Ministri privarentur stipendio curæ, & laboris sui, quod est contra Justitiam.

Sed esto, Decimæ debeantur tanquam stipendium curæ, & laboris, & quidem ex Justitia, ut ultro concessi *n. 10. suprà.* tantùm debentur conditionatè, si stipendium laboris, & curæ aliunde non habeant. Quare si istud aliunde habeant, dicendum, immunitatem à Decimis etiam in totum per consuetudinem obtineri posse. Ratio patet ex dictis.

Neque consuetudo ejusmodi quidquam injustitiæ in se aliunde continet, si legitimè prescripta illa sit; nam si contra Justitiam foret ex alio capite, foret ex hoc, quòd per ejusmodi exemptionem aliquorum gravarentur cæteri: quod tamen non fieret; quia cæteri Parochiani propter exemptionem unius, vel aliquorum non plus solvunt, quàm solverent, si omnes darent; solvunt enim decimam duntaxat suorum bonorum.

Dub. 2. utrum immunitatem istam per consuetudinem possint obtinere etiam Laici? *Videtur non posse*; quia Laicus non potest prescribere jus percipiendi Decimas, ut hæ ipsi solvantur ab alijs, ut dictum est *n. 46.* ergo neque prescribere jus retinendi Decimas, quas ipse solvere deberet Ecclesiæ; nam retinendo Decimas quasi à seipso illas accipit.

Sed dicendum, posse exemptionem 61
istam per consuetudinem obtineri etiam à Laicis. Ita communiter DD. & probat hoc etiam ratio allata superiùs. *Proceditque hoc*, ut non solùm una, vel altera persona per ejusmodi consuetudinem eximi possit à debito Decimarum, sed omnes in aliqua Provincia, vel Oppido, sub clausula tamen, ut Clerici adhuc sustentationem congruam habeant, ut alijs *citt.* advertit Pirh. *hic n. 128.* ubi dicit ejusmodi consuetudinem esse in Italia.

Ad rationem dubitandi nego paritatem inter Jus percipiendi Decimas, & inter immunitatem à Decimis solvendis; nam illud, quia Spirituale est, à Laico legitimè possideri non potest, potest autem immunitas à solutione Decimarum, cùm illa Spirituale nihil sit, sed tantùm sit commoditas temporalis, sive libertas ab onere Decimarum, fundo à natura sua adhærens. Quod additur, hoc modo videri aliquem quasi à seipso accipere Decimas, pariter negatur; neque enim immunitas hæc est jus percipiendi Decimas, sed jus percipiendi integros fructus ex agris proprijs sine detractione, sive onere Decimarum.

Dub. 3. quantum temporis requiratur 62
tur, ut per consuetudinem obtineatur immunitas à solutione Decimarum? Videtur sufficere decennium; quia generaliter ad consuetudinem contra Legem tale tempus sufficiens est, ut dictum est *Libr. 1. Tit. 4. n. 9.*

Sed distinguendum est, an consuetudo talis immunitatem à Decimis inducat viâ conniventiæ tantùm, sciente sc. & tolerante Summo Pont. & ijs, quorum interest, an verò eam inducat viâ prescriptionis.

Si primum, non requiritur certum, & determinatum tempus, sed sufficit tantum tempus, & tot actus Legi contrarij, ut præsumi possit notitia, & consensus tacitus Legislatoris, eorúmque, quorum interest.

Si secundum, etsi, cùm integra quædam communitas consuetudine acquirit immunitatem à Decimis, nullus requiratur titulus (hoc enim discrimen est inter præscriptionem, & consuetudinem) contra Ecclesiam tamen opus est, ut consuetudo non solvendi Decimas 40. annis continuata sit, ut communis DD. habet cum Molin. *tr. 2. D. 75. n. 9. Ratio est*, quia etsi decennium sufficiat ad consuetudinem inducendam adversùs Legem, quando nullum affertur alteri prejudi-

cium, longius tamen requiritur tempus, quando alicujus jus lęditur; tunc enim idem tempus requiritur, quod ad prescriptionem: cùm ergo ad prescribendum contra Ecclesiam requirantur anni 40. etiam requirentur tot anni ad inducendam consuetudine exemptionem à Decimis solvendis Ecclesiæ.

63 Quęritur 3. an, & quomodo immunitas à solutione Decimarum obtineri possit per Prescriptionem à personis, & communitatibus particularibus? R. posse: nec à Clericis tantùm, sed etiam à Laicis, pro quibus urget ratio *n. 59.* allignata, & dicta *à n. 52.*

Dub. 1. quantum tempus requiratur, ut prescriptione acquiratur immunitas à solutione Decimarum? R. cum distinctione: Vel enim is, contra quem prescribitur, est Parochus, aut Ecclesia Parochialis, vel est Monasterium, aut alia Ecclesia non Parochialis, vel denique est privatus aliquis Clericus, aut Laicus.

Si primum, quia jus assistit Parocho contra præscribentem, Prescriptio non perficitur, nisi 40. annis cum titulo, vel tempore immemoriali sine titulo *c. Episcopum 1. de præscript. in 6.* *Si secundum*, prescriptio contra ejusmodi Ecclesiam, vel Monasterium completur 40. annis sine titulo *c. de quarta 4.* & *c. ad aures 6. de præscript.* *Si tertium*, contra præsentem immunitas à solutione Decimarum prescribitur annis 10. contra absentem 20. juxta principia Juris vulgata.

64 Dub. 2. an privatus prescriptione, & populus consuetudine ita liberari possit ab onere solvendi Decimas, ut harum prestatio in futurum eidem amplius imperari nequeat? R. negativè; sed si opus fuerit, earum prestationem imperare denuo Summus Pontifex poterit, ut bene cum alijs advertit Less. *l. 2. de Just. c. 39 n. 25.* *Ratio est*, quia potestas, quam Pontifex habet ad imperandas Decimas, ei competit, ut est Pastor Ecclesiæ universalis, & cons. Jure Divino, contra quod Jus nulla consuetudo, vel prescriptio, aut Lex humana valere potest, igitur licèt cedere possit Jure suo, vel Ecclesiarum, nunquam tamen privari potest potestate condendi Legem solvendi Decimas, vel eas renovandi, quando, & ubi censuerit expedire.

Dixi *Summus Pontifex*; nam, ut Suar. *l. 1. de Decim. c. 12. n. 11.* rectè advertit, potestas imperandi Decimas, ubi Legi huic per consuetudinem, vel prescriptionem est derogatum, defacto non est in aliquo inferiore Prælato Ecclesiastico: & ratio est, quia talis consuetudo in tali populo abijt in Jus commune, contra quod Episcopi, & Prælati inferiores disponere nihil possunt.

Quæritur 4. quomodo acquiri immu- 65
nitas solvendi Decimas possit Transactione, & amicabili Compositione? *Certum est*, quòd privata Conventione transigi possit de *Decimis præteritis*, seu fructibus Decimarum, de quibus est controversia, an debeantur.

De futuris distinguendum est; nam ad tempus triennio longius opus est intervenire authoritatem Episcopi juxta *Extrav. ambitiosæ de reb. Eccl. non alien.* Ut in perpetuum, vel ultra vitam transigentis Transactio valeat, opus insuper est Authoritate Apostolica *c. veniens 8. de Transact.*

Dubitatur, an hæc immunitas emi, aut 66
aliàs pro re temporali commutari possit? Videtur posse siquidem juxta dicta immunitas à solvendis Decimis nihil est Spirituale.

Sed etsi hoc verum sit, atque adeo is, qui immunitatem emeret, nihil Spirituale acquireret, nihilominus tamen alter, qui immunitatem venderet, hoc ipso jus suum Decimandi, quod Spirituale est, venderę censeretur: quod est Simoniacum.

Quare tenenda est sententia negativa, quæ etiam patet ex *c. fin. de rer. permut.* ubi contractus inter duos Prælatos initus, quorum unus volebat à petitione Decimarum absistere, si alter certam pecuniæ summam refunderet, penitus annullatur, ex ratione, quòd *permutatio à Spirituali ad temporalia* à Jure *improbata sit.*

§. IV.

De Judice Causarum Decimalium, & Pœnis fraudantium Decimas.

SUMMARIUM.

67. *Quid possit Parochus, ut recuperet Decimas non solutas?*
68. *Quomodo illas debeat petere in Judicio possessorio?*
69. *Quomodo in Petitorio, si agatur super Jure Decimandi?*
70. *Quomodo si super ipsis Decimis?*
71. *Adversùs quem agere possit in Possessorio?*
72. *Adversùs quem in Petitorio?*
73. 74. *Ad quem Judicem spectet causa Decimarum in Petitorio?*
75. 76. *Ad quem in Possessorio?*
77. *Pœnæ fraudantium Decimas.*
78. *Religiosorum non solventium, & solvere prohibentium.*

67 QUæritur 1. quid possit Parochus, ut recuperet Decimas non solutas? *Certum est 1.* Parochum, si non petat Decimas tempore collectionis, posse eas postea petere à quocunque illarum detentore injusto. Ita omnes contra Paris. *Ratio est*, quia qui non petit

petit debitum ſtatim , ac poteſt , non cenſetur idcirco illud remittere.

Certum eſt 2. Parochum non poſſe Decimas , ſibi non ſolutas , ſua authoritate per vim accipere , ut iterum communis habet : *cujus ratio eſt* , quia univerſim loquendo ob bonum pacis , & tranquilitatis publicæ non eſt licitum ulli creditori privata authoritate occupare bona debitoris , eúmque poſſeſſione , & uſu illorum privare , ut debitum ſuum recuperet. atqui Decimæ , antequam ſolvantur , adhuc verè ſunt in bonis , & dominio Parochiani , ergo &c. Ex quo ſequitur , &

Certum ſit 3. Parochum Decimas ſibi negatas petere debere , inſtituta actione adverſùs detentorem. Sed hinc.

68 Quæritur 2. qua actione Eccleſia , vel ejus loco Parochus , aut Epiſcopus in Judicio exigere poſſit Decimas ſibi debitas ? R. hic diſtinguendum , an agatur Judicio poſſeſſorio , an Petitorio.

Si poſſeſſorio , intentabit Remedia poſſeſſoria : & 1. quidem *Interdicto Adipiſcendæ* aget , ſi Decimarum , de quibus controverſia eſt , poſſeſſionem nunquam antea habuit , v. g. quia proveniunt ex Novali , quod primùm intra fines Parochiæ ſuæ exſurrexit. 2. *Interdicto retinendæ* , ſi in Decimarum hactenus poſſeſſarum collectione turbetur ab alio. 3. *Interdicto recuperandæ* denique , ſi poſſeſſionem Decimarum amiſit , quia vel alius fructus Decimales violentè collegit , vel quia qui debebat Decimas ſolvere , illas ipſi præſtare negavit.

69 *At ſi agatur Petitorio* , iterum diſtinguendum erit , an agatur ſuper ipſo Jure Decimandi , ad quem pertineat , an verò ſuper ipſis Decimis , ſeu fructibus Decimalibus. *Si primum* , Eccleſia , vel Parochus perinde , ac ſuper cæteris rebus incorporalibus inſtituere poteſt , & debet actionem Confeſſoriam , vel Negatoriam , *Confeſſoriam* quidem , quâ petat à Judice declarari , ſibi in prædio controverſo competere jus decimandi ; *Negatoriam* autem , quâ poſtulet decidi , Jus illud non competere alteri *arg. §. æquè 2. Inſt. de Actionib.* junct. *c. intelleximus 1 , de nov. oper. nuntiat.*

70 *Si ſecundum* , adhibenda eſt diſtinctio tertia , & videndum , an agatur pro decima parte fructuum jam ſeparata à cumulo reliquorum , & aſſignata , ac quaſi tradita Eccleſiæ , vel Parocho , an verò pro Decimis nondum ſeparatis à fundo , & reliquis fructibus. *Si prius contingat* , Eccleſia , vel Parochus eo caſu poſtulabit Decimas illas ſibi adjudicari , inſtituta actione reali , quæ *Rei vindicatio* dicitur. *Si poſterius fiat* , Eccleſia agere ad ſeparationem , & ſolutionem poterit *Conditione ex Canone* , quæ eſt Actio perſonalis in rem ſcripta , & datur quaſi domino , ſive utile dominium in re habenti. P. Jacob. Wex *Ariadn. p. 5. tr. 1. q. 8. n. 12.*

71 Quæritur 3. adverſùs quem Eccleſia , vel Parochus agere ſuper Decimis poſſit ? R. ſecundùm datam diſtinctionem. Vel enim agit in Poſſeſſorio , vel in Petitorio.

Si poſſeſſorio , videndum , quod intentet remedium ; nam ſi agat *Interdicto adipiſcendæ poſſeſſionis* , inſtituere actionem debet adverſùs poſſeſſorem iniquum ; *ſi retinendæ* , adverſùs turbatorem poſſeſſionis ſuæ ; *ſi recuperandæ* , adverſùs ſpoliatorem , vel eum , ad quem ab hoc illud pervenit.

Quodſi agatur Petitorio , iterum diſpi- 72
ciendum , quænam intentetur actio ; nam ſi intentetur *Actio Confeſſoria* , vel *Negatoria* , inſtituetur illa adverſùs eum , qui jus decimandi ſibi injuſtè arrogat ; ſi *Rei vindicativa* , adverſùs eum , qui Decimas à fundo ſeparatas contra Jus collegit ; *ſi Conditio ex Canone* , adverſùs quemvis fructuum non decimatorum poſſeſſorem.

Eandem Condictionem inſtituet etiam adverſùs illum , qui fructus ſive adhuc hærentes in fundo , & à reliquis non ſeparatos , ſive jam ſeparatos , & decimatos , per dolum , vel notabilem culpam , aut negligentiam deſtruxit , vel perdidit ; petere enim ejuſmodi Condictione poterit æſtimationem fructuum Decimalium , nempe id , quod Eccleſia , alijs annis ſpectatis , ſolebat , & poterat Decimarum nomine ex prædio tali percipere.

Addo tamen , de Jure Canonico parum curari de nomine Actionis , cùm non ſit neceſſe nomen Actionis in Libello exprimere : hinc perinde erit , ſive in Libello Judici oblato dicatur , quòd Eccleſia Decimas , tanquam ſibi debitas , condicat , ſive dicatur , quod eas vendicet tanquam ſuas ; ſed ſufficiet , ſi aliàs ſit rectè formata Petitio.

Quæritur 4. ad quem Judicem ſpectet 73
cauſa Decimarum in *Petitorio* , quando quæſtio Juris eſt , ſeu quando agitur de Jure Decimandi , cuinam id competat ? R. per ſe loquendo , & ſpectato Jure , atque uſu communi , cognitio quæſtionis ſuper hujuſmodi caſu ortæ , & deciſio illius ad Judicem Eccleſiaſticum ſpectat privativè. Ita omnes etiam Legiſtæ , ſuffragante praxi Cameræ Imperialis , utpote quæ appellationes in cauſis Decimarum in Petitorio non recipit , teſte Gaill. *l. 1. obſ 38. n. 2.* Ratio eſt , quia cauſæ Eccleſiaſticæ , & his annexæ ad Forum Eccleſiaſticum ſpectant. tales autem ſunt cauſæ Decimarum , quando de ijs contenditur in Petitorio , ut patet ex *c. adhæc 15. c. tua 25.* & *c. ſeq. h. tit.* ergo &c.

Addidi , *per ſe loquendo* , *& ſpectato Ju* 74
re , *atque uſu communi. Excipitur enim 1.* ſi cognitio cauſarum Decimalium Judici Sæculari data ſit privilegio Apoſtolico ; nam eo etiam Laico competere illam poſſe eſt extra dubium , cùm Ordinem , & Statum Clericalem eſſentialiter non ſupponat. *Excipitur 2.* ſi lis mota ſit ſuper Decimis , quæ privilegio , vel alia conceſſione Apoſtolica perpetuò , & omnino irrevocabiliter in Laicos translatæ ſunt ; quia tali conceſſione à titulo Spirituali

omnino avulsæ, & inter bona Laicorum Patrimonialia, & profana censentur.

75 Quæritur 5. quis sit Judex, quando lis est circa Decimas in possessorio? R. distinguendo: Vel enim litigantium uterque, aut saltem reus conventus est Laicus, vel Communitas Sæcularis? *Si primum*, discussio quæstionis ad Judicem Ecclesiasticum tantùm pertinet; quia actor sequitur forum Rei c. *si Clericus 5. & c. cùm sit 8. de for. compet.*

Si secundum, iterum distinguendum est, an quæstio super possessione, & facto orta admixtam sibi habeat aliquam quæstionem proprietatis, sive Juris, an non. *Si prius*, v. g. cùm titulus possessionis justificandus est, etiam inter Laicos agitata quæstio super Decimis ad Judicem Ecclesiasticum tantùm pertinet; quia non temporalis, sed Spiritualis est.

76 *Si posterius*, probabilius est mixti fori, ita, ut illa tractari possit vel coram Judice Laico, vel coram Ecclesiastico. Constat ex praxi, quæ optima juris interpres est: & ostendi etiam â paritate cum Juramento potest; nam licèt etiam hoc actus Spiritualis sit, & cognitio de valore illius, obligatione, honestate &c. ad Judicem Ecclesiasticum spectet, pro observantia tamen illius, & executione, quæ in facto solo consistit, adiri Judex etiam Sæcularis potest, & ab illo compelli Jurans, ut Juramentum observet. igitur idem dicendum de Decimis, si super his oriatur aliqua quæstio, quæ merè est facti.

Quæritur 6. quæ sint pœnæ fraudantium Decimas? R. præter peccatum mortale gravissimum injustitiæ, quod incurrunt, ut patet ex c. *quamvis 17. h. tit.* duplex illis in Jure dictata est pœna. 77

1. Enim jubentur excommunicari, ut habetur *c. pervenit 5. c. ex parte 21. c. tua nobis 26. h. tit. Clem. 2. de Judic.* & Trid. *sess. 25. c. 12. de reform.* ubi additur, *ab hoc crimine eos absolvi non posse, nisi plena restitutione facta*, intellige, si restitutio sit possibilis, & Decimæ ab eo, cui debentur, non remittantur.

2. Ad Sepulturam Ecclesiasticam mortui admitti non debent, ut statuitur c. *probibemus 19. h. tit.* Ratio esse potest; quia eas detinent cum animarum suarum periculo, & notoriè delinquunt. Sed qui decedunt in notorio aliquo peccato, privandi sunt Sepulturâ Ecclesiasticâ, ut dictum est *Titulo 28. n. 49.* ergo &c.

Tertia contra Religiosos additur in 78 *clem. 1. h. tit.* ubi contra illos, si vel ipsi Decimas, quas deberent, non solvant; vel solvere alios prohibeant, & admoniti ab ijs, quorum interest, intra duos menses ijsdem non satisfecerint, statuitur, ut tamdiu sint, & maneant suspensi ab officijs, administrationibus, & Beneficijs suis, vel si hujusmodi Beneficia, & administrationes non habeant, tamdiu excommunicati, donec destiterint, & satisfecerint.

§. V.

De Primitijs, & Oblationibus.

SUMMARIUM.

79. *Definitio Primitiarum, & differentia à Decimis.*
80. *Oblationum triplex acceptio.*
81. *Præceptum solvendi Primitias non est Juris Naturalis.*
82. *Olim debeantur Jure Ecclesiastico, cui ferè jam derogatum est.*
83. *An detur in Jure præceptum faciendi Oblationes? Ratio dubitandi.*
84. *Statuitur negativa.*
85. *Exceptiones.*
86. *Exhibendæ de Jure communi sunt Parocho.*
87. *Exceptiones.*
88. *Casus, quibus Oblationes acquiruntur Episcopi.*
89. *A'ijs Clericis, & Ecclesijs.*
90. *Religiosis.*
91. *Laici Oblationum capaces non sunt.*
92. 93. *Personæ, à quibus factæ Oblationes ab Ecclesia non admittuntur.*
94. *Administratio earum de Jure communi spectat ad Parochum.*
95. *Per se loquendo converti debent in usus ab offerentibus intentos.*
96. *In alios, justa causa exigente, à Pontifice.*
97. *Et Episcopo.*
98. *Non tamen à Magistratu Sæculari.*
99. *Secluso Jure speciali.*

Hæc secunda Rubricæ præsentis pars est: ubi quatuor quæri possunt. 1. quid sint Primitiæ, & Oblationes? 2. quid Juris sit de utrisque? 3. cui, & à quibus sint faciendæ? 4. ad quem pertineat administratio Oblationum destinatarum ad certos usus?

79 Quæritur ergo 1. de Primitiarum, & oblationum conceptu. Et 1. quidem dubitatur, quid sint *primitiæ*? R. *Primitiæ* sunt frugum initia, seu primi fructus, qui DEI beneficio ex agris, vineis, hortis, arboribus producuntur, ut colligitur *Exod. 23. v. 19. & 15. Num. 18. v. 12. Deut. 16. v. 2.*

Differunt à Decimis 1. quia Primitiæ sunt primi fructus, eo anno collecti; Decimæ verò sunt certa fructuum omnium eo anno collectorum portio. 2. Primitiæ immediatè solvuntur DEO in gratiarum actionem

nem pro novis fructibus (quamvis deinde etiam cedant in alimenta Sacerdotum, & Ministrorum Ecclesiæ) at verò Decimæ immediatè dantur Ministris Ecclesiæ, tanquam merces laborum, & debitum Ministerij sui stipendium.

80 Dub. 2. quid sint *Oblationes*? R. *Oblationis* nomen tripliciter posse accipi. 1. *latè* & *genericè* pro omni Oblatione ad cultum Divinum facta: & sic comprehendit etiam Decimas, Primitias, & ipsum Sacrificium.

2. *Strictè*, & *magis specificè* pro re quacunque temporali, quæ intuitu Religionis à fidelibus immediatè Deo absque immolatione exhibetur, ut in Ecclesiæ usum, ejúsque Ministrorum sustentationem cedat & in hac acceptione Oblatio differt à Decimis, quia hæ debentur ex Justitia; à Primitijs, quia istæ sunt tantùm primi fructus; à Sacrificio; quia res, quę sacrificatur, priùs consecratur, & sic in eo sacrum aliquid offertur; at verò in Oblationibus cęteris nihil Sacrum offertur, nec res offerenda priùs sacrificatur.

3 Et *strictiùs* accipitur Oblationis nomen pro dono, quod fideles sive per se, sive per Diaconum ad Altare offerunt, & ad manus Sacerdotis deferunt. In hoc tertio sensu accepta Oblatio differt ab Oblatione accepta in secundo sensu, sicut species à genere: discrimen à Decimis, & Primitijs utrique commune est.

81 Quæritur 2. de Jure Primitiarum, & Oblationum. Et quidem 1. dubitatur, an sit prœceptum aliquod solvendi Primitias? *Certum est 1.* eas solvendi prœceptum non esse Juris naturalis; quia licèt Oblatio Primitiarum intendatur in recognitionem Dei, ut Authoris omnium fructuum naturalium, & hæc recognitio sit debita Jure naturali, recognitio tamen ista non ita Jure naturali determinata est ad Primitias, ut non alijs modis recognosci Deus, & gratitudo pro beneficijs ostendi possit.

Certum est 2. in Lege scripta eas fuisse debitas Jure Divino, ut patet ex textibus *citt. n. 79.* & *Malach. 3. v. 8.* ubi Deus gravissimè conquestus est adversùs populum Judaicum, quòd prœceptas sibi Decimas, & Primitias non exhibuerit.

82 *Certum est 3.* in Lege nova olim Primitias fuisse debitas, non quidem Jure Divino; nam prœceptum illud Mosaicum cum cęteris ceremonialibus morte Christi exspiravit: sed Sanctionibus Ecclesiasticis, quibus prœceptum illud Mosaicum resuscitatum fuit, ut colligitur ex *can. prætor 6. fin. dist. 32. can. revertimini 65. caus. 16. q. 1. can. Decimas 1. ead. caus. q. 7.* & *c. decimam 1. junct.* Glos. *V. in primitijs h. tit.*

Certum est 4. Juri huic Ecclesiastico in plerisque locis contraria consuetudine derogatum jam esse, ut adeo Primitiarum nomine rarò aliquid solvatur Ecclesiæ. Neque improbari consuetudo hæc debet; cùm enim obligatio solvendi Primitias ab Ecclesia principaliter decreta fuerit propter competentem sustentationem Ministrorum, ideo, si istam illi aliunde habeant, nihil prohibet, quo minùs per contrariam consuetudinem abrogari obligatio ista possit.

Certum est 5. ibi, ubi adhuc Lex Primitiarum viget, esse obligationem istas solvendi ex prœcepto Ecclesiastico, quo cùm quantitas, in qua solvi debeant, determinata non sit, hinc quoad istam standum erit consuetudine loci.

Dub. 2. an detur aliquod in Jure prœ- 83
ceptum de Oblationibus faciendis Dominicis, & Festis diebus solennioribus, inter Missarum solennia? Affirmant Glos. *in can. omnis Christianus 69. V. vacuus dist. 1. de Consecr.* & *in can. statuimus 55. V. Oblatione caus. 16. q. 1.* Host. *in summ. tit. de Paroch. §. 2. n. 4.* Lapus *alleg. 58. n. 1. & 7. &c.* & indicari videtur apertè in textibus *citt.* maximè *can. omnis Christianus*, cujus luculentus in rem prœsentem textus est: *Omnis Christianus procuret ad Missarum solennia aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam, quòd Deus per Moysen dixit, Non apparebis in conspectu meo vacuus; etenim in collectis SS. PP. liquidò apparet, quòd omnes Christiani offerre aliquid Deo ex usu SS. PP. debeant.*

Sed contrarium tenet communis sen- 84
tèntia tam inter TT. quàm Canonistas, juxta quos per se loquendo, nullo Jure, nec positivo Divino, nec Naturali, nec Ecclesiastico tenentur Parochiani ad Oblationes inter Missarum solennia faciendas, addúntque vi Juris eosdem etiam ad hoc cogi non posse ullis Censuris, vel alijs pœnis Ecclesiasticis. Idem dicendum de quibuscunque alijs Oblationibus. *Ratio est*, quia Oblationes per se & ex natura sua sunt prorsus spontaneæ, & liberæ juxta illud: *Ab omni homine, qui ultroneus est, accipietis.* Exod. *25. v. 2. Conf.* quia nemo facilè re eritur, qui talem obligationem agnoscat, & de ea neglecta se in Tribunali Sacro accuset.

Dixi *per se loquendo*; nam per accidens 85
quinque modis deberi possunt, videlicet 1. promissione, quando aliquis promisit eam Voto, vel alia simplici promissione acceptata. 2. Donatione inter vivos, vel ultima Voluntate. 3. Indigentiâ Ecclesiæ, vel Ministrorum ejusdem, non habentium aliunde sustentationem congruam. 4. Consuetudine, quando populus longo tempore, videlicet 10. annis, Oblationes in certis solennitatibus fecit quasi ex obligatione, sive intentione obligationis contrahendæ. 5. Prœscriptione, si ipsi Rectores Ecclesiæ longo tempore ejusmodi Oblationes quasi debitas exegerunt, & acceperunt à Parochianis.

Neque aliud probant Canones *citt.* nam ut eruditè notat Gonzal. *in c. 13. de V. S. n. 2.* intelligi debent de Oblationibus debitis ex uno memoratorum capitum.

Qua-

86 Quæritur 3. de Circumstantia personarum, quibus, & à quibus solvi Primitiæ, & Oblationes debeant? Et 1. quidem dubitatur, quibus Primitiæ, & Oblationes solvi debeant? R. *Primitiæ* Jure communi exhibendæ sunt Parocho illius Parochiæ, intra cujus fines prædia, & fundi, ex quibus fructus producuntur, existunt, nisi consuetudo sit in contrarium. Barbos. *de Offic. Paroch. c. 27. n. 8. & 9.* ubi dat rationem; quia sunt onus reale: & hinc etiam Clerici, qui ejusmodi terras, obligationi Primitiarum exhibendarum obnoxias, colunt, solvere illas debent. *Oblationes* verò Jure communi pertinent ad Rectorem illius Parochiæ, intra cujus districtum fiunt. *Proceditque* hoc non tantùm de Oblationibus, quæ fiunt ad manum Sacerdotis in Missa, sed etiam de ijs, quæ fiunt ad Altare, vel Imaginem etiam depictam in domo privata, nisi aliud constet, vel colligi possit de mente offerentium; nam hæc præ omnibus observanda est.

87 Et hinc 1. ad Sacerdotem celebrantem, non verò ad Parochum pertinent Oblationes, quæ Sacrum dicenti traduntur in stipendium. 2. Neomystis relinquendæ sunt, quæ offeruntur in horum Primitijs; quia horum intuitu censentur dari. 3. Parocho in aliena Parochia Missam pro Parochiano suo v.g. Sponso celebranti, non Parocho loci cedunt, quæ tali occasione fiunt; quia fieri censentur contemplatione ipsius celebrantis. 4. Eæ, quæ fiunt ad certum Altare, vel Sacellum, relinquendæ sunt Altari vel Imagini, aut Sacello, si constet, aut præsumi possit, ea intentione factas esse, ut in honorem, & ornatum Imaginis, Altaris, vel Sacelli insumantur. 5. Imò si ad domum privatam & Imaginem ibi depictam fiat Oblatio, & domus illa pauper sit, relinquendæ sunt illi domui; quia præsumi debent intuitu domûs, & paupertatis ejusdem factæ. Vide Azor *p. 1. l. 7. c. 27. q. 13.* Barbos. *de Offic. Paroch. c. 24. à n. 22.* Reginald. *l. 19. n. 85.* Pirh. *hic n. 180.* Illustriss. D. Præpos. Frising. *tom. 1. Consil. 9. per totum.*

88 Dub. 2. an præter Parochum, etiam alij Oblationum accipiendarum capaces sint? Formari dubium hoc potest 1. de Episcopis. 2. De alijs Clericis. 3. De Religiosis. 4. De Laicis.

Ad 1. dico, Episcopo debentur Oblationes duobus casibus: quorum *prior* est, si in Diœcesis suæ Ecclesia Parochiali ipse sacrificet; nam Oblationes, quæ tum ad Altare ab Ecclesiæ illius Parochianis fiunt, cedunt Episcopo sacrificanti. Franc. Leo *Thes. for. Eccl. p. 2. c. 13. n. 20.* 2. Si Capella, vel Imago, ad quam fiunt Oblationes, sita sit in loco nullius Parochiæ; quia ibi Parochus est Episcopus, intra cujus Diœcesin est locus Oblationis, cons. ad ipsum ut Parochum Oblationes ibi factæ pertinent. P. Wiest. *hic n. 142.*

89 *Ad 2.* Clerici, & Ecclesiæ aliæ non Parochiales jus accipiendi Oblationes acquirere possunt ex triplici capite, videlicet 1. si ejusmodi Clerici, vel Ecclesiæ sint exemptæ. 2. Si jus istud obtinuerint privilegio. 3. Si consuetudine, vel potiùs præscriptione. Aliàs de Jure communi Oblationes ad eos non pertinent, sed ad Parochum illius Parochiæ, intra cujus districtum Altaria, vel Sacella sita sunt, ut dictum est *n. 85.*

90 *Ad 3.* Religiosi obtinere Oblationes possunt ex quadruplici capite. 1. Si Sacerdotes, ad quos eæ de Jure, vel consuetudine pertinent, has ipsis largiantur tanquam pauperibus. 2. Si offerantur in Ecclesijs Parochialibus Monasterio suo unitis, & à se procuratis. 3. Si offerantur ipsis intuitu Ministerij Altaris, Orationum, cæteríque Cultûs Divini, à se exhibiti. 4. Si jus accipiendi Oblationes obtinuerint privilegio, vel præscriptione: & ita defacto, ut P. Wiest. *hic n. 143.* notat, Oblationes quæ ad Imagines Ecclesiarum Regularium fiunt, non Parocho, cui de Jure deberent, sed Monasterio pro Religiosis ibi servientibus acquiruntur.

91 *Ad 4.* Laici Sęculares Juris percipiendi Oblationes, quæ Religionis intuitu in Ecclesijs fiunt, incapaces omnino sunt, secluso privilegio Apostolico, ut expresè habetur *can. quia Sacerdotes 13. can. Sanctorum 14.* & *can. fin. caus. 10. q. 1. can. pervenit 3. caus. 16. q. 7. c. quamvis 17. h. tit.* ubi prohibetur, ne Laico Decimæ, & Oblationes concedantur à Prælatis Ecclesiæ. Ratio perspicua est, quia jus percipiendi Oblationes, ad Cultum Divinum factas, est Spirituale, atqui proprietas, & possessio Juris Spiritualis, secluso privilegio Apostolico, non cadit in Laicos. *Ex quo sequitur*, quòd isti Jus hoc nec per consuetudinis, aut præscriptionis viam possint acquirere. Neque contrarium probat consuetudo, quâ festo Purificationis B. V. cereiofferuntur Laicis; quia hæc non est Oblatio, de qua hìc agitur, sed tantùm donatio alicujus rei benedictæ, quâ Fideles juventur, & excitentur ad devotionem; ut bene advertit Suar. *tom. 2. de Relig. l. 1. c. 7. n. 5.*

92 Dub. 3. à quibus personis fieri, & accipi possint Ecclesiasticæ Oblationes? R. fieri, & accipi possunt ab omnibus Christi fidelibus baptizatis, modò ab Ecclesia præcisi non sint, & non obstet Lex Justitiæ, Pietatis, Charitatis, aut timor scandali, vel Ecclesiæ prohibitio specialis.

Hinc 1. non sunt accipiendæ Oblationes Infidelium, Hæreticorum, & eorum, qui Excommunicati denuntiati sunt, ut patet ex Concil. Laodic. *can. 37.* Illiberitano *c. 28.* & statuitur à Clem. Rom. *l. 3. Const. Apost. c. 8.* quia ab Ecclesia separati, vel præcisi sunt.

2. A Raptoribus *c. super 9 de Raptoribus.* Usurarijs manifestis *c. quia in omnibus 3. de Usur.* Oppressoribus pauperum *can. Oblationes 2. dist. 90.* quia censentur aliena offerre, & quæ sunt restitutioni obnoxia.

3. Ad

3. A Debitore, si per ejusmodi Oblationes fiat impotens ad solvenda debita sua; quia ejus bona illo casu ex Justitia sunt obnoxia Creditoribus.

93 4. A Filiof. si deinde parentes necessitatem passos sustentare non posset; quia tunc Oblatio facta Ecclesiæ repugnaret Pietati parentibus debitæ.

5. A Meretrice, vel Peccatore publico, antequam emendentur; quia putaretur Ecclesia Oblationes recipiens favere illius delicto, aut saltem illud ob ejusmodi Oblationes dissimulare, ne puniat.

6. Denique ab alijs, quos Ecclesia ab Oblationibus speciali prohibitione arcet in pœnam criminis, quales sunt Rebaptizati, & ij, qui infantes suos rebaptizari curant *can. eos quos 118. de consecr. dist. 4.* & Concil. Illerdens. *c. 13.* Sacrilegi *can. de viro 17. caus. 12. q. 2.* Violatores Immunitatis Ecclesiasticæ per extractionem reorum ex Asylo Sacro *can. miror 8. caus. 17. q. 4.* Notoriè dissidentes *can. Oblationes 2. dist. 90.* Pœnitentes publicè *can. eos quos cit.* Matricidæ *can. latorem 15. caus. 33. q. 2.*

94 Queritur 4. ad quem pertineat administratio Oblationum destinatarum ad certos usus? R. Jure communi, & Parochialitatis ea præ alijs competit Parocho, nisi aliud inductum sit consuetudine; hac enim induci potest, ut Oblationes ejusmodi percipiantur, custodiantur, & in usus ab offerentium intentione destinatos convertantur ab alijs, etiam Laicis, sed ab his non Jure proprio, quia ejusmodi Juris, utpote Spiritualis, incapaces sunt; sed tanquam à meris ministris ab Episcopo, vel Parocho ad id deputatis. Hæc satis certa.

95 *Dubium est 1.* in quos usus converti debeant Oblationes Ecclesijs, aliisque locis miraculosis factæ? R. regulariter converti debent in eos usus, ad quos Fidelium offerentium intentione destinatæ sunt. *Clem. quia contingit 2. de Relig. domib.* Si certi usus ab offerentibus non sint expressi, impendendæ sunt in ejusmodi locorum miraculosorum fabricam, ornamenta, & conservationem, atque augmentum Divini in ijs Cultûs, ut ex communi sensu DD. tradit Card. de Luca *de Decim. disc. 19. n. 10.*

Excipitur, si Ecclesia, vel locus ejusmodi miraculosus talibus Oblationibus non indigeret; tum enim, si justa causa id exigat, vel suadeat, legitima authoritate in alios, præsertim, qui publicum Ecclesiæ bonum spectent, usus converti poterunt, ut clarè desumitur ex *Clem. quia contingit 2. de Relig. domib.* & Trid. *sess. 22. c. 6. de reform.*

96 Dub. 2. qua authoritate converti in ejusmodi usum Oblationes possint? *Certum est*, posse ita converti saltem authoritate Apostolica, ut patet ex Trid. *c. 6. cit.* & *Clem. quia contingit 2. de Religios. Domib.* ibi, *Salva quidem sedis Apostolicæ authoritate:* & ratio est, quia Pontifex habet supremam, generalem, & liberam rerum, ad finem supernaturalem destinatarum, & Ecclesiasticarum omnium administrationem, ac dispositionem immediatè à Christo ipso acceptam, ex doctrina communi cum S. Thom. *2. 2. q. 100. art. 1. ad 7.*

Dubium procedit de Episcopo, & alijs inferioribus Prælatis: & *Rationem dubitandi* faciunt verba *Clem.* præallegata, ubi potestas convertendi Oblationes in alios usus per modum Exceptionis adstruitur Papæ. atqui ex communi Regula expressio, & exceptio unius firmat Regulam in contrarium pro casibus non expressis, vel exceptis. ergo hoc ipso potestas illa censeri debet negata Episcopis, aliisque inferioribus Prælatis.

Sed dicendum, etiam Episcopali au- 97
thoritate Oblationes, ad certos usus destinatas, in alios usus converti posse, si causa justa sic suadeat, vel exigat. Ita P. Wiest. *hic n. 150.* & consentire videntur, quotquot docent, quòd ultimæ Voluntates defunctorum, justâ causâ suadente, vel exigente, ab Episcopo commutari possint, quod cum Sylv. *V. Legatum 4. q. 12.* communis sententia DD. docet. Colligitur 1. ex *can. præter 6. hoc t. deinde dist. 32.* ubi ejusmodi Oblationes dicuntur esse in dispositione Episcopi. 2. Ex Trid. *c. 1. cit.* ubi Episcopis stabilita est facultas faciendi commutationes ultimarum Voluntatum, & cons. etiam convertendi Oblationes in alios usus, quàm sint destinatæ. 3. Ex mente, & intentione offerentium, quæ per ejusmodi conversionem non immutari, sed potiùs declarari censetur; meritò enim præsumi potest, quòd in ejusmodi usus oblata voluissent converti, si scivissent hac conversione obtineri utilitatem majorem.

Ad textum *Clem. cit.* dico, prohibitionem verbis illius contentam commodè referri posse ad casum, quo aut deest justa causa de Oblationibus aliter disponendi, aut conversio fit in usus profanos, proprios, aut minùs utiles, ut alijs *citt.* explicat P. Wiest. *hic n. 150. fin.*

Dub. 3. an conversio Oblationum in 98
usus alios fieri possit etiam potestate Magistratûs Secularis? R. non posse, qualisunque ille sit Magistratus, etiam Supremus, Jure communi spectato. Ita expressè *c. quæ in Ecclesiarum 7. de constit. c. fin. de reb. Eccl. non alien. c. si adversùs 7. de Immunit.* Ratio est, quia ad res spirituales, quæ ad finem supernaturalem, h. e. cultum Dei, Sanctorum venerationem, & animarum salutem pertinet, potestas secularis se non extendit, quippe quæ merè Politica est, & immediatè temporalem solùm felicitatem Reip. spectat. atqui res oblatæ Ecclesijs hoc ipso, quòd ad cultum Dei oblatæ sint, spirituales fiunt. ergo &c.

Addidi, *Jure communi spectato;* quia Ju- 99
re speciali potestas ista competere etiam Magistratui, & Principi Seculari potest, ut omnes fatentur, & probat manifesta ratio; nam ejusmodi potestas non ita Spiritualis est, ut non à titulo Spirituali separari queat, cùm non supponat Ordinem aut Episcopalem, aut Sacerdotalem, aut alium.

PARS IV.

De Clero Regulari, hujúsque Juribus, & Obligationibus.

HActenus de Clericis actum est : Ordo doctrinæ nunc postulat, ut etiam aliquid dicamus de altero Personarum Ecclesiasticarum genere, videlicet de Regularibus, quod fiet per novem insequentes Titulos.

TITULUS XXXI.

De Regularibus, & Transeuntibus ad Religionem.

REgularem Professio ad Regulam in Ordine aliquo ab Ecclesia approbato efficit : isti Novitiatus præmittitur. Hinc antequam ad ulteriora pergamus, de Regularium Novitiatu, & eorum Professione tractandum venit.

§. I.

De Natura, Institutione, & Varietate Statûs Religiosi.

SUMMARIUM.

1. *Diversa acceptio Vocis* Religio.
2. *Definitio Statûs Religiosi.*
3. *Quoad substantiam originem habet ex institutione Christi.*
4. *Quoad modum ab Ecclesia.*
5. *Trilex Statuum Religiosorum genus?*
6. *Quodnam ex his sit perfectius?*
7. *Diversitas Religionum sumitur ex fine, & medijs, quibus ad eum finem utuntur.*
8. *Quatuor principales Regulæ.*
9. *Divisio Ordinum in Monachales, Clericales.*
10. *Mendicantes, Militares, Hospitalarios.*
11. *Societas JESU pertinet ad Ordines Clericorum, & Mendicantium.*
12. *Etiam prout complectitur Scholasticos, degentes in Collegijs.*

1 QUæritur 1. quid sit *Religio*, sive *Status Religiosus?* 2. *Religio* varias significationes habet ; accipitur enim 1. pro Virtute, quâ Deo debitus exhibetur Cultus. 2. Pro communitate, seu universitate verum Deum recte colentium per fidem, vel etiam bona opera : & sic comprehendit omnes Christianos ; unde etiam *Religio Christiana* dicitur. 3. Pro communitate, quæ per specialem vivendi modum se Deo, ejúsque obsequio dedicat : quod dupliciter fieri potest, *minùs strictè* per Ordinem susceptum, Votum Castitatis, vel aliud quodcunque vinculum ; & *strictiùs* per tria Vota Substantialia in Religione ab Ecclesia approbata.

2 Sic accepta Religio *Status Religiosus* dicitur, quia hominum in certo, & ex natura sua perpetuo statu collocat : illi autem, qui eam profitentur, vocantur Religiosi, & Regulares : *Religiosi* quidem à Religione, quam profitentur ; *Regulares* autem à Regula, sub qua vivunt. Definitur in hoc sensu sumpta *Religio*, sive *Status Religiosus*, quòd sit stabilis in commune vivendi modus fidelium, ad Christianæ Charitatis perfectionem tendentium, editis tribus substantialibus Votis Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, ab Ecclesia approbatus. Ita Laym. *l. 4. tr. 5. c. 1. n. 1.* & quoad sensum DD. cæteri.

3 Quæritur 2. quo Jure sit institutus Status Religiosus, Divino, an Ecclesiastico tantùm ? 2. si spectetur secundùm se, & quoad substantiam suam, institutus est ab ipso Christo Domino in nova Lege ; si verò quoad peculiarem, & determinatum modum vivendi, sive Regulam, originem suam debet institutioni Ecclesiæ. Ita Suar. *tom. 3. de Relig. l. 3 c. 2. n. 3 & seqq.* Bellarm. *l. 2. de Monachis c. 4.* Pont, *l. 7. de Matr. c. 2. & 3.* Pirh. *hic n. 18. & 19.* Wiest. *tit. de Stat. Monach. & Canon. Regul. n. 1. & duobus seqq.* cum communi DD.

*Pars 1. resp*onsionis constat ex varijs textibus Evangelij, quibus Christus Dominus ad tria Consilia Evangelica observanda, & ad Vota perpetua de illis facienda cohortatus est homines, *Paupertatis* quidem *Matth. 19. v. 21. Vade, & vende omnia &c. Castitatis* ibidem *v. 12. Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter Regnum cœlorum &c. Obedientiæ*, quæ in abnegatione sui, & propriæ voluntatis

luntatis consistit *Matth. 16. v. 24. Qui vult venire post me, abneget semetipsum.* Nec inanis fuit hæc cohortatio, sed eidem Apostoli magna promptitudine, & fervore obsecuti sunt: quod ostenderunt, dum omnium nomine respondens Petrus, *Ecce*, inquit, *nos reliquimus omnia, & secuti sumus te;* ut adeo ipsi primi fuerint Religiosi novi Testamenti, & cons. Statûs Religiosi institutio non sit ita Novitia, quemadmodum Hæretici nostri temporis criminantur.

4 *Pars 2.* patet ex eo, quia Religionum institutio pendet ab approbatione Ecclesiæ, sine qua, ut *infrà n. 21.* dicetur, nullus est Ordo Religiosus. *Ex quo sequitur*, quòd Ecclesia libera sua voluntate possit certas conditiones statuere, per quas constituatur Status Religiosus, eásque pro temporum varietate mutare, uti etiam fecit non in uno exemplo. 1. *In ordine ad contrahendum Matrimonium*, cujus contractus post emissa Vota Religiosa nunc est invalidus, prioribus, Sæculis tantùm erat illicitus. Pirh. *hic n. 19.* 2. *In ordine ad firmitatem vinculi* per Vota Religiosa inducti; defacto enim Vota Religiosa omnia, præter Simplicia Societatis, inducunt absolutam indissolubilitatem, quam non induxerunt primis temporibus; poterant enim Religiosi ob justam causam dimitti ex communitate Religiosa, & omnino liberari ab obligatione suorum Votorum, ut fusè probat Suar. *tom. 3. de Relig. l. 2. c. 14. n. 14. & pluribus seqq.* & ex eo refert Pirh. *l. cit.* 3. *In ordine ad dominium rerum temporalium;* nam hujus defacto incapaces sunt Religionem professi, qui tamen illius incapaces non erant antiquitus, quippe qui per ultimam Voluntatem de illis disponere, imò alij ipsis succedere ab intestato poterant, ut constat ex *l. generali 13. C. de SS. Eccl.* & *l. siquis 20. C. de Episcop. & Cleric.*

5 Quæritur 3. quot sint genera statuum Religiosorum? ℟. sunt maximè tria, videlicet eorum, qui profitentur Vitam Contemplativam; eorum, qui Activam; & denique eorum, qui ex utraque mixtam. *Vitam Contemplativam* profitentur Religiones Monasticæ SS. Basilij, Benedicti, Bernardi, Brunonis &c. quia ex proprio instituto principaliter soli orationi, lectioni spirituali, & rerum Divinarum contemplationi vacant. *Vitam Activam* habent Religiones Militares, & Hospitalarij; quia principaliter exercentur in operibus Misericordiæ tum Spiritualibus, tum temporalibus circa proximum. *Vitam Mixtam* denique Religiones illæ, quæ utrique sc. tam activæ, quàm contemplativæ Vitæ æqualiter intenti sunt, uti sunt Religiosi SS. Augustini, Dominici, Francisci, Societatis JEsu &c.

6 Inter istos tres modos vivendi Vita Contemplativa est simpliciter melior, & perfectior, quàm sit sola Activa juxta illud Christi: *Maria* (per quam Vita contemplativa adumbratur) *optimam partem elegit.* Luc. *10. v. 42.* Utrâque tamen perfectior est Vita Mixta, ut communiter notant DD. cum S. Thom. *2. 2. q. 188. art. 6. in Corp. prope finem.* Ratio est, quia hæc Vita est magis conformis Vitæ Episcoporum, quæ omnium perfectissima est, imò Apostolorum, & ipsius Christi Domini, qui omnis Perfectionis Idea, & Exemplar perfectissimum est. Accedit, quia Religiones, quæ Vitam Mixtam profitentur, instructæ sunt optimis medijs, & exercitijs ad Charitatis Christianæ perfectionem consequendam, atque vi Instituti sui simul vacant Deo, & proximo propter Deum.

Quæritur 4. unde desumatur diversitas 7
Ordinum Religiosorum? ℟. desumitur ex duobus. 1. Ex fine cujuscunque proprio, ac particulari, ad quem quisque Ordo est institutus. 2. Ex diversis medijs, & Spiritualibus Exercitijs, quibus ad finem suum tendit, & ad ipsa Vota observanda utitur. Utrumque proponitur per Regulas, & Constitutiones cujuscunque Ordinis: proinde illæ Religiones diversæ erunt, quæ vel diversas Regulas, vel diversas saltem Constitutiones habent.

Addidi *diversas Regulas, vel Constitutio-* 8
nes; nam plures sunt Ordines, qui eâdem utuntur Regulâ, sed tantùm diversas Constitutiones habent: imò communiter à DD. non nisi quatuor Regulæ approbatæ numerantur, videlicet SS. Basilij, Augustini, Benedicti, Francisci. *Primâ* utuntur pene omnes Monachi Græci, & Ecclesiæ Orientalis. *Secundâ* Canonici Regulares, & Eremitæ S. Augustini Præmonstratenses, Dominicani, Ordo Servorum B. V. &c. *Tertiâ* PP. Benedictini, Cistertienses, Cluniacenses, Camaldulenses, Cœlestini &c. *Quartâ* Minores de Observantia, Conventuales, Capucini, tertij Ordinis de Pœnitentia &c. Peculiarem, & à cæteris distinctam Regulam habent Carthusiani, Minimi S. Francisci de Paula, & Societas JESU. Vide Barbos. *l. 1. Jur. Eccl. c. 41.* ubi fusè recenset, qui Ordines sub quavis Regula militent.

Quæritur 5. ad quot supremas species 9
reduci tota Religionum, seu Ordinum diversitas possit? ℟. maximè ad quinque; nam aliqui Ordines sunt Monachales, alij Clericales, alij Mendicantes, alij Militares, alij Hospitalarij.

Monachales sunt, qui vi proprij instituti per se primò non ordinantur ad ministeria Clericorum, sed principaliter profitentur Vitam contemplativam, & solitariam, ut constat ex *can. Monachus 4.* & *can. seq. caus. 16. q. 1.*

Clericales sunt, qui per se primò, & ex proprio Instituto suo Ministerijs Spiritualibus occupantur, & ad ea Ordinatione Ecclesiastica deputantur.

Mendicantes, qui Vitam Activam 10
contemplativæ jungentes, vi Instituti sui excludunt possessionem bonorum immobilium, & vivunt ex piorum largitionibus, & Elee-

mosynis: quales sunt Ordines Prędicatorum, Minorum S. Francisci, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum &c.

Militares, qui per se primò, & vi proprij Instituti ordinantur ad militandum pro defensione Fidei Christianæ, & Ecclesiæ Catholicæ adversùs Barbaros, aliósque ejusdem hostes: cujusmodi sunt Ordo Equitum S. Joannis Jerosolymitani, S. Mariæ Teutonicorum &c.

Hospitalarij denique, qui per se primò, & ex vi Instituti sui ordinantur ad exercitium Hospitalitatis, h. e. peregrinorum receptionem, infirmorum curationem &c.

11 Quęritur 6. ad quam speciem ex relatis pertineat Societas JESU? ℟. pertinet simul ad speciem Ordinum Clericalium, simul etiam ad speciem Mendicantium. *Primum* patet; quia ex Instituto suo occupatur in Ministerijs Spiritualibus, & procuratione salutis animarum, cultúsque Divini, & inter hos etiam connumeratur in confirmatione Instituti sui. *Alterum* indubitatum est quoad Societatem Professam, & Coadjutores formatos; nam isti per se loquendo habitare deberent in Domibus Professis, quæ ex vi Instituti Societatis bona stabilia possidere nequeunt, sed vivunt ex solis piorum Eleemosynis, ut patet ex *Constit. Societ. p. 6. c. 2. n. 2. 4. & 5.* & *Constit. Apost.* Pauli III. *1540.* Julij III. incipit *Exposcit editâ 1562. Calend. Aug.* & S. Pij V. incipit *Dum indefessæ edita 1571. die 7. Jul.*

12 *Difficultas* aliqua moveri posset de Societate, prout complectitur Scholasticos, degentes in Collegijs, quæ ex vi Instituti Societatis reditus, seu Census, & possessiones, seu bona stabilia studentium usibus, & necessitatibus applicanda habent. *Rationem dubitandi* facit *c. un. §. confirmatos de Relig. domib. in 6.* ubi dicitur Mendicantes esse, quibus per Regulam, quam profitentur, interdictum est habere reditus, aut possessiones aliquas.

Sed dicendum, Societatem, etiam ut sic consideratam, verè, & propriè Mendicantem esse, & cæteris Ordinibus Mendicantibus accensendam, prout constat ex *Constit. Pij V. cit.* in qua declaratur, non tantùm Societatem, sed etiam *singulas illius personas verè, & non fictè Mendicantes fuisse, esse, & fore;* adeóque etiam Scholasticos. *Ratio est 1.* quia una Religio non potest diverso Jure censeri, aut simul esse diversorum Ordinum; aliàs non una esset, sed multiplex. atqui Scholastici unam Societatem constituunt cum Professis, & Coadjutoribus formatis. *Const. p. 5. c. 1. n. 1.* & *Declar. ibid. Lit. A.* ergo etiam Scholastici ejusdem sunt Ordinis Mendicantium. 2. Major, & dignior pars trahit ad se minorem, quæ proinde etiam denominationem ab ea accipit. atqui major, & dignior pars Societatis sunt Professi, & Coadjutores formati, qui Mendicantes sunt. ergo &c. 3. Religiosorum diversitas, ut *n. 7.* dixi, sumitur ex fine, ad quem tendunt. atqui Scholastici Societatis sunt quasi in via, ut fiant Professi, vel Coadjutores formati. ergo meritò ab istis denominationem accipiunt.

Neque obstat ratio dubitandi allata; nam textus *c. un. cit.* intelligendus est respectu totius Corporis, seu Religionis: unde sufficiet, quòd ista vi Instituti sui saltem quoad partem pręcipuam reditibus, & possessionibus careat; aliàs si hæc obstarent, pręter FF. Minores de Observantia, & Capucinos jam nullus ampliùs daretur Ordo Mendicans, quippe cùm cęteris omnibus possessionem bonorum immobilium permiserit Trid. *sess. 25. c. 3. de Regular.*

§. II.

De Requisitis ad Substantiam Statûs Religiosi.

SUMMARIUM.

13. *Requisita ad Substantiam Religionis.*
14. *An ad hanc requiratur solennitas Votorum? Rationes dubitandi.*
15. *Deciditur pro negativa.*
16. *Solvuntur objectiones.*
17. *An requiratur obligatio tam ex parte Religiosi, quàm ex parte Religionis perpetua?*
18. *Resolvitur quæstio.*
19. *Respondetur ad rationem dubitandi.*
20. *An requiratur Vita communis?*
21. *Respondetur, ex natura Statûs Religiosi non requiri.*
22. *An necessarium sit esse approbatam à Summo Pont.*

13 QUæritur 1. quænam requirantur ad substantiam veræ Religionis? ℟. quatuor maximè. 1. Ut erventur tria Consilia Evangelica, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ *c. cùm ad Monasterium 6. in fin. de Stat. Monach.* Ratio est, quia cùm Status Religiosus ex vi institutionis suæ tendat ad perfectionem, debet observare ea, de quibus Christus in Evangelio dixit: *Si vis perfectus esse &c.*

2. Ut hæc Consilia Evangelica Voto, perpetuam obligationem continente, firmentur. S. Thom. *2. 2. q. 186. art. 6.* Ratio est, quia Statûs perpetuitatem denotat, saltem ex parte voventis.

3. Ut hæc Vota emittantur in aliqua Religione à Sede Apostolica approbata, ita, ut non tantùm approbetur ipse vivendi modus, sed etiam expressè, ut vera Religio, ut

constat ex *c. fin. de Religios. Domib.* & *c. un. eod. in 6.* quibus textibus Religionum approbatio causis Majoribus, Sedi Apostolicæ reservatis, connumeratur.

4. Utis, qui hæc Vota Religiosa emisit, vivat sub certa aliqua Regula, seu Constitutionibus, & sub Prælati, seu Superioris Jurisdictione, aut potestate speciali, qui illa Vota vel per se, vel per alium loco sui constitutum acceptet, & ipsum Religiosum sibi subjectum habeat.

14 Quæritur 2. an de Essentia Religionis sit, ut Vota, quæ in illa emittuntur, sint solennia? Non defuerunt DD. qui affirmativam defenderent, videturque hoc colligi 1. ex *c. porrectum 13. h. tit. c. religioso 21. §. fin. de sent. Excomm. in 6.* & alijs textibus, quibus dicitur, Religiosum fieri per Professionem; Professio autem non fit, nisi per Vota solennia, ergo &c. 2. Ut fiat quis Religiosus, opus est, ut seipsum Deo, & Religioni tradat per Vota Religiosa. atqui per Vota Simplicia non fit hujusmodi traditio sui, sed tantùm promissio. ergo &c. 3. Si sufficerent Vota Simplicia, Religiosus dici posset etiam ille, qui emisso Voto Paupertatis, & Castitatis, Obedientiam vovet alicui Episcopo, vel Confessario, quod falsum est. 4. Saltem Vota solennia constituunt Statum longè perfectiorem, & firmiorem, quàm simplicia; per illa enim vovens magis perpetuò, & stabiliter se tradit Religioni, eique adstringitur arctiùs.

15 Sed tenenda est negativa sententia, videlicet ad constituendam verè, & propriè dictam Religionem satis esse emittere in illa Vota Simplicia. Est indubitatum hodie post *Constitutionem Gregorij XIII.* incipit *Ascendente*, ubi statuitur eos, qui in Societate JEsu tria Vota substantialia, tametsi simplicia, emiserunt, verè, & propriè Religiosos esse. Neque aliud natura ipsius Statûs Religiosi exigit. 1. Quia, ut multis ostendit Pontius *l. 7. de matr. c. 22. n. 2. & 3.* & ex eo notat Pal. *tr. 16. D. 1. p. 1. n. 5.* primis Ecclesiæ Sæculis in Religionibus SS. Basilij, Augustini, Benedicti non solennia, sed simplicia edebantur Vota. 2. Solennitas Votorum, ut ex *c. un. de Vot. in 6.* & *Constit. Gregorij XIII. cit.* constat, ex sola Ecclesiæ institutione inventa, & introducta est, ergo sicut Ecclesia approbare potuit Religionem cum Votis solennibus, ita etiam cum Simplicibus. 3. Etiam per Vota Simplicia potest se perpetuò, & irrevocabiliter tradere Religioni, & traditio sic facta à Superiore Religioso acceptari, ita, ut vovens vi talis traditionis teneatur per media in tali Religione præscripta ad Perfectionem Christianam tendere. hoc autem, & non plus ad Statum Religiosum ex natura institutionis suæ requiritur. ergo &c.

16 Neque obstant Argumenta contraria. *Ad 1.* textibus *citt.* ad constituendum Religiosum requiritur Professio, quia eo tempore, quo editi sunt, Ecclesia non acceptavit Religionem, nisi cum Votis Solennibus. *Ad 2.* patet ex *Ratione tertia*, quòd etiam per Vota Simplicia possit fieri traditio, quæ ad Statum Religiosum requiritur. *Ad 3.* subjectio, quæ per Votum Obedientiæ fit Episcopo, vel Confessario, non acceptatur ab Ecclesia, nec approbatur, sicut tamen acceptari, & approbari debet subjectio per Votum Obedientiæ, quâ quis Religiosus efficitur. *Ad 4.* major firmitas Religiosi Statûs, quæ ex Solennitate Votorum provenit, Religioso Statui essentialis non est, cùm sine illa perstiterit, & in Societate JEsu adhuc perstitat ratio vera Religionis.

Quæritur 3. an possit dari vera, & 17
propriè dicta Religio, in qua Religiosus habeat perpetuam obligationem manendi in Religione, etsi Religio non teneatur ipsum perpetuò retinere, sed ob justas causas eundem possit dimittere? *Ratio dubitandi est*, quia emittens Vota Religiosa quasi contrahit cum Religione, & Religio cum ipso, dum ipse se Religioni tradit, & Religio traditionem acceptat, ac vicissim se obligat ad præbenda ei alimenta, aliáque necessaria. igitur Contractus iste sequi debet naturam aliorum Contractuum; cons. vitiosè claudicare non potest: quod tamen fieret in casu præsentis dubij; nam Religiosus susciperet obligationem perpetuam, & absolutam, Religio vicissim revocabilem, & conditionatam, quamdiu scilicet ad commune bonum Religionis expedire id judicaverit.

Verùm hoc non obstante, certa est 18
affirmativa sententia, prout de Societate JEsu declarârunt Summi Pontifices, Julius III. in confirmatione Instituti Societatis 1550. & Gregorius XIV. in Bulla edita 1591. Dicendum itaque, ad hoc, ut aliquis sit verè ac propriè dictus Religiosus, sufficere, si saltem ex parte voventis detur obligatio perpetuò manendi in Religione, licèt Religio non habeat vicissim obligationem absolutam eum perpetuò retinendi. Ita Suar. *tom. 3. de Relig. l. 2. c. 14. n. 12.* Sanch. *l. 5. moral. c. 1. n. 26. prop. fin.* Less. *l. 2. de I. & I. c. 41. n. 8. ℣. neque obstat*, Pirh. *hic n. 6.* Ratio est, quia ad Statum Religiosum non requiritur, major immobilitas, quàm quæ requiritur ad Statum in genere. atqui ad Statum in genere sufficit, ut quis seipsum non possit ab ea vitæ conditione liberare, nec propriâ sponte recedere, quamvis possit potestate Superioris, præsertim supremi, ab ea eximi: Patet in Servo, qui in immobili Statu Servitutis esse dicitur, licèt Dominus illum manumittere possit, ideo solùm, quia eo se Statu propriâ sponte liberare non potest. ergo etiam ad Statum Religiosum sufficiet; aliàs ne Professi quidem veri Religiosi essent, cùm liberari à vinculo Professionis saltem Pontificis authoritate possint.

19 *Ad Rationem dubitandi* nego, quòd Contractus ejusmodi vitiosè claudicet, quia utriusque, Religionis videlicet, & Religiosi voluntate est initus? liberum autem est contrahentibus adjicere contractui conditiones, quas sibi convenientes, vel necessarias judicaverint. Adde, non esse contra Justitiam naturalem, ut bonum privatum communi cedat. est autem bonum Religionis bonum commune. ergo &c.

20 Quæritur 4. utrum ad substantiam veræ Religionis requiratur Vita communis? R. spectato Jure Ecclesiastico novo, & hodierno, affirmativè. Ita Suar. *tom. 3. de Relig. l. 2. c. 4. n. 1.* Pellizar. *tom. 1. tr. 1. c. 1. q. 12. n. 18.* Pirh. *hic n. 18.* & patet ex *c. fin. de Religios. domib.* & *c. un. eod. in 6.* ubi statuitur, Vota Religiosa, seu Professionem Religiosam debere fieri in Religione approbata à Sede Apostolica, atqui secundùm præsentem Ecclesiæ consuetudinem Sedes Apostolica non approbat, nisi Statum Cœnobiticum, seu in commune viventium sub uno capite, seu Prælato Ecclesiastico, & sub una Regula approbata ad Christianam Perfectionem tendentium. igitur ut quis fiat Religiosus, necesse est, ut fiat membrum talis communitatis; cons. in communi vivat, vel saltem habeat communem Prælatum, & Regulam, sub qua vivat.

21 Dixi, *Spectato Jure Ecclesiastico novo, & hodierno*; nam ex natura sua Status Religiosus non necessariò requirit vitam communem. Si enim illam requireret, requireret eam vel ratione Statûs ut sic, vel ratione Perfectionis: non ratione Statûs ut sic; quia hic solùm dicit immobilitatem: non ratione Perfectionis; quia ad hanc tendere etiam vitam solitariam degens potest. ergo &c. Sufficit ergo per se loquendo ad Vitam Religiosam, si is, qui eam profitetur, habeat reliqua, quæ *n. 13.* recensui, requisita, h. e. ut observet Consilia Evangelica, ut horum observantiam firmet Voto, & quidem perpetuo, & ut hæc Vota, tanquam Substantialia Religionis, Dei nomine ab aliquo, ad hoc potestatem habente, acceptentur: & tales Religiosi, ut Suar. *n. 3. & 4.* Pellizar. *n. 20.* Pirh. *n. 17.* existimant, erant antiqui illi Anachoretæ, & quædam Virgines, ac Viduæ.

Quæritur 5. an necessarium sit Religionem esse approbatam à Summo Pontifice, & Sede Apostolica? *Rationem dubitandi* faciunt antiquæ Religiones SS. Basilij, Augustini, Benedicti, quæ ab initio à solis Episcopis pro suis Diœcesibus approbatæ fuerunt, ut adeo Pontificis approbatio necessaria esse non videatur. 22

Sed distinguendum est inter tempora Ecclesiæ ante Lateranense celebratum sub Innocentio III. & tempora, quæ Concilium hoc subsecuta fuêre. Priscis illis temporibus Ordinariorum loci approbatio sufficiebat; at in memorato Concilio approbatio Ordinum Religiosorum soli Romano Pontifici deinceps est reservata, prout refertur *c. fin. de Religios. Domib.* quod Decretum deinde confirmavit Gregorius X. *c. un. eod. in 6.* ut adeo nulla Religio nunc esse possit, quæ Sedis Romanæ approbationem non habeat.

§. III.

De Personis Statûs Religiosi capacibus, vel non.

SUMMARIUM.

23. 24. &c. *Quinam effici Religiosi possint?*
29. 30. *Quomodo Religionem ingredi prohibeantur Servi?*
31. 32. *Quando Pontifex Episcopo dare possit, & soleat licentiam ingrediendi Religionem?*
33. *An sicut Episcopi, ita etiam alij Curati, & Beneficiarij arceantur ab ingressu Religionis?*
34. *An teneatur Clericus Beneficiarius licentiam ab Episcopo saltem petere?*
35. *Quibus casibus ære alieno gravatus licitè ingredi Religionem possit?*
36. *An debitor solutione nondum facta, Religionem ingressus teneatur labore manuum &c.*

23 QUæritur 1. quinam effici Religiosi possint? R. generaliter possunt omnes Christiani, qui Jure non prohibentur. Prohibentur autem.

1. *Infantes, furiosi, amentes,* ut colligitur ex *c. sicut 15. h. tit.* Ratio est, quia in his desideratur usus rationis, & hunc supponens consensus, ac deliberatio, sine quibus nec Professio Religiosa, nec alia Vota obligatoria esse possunt.

2. *Servi* sine licentia Domini: nam sine hac Religionem professi, Dominis repetentibus intra triennium, restituendi sunt cum omnibus, quæ in Monasterium attulêre, fide tamen

tamen de impunitate accepta *can. fin. cauſ. 17. q. 2.* & ratio eſt quia, cùm Servus ſui Juris non ſit, injuſtè ſubterfugit Domini poteſtatem.

24 3. *Conjux* poſt matrimonium jam conſummatum, niſi adſit juſta cauſa perpetui divortij, vel alter conjux conſenſum dederit *c. quidam 3.* & *c. placet 12. de converſione conjugat.* ubi de hoc ex inſtituto agetur.

4. *Epiſcopus* conſecratus, vel ſaltem confirmatus; nam hic Eccleſiam ſuam propter vinculum Spiritualis Matrimonij, quod inter eam, & ipſum intercedit, inſcio, aut non conſentiente Papa, non poteſt deſerere *c. licèt 18. hìc*, *c. inter 2. de Translat. Epiſc. c. niſi cùm pridem 10. de renunt.*

25 5. *Magno ære alieno gravatus;* nam obligatio ſolvendi debita eſt Juris naturalis, & Divini, & Conſilijs Evangelicis prævalet: proinde talis ingreſſum in Religionem aliquamdiu differre debebit, dum Creditoribus ſatisfecerit, prout conſtat ex *Conſtit. Sixti V.* incipit, *Cùm de omnibus editâ Cal. Decemb. 1588.*

6. *Ratiocinijs*, ſive *rationibus reddendis obnoxij*, ſive deinde obnoxij ita ſint ratione adminiſtrationis publicæ, prout decretum jam erat *can. un. diſt. 53.* ſive ratione adminiſtrationis Privatæ, ut colligitur ex *Conſt. Sixti V. cit.* ubi generaliter à Religione excludit quoſcunque ratiocinijs obnoxios, ſi ex hujuſmodi cauſa vel jam illata ſit lis aut moleſtia, vel timeri debeat, ne inferatur.

26 7. *Criminoſi*, quibus timetur pœna mortis, mutilationis, triremium, fuſtigationis, perpetui exilij, vel alia ſimilis reum infamem reddens. *Conſtit. Sixt. V. cit.* & *Clem. VIII.* incipit, *In ſuprema §. 3. editâ 2. April. 1620.*

8. *Liberi*, quando ipſorum parentes in extrema, vel etiam gravi neceſſitate ſunt conſtituti; nam hoc caſu ingreſſum Religionis differre debent, donec illis proſpectum ſit, ut habetur *can. ſiqui filij 1. diſt. 30.* & probat ratio; nam Jure naturali, & Divino obligantur parentibus egentibus ſubvenire.

27 9. *Parentes*, ſi educatione, & operâ illorum adhuc indigeant Liberi ob eandem rationem, imò majorem; quia filius ad alendum Patrem ſolùm obligatur per accidens ratione neceſſitatis, Pater autem ad alimenta, & educationem Liberorum, tanquam eorum principium, per ſe, & ratione muneris ſui, quod non obſcurè indicat Apoſtolus *2. Cor. 12. v. 14.* ibi *Non debent filij Parentibus theſaurizare, ſed parentes filijs.*

28 10. *Non habentes legitimam ætatem:* quæ diverſa eſt Jure antiquo, & novo; nam *Jure antiquo* Novitiatus inchoari, imò Profeſſio emitti poterat à mare 14. ætatis anno expleto, à fœmina anno 12. prout habetur *c. ad noſtram 8. c. ſignificatum 11. c. cùm virum 12. h. t.* & *c. non ſolùm 2. eod. in 6.* quod deinde limitatum eſt *recentiori Jure*, binis ſucceſſivè vicibus: primo quidem per *Clem. fin. h. t.* quâ fœmina Profeſſionem primùm edere permittitur decimo tertio, & mas decimo quinto ætatis anno expleto; deinde verò per Trid. *ſeſſ. 25. c. 15. de Regular.* ubi ad valorem Profeſſionis requiritur, ut eam emittens, ſive mas, ſive fœmina ſit, annum decimum ſextum ætatis expleverit.

Quæritur 2. quinam Servi prohibean- 29
tur ingredi Religionem? R. Jura prohibentia ſervis ingreſſum Religionis, intelligi debent non tantùm de Servis propriè dictis, ſed etiam de Adſcriptitijs, & Originarijs, ut alijs *citt.* docent Sylv. *V. Religio 2. q. 3. in fin.* Azor. *p. 1. l. 12. c. 1. q. 3.* Sanch. *l. 5. moral. c. 4. n. 48.* Pirh. *hic n. 129.* Wieſt. *n. 3. in fin.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Perſon. Eccl. c. 3. n. 93.* *Ratio eſt*, quia cùm tales glebæ, ſeu fundo colendo adſcripti, aut ex origine ſua addicti ſint, inde avelli Domino invito, vel ignorante nequeunt: ac proinde ſi abſque Dominorum ſuorum licentia ad Religioſum Statum diſcedant, intra triennium ab ijſdem repeti poſſunt. Porro triennium iſtud computandum eſt à die, quo ad Domini notitiam pervenit ingreſſus ejuſmodi Servi in Religionem, ut rectè advertit P. Wieſt. *l. cit.*

Si lapſum ſit hoc triennium, diſtingui 30
debet, an Religio bona fide eum receperit, ignorans eſſe Servum, cùm finxerit ſe eſſe liberum an verò malâ. *Si malâ*, etiam poſt triennium revocari Servus ita in Religionem receptus poteſt, ne delictum alterius alteri damnoſum ſit. *Si bonâ*, lapſo triennio, repeti non poteſt ampliùs, etſi Profeſſionem nondum emiſerit, ut cum alijs notat Sanch. *l. cit. n. 43.* & *44.* ubi dat rationem; quia Dominus non repetens ejuſmodi Servum, cùm poſſet, cenſetur renuntiâſſe Juri ſuo; vel ut alij volunt, intra hoc tempus adversùs Dominum cenſetur præſcriptum quodammodo. *Neque obſtat*, quòd alias Servus fugitivus etiam longi temporis lapſu non poſſit uſucapi *l. ſervum 1. C. de Serv. fugitiv.* nam hoc ſpecialiter conceſſum eſt in favorem Eccleſiæ.

Quæritur 3. quando Pontifex Epiſco 31
po dare poſſit, & ſoleat licentiam ingrediendi Religionem? R. ijs caſibus, quibus Epiſcopus renuntiare poteſt Epiſcopatui; tales autem *c. niſi cùm pridem 10. §. intueri de Renunt.* enumerantur ſex.

1. Conſcientia criminis, non tamen cujuſcunque, ſed talis duntaxat, propter quod executio officij, etiam poſt peractam pœnitentiam, impeditur. 2. Debilitas corporis, per quam impotens redditur ad exequendum officium Paſtorale. 3. Defectus ſcientiæ neceſſariæ ad Spiritualium, & temporalium adminiſtrationem, ſi facilè tolli nequeat. 4. Malitia plebis, quæ ita duræ cervicis exiſtat, ut proficere nequeat apud ipſam. 5. Grave ſcandalum populi, quod aliter ſedari non poſſit. 6. Irregularitas perſonæ non diſpenſabilis. Quibus addi ſeptimus caſus poteſt, ſi facilè haberi poſſit alius, qui æquè bene profuturus credatur Eccleſiæ.

Extra

82 Extra hos casus, & causas Papa Episcopo ingressum Religionis concedere non solet, nec de Jure debet, etsi hoc petat Episcopus ex desiderio majoris Perfectionis propriæ; quia totius populi Diœcesani bonum commune præferri debet privatæ ipsius Episcopi utilitati, ut docet S. Thom. *2. 2. q. 185. art. 5.* Suar. *tom. 3. de Relig. l. 1. c. 20. n. 7.* Pal. *tr. 16. p. 7. §. 1. n. 3. & 4.* Wiest. *hic n. 5.*

Proceditque hoc etiam de Episcopis Titularibus, aut Relegatis; quia & ipsi alligati sunt certæ Ecclesiæ, etsi per accidens ob Infidelium occupationem, vel ob Tyrannorum persecutionem non possint actu præesse Episcopatui. Pirh. *hic n. 125.* ubi excipit, nisi fortè impedimentum sit perpetuum, sine spe aliquando recuperandi Episcopatum.

83 Quæritur 4. an sicut Episcopus, ita etiam alij Curati, & Beneficiarij Sæculares arceantur ab ingressu Religionis? R. negativè: sed liberè possunt ad Regulares transire per textum *can. un. caus. 19. q. 1.* & *can. duæ 7. caus. cit. q. 2.* ubi Urbanus II. de Clericis Sæcularibus, *qui populum sub Episcopo retinent* h. e. curam animarum exercent, loquens, *Quisquis igitur*, ait, *hoc Spiritu* (quòd sc. *in aliquo Monasterio, vel Regulari canonia se salvare voluerit*, *ut* sonant verba antecedentia) *ducitur, etiam Episcopo suo contradicente, eat liber nostra authoritate:* adeoque licentiâ Episcopi non est opus.

84 An verò teneatur Clericus Beneficiarius licentiam ab Episcopo suo saltem petere, magis dubiæ quæstionis est. S. Thom. *2. 2. q. 189. art. 7.* Azor *p. 1. l. 11. c. 16. q. 3.* videntur accedere ad affirmativam. Sed Suar. *tom. 3. de Relig. l. 5. c. 4. n. 14.* Pal. *tr. 16. D. 1. p. 7. §. 1. n. 1.* propendent in negativam, quòd nullo Jure obligatio hæc imponatur, & textus *l. licèt 18. h. tit.* loquatur de Regularibus transeuntibus ad Religionem strictiorem. Ego huic sententiæ assentior: addo tamen ab ita ingressuro Religionem Clerico, si Beneficiarius, præsertim Curatus sit, propositum hoc insinuandum Episcopo, vel saltem post ingressum denuntiandum, ut loco sui de Pastore alio provideat, ne oves desertæ maneant, ut cum ijsdem notant P. Jacob. Wex *Ariadn. p. 5. tr. 3. c. 5. §. 1. n. 46.* Clariss. D. Augustin. Michel *Theol. Canonico-mor. tom. 1. append. 1. q. 2. p. 1. n. 27. & 28.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Person. Eccl. c. 3. n. 92.*

85 Quæritur 5. quibus casibus ære alieno gravatus licitè ingredi Religionem possit? R. 1. si Creditores in ingressum ejusdem consentiant; nam volenti non fit injuria. 2. Si nec habeat, unde solvat, nec sperare possit se acquisiturum, etsi in sæculo maneat; quia inanis est actio, quam inopia debitoris excludit c. *olim 16. de restit. spoliat.* & *l. nam is 16. ff. de dol.* 3. Si solvere quidem partem debitorum possit, non autem spes sit, quòd aliquando par sit futurus toti ære alieno solvendo; tunc enim sufficiet, si in favorem Creditorum bonis & actionibus suis cedat, & hac cessione facta, ingredi Religionem poterit; quia ultra, quàm quis potest, nemo tenetur. *Reg. impossibilium 185. ff.* & *Reg. nemo 6. in 6.* 4. Si debita sunt incerta, h. e. nulli determinato debita, sed restituenda pauperibus, vel alteri causæ piæ; tunc enim satisfaciet, si se suáque omnia Religioni tradat, quippe cùm ejusmodi traditione obligationem suam jam impleat. Pal. *tr. 16. D. 1. p. 7. §. 4. n. 2.*

86 Extra hos casus ingressus Religionis, si fiat ante soluta debita, & satisfactionem præstitam Creditoribus, illicitus est Debitori, quamvis ab eodem facta susceptio Habitûs, & ipsa Professio valida sit, prout declaravit Clemens VIII. *Const.* incipit *In suprema §. 3. editâ 2. April. 1602.* ubi sæpiùs memoratam Constitutionem Sixtinam quoad nullitatem susceptionis Habitûs, & Professionis revocavit ad Jus commune, quo Jure illa nuspiam irritatur. An verò eo casu sic Religionem ingressus labore manuum suarum, vel aliâ viâ decenti teneatur bona acquirere, quibus satisfacere possit Creditoribus, controversum est apud DD. In affirmativam inclinat cum alijs quibusdam Suar. *tom. 3. de Relig. l. 6. c. 10. n. 7.* qui etiam putant eo casu Prælatum Religionis teneri, ut ad sic satisfaciendum Creditoribus tali suo Religioso facultatem concedat. Sed verisimiliùs Sylv. *V. Religio 2. q. 4.* Sanch. *l. 4. mor. c. 19. n. 14.* Less. *l. 2. c. 41. n. 32.* Pal. §. *4. cit. n. 8.* utrumque negant; quia sic professus non creditorum, sed Religionis est, & Professione, facta cum cessione bonorum, debita extinxit. igitur ex ijsdem nec Religiosus, nec Religio obligatur ampliùs, nisi in quantum ista inde facta est ditior.

87 Quæritur 6. quousque debitor volens Religionem ingredi suspendere propositum suum debeat, & in sæculo permanere ad satisfaciendum Creditoribus? Certum est, si intra breve tempus, e. g. biennium, vel triennium speret se ijsdem ex acquisitis ratione officij, Beneficij, artificij &c. satisfacturum, & interim grave, atque extraordinarium periculum committendi aliquod peccatum mortale ipsi non immineat, illum teneri eò usque ingressum suspendere. Ita Navar. *Comment. de Regular. n. 8.* Azor *p. 1. l. 12. c. 1. q. 5.* Sanch. *l. 4. mor. c. 19. n. 8.* Suar. *tom. 3. de Relig. l. 5. c. 7. n. 2.* Less. *l. 2. c. 41. n. 32.* Pal. *tr. 16. D. 1. p. 7. §. 4. n. 3.* Ratio est, quia tali casu debitor censetur absolutè potens ad satisfaciendum, cùm absque gravi difficultate, & brevi tempore id facere possit.

88 Difficultas in eo sita est, an possit Religionem ingredi, si primùm post biennium, vel triennium, & non antea absque notabili difficultate speret se debitum grave soluturum? *Negat* cum alijs Valent. *2. 2. D. 5. q. 6. p. 7.* R. pra-

v. præter has, & videtur istud probare ratio; quia præceptorum obligatio non est omittenda ob opus consilij, & perfectionis, quale est ingressus Religionis. atqui quamdiu spem debitor habet, quòd satisfacere etiam post longum tempus Creditoribus possit, tamdiu obligatione naturali præcepti adstringitur. Igitur hanc omittere ob ingressum Religionis non potest. *Contrà* alij cum S. Thom. *2. 2. q. 189. art. 6. ad 3.* affirmant statim ingredi Religionem posse, si bona, quæ habet, Creditoribus cedat, eo ducti fundamento, quòd obligatio, cujus impleto moraliter est impossibilis, neminem stringat; & talis censeatur esse, cui satisfieri non potest, nisi post longum tempus, cùm ipsa exspectatio tanti temporis gravem admodum difficultatem habeat, & sæpe cum Spiritualis salutis detrimento conjuncta sit.

39 Teneo sententiam mediam, & cum Pal. §. *4. cit. n. 6. & 7.* distinguendum puto, an debita orta sint ex liberali debitoris promissione, an verò ex contractu, vel delicto. *Si primum*, nullum debitor exspectare tempus tenetur, sed statim potest Religionem ingredi: quia liberalis promissio tacitam imbibit conditionem, *Nisi ad meliorem vitæ frugem transiero*: quod probatur à paritate cum Matrimonio, cujus promissio hanc conditionem imbibit, licèt omnium, quæ in hominum favorem fieri possunt, favorabilior sit. igitur à fortiori eandem imbibent reliquæ. *Si Secundum*, judico cum DD. primæ sententiæ suspendi Religionis ingressum debere, quamdiu spes est Creditoribus satisfactionem præstandi etiam post biennium, vel triennium, ob argumentum pro ea Sententia allatum, & quia non constat hunc favorem Religioni esse concessum, ut debita ejusdem ingressus dissolvat. *Argumentum sententiæ secundæ* moralem impossibilitatem non probat; hæc enim non statim censeri potest adesse, si longiori tempore sit differenda solutio; aliàs probata hac necessaria dilatione, statim à debitorum solutione excusaretur debitor, etsi Religionem non ingrederetur, quod nullus concedet.

40 Quæritur 7. quibus casibus liberi ob paupertatem parentum non teneantur differre Religionis ingressum? R. 1. si liberi nec habeant, nec sperare possint media, unde parentum egestati succurrant; quia tunc cessaret finis istius dilationis. Magnif. P. Schmier *p. 1. de Person. Eccles. c. 3. n. 102.* 2. Si Filius casu, quo suspenderet Religionis ingressum, pateretur periculum peccandi proximum, quod aliter, quàm per Religionis ingressum vitare non posset. Pal. *tr. 16. D. 1. p. 7. §. 5. n. 7.* qui tamen cum Suar. *tom. 3. de Relig. l. 5. c. 5. n. 32.* notat tale periculum moraliter vix esse possibile: unde prævalere adversùs naturale præceptum parentibus succurrendi vix aliquando poterit. 3. Si filium pater ad peccatum provocet, & provocationem aliter vitare nequeat, nisi Religionis ingressu: quod tamen rarò continget; plerumque enim sufficienter peccatum fugiet, si in sæculo maneat separatus à patre. Quodsi tamen revera filius provocatione patris se liberare aliter, quàm Religionis ingressu nequeat, iste filio erit licitus, etsi periculum consensus nullum adsit; sufficit enim esse obligatum continuò pravæ patris voluntati resistere, cùm ejusmodi pugnam sustinere grave onus sit reputandum.

Dubitari potest, utrum filius, extra 41
casum, quo parentes ob paupertatem suam auxilio ipsius indigent, licentiâ istorum indigeat? R. requirendum quidem de honestate, non verò de necessitate, conf. si negetur, ab ingressu Religionis parentum renutus filium non impediet *can. puella 2. §. si verò caus. 20 q 2.* Rationem dat Clemens II. *c. cùm virum 12. h. t. in fin.* quia liberi post annos discretionis *liberum habent arbitrium, & in electione præpositi* (seu Statûs) *sequi parentum non coguntur voluntatem.* Idque desumitur ex Evangelio apud *Luc. c. 9. & 14.* & apud *Matth. c. 8.* Unde nec minæ, nec preces, nec lachrimæ, nec lamenta parentum, aut propinquorum curanda; quoniam, ut D. Hieronymus *Epist. ad Heliod.* exhortatur, *per calcatum* oportet *pergere patrem, per calcatam pergere matrem, & ad vexillum Crucis evolare*; nam summum genus pietatis est in hac materia fuisse crudelem. Eóque sensu capienda est illa Salvatoris apud *Luc. c. 14. cit.* sententia: *Qui non odit patrem suum, & matrem suam, non est me dignus.*

Quæritur 8. an sicut ob parentum ne- 42
cessitatem filius, ita etiam ob necessitatem fratrum, & sororum frater impediatur ab ingredienda Religione? R. hic distinguendum est inter necessitatem extremam, & gravem. *Ob necessitatem fratrum, & sororum extremam* differre frater Religionis ingressum debet; quia, ut Pal. *tr. 16. D. 1. p. 7. § 5. n. 4.* notat, ita differendus Religionis ingressus est ob necessitatem extremam cujuscunque proximi. Neque difficile hoc accidere debet habenti propositum ingrediendi Religionem; tum quia detrimentum illud Spiritualis fructûs, quod ea dilatione patitur, charitatis exercitio, quo necessitatem hanc alterius sublevat, compensatur; tum quia necessitatem istam diu durare apparet impossibile, quippe quæ in proximo vitæ periculo tantùm consistit, quod diuturnum esse non potest.

Quodsi fratres, & sorores patiantur ne- 43
cessitatem solummodo gravem, altera distinctio est adhibenda, & videndum, an illi adhuc sub parentis cura existant, an non. *Si primum*, & ob inopiam patris necessitatem illam patiuntur, tenetur filius ea obligatione, quâ parenti debet succurrere, etiam ipsis succurrere; quia tum non tam fratribus, quàm

parenti providet. Cen ntur autem illam pati, quoties pater non absque gravi difficultate se, & liberos suos sustentare potest. Suar. *tom. 3. de Relig. l. 5. c. 6. n. 3.* Pal. §. *5. cit. n. 12.* *Si secundum*, communis sententia absolvit fratrem ab obligatione propterea ingressum Religionis longo tempore differendi; quia obligatio succurrendi fratribus, licèt ob conjunctionem naturalem ad idem principium arctior sit, quàm erga extraneos, ex Charitate tamen dunta-xat, quâ proximum tenemur diligere, provenire, & ejusdem generis cum obligatione succurrendi extraneis esse videtur. atqui ob extraneorum necessitatem gravem tantùm nullus tenetur se longo tempore Religioso Statu privare. ergo nec ob necessitatem fratrum. Suar. *c. 6. cit. n. 4.* Sanch. *l. 4. mor. c. 20. n. 30.* Pal. §. *5. cit. n. 12.* *Proceditque hoc*, etsi sorores patiantur periculum incontinentiæ, nisi manens in sæculo illis provideas, licèt enim laudabile sit eo casu ingressum Religionis differre ad aliquod tempus, obligatio tamen differendi nulla est; quia tuæ curæ commissæ non sunt, ut cum *citt.* advertit Azor *p. 1. l. 12. c. 1. q. 8.*

44 Quæritur 9. utrum per hoc, quòd à Trid. *sess. 25. c. 15. de Regular.* Professioni validæ statuta sit ætas 16. annorum completorum, ab eodem Concilio immutatum, aut correctum sit Jus antiquum quoad inchoationem Novitiatûs, & ætatem ad eam necessariam? *Ratio dubitandi* sumitur ex *sess. cit. c. 16.* ubi statuitur, & præcipitur Superioribus Regularibus, ut finito anno Probationis, Novitios, quos habiles ad Professionem invenerint, ad eandem admittant, aut si habiles illos non invenerint, è Monasterio ejiciant: ex quo colligitur Professionem Religiosam, absoluto Novitiatûs anno, statim subjungendam. subjungi autem non posset, si ante 15. ætatis annum aliquis ingrederetur Novitiatum. ergo &c.

Sed dicendum, quoad inchoationem Novitiatûs nihil fuisse à Trid. immutatum; conf. etiamnum iste inchoari potest anno decimoquarto ætatis completo, ut rectè monet Azor *p. 1. l. 12. c. 4. q. 9.* Sanch. *l. 5. moral. c. 4. n. 22.* Pal. *tr. 16. D. 1. p. 7. §. 2. n. 3.* Tambur. *de Jur. Abb. tom. 3. D. 6. q. 2. n. 7.* Wex *Ariadn. p. 5. tr. 3. c. 5. §. 1. n. 40. & duob. seqq.* Pirh. *hic n. 26.* Wiest. *n. 12.* & colligitur *arg. l. commodissimè 10. ff. de liber. & posthum.*

Neque contrarium probatur ex c. *16. cit.* quia ibi Concilium non loquitur absolutè, sed ex hypothesi, *Nisi aliquid obstet*, ut alijs *citt.* explicat P. Wiest. *l. cit.* obstat autem hoc nostro casu defectus ætatis, ergo &c.

Quæritur 10. quæ sint exceptiones, vi quarum aut major, aut minor ætas, quàm anni 14. in mare, & 12. in fœmina ad ingressum Religionis requiratur? R. tres sunt exceptiones, quarum prima est Juris antiqui *c. quia in Insulis 6. h. tit.* ubi Gregorius I. statuit, ut nemo admitteretur ad habitûs susceptionem, & Professionem in Monasterijs Insularum minorum, nisi attigisset annum ætatis decimum octavum, ex ratione, quòd durior ibi, & asperior, quàm alibi, sit habitatio. Sed hæc Constitutio hodie non observatur, ut cum alijs notat Pirh. *hic n. 118.* Wiest. *n. 13.*

Excipiuntur 2. Ordines Militares plerique; nam in his Professio emitti potest, & aliquando etiam solet post decimum tertium annum ætatis, etiam ante expletum annum Novitiatûs: & ratio est; quia *cit.* Trid. Decreto non comprehenduntur, ut bene observat Azor *p. 1. l. 13. c. 4. q. 2.* dicens, ita declaratum esse à Cardd. Trid. Interpret.

Excipitur 3. Societas JEsu, ad cujus Novitiatum à Provincialibus nemo admitti potest ante 15. ætatis annum, ut patet ex *Regula Provincialis 16.* & *Congreg. VIII. General. can. 9.* Si secus fiat, susceptio est invalida cum Votis Simplicibus, post biennium expletum secutis, ut cum alijs notat Sanch. *l. cit. n. 26.*

§. IV.

De Anno Probationis præmittendo Religiosæ Professioni.

SUMMARIUM.

46. *Sitne annus Probationis simpliciter necessarius in omni Religione?*
47. 48 49 50. *An tempus Novitiatûs possit aliquando esse brevius annuo?*
51. *An contrà longius?*
52. *Quid circa Probationis tempus dicendum in Societate JEsu?*
53. *An biennium in ea requisitum Superiores Societatis possint contrahere?*
54. 55. *An id possit Generalis Præpositus?*
56. *Quando incipiat annus Probationis?*
57. *An peragenda necessariò sit in Religionis Habitu?*
58. *Resolvitur Quæstio.*
59. *Respondetur ad oppositа.*
60. *In quo loco peragi Novitiatus debeat?*
61. *An peragi cum licentia Superioris possit extra Monasterium? Ratio dubitandi.*
62. *Resolvitur quæstio.*
63. *Ratio dubitandi dissolvitur.*

46. *Utrum*

64. *Utrum Probationis, & ætatis à Jure requisitæ tempus debeat esse completum de momento ad momentum?*
65. *Respondetur affirmativè.*
66. *Corollarium.*
67. *Solvuntur opposita.*
68. *Utrum annus Probationis debeat esse continuus?*
69. *Quænam interruptio sufficiat, ut discontinuetur?*
70. *An is qui post expletum annum Probationis ante editam Professionem Religionem deseruit, si denuo recipiatur, Novitiatum denuo inchoare debeat?*
71. *Respondetur cum distinctione.*
72. *Objectiones solvuntur.*
73. *An repeti Novitiatus debeat casu, quo Professio ex aliquo defectu invalidè emissa est?*
74. *An sufficiat suppleri tempus, quod deerat, casu, quo durante Probatione aliquis à Religione discessit, & denuo recipitur?*
75. 76. *An repeti Novitiatus debeat, quando Religiosus ab uno Monasterio, vel Ordine transit ad alium?*

46 QUæritur 1. sitne annus Probationis simpliciter necessarius in omni Religione? R. affirmativè: procedítque hoc non tantùm secundùm novi Juris instituta, sed tempus hoc jam requirebatur antiquo Jure, ut habetur *can. Gonsaldus 11. caus. 16. q. 2.* Sed cum hoc discrimine, quòd antiquo Jure annuæ Probationis integritati, consensu mutuo utriusque partis, Novitij nempe, & admittentium illum ad Professionem, renuntiari potuerit, ut constat ex *c. ad Apostolicam 16. h. tit.* quæ rénuntiandi facultas deinde sublata est novissimo Jure Trid. *sess. 25. c. 15. de Regular.* ubi statuit, *ut deinceps ad Professionem nemo admittatur, qui minore tempore, quàm per annum post susceptum habitum in Probatione steterit:* additque, *aliàs Professionem fore nullam, & nullius effectús.* Ratio sic statuendi fuit justissima, ut sc. Novitius disciplinam, & rigorem Regularis vitæ experiri, & vicissim Monasterium perspicere posset illius mores, & indolem, atque ex his judicare, an futurus sit idoneus Ordini, & propterea Fratrum consortio aggregari debeat.

47 Quæritur 2. an tempus Novitiatûs possit aliquando esse brevius annuo? R. plures à DD. afferri exceptiones solent, quibus Professio fieri potuit, vel etiamnum potest, anno Probationis nondum expleto. Harum prima tenet Jure antiquo, cæteræ etiamnum novo.

Prima est, si ut *num. præc.* dixi, utriusque partis consensu renuntiatum fuit juri Probationis annuæ. Excipiebantur FF. Prædicatores, & Minores, aliíque Mendicantes Ordines, quibus ne intra annum ad Professionem aliquem admitterent, severè est interdictum *c. non solùm 2. & c. seq. h. tit. in 6.*

48 Excipiuntur Moniales S. Dominici; nam istæ, si legitimam ætatem habeant, & judicio Medici in articulo mortis constitutæ, quantocius ex hoc sæculo migraturæ sint, ex privilegio, à S. Pio V. ipsis concesso, Professionem, anno Probationis nondum expleto, possunt edere: quæ tamen alium effectum non habet, quàm ut capaces fiant Indulgentiarum, & aliarum gratiarum, quas in articulo mortis cæteri Professi & Professæ consequuntur. Hinc si convalescant, ut consequantur cætera Professorum jura, Probationis annum explere, eóque lapso, Professionem denuo emittendo, priùs editam ratificare debent, ut cum alijs advertit Donatus *tom. 2. prax. Regul. tr. 9. q. 16. n. 1. & 2.* Privilegio hoc gaudent etiam alij Novitij utriusque sexûs cujuscunque alterius Religionis, quæ cum Ordine S. Dominici in Privilegijs communicationem habet, ut idem Donat. *l. cit. q. 15. n. 2.* advertit, & notat etiam Mirand. *Man. Prælat. tom. 1. q. 22. art. 10. in fin.*

49 3. Excipiuntur, & secluso Statuto proprio, edere Professionem, anno probationis nondum expleto, possunt Ordines Militares. Azor *p. 1. l. 13. c. 4. q. 2.* Sanch. *l. 5. moral. c. 4. n. 17.* Pal. *tr. 16. D. 1. p. 12. §. 1. n. 6.* & alij ab his *citt.* Rationem dant, quia Trid. videtur comprehendisse solùm Religiosos in commune viventes, strictam Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam profitentes, quales non sunt Equites Ordinum Militarium. *Neque obstat*, quòd Trid. loquatur generaliter; nam Ordines Militares ob prærogativam, & obsequium, quod Ecclesiæ præstant eam ab hostibus defendendo, non videntur comprehendi in Decretis pro Religiosorum reformatione generaliter latis, sed specifica illorum mentio fieri debet, ut *l. cit.* notat Palao. Addidi *Secluso Statuto proprio*; nam Milites S. Joannis Statutum habent, ne possint Professionem facere ante 16. ætatis annum completum, & ante annum Probationis exactum, ut idem Palao *l. eod.* advertit.

50 4. Excipiuntur Commendatarij Monasteriorum, quæ Capita, ac Primates sunt Ordinum; nam isti intra sex menses solenniter profiteri debent, aut Commenda cedere. Henriquez *l. 13. de Excommun. c. 40. n. 2. comment. lit. O.* Sanch. *l. 5. Moral. c. 4. n. 15.* Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 8. n. 88.* Pal. *tr. 16. D. 1. p. 12. §. 1. n. 5.* & expressè statuit Trid. *sess. 25. c. 21. de Regular.*

51 Quæritur 3. an tempus Novitiatûs possit esse longius annuo? R. distinguendum inter diversa tempora; nam olim, ut Gloss. *in can. Gonsaldus 1. V. unius anni. caus. 17. q. 2.* existimat, tempus Novitiatûs fuit arbitrarium, & plus, vel minus temporis re-

quirebatur pro qualitate ipsorum profitentium : interdum requirebatur biennium ex Decreto S. Gregorij *can. Monasterijs 6. caus. 19. q. 3.* in viris militaribus verò , si Religionem ingrediebantur , idem Pontifex *can. un. dist. 53.* requirebat triennium : quod deinde Bonifacius V. *can. siquis 4. caus. 17. q. 2.* extendit etiam ad casum , quo ignotus quicunque Monasterium ingredi voluit. Hodierno Jure in plerisque Religionibus tempus Probationis est annuum , ita , ut post illud Novitius statim admitti ad Professio-
§2 nem possit.

Excipitur Societas JESU cum quibusdam alijs Religionibus, in quibus alter annus superaddi debet : quod in Societate adeo strictè requiritur , ut si quis ante Probationis biennium completum ad Vota Religiosa absque dispensatione Generalis Præpositi admissus fuisset , Vota illa essent invalida. Ratio sic statuendi fuit , quia ministeria Societatis viros diu probatos , & in solidis Virtutibus fundatos requirunt , ut notat Pal.
§3 *tr. 16. D. 1. p. 13. n. 3.*

Dubium est , an biennium hoc Superiores Societatis possint contrahere ? Satis certum est de Superioribus Generali inferioribus, quòd non possint ; quia , ut notat Sanch. *l. 5. mor. c. 4. n. 20.* Superiores isti non habent alter facultatem incorporandi aliquem Societati , nisi quatenus hoc ipsis concessit Generalis Præpositus ; hic autem nulli facultatem concedit, nisi expleto Pro-
§4 bationis biennio. ergo &c.

Difficultas est , an hoc possit Generalis Præpositus ? Et *Ratio dubitandi* est, quia admittere ante biennium exactum potest ad Professionem , ut notat Sanch. *l. cit.* & patet ex *Const. p. 5. c. 1. §. 3.* hujúsque *Declaratione lit. C.* probátque ratio ; quia ad biennium contrahendum in ordine ad Professionem emittendam occurrere possunt graves causæ , e. g. ut professus fiat inhabilis ad Majoratum &c. est autem plus admittere ad Professionem, quàm ad Vota Simplicia. er-
§5 go &c.

Hoc Argumentum rectè quidem probat , quòd Generales Societatis habeant potestatem contrahendi biennium Probationis in ordine ad emittenda Vota Simplicia, & cons. hæc ex Generalis dispensatione emissa fore valida, non tamen probat , quòd iste licitè facultate hac uti possit ; nam ejus usus expressè eidem prohibetur *Congreg. Gener. 5 can. 12* ubi , *In nullo casu exarceri liceat facultatem contrahendi biennij spatium ad hoc, quòd quispiam ante expletum biennium censeatur verus Religiosus , & Scholasticus approbatus per emissa Vota Simplicia Societatis.* Neque est paritas cum Professione ; nam ejusmodi causæ graves non possunt occurrere ad contrahendum biennium in ordine ad Vota Simplicia , quæ occurrere possunt ad emittendam Professionem.

Quæritur 4. quando incipiat annus Probationis , an à die susceptæ Habitûs , vel
§6 actualis ingressûs in Religionem , an primùm à die sequenti? R. numerandum ab eo momento ,quo Novitius suscepit Habitum , si hujus susceptio ad inchoandum Novitiatum requiratur , vel si non requiratur susceptio habitûs , à die ingressûs in Religionem : hinc sequenti anno post momentum ingressûs statim edi Professio Religiosa posset, Ita Sanch. *l. 5. mor. c. 3. n. 31.* & alij ab eo *citt.* patet que luculenter ex Trid. *sess. 25. c. 15. de Regular.* ubi dicitur , in Probatione standum esse Novitio *per annum post susceptum Habitum* : quod jam est verum de eo ,qui lapso anno ab ingressûs momento die ingressûs anniversariâ profitetur. ergo &c.

Sed hinc dubium exsurgit , an Probatio
§7 necessariò peragenda sit in Religionis Habitu? Negativam defendunt Abb. *in c. 9. h. t. n. 7.* Suar. *tom. 3. de Relig. l. 5. c. 13. n. 6.* Pal. *tr. 16. D. 1. p. 12. §. 3. n. 1.* Pirh. *hic n. 29.* & videtur probari 1 ex *can. un. dist. 53.* ibi: *Juxta normam Regularem debent in suo Habitu per triennium probari & tunc Monasticum Habitum suscipere.* 2. ex *can. multos 23. dist. 54.* ubi is , qui ex Juris Ecclesiastici servitute, vel sæcularis militiæ ad Dei servitium converti desiderat , jubetur probari *prius in Laico Habitu constitutus.* 3. ex *ratione* : quia tempus Probationis tunc incipit , quando quis facta petitione , ut admittatur , & accedente consensu , seu acceptatione Prælati , suscipitur , ut in Religione probetur. atqui ad hoc per se, & suapte naturâ non requiritur Habitus Regularis ; alias qui ab ingressu Religionis usque ad finem Probationis semper decubuisset æger in lecto , Professionem non posset emitte-
re. ergo &c.

Sed probabiliùs tenenda est affirmati
§8 va sententia , quam etiam defendit Gloss. *in c. 9. V. in eadem veste h. tit.* Sylvest. *V. Religio 5. n. 5.* Azor *p. 1. l. 12. c. 9. q. 9.* Sanch. *l. 5 moral. c. 4. n. 29.* Gonzal. *in c. 9. h. tit. n. 5.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Person. Eccles. c. 3. n. 144.* & communiùs DD. Sumitur ex Trid. *c. 15. cit.* ubi eum , qui minore tempore , quàm per annum , post susceptum habitum, in Probatione steterit , prohibet ad Professionem admitti : ac proinde innuit, quòd Novitius non sit censendus annum Novitiatûs inchoâsse , nisi post susceptum Habitum. *Ratio est* , quia in vestitu Religionis deferendo est quædam vitæ austeritas, difficultas , ac labor , quæ inter Probationis experimenta numerantur. *Excipitur* , nisi aliud in aliqua Religione præscriberetur , sicut præscribitur in Societate JESU, juxta cujus Institutum tota Probatio peragi in veste sæculari potest. *Exam. gen. c. 1. §. 13.*

Neque obstant Argumenta opposita, §9
Ad 1. & 2. notat Sanch. *l. cit.* illis Canonibus contrario usu derogatum esse, vel nomine Vestis Laicalis intelligendam Vestem Novitio-

rum,

rum, prout est distincta ab Habitu Professorum, & proprio Religionis. *Ad 3.* ratio illa bene probat, quòd ad Probationem per se, & naturâ suâ non requiratur Habitus Regularis; non tamen probat, quòd non requiratur vi Juris positivi promulgati, & constituti per Trid. cujus verba, cùm præceptiva sint, aut Legis novæ constitutionem, aut antiquæ confirmationem innuunt, observandam ab omnibus, nisi aliud statuat Religionis Regula, vel morbus aut alia impossibilitas excuset.

60 Quæritur 5. in quo loco peragi Novitiatus, seu annus Probationis debeat? R. Regulariter debet peragi in Monasterio, seu Domicillio Religionis, non extra, ut patet ex *c. is qui 1. h. tit. in 6.* ibi, *Quodsi per totum sequentem annum in Monasterio permanserit.* Ratio est, quia Novitiatus ut, *n. 46.* dixi, præcipuè eo fine est institutus, ut Novitius experiatur asperitates Ordinis, & Religio viciſſim sumat experientiam de Novitij sui moribus: quod obtineri non potest, si Novitius extra Religionem versetur in sæculo.

61 Dixi *Regulariter*, nam majus dubium fieri potest, an Novitius cum legitima Superioris sui licentia extra Monasterium, vel Religionem versari possit? *Difficultatem* facit ratio primùm allata, quæ, si aliquid probat, videtur probare, quòd universim extra Religionem Novitius peragere Novitiatum nequeat.

62 Sed dicendum est, posse cum facultate Superioris sui extra Monasterium, vel Religionem per majorem etiam anni partem versari. Ita Navar. *l. 3. tit. de Regular. conſ. 41. n. 2.* & *conſ. 42. n. 3.* Azor. *p. 1. l. 12. c. 2. q. 9. in fin.* Suar. *tom. 3. l. 5. c. 14. n. 13.* Sanch. *l. 5. c. 4. n. 27.* & *28.* Leſſ. *l. 2. c. 41. n. 59. ỳ. tertiò*, Barbos. *de Offic. Epiſc. alleg. 101. n. 28.* Pal. *tr. 16. D. 1. p. 12. §. 4. n. 2.* Pirh. *hic n. 28.* Schamb. *n. 18.* Reiffenstuel *n. 106.* & alij ab his *citt. Ratio eſt*, quia ſis, qui cum licentia Superioris sui extra Monasterium degit, censetur verè in Probatione esse, cùm in eo loco, ubi est, sub Prælati sui obedientia existat; quæ enim major est probatio, quàm obedire? Accedit, quia aliàs Novitius non posset Probationis tempore peregrinatum mitti, v. g. ut Xenodochio inserviat: quod nemo dixerit.

63 *Ad Rationem dubitandi* dico eâ probari nimium; probaretur enim, quòd ad Professionem admitti non posset, qui immediatè post Habitûs susceptionem in morbum incidit, & in lecto decumbens, nullam Religionis asperitatem expertus, annum Probationis exegisset. Sicut ergo iste per hoc non desinit esse Novitius, quia per accidens solùm fuit, quòd asperitates Religionis omnes non potuerit experiri, ita etiam Novitius manet, qui ex mandato Superioris existens extra Monasterium, omnes Religionis asperitates experiri non potuit; non enim requiritur, ut experiatur omnes, sed sufficit, si sub obedientia sui Prælati permaneat, ubicunque degat.

Quæritur 6. utrum dicti tum Probationis, tum ætatis anni debeant esse integri, & completi de momento ad momentum? Negant Stephan. Gratian. *tom. 3. disceptat. for. c. 413. n. 22.* & quidam alij. *Fundantur 1.* quia Præcepta, & Leges humanæ moraliter intelligendæ sunt; moraliter autem impletum, & finitum dicitur tempus, quando parum deest de complemento, & fine. ergo &c. 64

2. in favorabilibus ultima dies inchoata habetur pro completa. atqui dies ultimos anni Probationis, & 16. ætatis requisitæ ad Professionem inchoatos pro completis haberi est favorabile imprimis Religioni, quæ tum Novitij personam sibi devincire jam potest: deinde etiam Novitio, qui per hoc citiùs fit capax emittendæ Professionis, & sic maturiùs consequitur Jura, & privilegia Professorum. ergo &c. *3.* dies ultima inchoata pro completa habetur in ætate requisita ad Ordines. *Clem. fin. & ibi* Gloss. *V. in decimo octavo de ætat. & qualit.* in ætate requisita ad condendum Testamentum *l. à qua ætate 5. ff. de Teſtament.* in septennio requisito ad Sponsalia de futuro *l. in ſponſalibus 14 ff. de Sponſal.* ergo idem dicendum etiam hoc nostro casu.

Sed dicendum, non sufficere, ut annus Probationis, vel ætas requisita ad Professionem tantùm sit moraliter completa, sed requiri, ut sit completa à momento ad momentum: conf. si quis hodie horâ 7. matutinâ post susceptionem Habitûs inchoâsset Probationem, anno sequente non posset edere Professionem ante septimam ejusdem diei. Ita Rodriq. *tom. 3. Reg. q. 15. art. 4.* Suar. *tom. 3. de Relig. l. 5. c. 15. n. 1.* Sanch. *l. 5. moral. c. 4. n. 4.* Leſſ. *l. 2. de J. & J. c. 41. n. 59. ỳ. quartò*, Barbos. *de Offic. Epiſc. alleg. 101. n. 22. ỳ. verùm in hac.* Pal. *tr. 16. D. 1. p. 12. §. 2. n. 2.* Donat. *prax. Regul. p. 2. tr. 9. q. 5. n. 1.* P. Wex. *Ariadn. p. 5. tr. 3. c. 5. §. 1. n. 9.* P. König *hic n. 14.* P. Wiest. *ibid. n. 25.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Perſon. Eccl. c. 3. n. 116.* & plures alij ab his *citt.* ipsáque Rota *p. 10. in Recent. deciſ. 300. n. 33.* Colligitur ex Trid. *Seſſ. 25. c. 15. de Regular.* ubi ad valorem Professionis requiritur, ut Novitius 16. ætatis annum expleverit, & in Probatione steterit non minore tempore, quàm per annum. atqui hoc verum non est ante ultimæ horæ, & momenti lapsum. ergo &c. 65

Ex quo ſequitur, siquis anno proximè antecedente bissextilem festo D. Matthiæ 24. Febr. auspicatus est Novitiatum, proximo anno Professionem non posse edere 24. Febr. sed exspectandam ipsi diem 25. in quam anno bissextili cadit Festum S. Matthiæ. Ita 66

citt. & ratio clara est; quia cùm dies illæ habeantur ex usu Civili ab Ecclesia approbato pro una, annus Probationis ante 25. expletus censeri nequit.

67 Neque contrarium probant Argumenta oppositа. *Ad 1.* quando subeunda est obligatio, tempus Jure requisitum non moraliter, sed physicè esse impletum debet, præsertim si hoc à Jure contrahendæ obligationi in favorem contrahentium statutum sit, ut patet ex *l. denique 3. §. minorem 3. ff. de minorib.* ubi minori conceditur restitutio in integrum, etiamsi ultimo 25. anni die, imò horâ, & momento contigerit ejusdem læsio. ita autem in favorem Novitij statutum est tempus annuum Probationis, & 16. annus ætatis. ergo &c. *Ad 2.* Regula illa procedit, quando agitur de mero favore; in nostro casu Novitius magnos quidem favores Religionem profitendo consequitur, sed simul etiam suscipit gravissimam obligationem, eámque perpetuam, ut adeo favorabile ipsi sit plus habere temporis, ut majori consideratione, & asperitatibus Ordinis magìs probatis obligationem Professionis suscipiat. *Ad 3.* negatur paritas; nam ad suscipiendum Ordinem e. g. Presbyteratûs non requiruntur anni 25. sed vigesimus quintus, quem agere dici potest etiam is, qui tantùm eum incepit: deinde Testamentum posse condere præcisè est favorabile, & posse citiùs condere est favorabilius, quàm posse condere seriùs: denique in Sponsalibus ætas septennij non est absolutè definita, sicut in Professione; neque tanta est difficultas solvendi illa, quanta est in istius solutione.

68 Quæritur 7. utrum annus Probationis debeat esse continuus, vel suffificiat interruptus? R. continuum exigi: ac proinde, si v. g. Novitius, qui per sex menses in Probatione fuit, postea dimissâ Religione, egrediatur, & eam deserat, sed denuo pœnitentiâ ductus, redeat, ac recipiatur, sex illi menses, quibus in Probatione fuit, computari non poterunt, sed annus Probationis de novo inchoari debebit. Ita Abb. *in c. 16. h. tit. n. 9.* Sylvest. *V. Religio 5. n. 4.* Azor. *p. 1. l. 12. c. 2. q. 8.* Leff. *l. 2. c. 41. n. 59.* Sanch. *l. 5. moral. c. 4. n. 31.* Pal. *tr. 16. D. 1. p. 12. §. 2. n. 4.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 101. n. 23.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Person. Eccles. c. 3. n. 120. & seqq.* éstque declaratum à *Congreg. Cardd. Trid. Interpp.* teste Pirh. *hic n. 40.* *Ratio est*, quia quando Jura certum tempus ex die aliquo designato ad alium diem requirunt, in dubio intelligenda sunt de tempore continuo, nisi ex subjecta materia, & præsumpta voluntate disponentis contrarium possit colligi, ut pro Regula habent DD. *citt.* atqui Trid. *sess. 25. c. 15. de Regular.* ad validam Professionem absolutè requirit annum Probationis integrum à die suscepti Habitûs, vel ingressûs. ergo &c. *Conf.* quia annus Probationis integer à Trid. *l. citt.* requiritur favore tum Novitij, tum etiam Religionis, ut ille asperitates Religionis, & ista mores, atque constantiam Novitij meliùs probet. atqui ad hoc plurimum prodest continuatio Probationis, quippe quæ non minima austeritas est Religiosæ vitæ. ergo &c.

Difficultas est. quænam interruptio sufficiat, ut Novitiatûs annus discontinuetur? 69
Variant hac in re DD. Franc *in c. 1. pr. h. tit. in 6. n. 3.* & Leff. *l. 2. c. 41. n. 59.* putant per egressum Novitij ad tres, vel quatuor dies non censeri interruptum Novitiatum; quia modicum intervallum pro nihilo reputatur. Contrà alij cum Suar. *tom. 3. de Relig. l. 5. c. 15. n. 6.* Sanch. *l. 5. mor. c. 4. n. 32.* &c. putant sufficere quamcunque minimam. Pal. *l. cit. n. 7.* utrique sententiæ aliquid tribuit, dum ait sufficere interruptionem etiam minimam, si juncta sit cum dimissione Statûs perfecta; secus, si cum imperfecta tantùm, & incompleta. Talis imperfecta dimissio Statûs juxta eundem censeretur esse, si Prælatus volens dimittere Novitium habitu Religioso illum exueret, & sæculari indueret, antequam verò è Monasterio illum expelleret, mutaret animum; vel si Novitius animo relinquendi statum, & à Monasterio fugiendi latitaret in vestibus Sæcularibus. Completa dimissio verò tunc, quando Monasterij egressu animus relinquendi Statum consummaretur; etiam retento habitu.

Quæritur 8. an is, qui post expletum 70
annum Probationis ante editam Professionem à Religione dimissus est, vel sponte illam deseruit, si postea in eam iterum recipiatur, Novitiatum denuo inchoare debeat? *Ratio dubitandi est*, quia si non esset necessarium denuo inchoare Novitiatum, talis, qui ita dimissus est, vel deserit Religionem, etsi per decem annos postea mansisset in sæculo, statim ac redijsset denuo ad Religionem, Professionem posset emittere: quod durum videtur asserere. 2. quia per ejusmodi dimissionem, vel desertionem Religionis habitûs susceptio videtur esse extincta. 3. quia Trid. *sess. 25. c. 16. de Regular.* videtur exigere continuationem anni Probationis cum Professione, dum vult Novitios, finito tempore Novitiatûs, aut admittendos ad Professionem, si habiles sint, aut expellendos, si inhabiles.

Sed respondendum est distinguendo: 71
Vel enim post egressum Novitij intervenit aliqua notabilis mutatio, vel non intervenit. *Si primum*, sive deinde id factum sit ex parte Novitij quoad mores, sive ex parte Religionis quoad asperitates, & observantiam Instituti, Novitiatus denuo subiri debet; *si secundum*, non est opus, ut repetatur. Ita Gloss. *in Reg. 31. V. eum. qui certus, in fin. de R. I. in 6.* Sanch. *l. 5. mor. c. 4. n. 34.* Pellizar. *Man. Regul. tom. 1. tr. 2. c. 1. q. 12.* & alij ab hoc *citt.* éstque sententia hæc sæpiùs probata

bata à S. Congreg. teste Fagnan. *in c. fin. qui cleric. vel vovent. n. 32.* Primum responsionis membrum probatur satis per Argumenta, maximè primum, & secundum, in Ratione dubitandi allata. Alterum patet ex eo, quia tali jam sufficienter est explorata Religionis asperitas, & huic ipse; continuationem autem Professionis cum Probatione nuspiam Jura exigunt.

72 Neque contrarium probant Argumenta allata. *Ad 1.* in nostra distinctione absurdum non sequitur; quia Jura solùm requirunt, ut Novitius Religionem, & hæc Novitium probaverit. *Ad 2.* susceptio Habitûs potiùs est suspensa, quàm extincta; & si extincta etiam foret, nihil officeret, cùm, uti dictum est, continuatio Probationis cum Professione nullo Jure requiratur. *Ad 3.* jam *n. 44.* dixi, quòd Concilium ibi non loquatur absolutè, sed ex Hypothesi, *Nisi aliquid obstet.*

73 Quæritur 9. an repeti Novitiatus debeat casu, quo Professio ex aliquo defectu invalidè emissa est? R. negativè: sed si quidem irrita fuit ex eo, quòd ante expletum Probationis annum emissa sit, sufficiet tempus, quod superest, suppleri, & Professionem, eo expleto, denuo edi; si verò alio ex capite e. g. ob defectum ætatis, inhabilitatem personæ &c. satis erit, si impedimento sublato, Professio priùs nulliter facta ratificetur per repetitam illius emissionem. Ita Sanch. *l. 7. de matr. D. 37. n. 45. & seqq.* Pirh. *hic n. 45.* Schamb. *ibid. n. 25.* Ratio est, quia fini Novitiatûs jam plene est satisfactum, cùm Novitius jam plenè expertus sit austeritates Ordinis, & Ordo illius mores.

74 *Majus dubium est*, an casu, quo quis ante Professionem emissam ejectus est ex Novitiatu, & postea iterum receptus, sufficiat suppleri tempus, quod de Novitiatu nondum finito deerat? Verùm hæc difficultas tolli ope distinctionis potest, an videlicet justè ejectus sit e. g. ob impedimentum inhabilitatis, vel contrà injustè. *Si primum*, is qui impedimento sublato, receptus est denuo, Novitiatum inchoare de novo debet; quia si Impedimentum illud susceptionem præcessit, hæc, & subsequens Probatio ob ejus in capacitatem fuit invalida. Si subsecutum susceptionem est, Probationem interrupit. *Si secundum*, sufficiet continuari annum Probationis inceptum; quia hic per injustam ejectionem interruptus non fuit, modò ipsemet Novitius animum perseverandi in Religione non deposuerit juxta *Reg. 41. in 6.* ubi dicitur, *Non imputari debere ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.* Pellizar. *Man. Regul. tom. 1. tr. 2. c. 1. q. 26.*

Quæritur 10. utrum Novitiatus re- 75
peti debeat, quando Religiosus ab uno Monasterio, in quo Professionem edidit, transfertur ad aliud, ibi mansurus? R. iterum distinguendo: Vel enim Monasterium illud est ejusdem Ordinis, & Observantiæ, vel diversi Ordinis, & Observantiæ. *Si primum*, ad hoc transiens cum Superiorum suorum licentia nova probatione opus non habet, sed statim ab ingressu, & transitu suo annumerari Professis Monasterij illius debet, ita quidem, ut idem omnino locus in Capitulo, & Choro eidem sit concedendus, qui illi competijsset, si in Monasterio illo emisisset Professionem, ut cum alijs notat Mirand. *Man. Prælat. tom. 1. q. 31. art. 23. concl. 2.* Barbos. *in c. licèt 18. h. tit. n 27.* P. Wiest. *hic n. 32.* Magnif. P. Schmier. *p. 1. de Person. Eccl. c. 3. n. 138.* *Si secundum*, ita transiens, etsi Religio, ad quam transit, sit minùs stricta, quàm illa, à qua transijt, tenetur necessariò subire denuo integrum Probationis annum, antequam Professionem in illa faciat, & si secus factum sit, Professio erit invalida. Navar. *l. 3. cons. 49. de Regular. n. 4.* Rodriq. *de Regul. tom. 3. q. 15. art. 11.* Azor *p. 1. l. 12. c. 14. q. 15.* Sanch. *l. 5. mor. c. 4. n. 12.* Pirh. *hic n. 44.* Wiest. *n. 30.* & alij ab his *citt.* contra Henriquez.

Ratio utriusque partis est; quia Tri- 76
dentinum, ut sæpiùs dictum est, Probationis annum requirit, ut Novitius Religionem, & Religio Novitium probet. atqui sufficienter facta est hæc Probatio, quando Regularis professus à Monasterio, in quo professus est, transit ad aliud Monasterium ejusdem Ordinis, & observantiæ, non verò facta est sufficienter, si transeat ad alium Ordinem; quia diversi Ordines diversas observantias, & austeritates habent, & sæpe contingit, ut aptus ad unam Religionem non sit aptus ad aliam. *Neque obstat*, quòd in Religione, à qua transijt, jam fuerit Veteranus; quia non repugnat eum, qui Veteranus est in una Religione, Novitium, & Tironem fieri in alia.

§. V.

De Obligationibus, & Juribus Novitiorum.

SUMMARIUM.

77. *An Novitius intra annum Probationis liberè possit reverti ad sæculum, etiam sine justa causa? Rationes dubitandi.*
78. *Resolvitur affirmativa.*
79. *Respondetur ad oppositа.*
80. *Quis solvere expensas factas in Novitij sustentationem eo casu debeat?*
81. *Exceptiones.*

82. 83.

82. 83. 84. *Quæ Privilegia Novitijs competant?*

85. 86. 87. *Quæ sit eorum obligatio circa observantiam Regulæ?*

88. 89. *Quam Jurisdictionem in eos Prælatus Regularis habeat?*

90. 91. 92. 93. *Quando Beneficia à se obtenta teneantur dimittere?*

94. *An retineat Jus eligendi Episcopum, vel alium Prælatum?*

95. *Utrum ad hujus electionem necessariò vocandus sit?*

77 QUæritur 1. an Novitius intra annum Probationis liberè possit è Monasterio exire, & reverti ad Sæculum? *Certum est*, hoc ei permissum esse ex justa, & à Prælato probata causa.

Difficultas est, an etiam hoc possit cessante justa, & à Prælato probata causa? Difficultatem facit 1. rescriptum Innocentij III. *c. consulti 20.* Gregorij IX. *c. statuimus 23. h. tit.* & Alexandri IV. *c. non solùm 2. eod. in 6.* ubi allegati Pontifices distinguunt inter eum, qui Religionem, & Novitiatum ingressus est cum proposito vitam absolutè mutandi, & famulandi deinceps Deo sub Regulari Habitu, & inter eum, qui Religionem, & Novitiatum ingressus est sine tali proposito, & animo duntaxat experiundi, ut si sibi placuerit, Ordinis disciplinam profiteatur; nam posteriori duntaxat, non autem priori liberam ad sæculum redeundi facultatem concedunt. 2. Religionis Prælatus non potest Novitium liberè, & nulla rationabili causa suadente, expellere. ergo nec Novitius sine hac Religionem deserere. 3. Levitatis, & inconstantiæ indicium est ab incepta Perfectionis viâ recedere.

78 Sed dicendum, per se loquendo Novitium, etiam nullâ allegatâ causâ, & non requisitâ Prælati licentiâ, liberè, & licitè Religionem deserere, & ad sæculum redire posse. Ita Suar. *tom. 3. de Relig. l. 5. c. 11. n. 6.* Sanch. *l. 5. mor. c. 4. n. 59.* & *l. 6. c. 10. n. 1.* Pal. *tr. 16. D. 1. p. 10. n. 1.* & colligitur ex *c. statuimus 23. h. tit.* & *c. is qui 1. eod. in 6.* ubi dicitur eos posse infra annum liberè ad pristinum statum redire. *Proceditque hoc* etiam de eo, qui Novitiatum ingressus est cum proposito mutandi vitam; nam si ultra propositum non processit, non apparet, unde obligetur ad perseverandum in Religione. Addidi autem *per se loquendo*; nam utique culpâ non vacat Novitius, si ex sequiore aliqua animi affectione v. g. irâ, vel odio ad ita recedendum à Religione ad sæculum se permoveri permisit; aut si prævidet, casu, quo ad Sæcularis vitæ licentiam, occasiones, & pericula peccandi redeat, se expositurum animam suam salutis periculo.

79 Neque urgent Argumenta opposita in contrarium. *Ad 1.* dico textus illos intelligendos esse non de nudo, & simplici proposito, sed de proposito, quod promissione, aut Voti Religione firmatum sit: quod colligitur ex memoratis textibus; dicit enim ibidem Pontifex, Novitios ad sæculum intra annum Probationis redire posse, nisi evidenter constet, eos vitam *absolutè* (h. e. cum promissione, & intentione se obligandi) mutare voluisse. *Ad 2.* negatur paritas; nam Prælatus Novitium sine causa expellendo ex Religione, ageret tum contra officium Charitatis debitum Novitio sibi subdito, tum etiam proprium Prælati: contra officium Charitatis quidem, quia sine justa, & rationabili causa privaret eum maximo bono, & salutis periculo ipsum exponeret; contra officium proprium autem, quia vi muneris sui tenetur, quos aptos viderit, retinere, cùm istud non ad destructionem, sed ædificationem eidem datum sit. *Ad 3.* levitatis non potest argui, qui post aliquanti temporis experimentum eligit regressum à Religione, quam ingressus est, non animo absoluto in illa perseverandi, sed probandi solùm, retenta sibi libertate omnimoda, ut si displicuerit, deserere eandem possit.

80 Quæritur 2. quis solvere expensas debeat, quæ factæ sunt in sustentationem Novitij, postea reversi ad sæculum? Rr. regulariter, & per se loquendo Novitius ad refusionem illarum non obligatur: cons. ferre illas Monasterium, vel Ordo debet, in quo Probationis causâ versatus fuit. Ita Sylvest. *V. Religio 5. q. 8.* Azor *p. 1. l. 12. c. 3. q. 6* Suar. *tom. 3. de Relig. l. 5. c. 11. n. 5.* Sanch. *l. 6. mor. c. 10. n. 4.* Pirh. *hic n. 65.* Wiest. *n. 37.* & colligitur ex *c. statuimus 23. h. tit.* & *c. non solùm 2. eod. in 6.* ubi dicitur, quòd Novitius nullatenus impediri debeat, quò minùs ad sæculum intra annum Probationis liberè redire possit. atqui libertas hæc redeundi multùm imminueretur, si Religionem deserturus refundere deberet fructus in sustentationem ejusdem factos; fortè enim solvendo non est, & sic cogeretur manere, donec solvat. ergo &c. *Cons.* ex ratione; quia Probatio annua instituta est non tantùm in bonum Novitij, sed etiam Religionis, & si Religio ipsum aluit, etiam ipse eidem servivit, vel si morbo impeditus, aut aliâ causâ servire eidem non potuit, per accidens hoc solùm est, neque propterea datur Religioni jus petendi refusionem, cùm plerumque Monasteria fundata sint non tantùm ad alendos Professos, sed etiam Novitios.

Dixi autem *per se loquendo*, & *regulariter*; nam excipi debet 1. si ingressus Religionem est animo ficto, h. e. sine animo perseverandi, aut cum animo, & proposito absoluto ad sæculum redeundi; quia hoc casu decepit Religionem, & causa fuit, ut sumptus faceret non profuturos, ut adeo meritò adigatur ad refundendas expensas, saltem si Monasterio non præstitit obsequia, quæ

quæ expensas in se factas adæquent, & aliàs non fuissent præstita.

Excipitur 2. si Novitius alimentorum intuitu Monasterio aliquid donavit; nam ejusmodi donationem ratam habet Trid. *sess. 25. c. 16. de Regular.* ubi irritas declarat Donationes, quæ fiunt Monasterio ab ingredientibus ante Probationem, excipit tamen illas, quæ fiunt à Novitio, vel Novitia intuitu victûs, vel vestitûs consumpti tempore, quo stat in Probatione.

Excipitur 3. si Novitius refusionem sumptuum, in sui sustentationem factorum, Monasterio promisisset; nam si potest aliquid Monasterio pro Novitij sustentatione dari, potest etiam de eo dando promissio fieri, modò per hoc, quòd Novitius promissionem factam non impleverit, non prohibeatur Novitiatu egredi; sic enim jam impediretur libertas egressûs, quam sartam tectam voluit Trid.

82 Quæritur 3. quæ Privilegia Novitijs competant? ℟. plura sunt horum privilegia. Nam

1. In favorabilibus comprehenduntur nomine Religiosorum: & propterea habendi sunt pro personis verè Ecclesiasticis, non minùs, ac tales sunt Clerici in minoribus constituti; nec enim minùs per susceptionem Habitûs, & inchoationem Probationis constituuntur in Statu præparationis ad Statum Religiosum, ac Clerici minores per susceptionem Ordinum minorum, aut primæ tonsuræ constituuntur in via, & præparatione ad Statum Sacerdotalem. ergo si propterea Clerici in minoribus constituti sunt personæ verè Ecclesiasticæ, ob eandem rationem personæ verè Ecclesiasticæ etiam erunt Novitij.

2. Gaudent privilegio Canonis, & fori. Sequitur ex priori, & de Privilegio Canonis expressè statuitur c. *Religiosi 21. §. quamvis de sent. Excom. in 6.*

83 3. Immunes sunt à Tributis, & Vectigalibus solvendis ex bonis Patrimonialibus, sicut aliæ personæ Ecclesiasticæ ab ijsdem immunes sunt. Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 671. n. 2.* Sanch. *l. 6. mor. c. 10. n. 15.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 4. n. 4.*

4. Participant Indulgentias, aliáque Privilegia specialiter concessa Religioni. Pal. *tr. 16. D. 1. p. 11. n. 1.* & apud hunc *citt.* habetúrque *in Compend. Privil. Societ. JEsu V. Indulgentia in fin.* quia jam connumerantur inter membra Religionis.

5. A proprio Ordinis sui Prælato per se, aut per alios absolvi possunt à reservatis. Pal. *l. cit. n. 2.* & habetur *in Compend. Privil. memorato V. Absolutio.*

84 6. Idem Prælatus Ordinis cum ipsis dispensare potest in Votis, in observatione Festorum, & jejuniorum, in recitatione Horarum Canonicarum, ad quas ratione Ordinis obligantur; quia dum in Probatione existunt, subditi hujusmodi Prælatorum sunt.

7. Denique possunt recipere Ordines ab Episcopo, in cujus Diœcesi situm est Monasterium suæ Probationis. Pal. *l. cit. n. 7.* quia ibi fixisse censetur Domicilium suum, quamvis mutato animo, possint inde recedere.

Quæritur 4. an Novitius, quamdiu in 85 Probatione versatur, obligetur ad observantiam Regulæ, & præceptorum datorum à Superioribus Regularibus? ℟. etsi honestas, & decentia omnino suadeat, ut etiam ipsi Regulas, & Præcepta communia Religionis servent, per se tamen, & directè ad eorum observantiam in conscientia non obligantur. Ita Sylvest. *V. Religio 5. n. 6.* Azor *p. 1. l. 12. c. 2. q. 10.* Suar. *tom. 3. de Relig. l. 5. c. 16. n. 2. & 18.* Sanch. *l. 6. mor. c. 10. n. 7.* Pal. *tr. 16. D. 1. p. 10. n. 5.* Tambur. *de Jur. Abb. tom. 3 D. 6. q. 11. n. 25* P. Wex *Ariadn. p. 5. tr. 3. c. 5. §. 1. n. 51. & 52.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Person. Eccl. c. 3. n. 147.* Pirh. *hic n. 69.* Wiest. *n. 40.*

Quòd honestas, & decentia suadeat, 86 patet ex eo, quia aliàs Regula, generalis est, *ut qui similem cum alijs vitam suscipiunt, similem sentiant in Legibus disciplinam*, ut *c. recolentes 3. de Stat. Monach.* loquitur Alexander III. Accedit, quia nisi & ipsi observent Regulas Ordinis, non satis probarent Religionem, nec Religio ipsos: & ex transgressionibus repetitis oriretur scandalum, confusio, & perturbatio magna in Ordine. Et hinc fit, ut hujusmodi transgressiones sæpe etiam peccaminosæ fiant.

Quòd verò per se, & directè ad ha- 87 rum observantiam non obligentur in conscientia, inde sumitur, quia non apparet, ex quo capite oriatur obligatio hæc in Novitio, cùm Votum Obedientiæ nondum emiserit, & Status illorum plus non exigat, quàm ut Novitium suum Religio regere, instruere, corrigere, & delinquentem punire possit, quod fieri potest, etsi Novitius ipse ad Regulas, & Præcepta hujusmodi observanda in conscientia non obligetur. Imò, ut ex præmissis deducit Pal. *l. cit. n 7.* Prælatus Regularis Novitio suo sub obligatione in conscientia etiam non potest præcipere observantiam Regularum, aut alia, quæ de consilio, & Religionis perfectione sunt, ex ratione, quia non perfectioni observandæ, sed probandæ se Novitius tradidit.

Quæritur 5. quam Jurisdictionem 88 Prælatus Regularis in Novitios suos habeat? ℟. distinguendo inter Prælatos Ordinum Exemptorum, & non Exemptorum. Quantam *posteriores* habeant, desumendum est ex concessione Episcopi, & cujusque Ordinis Statutis, ac consuetudine, ut notat Laym. *l. 4. tr. 5. c. 4. n. 4. in fin. Priores*, uti in Professos, ita etiam in Novitios Jurisdictionem quasi Episcopalem in foro tam interno, quàm externo exercent, eo quòd Novitius ipsemet, quando Habitum suscepit, aut Novitiatum est auspicatus, Jurisdictionem illorum,

approbante Ecclesia, in se prorogaverit. Farin. *prax. crim. q. 6. n. 46.* Sanch. *l. 6. c. 10. à n. 10.* Laym. *de Elect. & potest. Prælat. q. 227. resp. 2.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 12. n. 37.* Sperell. *for. Eccl. p. 1. decis. 15. n. 14. & seqq.* Engl *de Privil. Monast. privil. 48. n. 3.* Pirh. *hic n. 69.* Wex *Ariadn. p. 5. tr. 3. c. 5. §. 1. n. 53.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Person. Eccl. c. 3. n. 148.*

89 Atque hinc 1. potest iis præcipere etiam sub Censuris, si necesse sit, quæ Parochus, vel Episcopus possunt suis subditis præcipere ; quia respectu Novitij, durante eo Statu, proprij Parochi, & Episcopi curam sustinet : & tenebitur sic præcipienti Prælato suo Novitius obedire, etiam sub peccato, si ita materia exigat, quo peccato violabit non quidem Obedientiæ Votum, quo caret, sed Jurisdictionem Ecclesiasticam per Summum Pont. Prælatis concessam etiam versùs Novitios. Pal. *tr. 16. D. 1. p. 10. n. 8.* Barbos. *alleg. 12. cit. n. 37.* Wex *l. cit.* & alij apud istos. 2. Potest illos ob delicta commissa punire ; nam ad hoc tacitè saltem Novitius sese obligat, ut quemadmodum ipse à Religione debet tantisper doceri, dirigi, & sustentari, sic ipse velit à Religione, quamdiu in ea perseveraverit, convenientem Correctionem admittere, & illi non resistere. Sanch. Pirh. Wex *l. citt.* 3. Potest etiam respectu Novitiorum suorum aliquos casus in foro conscientiæ reservare sibi, quamvis aliàs reservati plerumque ad Novitios se non extendant, nisi constet, quòd ad eos etiam extendi reservationem Superiores velint. Laym. *l. 4. tr. 5. c. 4. n. 4. coroll. 4.* cujus, & præcedentium omnium ratio est ; quia Prælati Regulares exempti id respectu subditorum suorum possunt, quod possunt Episcopi respectu suorum Diœcesanorum. atqui respectu horum prædicta omnia potest Episcopus, ergo & Prælatus exemptus respectu subditorum suorum. tales autem sunt etiam Novitij. ergo &c.

90 Quæritur 6. an Novitius, durante anno Probationis, retinere possit Beneficium Ecclesiasticum, an verò illud in ipso ingressu vacet, ita, ut statim alteri conferri possit ? R. non vacare ; sed retinere illud Novitius potest usque ad Professionem, ita tamen, ut constituendus sit Vicarius, qui Beneficio deserviat in Officijs Divinis, & cura animarum, si Curatum illud sit, assignata illi de proventibus Beneficij congrua portione, prout statuitur c. *Beneficium 4. h. tit. in 6.* Estque hoc verum, etsi vel propter Regulam Ordinis, vel propter ætatis defectum, vel ob aliam justam causam ultra annum prorogetur Probatio, ut cum alijs notat Sanch. *l. 7. mor. c. 4. n. 6.* Ratio est, quia toto Probationis tempore Jus volut Novitio liberum esse egressum, atqui non parum libertas hæc minueretur, si Novitius videre deberet Beneficium suum conferri alteri. ergo &c.

Ex quo sequitur 1. in Societate JEsu 91
Beneficia Novitiorum ejusdem non vacare, durante toto Probationis biennio : imò etiam hoc exacto, & emissis Votis Simplicibus, adhuc retineri Beneficium ab ejus Religioso potest usque ad Professionem, aut Vota Coadjutorum formatorum, ut declaratum est in *Congreg. Gen. 1. can. 1.* & ratio patet ; quia eò usque est proprietatis, & quasi proprietatis capax. *Excipitur*, nisi antè renuntiaverit ; solet autem hujusmodi renuntiatio Beneficiorum fieri in Societate, finito Probationis biennio, antequam edantur Vota Simplicia, prout statutum est in *Congr. Gen. 5. can. 5.*

Sequitur 2. si Beneficia Novitiorum si 92
ve Societatis, sive aliarum Religionum, durante anno, vel tempore Novitiatûs, alijs conferantur, collationem fore irritam ; quia est collatio Beneficij non vacantis. Estque hoc verum, etiamsi in fundatione Beneficij expressum sit, ut si Capellanus, vel Beneficiarius per certum tempus absit, ipsum Beneficium vacet ; nam id intelligendum est conformiter Juri, si nempe absit ob aliam causam, quàm ob Religionis ingressum. Sanchez *l. cit. n. 4.* Neque confirmabitur hujusmodi Collatio per secutam Professionem ; quia cùm initio invalida fuerit, tractu temporis convalescere nequit, sed nova collatione est opus. Sanchez *n. 8.*

Sequitur 3. hujusmodi Novitium, si 93
Beneficium administret per Vicarium, etiam lucrari fructus grossos ejusdem : qui proinde casu, quo exierit ex Religione, dempta portione, quæ constituta est ejusdem Vicario, restituendi eidem sunt. Si verò perseveraverit, & Professionem ediderit, in illis succedet Monasterium, si successionis sit capax, sicut succedit in alijs bonis Professi, nisi hic ante Professionem de illis aliter disposuerit. Sanch. *n. 19.*

Quæritur 7. an Novitius etiam reti 94
neat jus eligendi Episcopum, vel alium Prælatum, annexum ipsius Beneficio, Canonicatui, aut Dignitati ? R. affirmativè ; quia Electio inter fructus Beneficij computatur : ex quo sequitur, si is velit interesse Electioni, eum excludi non posse. Suar. *tom. 3. de Relig. l. 5. c. 16. n. 16.* Sanch. *l. 7. moral. c. 4. n. 11.* Pirh. *hic n. 75.*

An verò casu, quo vacante Episco 95
patu, vel Prælaturâ, instituitur Electio novi Episcopi, vel Prælati, necessariò ad hanc vocandus sit, dubitari potest. Ego cum Gloss. *in c. 4. V. conferendum in fin. h. tit. in 6.* Joan. Andr. *ibid. n. 2.* Sylv. *V. Religio 5. n. 11.* Sanch. *l. cit. n. 10. & 12.* & alijs apud istos, respondeo distinguendo : Vel enim jure Collegij, cujus pars est, Electio ad ipsum pertinet, vel Jure speciali, seu singulari ratione Beneficij, vel Dignitatis suæ. *Si primum*, non est necessariò vocandus ad Electionem ; est vocandus, *si secundum* con-

tin-

tingat. Ratio disparitatis est, quia priore casu per ipsum Collegium sine Novitio commodè fieri Electio potest; non item posteriore, quando Jure speciali, aut personali eidem competit.

§. VI.

De Renuntiationibus Bonorum, quæ à Novitijs fieri solent.

SUMMARIUM.

96. *An, & quando Novitius renuntiare bonis, & juribus suis possit?*
97. 98. *Quid de hoc statutum in Societate JEsu?*
99. 100. 101. *Quænam renuntiationes, contractus, & pacta per Trid. Decretum sint irritata?*
102. 103. 104. *Quid requiratur, ut validè fieri renuntiatio a Novitio possit?*
105. 106. 107. *Quando fieri illa possit, casu, quo Professio ex aliqua causa justa differtur?*
108. 109. 110. *Vel ex dispensatione Apostolica emittitur ante elapsum integrum Probationis annum?*
111. 112. *An bimestre à Trid. pro renuntiatione facienda concessum sit computandum de momento ad momentum?*
113. *An effectum renuntiatio habeat, si Professio hanc secuta sit irrita?*
114. *An convalescat, si invalidè facta Professio ratificetur?*
115. 116. 117. 118. *An corruat, si renuntians moriatur ante Professionem?*
119. 120. *An revocari possit a Novitio, volente perseverare in Religione?*
121. *An bona sic cessa ante Professionem possint tradi Cessionario?*
122. 123. *Et si tradantur, an iste acquirat illorum dominium, vel saltem possessionem?*
124. 125. 126. *An Decreto Conciliari subjaceat etiam Renuntiatio Beneficij?*
127. 128. 129. 130. 131. *Et Renuntiationes aliæ factæ ante ingressum vitij in Religionem?*
132. 133. 134. *Vel post ingressum quidem, sed ante susceptionem Habitus.*
135. *Quid dicendum de Renuntiationibus, quæ fiunt in Societate JEsu?*
136. *Rationes dubitandi.*
137. *Decidituir eas Renuntiationes esse absolutas, & irrevocabiles.*
138. *Confirmatur triplici Argumento.*
139. *Si tamen factæ sint juxta Constitutiones Societatis.*
140. *Et hoc verum est etiam de ijs, quæ secundùm dictas Constitutiones fiunt post primum Probationis annum.*
141. *Unde Renuntianti postea dimisso ex renuntiatis per se nihil debetur.*
142. *Respondetur ad Argumenta contraria.*
143. 144. 145. *Quas Renuntiationes, & quos renuntiantes teneat Decretum Conciliare?*
146. *Utrum Renuntiationes, factæ ante ingressum, subjaceant solennitatibus Juris Statutarij, vel communis?*
147. *Decidituir negativa.*
148. *Respondetur ad oppositа.*

96 QUæritur 1. an, & quando Novitius renuntiare bonis, & Juribus suis possit? R. antiquo Jure renuntiare poterat bonis, & Juribus suis non tantùm ante, sed etiam post ingressum suum in Religionem, durante toto Probationis tempore *arg. l. in re mandata 21. C. mandati.* At novissimo Trid. *sess. 25. c. 16. de Regular.* statutum est, ut imposterum *nulla Renuntiatio, aut obligatio, etiam cum Juramento, & in favorem cujuscunque causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarij fiat intra duos menses proximos ante Professionem*: & additur, etiam sic factam renuntiationem *non fortituram effectum suum, nisi secuta Professione.*

97 *Excipitur* Societas JEsu; nam hujus Novitij quocunque tempore Novitiatûs, & absque licentia Ordinarij bonis suis cedere possunt, ut alijs *citt.* notat Pal. *tr. 16. D. 1. p. 18. n. 1.* Fagnan. *in c. statuimus h. tit. n. 39.* Donat. *tom. 2. p. 2. tr. 7. q. 19.* Pignatell. *tom. 8. consult. 56. n. 6.* Wex. Ariadn. *Part. 5. tr. 3. c. 5. §. 1. n. 86.* & expressè habetur in Trid. *sess. & c. cit.* quod memoratam Societatem ab observatione hujus Decreti voluit esse exemptam.

98 Et procedit Exceptio, etiamsi Novitius Societatis renuntiationem hanc suam non in pia opera, ut præscribit Societas, sed in consanguineos, vel extraneos non egentes, aut alia opera profana faciat, ut advertit Pal. *l. cit. n. 2.* & ratio est, quia Concilium *l. alleg.* protestatur, *se non intendere aliquid innovare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis JEsu juxta pium eorum institutum, à Sancta Sede Apostolica approbatum, Domino, & ejus Ecclesiæ inservire possint.* atqui Constitutiones Societatis renuntiationem Bonorum in causas pias faciendam quidem præscribunt, aliter factam tamen non irritant, sed potiùs validam esse supponunt, maximè si facta fuerit ante ingressum in Societatem. ergo &c.

99 Quæritur 2. quænam renuntiationes, contractus, & pacta hoc Trid. Decreto sint irritata? R. irritantur solùm illi Contractus, & Pacta, quibus Bona, & Jura Novitij notabiliter minuuntur; ea autem, quibus illa non minuuntur, etiamnum valent. *Ratio* sumitur ex fine Trid. quem hoc suo Decreto intendit; volebat enim per hoc suum Decre-

tum sartam tectam servare Novitijs libertatem revertendi ad sæculum. hæc autem multùm minuitur per renuntiationes, pacta, & contractus, quibus bona, & Jura Novitiorum notabiliter minuuntur; non minuitur per Contractus, & Pacta, quibus illa notabiliter non minuuntur. ergo &c.

100 *Ex quo sequitur*, validas esse 1. Donationes, & Eleemosynas à Novitio pauperibus, locis pijs, & ipsi etiam Monasterio factas, si modicæ illæ sint, & moderatæ, spectatâ Novitij substantiâ; quia parum pro nihilo reputatur, neque meritò ab egressu ex Religione retinere potest. Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 99. n. 26. & seqq.* 2. valent Contractus Emptionis Venditionis, Locationis Conductionis, Permutationis, Societatis, & alij similes, quibus non minus recipitur, quàm datur, & non minor spes lucri, quàm damni est; quia per eos Jura, & Bona Novitij non notabiliter minuuntur. Sanch. *l. 7. mor. c. 5. n. 33.* 3. valent Testamenta, Codicilli, & mortis causâ Donationes; quia liberè revocari possunt. Pirh. *hic n. 79.*

101 Contrà invalidæ sunt 1. Donationes notabilis quantitatis inter vivos, & irrevocabiliter factæ. 2. renuntiationes Officiorum publicorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum. 3. Mutuum, quo rei mutuatæ dominium, & usque ad notabile tempus transfertur in Monasterium. 4. fidejussiones, remissiones, & liberationes v. g. quâ Tutor, vel Curator à ratiocinijs reddendis deobligatur. 5. Contractus omnes lucrativi, & illi etiam ex onerosis, in quibus non tantum recipitur, quantum datum est. Quorum omnium ratio est, quia per hujusmodi renuntiationes, pacta, & cessiones impeditur libertas egressûs ex Religione.

102 Quæritur 3. quid requiratur, ut renuntiatio validè fieri à Novitio possit? Ry. 1. requiritur, ut non fiat ante ultimum bimestre Probationis, ut patet ex Trid. *c. 16. cit.* Estque hoc verum, in quacunque ætate sit Novitius; nam si renuntiationem ante ultimum bimestre, & sine licentia Episcopi, vel ejus Vicarij Generalis fecerit, renuntiatio est invalida, ut contra Menoch. *de arbitr. cas. 436. n. 8.* docet Sanch. *l. 7. mor. c. 5. n. 7.* Pal. *tr. 16. D. 1. p. 17. n. 5.* Sperell. *dec. 16. n. 48.* Barbos. *alleg. 99. n. 18.* Donat. *prax. Regul. tom. 2. p. 2. tr. 7. q. 6. n. 9.* Wex Ariadn. *p. 5. tr. 3. c. 5. §. 1. n. 62.* Pirh. *hic. n. 82.* Wiest. *n. 59.* & cæteri alicujus nominis DD. plerique, estque declaratum à *Congreg. Card. Concil. Interpp.* teste Barbos. & Donat. *l. citt.* *Ratio est*, quia *cit.* Trid. Decreto renuntiationes omnes ante ultimum bimestre factæ annullantur generaliter, non distinguendo inter Novitios, & eorum ætatem, ut adeo locus sit Regulæ *can. si Romanorum 1. dist. 19.* & *can. consuluisti 20. caus. 2. q. 4.*

2. Renuntiatio hæc fieri debet cum licentia Episcopi, vel alterius, qui Jurisdictionem quasi Episcopalem habet in Clerum, & populum. 103 Estque licentia hæc necessaria etiam Exemptis, ut colligitur ex generalitate textûs, non distinguentis inter exemptos, & non Exemptos. *Ratio* hanc requirendi fuit, ut excludantur fraudes, metus, & preces importunæ, quibus induci posset Novitius ad relinquenda bona sua Monasterio; licentia enim Judicis tollit præsumptionem fraudis, ac doli *l. fin. ff quod met. caus.* *Excipitur*, ubi per consuetudinem contrariam huic Trid. Decreto est derogatum; est enim Lex positiva, adversûs quam consuetudo contraria potest prævalere. Et sic consuetudine defacto in aliquibus Religionibus inductum esse, ut licentia Episcopi, aut Vicarij ejus non petatur, testatur Rodrig. *p. 2. summ. c. 7. de Donat. n. 1. in fin.* Vega *tom. 2. summ. c. 50. cas. 3.* Lezan. *tom. 1. summ. c. 24. de Novit. n. 34. in fin.* Donat. *tom. 2. p. 2. tr. 7. q. 13.* Bordon. *de Profess. Relig. c. 13. q. 12.* Wex Ariadn. *p. 5. tr. 3. c. 5. §. 1. n. 64.* Pirh. *hic n. 88.* Wiest. *n. 69.*

3. Licentia ista debet esse obtenta; 104 neque enim sufficit, si sit petita tantùm, Sanch. *c. 5. cit. n. 77.* Ratio est, quia Trid. dicit *Cum licentia*; non autem dicitur cum licentia fieri, quando petita solum est, & non obtenta: & hinc, quando sufficit petita, id exprimi solet, ut fit *c. licèt 18. h. tit.* Non tamen necessariò debet dari in scriptis; quia Trid. nullam scripturæ mentionem facit.

4. Debet præcedere renuntiationem; quia requiritur ad valorem actûs. Sanch. *n. 78.* ubi notat, casu, quo illa fieret sub conditione, *si eam Episcopus postea approbet*, sufficturum, si approbatio ex post facto superveniat.

5. Perinde est, sive expressa, sive tacita sit, quæ habetur ex ratihabitione, modò ista de præsenti detur; nam ratihabitio de futuro non sufficit, cùm requiratur ad valorem actûs. Sanch *n. 79.*

Quæritur 4. quando fieri Renuntiatio 105 possit casu, quo Professio ex causa aliqua justa differtur? Videtur non posse fieri bimestri ultimo Probationis; quia Trid. voluit, ut Renuntiationes omnes essent invalidæ, quæ fiunt ante duos menses ultimos proximè præcedentes Professionem. atqui hoc casu plus, quàm duobus mensibus ante Professionem fieret Renuntiatio. ergo &c.

Sed dicendum, validè hoc casu fieri re 106 nuntiationem quocunque tempore currente inter mensem undecimum annuæ Probationis usque ad Professionem, licèt ista vel ob defectum ætatis, vel ex alia justa causa differatur. Ita Sanch. *l. 7. mor. c. 5. n. 82.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 99. n. 11.* Pal. *tr. 16. D. 1. p. 17. n. 9.* Donat. *prax. Regul. tom. 2. p. 2. tr. 7. q. 10. n. 1.* Lug. *in Respons. mor. l. 3. dub. 16. n. 5.* Wex Ariadn. *p. 5. tr. 3. c. 5. §. 1.*

5. §. 1. n. 62. Vincent. Petra *tom. 3. comment. fol. 377. n. 11.* Pirh. *hic n. 89.* Wiest. *n. 64.* & sic declaratum est à *S. Congreg. Cardd.* teste Barb. Pal. Donat. Petra *cit.*

107 *Ratio est*, quia talis renuntiatio adhuc conformis est tempori, quo Trid. indulsit eam fieri, & simul fini, propter quem irritavit antea factas: *tempori* quidem; quia dictum Trid. Decretum intelligendum est de duobus mensibus, non illis, qui actu Professionem immediatè præcedunt, sed ijs, post quos Professio de Jure statim deberet emitti, ut notant DD. *citt. Fini.* autem, & intentioni Concilij: quia istud hoc suo Decreto intendebat cavere, ne Novitij temere, & inconsultè bonis suis renuntiarent, sed ut hoc facerent, postquam Religionis difficultates jam sufficienter experti sunt: quod utique supponitur factum, quando jam decem integris mensibus steterunt in Probatione. ergo &c.

Ex quo corruit Ratio dubitandi allata in contrarium.

108 Quæritur 5. utrum Renuntiatio validè fieri à Novitio possit ultimo bimestri ante Professionem, quando ista ex dispensatione Pontificia emittitur ante elapsum integrum Probationis annum e. g. sexto, vel octavo mense? Negant Sanch. *l. 7. mor. c. 5. n. 83.* Barbos. *alleg. 99. n. 11.* Pirh. *hic n. 89.* qui proinde existimant, hoc casu Novitium bonis suis validè renuntiare non posse, nisi eodem, & præcedenti die ante Professionem. *Rationem dant*; quia cùm dispensatio sit strictæ interpretationis, explicari eo modo debet, quo minimum derogetur Tridentino; derogatur autem minimo, quo fieri potest, modo, si dicatur, quòd fieri eo casu debeat die, vel pridie, quo fit Professio. ergo &c. *Conf.* quia dispensatio in tempore Probationis, & dispensatio in tempore faciendæ renuntiationis sunt à se invicem separabiles, nec una infert alteram. ergo ab illa ad istam non debet fieri extensio.

109 Sed probabiliùs tenenda affirmativa, quam etiam defendit Pal. *tr. 16. D. 1. p. 17. n. 9.* Diana *p. 8. tr. 3. resol. 23.* Passerin. *de Stat. hom. tom. 3. q. 189. inspect. 4. n. 167.* Wiest. *hic n. 65.* Ratio est, quia Pontifex dispensando in tempore Probationis non censetur velle adimere, aut insolito modo restringere, sed potiùs velle retrahere facultatem antè competentem Novitio, modò ista cum priore sit compatibilis *arg. Reg. quod ob gratiam 61. in 6.* atqui ante dispensationem in tempore Probationis pro facienda renuntiatione competebat Novitio bimestre, & facultas ista cum dispensatione in tempore Probationis est compatibilis. ergo facta dispensatione circa tempus Probationis, hoc ipso censetur retracta potestas renuntiandi intra bimestre.

110 Ex quo cadit Argumentum contrarium: nec enim ex vi dispensationis bimestre ad Renuntiationem hoc casu competit, sed ex benigna interpretatione voluntatis Papæ, nolentis dispensatione sua Novitio tollere facultatem alias Jure communi concessam. *Ad Conf.* dicendum, hoc casu dispensationem non extendi, sed tantùm retrotrahi facultatem renuntiandi concessam, ne omnino auferatur, aut nimiùm restringatur.

Quæritur 6. quomodo dictum tem- 111
pus duorum mensium sit computandum, an de momento ad momentum, an solùm moraliter, ita, ut potiùs intret Epikia, & breve tempus non sit considerabile? Videtur computandum solùm moraliter, ita, ut licèt renuntiatio à Novitio fiat ante bimestre Probationis ultimum, si pauci dies interstint, defectus temporis renuntiationem non vitiet; quia parum pro nihilo reputatur, & fieri in continenti dicitur, quod fit intra breve tempus, quale aliqui dicunt, si fiat intra triginta dies, alij, si intra tres, alij remittunt arbitrio Judicis. Capyc. Latr. *decis. 29. n. 4. & seq.* Zecch. *de Republ. Eccl. tit. de Regul. c. 3. n. 14. limit. 8.* Zerola *prax. Episc. p. 1. V. Monachi in fin.* Capon. *de pact. & stipulat. c. 60. n. 43.* Bottiglier *de succes. ab intest. theor. 64. c. 2. n. 20.* apud Vincent. Petra *tom. 3. Comment. fol. 376. n. 7.*

Sed dicendum tempus hoc bimest- 112
re computandum de momento ad momentum, & secundùm quod mensis occurrit in Calendario. Ita Sanch. *l. 7. mor. c. 5 n. 81.* Barbos. *ad Concil. Trid. sess. 25. c. 16. n. 36.* Tambur. *de Jur. Abb. tom. 3. D. 6. q. 10 n. 10.* Petra *l. cit.* éstque his testibus decisum à *S. Congr.* quæ *sub die 21. Jan. 1627.* statuit, invalidam esse renuntiationem, à Moniali factam per diem ante tempus præfixum à Concilio. *Ratio est*, quia quoties tempus datum est à Lege pro forma actûs, computari de momento ad momentum debet, ut DD. *citt.* cum communi cæterorum monent. atqui verba Concilij important formam, & substantiam actûs, ibi *nulla renuntiatio antea facta valeat.* ergo &c. *Ex quo sequitur*, nisi omnino expletum sit tempus decem mensium, secluso casu dispensationis juxta dicta *n. 109.* renuntiationem fore invalidam: & patet ratio; quia formâ etiam in minimo non servatâ, actus corruit, cùm deficiat anima informativa ipsius actûs. *Conf.* â paritate cum Professione, quæ invalidè emittitur, si vel minimum quid desit de ætate, vel anno Probationis per SS. Canones requisito, ut dictum *n. 65.* & dicetur ampliùs *infrà n. 171.*

Ex quo cadit Ratio dubitandi allata.

Quæritur 7. an effectum habeat re- 113
nuntiatio, vel donatio, si quidem illa sit facta juxta formam Trid. sed Professio hanc secuta ob ætatis, vel alium defectum sit irrita? R. negativè. Ita Sanch. *l. 7. moral. c. 5. n. 55.* Barbos. *Jur. Eccl. l. 1. c. 42. n. 238.* Donat. *tom. 2. p. 2. tr. 7. q. 21.* Pirh. *hic n. 91. V. Respondeo 2.* Wex Ariadn. *p. 5.*

tr. 3. c. 5. §. 1. n. 65. & alij ab his *citt.* èst que ita decisum à *Cardd.* teste Riccio *p. 4. decis. 146.* *Ratio est*, quia Concilium exigit, ut sequatur Professio; verba autem intelligi cum effectu debent, adeoque ut sequatur Professio validè; nam actum invalidum fieri perinde est, acsi omnino non fieret. *Conf.* quia Concilium voluit consulere libertati Novitiorum ad egrediendum. atqui quando Professio est irrita, profitens verè adhuc Novitius est, & licitè potest egredi. ergo etiam huic esse consultum voluit: non fuisset autem libertati ejusdem consultum, si donatio, aut renuntiatio ab ipso facta haberet effectum; quia jam retraheretur ab egressu metu perdendi, quæ ita donavit, vel quibus renuntiavit. ergo &c. *Proceditque hoc*, etsi sciens Professionem suam esse nullam donâsset, vel renuntiâsset, ut notat Sanch. *l. cit.* ubi dat rationem; quia adhuc præponderat libertas egressûs Novitij, cui Tridentinum consultum voluit, quacunque ex causa Professio foret irrita.

114 *Dubium est*, an si postea Professio, quæ invalidè emissa fuit, ratificetur, etiam ratificata censeatur renuntiatio? Ad quod dubium respondendum est cum distinctione inter causas, ob quas irrita est Professio; nam si irrita sit ex defectu legitimæ ætatis, ratificata Professione, non censetur hoc ipso ratificata etiam renuntiatio, ut *l. cit. n. 56.* notat Sanchez, & dat rationem, quia eo casu etiam renuntiatio fuit irrita, cons. superventu legitimæ ætatis, aut Professionis validæ non potest convalescere. At si Professio irrita sit alio ex capite v. g. quia emissa est anno Probationis nondum exacto, vel quia extorta metu est &c. ratificata censebitur etiam renuntiatio, si postea ratificetur Professio, ut idem Sanch. *l. cit.* Barbos. *n. 239.* & alij docent; quia etsi eo casu Professio fuerit irrita, renuntiatio tamen mansit valida, & ut firma fieret, tantùm opus habebat, ut sequeretur alia Professio valida, quod sit, si priùs invalida ratificetur.

115 Quæritur 8. an donatio, aut alia renuntiatio, facta secundùm formam, à Trid. præscriptam, corruat, si Novitius, qui ita renuntiavit, vel donavit, moriatur ante Professionem? Negat Suar. *tom. 3. de Relig. l. 5. c. 16. n. 11.* Paul. Fusc. *de Visit. Episc. l. 2. c. 15.* Engl *hic n. 39.* & videtur hoc posse probari 1. quia ubi cessat omnino causa, & ratio Legis, ibi cessat etiam dispositio Legis *arg. c. cùm cessante 60. de Appellat.* atqui causa irritandi Donationes, & renuntiationes ejusmodi, non secuta Professione, factas eadunxat erat, ne minueretur libertas egrediendi, quæ ratio in casu præsenti cessat. ergo &c. 2. ad effectum talis dispositionis sufficit, si conditio requisita Professionis secuturæ, tanquam mortis Civilis, impleatur per aliquid æquipollens. atqui mors naturalis vel maximè est æquipollens. ergo sufficienter implebitur per mortem naturalem.

Sed verius est, eo casu Renuntiatio- 116
nem corruere. Ita Rodriq. *tom. 2. Regul. q. 47. art. 12.* Sanch. *l. 7. moral. c. 5. n. 49.* Laym. *l. 3. tr. 5. c. 7. n. 10. dict. 7.* Donat. *prax. Regul. tom. 2. p. 2. tr. 7. q. 24.* Tambur. *de Jur. Abb. tom. 3. D. 6. q. 10. n. 15.* Barbos. *l. 1. Jur. Eccl. c. 42. n. 178.* Fagn. *in c. statuimus h. tit. n. 37. & 38.* Pal. *tr. 16. D. 1. p. 17. n. 13.* Bordon. *de Prof. Relig. c. 13. q. 23.* Wex Ariadn. *p. 5. tr. 3. c. 5. §. 1. n. 67. & seqq.* Pirh. *hic n. 91.* Wiest. *n. 66.* & declaratum est à *Cardd.* teste Passarello apud Donat. *l. cit.* *Ratio est*, quia Trid. loco sæpiùs allegato expresè ait, *aliàs* renuntiationem *non fortituram effectum, nisi secuta Professione:* quæ verba cùm generalia sint, generaliter, & de omni casu intelligi debent, quo non sequitur Professio. Imò ipse Novitius ex dispositione Tridentini non aliter donâsse, aut renuntiâsse censetur, quàm sub conditione, *Si sequatur Professio.* igitur si hæc non sequatur, sed mors illam præveniat, donatio, vel renuntiatio ejusdem corruet.

Ex quo sequitur, quòd Novitius, non 117
obstante donatione, vel renuntiatione, à se juxta formam. Trid. facta, de bonis suis testari, & mortis causâ disponere possit, prout voluerit, & si factam à se renuntiationem ratificare nolit, nec aliam dispositionem facere, bona ejusdem deferantur ad hæredes ab intestato. *Ratio est*, quia per hoc suum Decretum **S.** Synodus non tantùm voluit salvam conservare Novitio libertatem egrediendi, sed etiam tueri liberam facultatem disponendi causâ mortis de bonis suis pro suo arbitrio, ut cum alijs advertit P. Wex. *l. cit. n. 68.*

Ex quo corruit *Argumentum 1.* adver- 118
sæ Sententiæ. *Ad 2.* mors naturalis in hoc casu non æquipollet morti Civili, quæ contingit per Professionem; quia posterior, si sequatur, tollere debet valorem omni alteri dispositioni, quæ post legitimè factam renuntiationem sequitur, ut mox dicemus: hunc autem tollere non debet mors naturalis, cùm, ut dictum, Tridentinum voluerit, facultatem disponendi causâ mortis, etiam post renuntiationem, Novitio manere illæsam.

Quæritur 9. an renuntiatio bonorum, 119
vel Donatio, ultimo bimestri facta, ante Professionem revocari à Novitio possit, si hic velit perseverare in Religione? *Ratio dubitandi est* quia donatio ista, & renuntiatio ex mente Tridentini est solùm conditionata, à futura Professione, ejúsque valore pendens. atqui conditionata obligatio ante impletam conditionem non stringit. ergo &c.

Sed dicendum, verius non posse re- 120
vocari ampliùs, nisi donans, vel renuntians sibi reservârit jus revocandi. Ita Sanch. *l. 7. moral. c. 5. n. 58.* Pal. *tr. 16. D. 1. p. 17 n. 12.* Pirh. *hic n. 92.* Wiest. *n. 62.* Ratio est 1. quia non est credibile, quòd Tridentinum

ad

ad obligationem adeo levem, & infirmam, qualis est, quæ ad obligati libitum revocari potest, requisiverit circumstantias adeo graves, videlicet licentiam Episcopi, & bimestre Probationis ultimum. 2. si revocari renuntiatio, ultimo bimestri facta, posset liberè à Novitio, etiam perseverare volente, non esset ratio, cur non ejusmodi renuntiatio fieri etiam ante ultimum bimestre possit, cùm sic renuntians revocando renuntiationem à se factam facillimè recuperare bona sua possit, & sic non minuatur libertas egressûs ex Religione. 3. nec aliæ donationes conditionales, pendente conditione, revocari liberè possunt, sed operantur obligationem exspectandi eventum conditionis, ut pluribus alijs *citt.* observat Sanch. *dict. loc.* ergo & renuntiatio Novitij talem effectum, & obligationem operabitur in Novitio.

Ex quo labitur Ratio dubitandi allata in oppositum.

121 Quæritur 10. an facta hac renuntiatione, seu donatione bonorum in favorem Monasterij, vel alterius resignatarij, aut donatarij res ita cessæ, vel donatæ huic tradi ante Novitij Professionem possint, vel debeant? *Certum est*, non posse ita tradi, ut dominium illarum resignatario, vel donatario acquiratur irrevocabiliter; quia Tridentinum voluit, ut ejusmodi renuntiatio, seu donatio non sortiretur effectum suum, quousque sequatur Professio; sortiretur autem, si dominium rerum cessarum, vel donatarum acquireretur cessionario, vel donatario irrevocabiliter, ergo &c.

122 *Dubium est*, an ita tradi Monasterio à Novitio res cessæ, vel donatæ possint, ut vel acquiratur ei tantùm dominium revocabile, vel sola possessio? *De primo dubij membro* non adeo magna est difficultas: nam negativa sequitur ex Argumento modò allato; jam enim ante Professionem renuntiatio sortiretur effectum, si transferretur dominium, etiam revocabile, ut notat Pal. *tr. 16. D. 1. p. 17. n. 13.*

Major difficultas est de *Secundo*. Negat Sanch. *l. 7. moral. c. 5. n. 53.* ea motus ratione; quia Tridentinum prohibet, irritat, & annullat donationes ex bonis Novitij factas, ne hac occasione ob difficultatem recuperandi donata minùs liber redderetur eidem egressus ex Religione. atqui hanc difficultatem pateretur Novitius, si facta renuntiatione, quamvis retento dominio, bona ejusdem traderentur Monasterio, & ab hoc occuparentur. ergo &c.

124 Sed probabilior videtur affirmativa, quam etiam defendit Pal. *l. cit. n. 15.* & colligitur ex ipso Trid. *c. 16. cit.* ubi præcipit, *ut abeuntibus ante Professionem omnia restituantur, quæ sua erant*, quæ verba supponunt posse Monasterio aliqua tradi: eáque non tantùm, quæ levioris momenti sunt; nam hæc, ut *n. 100. suprà* dictum est, liberè do-

Ad Argumentum contrarium si hujusmodi traditio fieret, fieret post renuntiationem, cons. proximè ante Professionem, vel desertionem Religionis, quo casu nulla potest esse moralis difficultas recuperandi bona cessa, vel donata Monasterio nari possunt, etiam ante bimestre Probationis ultimum. ergo &c.

Quæritur 11. quid observandum in renuntiatione Beneficij, quod in Sæculo habuit Novitius? In duas extremè oppositas sententias DD. abeunt. Garc. *de Benef. p. 11. c. 9. n. 12. & seq.* Pal. *tr. 13. D. 6. p. 2. §. 3. n. 15.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 99. n. 19.* Murga *de Benef. q. 3. n. 1062.* Antonell. *de Regim. Eccl. l. 7. c. 8. n. 6.* Corrad. *prax. dispens. Apostol. l. 6. c. 2. n. 12.* putant in hac non observandas necessariò solennitates à Concil. Trid. *loc. sæpius cit.* requisitas, sed eam etiam sine his factam validam esse, neque regressum ad Beneficium ita resignatum concedi renuntianti, quamvis non sequatur Professio. *Fundamentum* illorum est, quia renuntiatio Beneficij debet esse absoluta, stabilis, & non temporalis, seu conditionalis, pendens à futura conditione. talis autem non esset, si comprehenderetur in Decreto Conciliari *cit.* juxta quod renuntiatio Novitij valida pendet à subsequente conditione Professionis. ergo &c. *Confirmant* hanc suam opinionem authoritate S. Pij V. qui cùm S. Congregatio Concilij ad dubium, *An dictum c. 16. comprehendat etiam resignationem Beneficij?* respondisset, *Comprehendere*, ad hanc decisionem sibi relatam dixit, *se credere dictum c. 16. non procedere in resignatione Beneficiorum.*

Contrà Paris. *de Resignat. l. 3. q. 18.* 125
n. 5. Riccius *in prax. p. 3. resol. 365. n. 3.* Suar. *tom. 3. de Relig. l. 5. c. 16. n. 12.* Sanch. *l. 7. mor. c. 5. n. 18.* Laym. *l. 3. tr. 5. c. 7. n. 6.* Lezan. *in Summ. V. Novitij n. 31.* Ventrigl. *prax. p. 1. annot. 46. §. 11. n. 8.* Tambur. *de Jur. Abb. tom. 3. D. 3. q. 10.* Donat. *tom. 2. p. 2. tr. 7. q. 17. & seq.* Wex Ariadn. *p. 5. tr. 3. c. 5. § 1. n. 72.* Vincent. Petra *tom. 3. comment. fol. 379. n. 20.* & hoc teste communior DD. judicat etiam renuntiationem Beneficij à Novitio factam comprehendi Conciliari Decreto, ac proinde factam sine solennitatibus ibi præscriptis esse nullam, & resignantem, si Professio non sequatur, redintegrandum. Afferunt pro se complures Decisiones Rotæ, præsertim *in Ferrariensi Canonicatûs 1. April. 1697.* & *10. Jan. 1698.* & *5. Mart. ejusdem anni coram Pio*, & *in secunda instantia 3. April. 1699. coram Eminentissimo della Tremoille*, & *in tertia instantia 11. Decemb. 1699. coram D. Scotto*, ubi hanc sententiam Sacra Rota amplexa est. 2. authoritatem *S. Congr. Concil.* cujus complures resolutiones affert Riccius *l. cit.* & Fagnan. *in c. statuimus h. tit. n. 19.* addítque Petra *l. cit. fol. 380. n. 22.* dictam *Congreg.* semper

fuisse

fuisse in eo sensu. 3. ipsum Decretum S. Synodi, ubi utitur verbis generalibus, *Nulla quoque renuntiatio - - valeat.* igitur non tantùm renuntiationem bonorum temporalium: sed etiam Beneficij Ecclesiastici comprehendet, præsertim cùm etiam in hoc finis Trid. urgeat, ut sc. salva maneat libertas egrediendi, quæ non parum restringeretur, si Beneficium suum collatum alteri videre deberet, ex quo tamen fortasse unicè sustentationem habuit.

126 *Ad Fundamentum adversæ sententiæ* respondeo renuntiationem Beneficij debere esse absolutam, ut non possit pendere à conditione merè arbitraria, licèt pendere possit à conditione, quæ secundùm Jus inest: & talis est conditio, *Si renuntians Religionem fuerit professus*; inest enim renuntiationi à Novitio factæ ex dispositione Concilij Trid. *Ad Conf.* S. Pius V. solùm dubitavit, non verò damnavit S. Congr. sententiam; aliàs istam illa non pergeret sustinere.

127 Quæritur 12. an Dispositioni Conciliari subjaceant, & cons. irritæ sint etiam donationes, & renuntiationes, factæ ante ingressum Novitij in Religionem? *certum est*, non esse irritas, si factæ sint alio, quàm ingressûs istius intuitu; quia eodem modo fuissent factæ, etsi donans, vel renuntians Religionem non fuisset ingressus: cons. non obstant libertati egressûs, quam solam sartam tectam hoc suo Decreto voluit Tridentinum. Sanch. *l. 7. moral. c. 5. n. 2.* Cævall. *opin. comm. contr. comm. q. 806. n. 14.* Capyc. Latr. *l. 1. decis. 31. n. 2.* Vincent. Petra *tom. 3. comment fol. 380. n. 24.*

128 *Controversia est*, si hujusmodi donationes, & renuntiationes à Candidato Religionis fiant intuitu ingressûs, aut facta ejus mentione? *Affirmativam* defendunt Navarr. *cons. 81. de Regular.* Flamin. *l. 3. de renunt. q. 13.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 139. n. 13.* Less. *l. 2. c. 41. n. 40.* Caspar. Lechner. *Dissert. Theol. de Renunt. Success. edit. Ingolstadij 1623. n. 112.* & satis clarè eidem adhæret Engl *hic n. 29. Fundantur 1.* quia Concilium generatim irritat renuntiationes factas ante duos menses ultimos præcedentes Professionem, nec distinguit inter eas, quæ in Novitiatu, & eas, quæ ante Novitiatum sunt factæ. 2. Si Tridentini dispositio non etiam ad renuntiationes, ante ingressum factas, se extenderet, facilè eludi, & frustrari effectu suo posset; posset enim urgeri Religionis Candidatus, ut bonis renuntiaret ante ingressum. 3. Etiam per renuntiationes, ante ingressum factas, minuitur libertas egressûs, si valeant, & revocari non ampliùs possint. 4. In lata acceptione nomine ingressi intelligitur etiam proximè ingressurus *arg. l. filiusfam. 43. ff. de Testam. milit.* quâ *proximè accingendus pro accincto habetur.* 5. Pro eadem sententia adducuntur aliquæ resolutiones *S. Congreg. Concil.* ut apud Rot. *decis. 91. n. 3. in fin. coram Royas.*

Verùm his non obstantibus, dicendum, ejusmodi Donationes, vel Renuntiationes, ante Novitiatûs ingressum, etiam intuitu ingressûs factas, probabiliùs esse validas, quamvis ita renuntians, vel donans, casu, quo mutato consilio, rediret ad sæculum, vel Religionem omnino non ingrederetur, ad beneficium restitutionis in integrum possit recurrere, si minor sit, imò etiam, si major, ex clausula generali, *Siqua alia mihi justa causa videbitur.* Ita Menoch. *de arbitr. cent. 5. cas. 436. à n 3.* Garc. *de Benef. p. 11. c. 9. n. 15.* Sanch. *l. 7. mor. c. 5. n. 4.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 99. n. 17.* Pal. *tr. 16. D. 1. p. 17. n. 4.* Fagnan. *in c. ex parte n. 42. h. tit.* Gallemart. *ad Trid sess. 25. c. 16. de Regular. n. 2.* Stephan. Gratian. *discept. 568. n. 18. & seq.* Donat. *prax. Regul. tom. 2. p. 2. tr. 7. q. 20.* Card. de Luca *Discurs. 59. de Regular.* Wex *Ariadn. p. 5. tr. 3. c. 5. §. 1. n. 78.* Vincent. Petra *Comment. tom. 3. fol. 380. n. 25.* P. Wiest. *hic n. 56.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Person Eccl. c. 3. n. 154.* éstque sæpiùs decisum à Rota, ut videre est apud Petram *l. cit.* & pro ea teste eodem constanter stetit *S. Congr. Concil.*

129 *Ratio est*, quia Legis dispositio, quæ correctoria est Juris communis, & actum aliàs valiturum irritat, extendi non debet ad casum, sub lata verborum forma non comprehensum, ut multis probat Pal. *tr. 3. D. 5. p. 3. §. 4.* talis est dispositio Tridentini; nam irritat renuntiationem Novitij, quæ Jure communi priùs valida erat. ergo ad casum, sub lata verborum forma non comprehensum, etiam ob paritatem rationis, extendi non debet: extenderetur autem, si renuntiationes, ante ingressum Novitij in Religionem factæ forent, & pronuntiarentur invalidæ; nam laudatum Concil. *l. cit.* solùm loquitur de renuntiationibus factis post ingressum, ut patet tum ex Rubrica, quæ inscribitur de Regularibus, tum ex principio *c. 16. cit. Nulla quoque*, ubi per particulam *quoque*, quæ copulativa est, significatur, quòd *c. cit.* dispositio connectatur cum *c. 15. præc.* & cons. de eodem subjecto sermo sit; agebatur autem *in c. 15.* de ingressis. ergo etiam in *c. 16.* de ijs agatur.

130 Argumenta in contrarium allata vim non habent. *Ad 1.* patet ex modò dictis; nam hoc Tridentini Decretum intelligi solùm debet de ijs, de quibus Sacra hæc Synodus locuta est *c. 15. præc.* cons. sufficienter explicat, de qua renuntiatione loquatur. *Ad 2.* periculum hoc non attendit in suo Decreto Tridentinum, cùm rarò admodum ante ingressum in Religionem fiant donationes, & renuntiationes, præsertim in favorem Re-

Religionis, sæpissimè autem factæ sint ab ingressis: unde cùm huic malo præcipuè cavere voluerit, effectu suo non frustrabitur, etiamsi contingat aliquando, ut ingressurus Religionem inducatur ad renuntiandum. *Ad 3.* hujusmodi donationes, & renuntiationes, ante ingressum factæ, si donans, vel renuntians in Religione non maneat, liberè revocari possunt; censentur enim factæ ex causa, & sub conditione Professionis. *Ad 4.* axioma illud ex *l. filiusfamilias cit.* sumptum procedit tantùm in favorabilibus, non verò in odiosis, & quæ actum aliàs valiturum invalidum faciunt; nam in his strictissima interpretatio fieri debet. *Ad 5.* mentem *S. Congregationis* apertè indicat Declaratio, quâ ad quæsitum, *An dispositio c. 16. de Regular sess. 25. pr. comprehendat illum etiam, qui habuit animum ingrediendi Religionem, & adhuc in sæculo existit, sed tamen acceptatus, licèt habitum non susceperit, donavit bona sua suæ matri, & non adhibitis solennitatibus, hoc capitulo requisitis, Congregatio censuit, non habere locum ante susceptionem habitûs.*

132 Quæritur 13. an renuntiatio, facta post ingressum in Monasterium, sed ante assumptionem habitûs, regulari debeat juxta Decretum Conciliare, saltem si renuntians admissus est pro ingressu, & Monachalem coronam assumpsit? Videtur tenenda affirmativa sententia. 1 Ob authoritatem Rotæ *in Ferrarien. Canonicatûs cit. n. 125.* ubi in terminis dixit, quòd ingressus etiam non assumpto Habitu Regulari subdatur Dispositioni Conciliari. 2. Quia Resolutiones *S. Congregat.* loquuntur cum termino ingressûs. igitur sufficiet ingressum Religionem esse, licèt habitum non susceperit, ut renuntiationes ejusdem regulari secundùm Conciliare Decretum debeant. 3. Ut renuntiatio Decreto huic subjaceat, sufficit, ut renuntians sit in statu Probationis. atqui in isto jam est, quando introductus est in Monasterium animo probandi Religionem, præsertim si tonsuram Monachalem acceperit, quippe quæ temporalium omnium abdicatione indicat. Thomassin. *de Benef. tom. 1. l. 3. c. 48. n. 8.*

133 Sed dicendum, renuntiationes, etiam post ingressum, & susceptam tonsuram Monachalem, ante habitum susceptum factas, non subjacere Conciliari Decreto, & consl. validas esse, etiamsi factæ non sint cum solennitatibus illo Decreto præscriptis. Ita Riccius *decis. 295.* Fagnan. *in c. statuimus n. 46. in fin. h. tit.* Pasqualig. *quæst. mor. resol. 274.* Gratian. *decis. Marchiæ 37. n. 2. & 3.* & *in addit. n. 2.* Vincent. Petra *tom. 3. Comment. fol. 381. n. 30.* estque hoc teste sæpiùs decisum à Rota, & resolutum in S. Congreg. Concil. præsertim *in Romana 22. Jun. 1613.* ubi S. Congreg. censuit, dictum *c. 16.* non vendicare sibi locum in renuntiationibus factis ante actum, seu momentum susceptionis Habitûs, ac proinde renuntiationem non esse nullam. *Ratio est,* quia Concilium *in cit.* Decreto loquitur de Novitijs. tales autem non reputantur (excepta Societate JEsu secundùm dicta *n. 58.*) nisi post ingressum & receptum Habitum animo experiendi Religionem, ut eam profiteantur, ut *n. cit.* ostendi. ergo &c.

Neque obstant Argumenta contraria. 134 *Ad 1.* in dicta *Ferrarien.*, ut notat Petra *l. cit. n. 33.* renuntiatio pronuntiatur subjacere Decreto Conciliari; quia mandatum duntaxat ad resignandum ante assumptionem habitûs datum est, consensus verò, & ipsa resignatio per Procuratorem facta est post indutum Habitum Novitij: idque meritò; cùm enim mandatum retrotrahatur ad tempus resignationis factæ, idem est, acsi renuntiásset induto Habitu. *Ad 2.* Resolutiones *S. Congr.* intelligendæ sunt de ingressu ad Novitiatum, quod contingit in Habitûs Probationis susceptione. *Ad 3.* ante susceptum Habitum ingressus nondum est in vera Probatione: quòd inde patet; qua aliàs sequentur, quòd si per decem menses ab ingressu numeratos stetisset in Monasterio Novitius, illis elapsis, licèt tamdiu nondum steterisset in Habitu, statim validè renuntiationem posset facere: quod tamen falsum est; quia Concilium potestatem renuntiandi bonis duntaxat concedit illi, qui de Jure post bimestre profiteri posset, quod non potest Novitius in casu dato.

Quæritur 14. utrum sicut in alijs 135 Religionibus, si non sequatur Professio, cadit Renuntiatio bonorum à Novitio facta, ita etiam cadat, facta à Religioso Societatis JEsu, si hic ante Professionem solennem editam dimittatur? Ita quidem existimat Vincent. Petra *tom. 4. comment. fol. 155. n. 24.* qui proinde putat sic dimissum non tantùm voluntates ultimas suâ naturâ revocabiles, sed etiam donationes favore ipsius Societatis factas revocare posse, & donata eidem debere restitui, quòd donata censeantur sub tacita conditione, si sequatur solennis Professio. Adducit pro tuenda hac sua opinione Decisionem *Rotæ in Avenionensi pecuniaria 17. Mart. 1692. coram Card. Caccia §. fundamentum*, ubi resolutum fuit, restituendum esse per Societatem, unà cum fructibus à die motæ litis Legatum relictum Societati in Testamento condito tempore Novitiatûs, cum expressione, ut statim per hæredem solveretur.

Et videtur istud probari 1. quia 136 Constitutiones Societatis eodem tenore loquuntur de renuntiatione, facta post Vota biennij in Societate, quæ renuntiantem verè Religiosum faciunt, quo modo loquuntur de renuntiatione, facta tempore Novitiatûs. atqui renuntiatio, facta tempore Novitiatûs, habet eam tacitam conditionem *si renuntians perseveraverit in Religione*; nulla enim

videtur major esse ratio de renuntiatione facta in Societate, quàm quæ in alijs Religionibus, in quibus renuntiatio facta tempore Novitiatûs eam conditionem tacitam habet. ergo &c. 2. Renuntiatio futuræ hæreditatis, post Vota biennij facta, eam tacitam conditionem habet; nam jus ad eam capiendam, si deferatur, post dimissionem dimissus è Societate recuperat. atqui non aliter Constitutiones Societatis loquuntur de renuntiatione aliorum bonorum. ergo &c. 3. In Constitutionibus Societatis *p. 2. c. 3. §. 5. fin.* de sic dimisso è Societate dicitur: *Secum omnia deferat.* ergo quæ attulit, eidem restituenda sunt, non autem restituenda essent, si renuntiatio conditionata non foret. ergo &c.

137 Sed dicendum, Renuntiationem bonorum, quæ fit in Societate juxta præscriptum Constitutionum ejusdem, si fiat post impletum primum annum Novitiatûs, aut post Vota biennij (ut communiter solet) nullam habere conditionem imbibitam, sed esse omnino absolutam, & irrevocabilem: conf. si postea renuntians dimittatur, de Jure nihil dimisso restituendum. Ita Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 139. n. 6. & 7.* Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. c. 14. n. 22.* & *tr. 10. l. 4. c. 4. n. 19.* Sanch. *l. 7. moral. c. 1. n. 34.* Laym. *l. 2. tr. 5. c. 7. n. 9.* Pal. *tr. 16. D. 1. p. 15. n. 6.* Donat. *tom. 2. prax. Regul. p. 2. tr. 7. q. 19. n. 3. & seqq.* Wex *Ariadn. p. 5. tr. 3. c. 5. §. 1. n. 86.* éstque constans DD. Societatis sententia, multis præjudicijs comprobata. Sumitur apertè ex *c. 4. Exam. gen. §. 1.* ubi præcipitur, quòd ingressurus Societatem, *antequam in Domo aliqua, vel Collegio ejus vivere sub Obedientia incipiat, juxta illud Christi:* Si vis perfectus esse vade, &, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me, *debeat omnia bona temporalia, quæ habuerit, distribuere, & renuntiare - - dispensando illa juxta propriam devotionem, & à se omnem fiduciam submovendo eadem ullo tempore recuperandi.* Et additur §. 2. *Quodsi statim propter aliquas honestas causas bona non relinquat, promittat se promptè relicturum omnia (ut dictum est) post unum ab ingressu absolutum annum, quandocunque per Superiorem injunctum ei fuerit.* atqui renuntians omni spe ac jure recuperandi renuntiata non careret, si renuntiatio haberet hanc tacitam conditionem, ut solùm valida sit, dum renuntians perseverat in Societate. ergo &c.

138 *Conf. 1.* ex Trid. *sess. 25. c. 16. de Regular.* quod præscribit, ut renuntiatio Novitiorum in alijs Religionibus fieret sub tacita conditione, *Si Professio sequatur*, quia expedit libero Novitiorum egressui consulere, quæ libertas deficeret, si carerent spe recuperandi bona. at quando post Vota biennij fit prædicta renuntiatio (ut communiter fit) est valde necessarium occurri libertati, & facilitati petendi egressûs è Societate, cùm ligati prædictis Votis non jam sint sui Juris, sed teneantur perseverare in Societate, atque ita vivere, ut occasionem suæ dimissioni ex ea non præstent. ergo jure optimo credendum est, eam renuntiationem non esse conditionalem.

Conf. 2. ex *Constit. Gregorij XIII.* incipit *Ascendente*, ubi statuitur, quòd in Societate ligati Votis biennij retinere ad tempus possint dominium suorum bonorum, etsi non usum; & ratio istius datur his verbis, *Ut majorem Societas habeat libertatem illos, si opus fuerit, cum minore offensione dimittendi.* at si renuntiatio esset conditionalis, penderétque à perseverantia, nulla esset difficultas in expulsione, nulla offensionis causa, cùm expulsis bona sua restituenda essent. ergo &c.

Conf. 3. Idem Pontifex *Const. cit.* cùm interdixisset Glossas, & interpretationem Constitutionum Societatis, & Instituti adhiberi, reservavit omnia dubia per Sedem Apostolicam, & Generalem Societatis declaranda. atqui P. N. Generalis bon. mem. Claudius Aquaviva 1584. ad postulatum Congregationis Provinciæ Bæticæ declaravit renuntiationem hanc esse absolutam, & independentem à perseverantia. ergo pro tali habenda omnino est.

Dixi autem 1. *si fiat juxta præscriptum* 139 *Constitutionum Societatis;* Contrà est, si post ingressum sub Obedientiam Societatis donationes, vel renuntiationes bonorum facerent non secundùm Constitutiones nostras, videlicet ante finitum primum Probationis annum, vel postea sine voluntate Superioris, aut in consanguineos sine judicio unius, vel plurium virorum prudentum &c. nam de hujusmodi renuntiationibus judicandum esset, quod de illis, quæ fiunt contemplatione ingressûs in alias Religiones, & dicendum, quòd sicut istæ pendent à futura Professione, ac proinde sic renuntiata recuperantur à Novitio egrediente, ita & illæ. Sanch. *l. cit. n. 37.* Ratio est, quia sola renuntiatio facta juxta Constitutiones Societatis habet vim absolutæ donationis, quòd ita in Constitutionibus illis præscribatur. Neque confirmabitur hæc renuntiatio in vim absolutæ donationis per sola Vota biennij, sed per sola Vota Professorum, vel Coadjutorum formatorum, quippe per quæ sola inducitur absoluta incapacitas proprietatis rerum & bonorum temporalium.

Dixi 2. *Si fiat post primum Novitiatûs* 140 *annum;* nam etiam hæc absoluta est, si juxta Constitutiones Societatis facta sit, ut *l. citt.* notant Molin. *n. 7.* Sanch. *n. 35.* quòd de hac eodem modo loquantur Constitutiones Societatis, quo modo loquuntur de renuntiatione facta post Vota biennij, & utraque dicitur fieri absque ulla prorsus recuperandi spe. igitur utraque erit absoluta. *Neque obstat*, quòd in alijs Religionibus renuntiatio, facta ultimo Probationis bimestri, sit pen-

pendens à futura Professione ; hoc enim solùm est ex præsumpta voluntate Novitij , qui præsumitur renuntiare causâ solius Professionis futuræ: & hinc si de contraria voluntate constet , etiam ipsa absoluta erit , ut notat Sanch. *n. 35. cit.* Aliud contingit in Societate ; nam Novitius post primum Probationis annum renuntians bonis in opera pia juxta Constitutiones Societatis, renuntiat, ut impleat , quod initio ingressûs promisit, nempe se omnia bona à se abdicaturum post primum Novitiatûs annum , quando Superior id præscripserit , absque ulla recuperandi spe : cons. de absoluta ipsius voluntate constat. erit igitur etiam ipsa absoluta.

141 Dixi 3. *Si post ejusmodi renuntiationem renuntians dimittatur è Societate , de Jure nihil eidem restituendum , etiamsi in Societatis favorem renuntiationem feciſſet.* Ratio est , quia eodem modo renuntians in favorem Societatis, se abdicat bonis suis , sicut se abdicat, quando ea distribuit in pauperes. atqui in pauperes distribuens absolutè se abdicat , cùm spem habere non possit eadem ab ipsis denuo recuperandi. ergo &c. Addidi autem *de Jure ;* aliud enim est de æquitate , & in circumstantijs , quando donans egenus est. Nam huic Societas pro modo donationis præstare alimenta debet ; alioquin integrum erit donatori revocare donationem Societati factam ob ingratitudinem, ut *l. citt.* notant Sanch. *n. 39.* Laym. *n. 10.* Pal. *n. 6. prope fin.* Durabitque hæc obligatio tamdiu, quamdiu necessitas donatoris durat : quare donatore postea consequente Beneficium aliquod Ecclesiasticum, vel bona alia, ex quibus ali possit, cessabit hæc obligatio , vel ex toto , si omnino sufficiant ; vel ex parte , si bona , quæ dimissus consecutus est, sufficiant pro parte sustentationis , sicut de alijs obligationibus subsidiarijs tradunt DD. Sanch. *n. 39. cit.*

142 Neque contrarium efficaciter probant Argumenta allata in contrarium. Decisio Rotæ *n. 135.* allegata non est Responsioni meæ contraria; quia solùm agit de Legato relicto per ultimam Voluntatem , quæ , quamdiu alia Voluntas irrevocabilis nulla sequitur, ex natura sua est revocabilis. Et si contraria esset ea Decisio , opponerem illi aliam , quâ proximis hinc annis contra Sacerdotem Siculum , è Societate dimissum, & repetentem bona , quæ in eandem attulit , decisum est nihil ipsi competere. *Ad 1. argumentum n. 136.* oppositum distinguitur inter renuntiationem factam , durante primo Novitiatûs anno , & factam post eum impletum juxta Societatis Constitutiones : illa revocabilis est, ut renuntiationes in alijs Religionibus ultimo bimestri factæ , ut dictum est *n. 139.* quòd dictæ Constitutiones ejusdem non meminerint, cons. sub dispositione Juris communis eam reliquerint : contrà irrevocabilis , & absoluta est , quæ post primum Novitiatûs annum facta est juxta easdem Constitutiones , prout constat ex *n. 140. Ad 2.* etiam renuntiatio Legitimæ parentum superstitum , facta post primum Novitiatûs annum , vel post biennij Vota juxta Societatis Constitutiones est absoluta , ut proinde per eam illi, in cujus favorem facta est , jus jam quæsitum sit. *Ad 3.* id intelligendum de ijs bonis dimissi , *quæ ipsius esse constat* , ut habetur in *Declar. lit. B. ibid.* at quæ Societati donavit , non ampliùs ipsius donantis sunt. Hinc dicendum restituenda de Jure illa duntaxat , de quibus nondum dispositum. De cæteris , quæ Societati donavit , eadem Declaratio *relinquit prudentiæ Superioris dimittentis , ut habita ratione tum æquitatis , tum ædificationis statuat , num illi aliquid amplius, quàm quod invenitur de rebus ipsius , dari debeat , necne , & si amplius , quantum.*

Quæritur 15. cum Trid. *sess. 25. c. 16.* 143
de Regularib. ab observantia sui Decreti excipiat solam Societatem JEsu , à quibus observari Decretum ejusdem debeat ? R. 1. observandum est in renuntiationibus omnibus, post ingressum Novitiatûs factis , tam virorum , quam mulierum profitentium. Est extra controversiam teste Fagnan. *in c. statuimus n. 19. v. Sacra h. tit.* Vincent. Petra *tom. 3. comment. fol. 378. n. 16. Professionem* , inquam ; nam in ijs , qui educationis duntaxat causâ Monasterium ingressi sunt, cujuscunque sint sexûs , Conciliare hoc Decretum locum non habet ; quia non sunt constituti in Probatione propriè dicta. Petra *l. cit. n. 27.*

2. Decretum *cit.* comprehendit non tantùm majores 16. annis , sed etiam minores , ut rectè Barbos. *ad Trid. c. cit. n. 37.* Passerin. *de Stat. hom. tom. 3. q. 189. inspect. 4. n. 139. & 162.* Petra *n. 16. cit.* & hoc teste declaravit *S. Congreg. die 5. Jan. 1601.* ibi, *Dispositio c. 16. sess. 25. habet locum etiam in his , qui excedunt annum 16. & illa verba* , antea facta , *non referri ad ætatem renuntiantis , sed ad duos menses proximos ante Professionem.*

3. Afficit omnes , & quascunque renuntiationes , seu obligationes , quæ fiunt à Novitijs quorumcunque bonorum , non solùm quoad Jura de præsenti, sed etiamin futurum. Petra *n. 17.* sive deinde fiant in favorem Monasterij, sive propinquorum , vel alterius tertij. *S. Congr. Concil. in Volaterran. mens. Aug. 1589.* quia verba Concilij generalia sunt. Excipiuntur , quæ posita sunt *n. 100.* ex ratione ibidem data.

4. Includit professentes etiam in Mona 144
sterijs exemptis , sive deinde simpliciter talia sint , sive cum qualitate *nullius* impropria, h. e. quæ verè sunt in Diœcesi alterius Episcopi , licèt cum qualitate Exemptionis; nam in his professuri , ad renuntiationem faciendam , licentiam petere debent ab Episcopo

copo loci', in quo Monasterium est, neque sufficit eam dari à Regulari Prælato, prout decisum est à S. Congr. *in Hispalen. 24. Mart. 1604.* & novissimè *in Firmana*, seu *Farfensi Jurisdictionis die 23. Jul. 1707.* ubi proposito dubio, *An renuntiationes faciendæ à Puellis Novitijs in Monasterio S. Catharinæ Terræ S. Victoriæ fieri debeant cum licentia Archiepiscopi Firmani, sive potiùs Abbatis Farfensis*, non obstante, quòd iste habeat qualitatem verè *Nullius*, quia tamen Monasterium illud erat in Diœcesi Firmana, & in illud exemptionem simplicem habebat dictus Abbas, responsum fuit, *Affirmativè quoad primam, & negativè quoad secundam partem. Excipe*, si ipsum Monasterium, in quo renuntiatio facienda est, sit verè *Nullius*, & subjectum Prælato habenti Clerum, & populum, ut dictum est *n. 103* hic enim, cùm verè sit Ordinarius, licentias dare potest.

145 5. Subduntur eidem Decreto, excepta Societate JEsu, Regulares omnes, qui verè Regulares sunt, & emittunt tria Vota substantialia, ut cum Barbosa, Pignatello notat Perez *tom. 3. cit. fol. 386. n. 57.* qui illud etiam rectè extendit ad Milites Jerosolymitanos; quia & ipsi verè Religiosi sunt. *Excipiuntur* Milites alij, qui non habent veram qualitatem Religiosam, & quicunque alij cujuscunque sexûs, viventes sub aliquo Instituto, in quo vera qualitas Religiosa ob defectum dictorum Votorum considerari non valet.

146 Quæritur 16. utrum Renuntiationes factæ ante ingressum, cùm secundùm dicta *n. 129.* non subjaceant Decreto Conciliari, fieri debeant secundùm solennitates Statutarias, vel Juris communis? Affirmant Pasqualig. *cent. 3 q. moral. 223.* Card. de Luca *de Donat. discurs. 15.* Torre *de Pact. l. 2. c. 25. n. 13. & seq.* Ansald. *decis. 76. in addit. num. 21. Fundantur*; quia qui hujusmodi renuntiationes faciunt, nondum sunt personæ Ecclesiasticæ, sed Laici, ut proinde æquum sit etiamnum subdi Statutis Laicalibus. *Et confirmatur*; quia sic magis ingressuri Religionem securi sunt à machinationibus propinquorum, & etiam extraneorum, qui ad propriam utilitatem inhiant se facilè disponent ingressuros ad renuntiationem faciendam in suum favorem: quibus tamen via præcludetur, si in tali renuntiatione observandæ sint Solennitates Statutariæ, & Juris communis.

Sed distinguendum est, an renuntiatio 147
talis fiat causâ ingressûs in Religionem, vel non. *Si hoc secundum*, facilè convenit inter DD. eam renuntiationem à solennitatibus Juris Laicalis non esse exemptam, licèt ingressus deinde casu eveniat. Contrà, *si primum* ponatur; tunc enim renuntians à necessitate istarum solennitatum absolvitur, ut teste Vincent. Petra *tom. 3. comment. fol. 388. n. 64.* sæpiùs est decisum à Rota, & novissimè *in Romana Donationum 1. Dec. 1704. §. prout nec adduci, coram D. Ommana*, & *in Apten. Donationis 15. Mart. 1706. §. si enim, coram D. Caffarello Almæ Urbis Gubernatore*, adeo ut quamvis fuerint conventæ solennitates, non exinde omissæ vitient actum, nisi sint volitæ uti causa *sine qua non*; nam contractus ex conventione legem accipiunt. Concordat resolutio dispositioni ipsius Juris Civilis, per quod *Novell. 5. c. 5.* decernitur, eum, *qui Monasterium introire voluerit, antequam Monasterium ingrediatur, licentiam habere suis uti, quo voluerit, modo*: cons. hujusmodi ingressuris plena libertas conceditur disponendi de rebus suis tam circa modum, quàm circa personas, quæ tamen libertas multùm restringeretur, si dispositio penderet à forma per Jus inducta.

Ad Argumentum in contrarium allatum di- 148
co, etsi sic renuntiantes nondum sint privilegiati ratione personæ, esse tamen privilegiatos ratione causæ, cui hunc favorem, ut vidimus, Jus ipsum indulsit, & meritò; quid enim magis congruit, quàm ut properanti ad Religionem facilis sit modus disponendi de bonis absque pluribus difficultatibus, quas necessitas adhibendi Juris solennitates opponeret? *Ad Cons.* periculum ex propinquorum, vel aliorum machinationibus sufficienter tollitur per hoc, quòd renuntiatio, etiam ante ingressum facta, si facta sit intuitu ingressûs, à futura Professione pendeat, & cons. revocari possit, si ista non consequatur.

§. VII.

De Professione Religiosa.

SUMMARIUM.

149. *Duplex Professionis Religiosæ acceptio.*
150. *Ejus necessitas ad constituendum verè Religiosum.*
151. 152. 153. 154. *Quædam notanda circa Oblatos.*
155. *Professio alia est Expressa, alia Tacita.*
156. *Modus, quo olim inducebatur Professio Tacita.*
157. *Vis illius.*
158. 159. *Locus eidem facto adhuc est post Trid.*
160. *Vix tamen in Societate JEsu.*
161. 162. *Requisita, ut inducatur Professio Tacita.*
163. 164. 165. 166. 167. *Requisita ad Professionem Expressam.*
168. 169. *An valeat emissa ab eo, qui impedimentum aliquod in Examine tacuit?*
170. 171. 172. *An in Professione malitia suppleat ætatem?*
173. 174. 175. *An cogi aliquis ad ipsam faciendam possit?*
176. 177. 178. *Quid censendum de valore Professionis, quando vis, & metus illatus est non profitenti, sed Professionem admittenti?*
179. 180. 181. *Quâ formâ Professio expressa emitti debeat?*
182. &c. *Quis admittere Novitios ad Professionem possit?*
189. 190. *Quomodo convalescat emissa invalidè?*
191. 192. *Quid requiratur, ut dicatur ratificata?*
193. *An, & quamdiu reclamare Professus possit adversùs suam Professionem?*
194. *An etiam Religio contra invalidè Professum?*
195. *Discrimen inter utriusque reclamationem.*
196. 197. *Conditiones, ut legitimè fiat.*
198. 199. 200. *An audiri debeat, qui ob ignorantiam, vel aliud impedimentum intra quinquennium non reclamavit?*
201. 202. 203. *An hoc casu saltem detur remedium restitutionis in integrum?*
204. 205. *An ratificare Professionem suam debeat, qui nullitatem ipsius probare non potest?*
206. 207. 208. *Qui sint Effectus Professionis validæ?*
209. 210. *An eosdem effectus habeant etiam Vota Simplicia Societatis JEsu?*
211. 212. *An Professio Religiosa quoad vinculum dissolvi possit authoritate Summi Pontificis?*
213. *An dissolvatur per promotionem ad Beneficium extra Ordinem?*
214. 215. *Vel ad Episcopatum?*
216. 217. 218. 219. *An valida sit Professio, quam emittit Episcopus, facultate Pontificis non obtenta?*
220. 221. *Utrum Religionis Professione amittatur Nobilitas?*
222. 223. *An Religiosus possit præscribere contra Professionem à se emissam.*

149 QUæritur 1. quid sit *Professio Religiosa*, & quæ hujus necessitas, ut fiat quis propriè dictus Religiosus? R. Professio Religiosa dupliciter potest accipi, latè, & strictè. *Latè accepta Professio* est actus Religiosus, & Sacer, per quem homo fidelis, in Religione aliqua approbata, per emissionem trium Votorum Substantialium, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, voluntariè se Deo tradit, interveniente authoritate Prælati, qui hujusmodi traditionem Dei, & Religionis nomine acceptet *c. ad Apostolicam 16. h. tit.* & communiter tradunt DD.

Strictè accepta est contractus ultro, citróque obligatorius, quo quis per Vota solennia se Deo, & Religioni tradit, & Religio vicissim hujusmodi traditionem acceptat cum onere ipsum voventem perpetuò retinendi, alendi, & tanquam filium juxta Regulas, & Institutum Religionis tractandi.

150 Alterutra requiritur ad hoc, ut fiat quis propriè dictus Religiosus; sufficit autem prima, quamvis fiat per Vota tantùm Simplicia, ut patet ex *Bulla Gregorij XIII.* incipit *Ascendente*, & alijs Constitutionibus Apostolicis confirmatorijs Societatis JEsu, ubi statuitur, Scholasticos, & Coadjutores tum formatos, tum nondum formatos ejusdem Societatis esse verè, & propriè dictos Religiosos: qui proinde in lato illo sensu Professi & ipsi sunt, & dici possunt.

Addidi, *Ut fiat quis propriè dictus Religiosus*; nam Religionem, seu Ordinem Religiosum duplici modo quis ingredi potest, sc. vel per devotam oblationem parentum, vel per propriam Professionem. Utroque modo ingressi dici aliquatenus Religiosi possunt, ut patet ex *can. Monachum 3. caus. 20. q. 1.* ubi Concilij IV. Toletani PP. *Monachum*, inquiunt, *aut paterna devotio, aut propria Professio facit.* Primo tamen modo ingressi, etsi cùm infantiam excesserunt, recepto Religionis habitu, personæ Ecclesiasticæ fiant, ut colligitur ex *c. Religioso 21. §. quamvis de sent. Excomm. in 6.* & alijs *citt.* advertit Sanch. *l. 5. mor. c. 4. n. 24.* Religiosi tamen non sunt propriè, cùm Vota Religionis substantialia non habeant, quæ sola propriè dictum Religiosum constituunt.

Dubitatur, quid circa hujusmodi Obla-

tos notandum? R. sequentia maximè. 1. Ita recipi in Religionem possunt etiam impuberes, imò infantes, sed hi non nisi cum consensu parentum, cùm nondum habeant consensum proprium, sed parentum imperio, & voluntate regi debeant *can. si in qualibet* 1. & *can. fin. caus.* 20. q. 2.

2. Sic recepti non solùm Religiosi propriè non sunt, ut *n. præc.* dictum est, sed nec verè, & propriè Novitij, nisi post pubertatis annos expletos. Sanch. *n. 24. cit. Ratio est*, tum defectus sufficientis discretionis, tum quia ante pubertatem Religionis austeritates, præsertim circa Votum Castitatis, rectè experiri non possunt.

152 3. Impuberem filium offerre Religioni potest non tantùm Pater, sub cujus potestate est constitutus, sed etiam Mater: id que verum est non tantùm, quando Pater est mortuus, sed quando adhuc superstes, saltem si Pater non contradixerit *can. si in qualibet cit.* Ratio est, quia etiam mater habet jus, & potestatem præcipiendi filio, dum Pater non contradicit. Imò etiam Tutor offerre pupillum sub sua potestate constitutum potest, ut cum alijs notat Abb. *in c. 2. h. tit. n. 8.* & ratio est; quia Tutor pupilli est instar Patris, succeditque Patri quoad omnia, quæ ad filij gubernationem spectant.

4. Ijdem offerre filium impuberem probabiliùs etiam invitum possunt, prout sumitur ex *c. cùm virum 12. h. tit.* per Argumentum à sensu contrario. *Ratio est*, quia possunt eundem etiam revocare ex Monasterio, si in ipsius ingressum non consenserunt, modò intra annum à tempore scientiæ computandum, vel si proximus sit pubertati, ante pubertatem hoc faciant *can. si in qualibet cit.* & *can. seq. c. siquis 2. h. tit.* ergo etiam possunt obligare, & cogere ad ingrediendum; nam ejusdem est potestatis ligare, & solvere.

153 5. Ita oblati, sive volentes, sive inviti oblati fuerint, intra ætatem pupillarem egredi è Monasterio nequeunt: imò Jure antiquo, ut *in c. cùm virum cit.* Gonzal. *n. 6.* notat, nec pubertatem adepti sine infamiæ nota poterant; quod tamen Jus correctum est postea à Cælestino III. *c. cùm simus 14. h. tit.* ubi statuit, pubertatem adeptis licitum, & liberum esse egressum, nisi oblationē sui, à parentibus factam tum expresè, vel tacitè ratificâssent: idque meritò; nam etsi liberi, quamdiu in ætate pupillari sunt, quoad vitæ rationem, & gubernationem parentum voluntati subjiciantur, ab hac tamen quoad electionem Statûs eximuntur, dum facti sunt pueres.

154 6. Denique, etsi hodie hujusmodi oblationum rarus sit usus, locus tamen eisdem est etiamnum, ut alijs *citt.* notat Pirh. *hic n. 60.* *Neque obstat*, Decretum Trid. *sess. 25. c. 17. de Regular.* ubi videtur requiri consensus Episcopi, aut ejus Vicarij; imprimis enim S. Synodus ibi tantùm loquitur de puellis puberibus, ut proinde quoad impuberes reliquerit Jus commune antiquum in suo vigore: deinde de pauperibus ibi tantùm statuit, ut adhiberetur duplex Examen, unum ante susceptionem Habitûs, alterum ante Professionem, *ut exploretur voluntas Virginis, an coacta, an seducta sit, & an sciat, quid agat*, ut ibidem Concilium loquitur.

155 Quæritur 2. quotuplex sit Professio Religiosa propriè dicta? R. duplex, Expressa, Tacita. *Expressa* est, quæ verbo, scripturâ, aliisque nutibus, consensum sufficienter declarantibus, exprimitur. *Tacita*, quæ nec voce, nec scripto &c. fit, sed per unum, vel plures actus Professis proprios censetur induci.

156 Inducebatur autem Professio tacita antiquo Jure duplici maximè viâ. 1. Gestatione Habitûs Professorum: & siquidem iste ab Habitu Novitiorum distinctus erat, sufficiebat gestatio ejusdem per triduum, completa pubertate, etiam ante expletum Probationis annum *c. ad nostram 8. c. super eo 9. h. tit.* & *c. is qui 1. eod. in 6.* Si verò Professi Habitum distinctum à Novitijs nullum habeant, opus erat, ut eundem per integrum annum gestaverint *c. ex parte 22. h. tit. c. is qui cit. v. quod si*, & *Clem. 2. eod.* 2. Exercitio alicujus actûs Professorum proprij, v. g. siquis suffragium tulerit in Capitulo; nam tali actu antiquo Jure inducebatur Professio, etiamsi eundem exercens Habitum Professorum proprium non assumpsisset, vel eo assumpto, in illo triduum non exegisset, ut colligitur ex *c. vidua 4. h. tit.* & notat Sanch. *l. 5. mor. c. 4. n. 20. & 21.*

157 Porro vis hujusmodi Tacitæ Professionis erat eadem, quæ Expressæ, ut patet ex *c. ex parte cit.* & docet *ibidem* Gloss. *V. per annum.* Ratio est, quia hujusmodi gestatio Habitûs, & exercitium actuum propriorum Professis præsumebatur factum animo, & intentione Religionem profitendi, séque illi perpetuò obligandi: quæ præsumptio etiam erat Juris, & de Jure, ita, ut nisi gestationi, vel exercitio illi præmitteretur protestatio, quòd alio, quàm profitendi animo facta sit, probatio in contrarium admissa non fuerit.

158 Dub. 1. an Professioni tacitæ locus de facto sit etiam post Tridentinum? R. etsi usus illius nunc sit rarissimus, & tunc ferè tantùm, quando Professio expressa invalidè emissa est, absolutè tamen etiam post Trid. locus eidem est etiam in alijs casibus, modò adsint reliquæ conditiones, quæ ad Professionem validam tum Jure communi, tum etiam à Trid. requiruntur. Ita Rodriq. *tom. 3. Regul. q. 17. art. 1. & 2.* Sanch. *l. 5. mor. c. 3. n. 36.* Mirand. *Man. Prælat. tom. 1. q. 24. art. 12.* Barbos. *in c. 4. h. tit. n. 3.* Wex *Ariadn. p. 5.*

p. 5. tr. 3. c. 5. §. 2. n. 8. Pirh. *hìc n. 155.* König *n. 2.* Wieſt. *n. 79.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Perſon. Eccl. c. 3. n. 166.* & allegantur pro hac ſententia nonnullæ Declarationes S. Congreg. & Deciſiones Rotæ, ut videre eſt apud Pirh. Corrad. *Prax. Diſpenſ. l. 5. c. 14. n. 52.* & Jacob. Pignatell. *tom. 1. conſult. 146. n. 31.*

159 Sumitur ex verbis Sixti V. in Declaratione Conſtitutionis de illegitimis, ubi ait: *Sed cùm eadem ratio vigeat in Profeſſione tacita emittenda, quæ militat in expreſſa, ſtatuimus, quòd in quibuſvis Ordinibus, & Religionibus, neque etiam tacita Profeſſio quorumcunque Religioſorum induci poſſit, nec inducta intelligatur, niſi in receptione Conſtitutionis forma ſervata fuerit &c.* igitur ſi receptio legitima fuerit, poterit ex mente prædicti Pontificis etiam nunc poſt Trid. ſubſequi tacita Profeſſio. *Ratio eſt*, quia Tridentinum de Tacita Profeſſione ſpecialiter nihil ſtatuit: ac proinde ijs exceptis, quæ requiſivit ad Profeſſionem in genere, eam reliquit diſpoſitioni Juris antiqui, cùm generale ſit, caſum in novo Jure omiſſum remanere ſub diſpoſitione Juris antiqui *arg. l. commodiſsimè 10. ff. de liber. & poſthum.*

160 *Excipitur* Societas JEſu, in qua extra caſum ratificationis Profeſſionis, & Votorum Simplicium nulliter editorum Profeſſioni tacitæ locus non eſt, ut Pal. *tr. 16. D. 2. p. 1. n. 1. n. 10.* Wex §. 2 *cit. n. 9.* & alij notant. De Profeſſione propriè dicta, & Votis Simplicibus, quibus Coadjutores formati fiunt, patet ex Conſtit. *p. 5. c. 3.* & adjuncta huic *Declaratione lit. A.* ubi dicitur eſſentiale eſſe, ut publicè Votum legatur ex ſcripto: de Votis Simplicibus Scholaſticorum, & Coajdutorum nondum formatorum autem; quia hi nullum Habitum diſtinctum, aut actus proprios habent, quibus ipſi vel à Profeſſis, & Coadjutoribus formatis, vel à Novitijs diſtinguantur.

161 Dub. 2. quid requiratur, ut per geſtationem Habitûs, & exercitium actûs Profeſſis proprij inducatur Profeſſio Tacita? R. 1. nunc poſt Trid. requiritur, ut is, qui ſic profitetur, annum 16. ætatis, & integrum Probationis expleverit, prout patet ex *ſeſſ. 25. c. 15.* & *16. de Regular.* quia ante hoc tempus nulla valida fieri poteſt Profeſſio.

2. Ut Habitus ſuſceptus, & actus exercitus ſit authoritate, & conſenſu Prælati, vel alterius Superioris, qui poteſt ad Religionem illam admittere, vel ſaltem, ut hoc fiat eo ſciente, & patiente. Sanch. *l. 5. mor. c. 3. n. 14.* & ratio eſt, quia iſtius conſenſum exigit Profeſſio expreſſa, ergo etiam tacita, cùm eadem ſit utriuſque ratio, & tacitum plus non operetur, quàm expreſſum *arg. l. cùm quid 3. ff. de reb. credit.*

162 3. Ut Habitus ſuſceptus, & actus Profeſſis proprius exercitus ſit ſponte, h. e. nulla vi, aut metu, ut patet ex *c. vidua 4. h. tit.* ibi, *ſi ſponte velum ſibi impoſuerit, & inter velatas oblationem Deo obtulerit. Ratio eſt*, quia, ut ex *c. perlatum 1. de his, quæ vi metúsve causâ &c.* patet, & *infrà n. 174.* explicatiùs dicetur, metus gravis, & vis illata irritat Profeſſionem expreſſam. igitur multò magis tacitam. Sanch. *n. 15.*

4. Ut geſtans Habitum, & exercens actum, ſciat eum eſſe proprium Profeſſis, & per eos induci Profeſſionem tacitam; nam ad Profeſſionem validam requiritur conſenſus, qui in ejuſmodi caſu deficit. Sanchez *n. 16.*

5. Ut Habitum deferat, vel actus hujuſmodi exerceat cum vero, ac poſitivo animo profitendi, nec ſatis eſt ſe habere negativè, nempe nec habendo animum profitendi, nec non profitendi; etſi enim talis in foro externo haberetur pro Profeſſo ob præſumptionem devero ejuſdem, & poſitivo animo, in foro conſcientiæ tamen non eſſet verus Profeſſus ob defectum conſenſûs poſitivi. Sanch. *n. 17.*

Quæritur 3. quid requiratur, ut validè 163
fiat Profeſſio? R. 1. requiritur, ut perſona illam emittens ſit ejus capax, ſive nullo Jure à Statu Religioſo removeatur: de quo actum eſt *à n. 23.*

2. Ut habeat ætatem legitimam: ſufficit autem, & requiritur, ut expleverit annum 16. ut dictum eſt *n 28. Excipitur* Societas JEſu, & alij quidam Ordines; nam in illa ad valorem Profeſſionis 4. Votorum requiritur annus 25. completus, ut habetur *Conſt. p. 1. c. 2. §. 12.* & *c. 3. Declar. lit. K.* in alijs, ut in Ordine Minimorum S. Franciſci de Paula decimus octavus, quamvis in his poſterioribus, ut notat Pirh. *hic n. 118.* ſiquis ante eam ætatem Profeſſionem emittat, ea non ſit irrita, modò facta ſit ea ætate, quæ Jure communi ad valorem Profeſſionis requiritur.

3. Ut annum unum fuerit in Tiroci- 164
nio, ſeu Novitiatu: de quo dictum eſt *à n. 46.* ubi videri exceptiones poſſunt, ob quas tempus Probationis aliquando poſſit eſſe longius annuo, aliquando brevius. In Societate Profeſſio 4. Votorum non emittitur, niſi poſt decem annos in ea tranſactos, demptis Studijs, ſi quibus vacavit in Societate profitens.

4. Ut habeat animum profitendi; eſt enim matrimonium quoddam Spirituale cum Religione, quod perinde, ut carnale, deficiente conſenſu, & ipſum deficit. *Ex quo ſequitur*, talem, ſi ex Monaſterio fugiat, aut in exteras Provincias ſe recipiat abſque Superiorum ſuorum conſenſu, in foro externo quidem habendum pro Apoſtata, cùm defectum conſenſûs difficulter probaturus ſit, in interno tamen Apoſtaſiæ reum non fore, cum Profeſſione ſic edita non ligetur. Leſſ. *l. 2. de J & J. c. 41. n. 60.*

5. Ut profiteatur nec metu, nec 165
fraude

fraude inductus. De fraude, & dolo patet; quia, ubi hic causam dat contractui, consensus deest: de metu constat ex *c. perlatum 1. de his, quæ vi, metúsve causâ &c.* ubi Professio, si vi, aut metu gravi injustè incusso extorta sit, omnino irrita pronuntiatur.

6. Ut emittat saltem tacitè tria Vota substantialia Religionis: *saltem tacitè*, inquam, quod addo ob diversum diversorum Ordinum morem; in quibusdam, ut fit in Societate JEsu, tria Vota substantialia singula exprimuntur, in alijs promittitur sola Obedientia secundùm Regulam, innonnullis stabilitas, & conversio morum secundùm Regulam, in qua Regula cùm præcipiantur omnia Vota Religiosa, idcirco hæc in ejusmodi Professione saltem implicitè continentur. Sanch. *l. 5. mor. c. 3 n. 3.*

166 7. Ut ea emittat in Religione approbata; non enim sufficit emittere tria dicta Vota, & Regulam aliquam ab Ecclesia approbatam profiteri, sed debet alicui Religioni approbatæ incorporari ab eo, qui incorporandi potestatem habet, & hac ratione Religionis illius membrum effici, ut colligitur ex *n. 182. & seqq.*

8. Ut nullam apponat conditionem substantiæ Religionis repugnantem, qualis esset, siquis profiteretur ea lege, ut possit egredi, quando onera Religionis ferre ampliùs non poterit, ut possit vivere pro suo arbitratu, retinere sua bona, & de illis disponere pro libitu &c.

167 9. Denique ut Professio ejusmodi ab aliquo, ad id potestatem habente, Religionis nomine expressè, vel saltem tacitè acceptetur, ut colligitur ex *c. porrectum 13.* & *c. ad Apostolicam 16. h. tit.* & patet de Professione strictè dicta, quia est Contractus ultro, citróque obligatorius, qui celebrari non potest, nisi de utriusque consensu: de Professione latè accepta autem ex eo probatur; quia inter Vota Simplicia emissa post Novitiatum & Devotionalia, quæ emittuntur durante Novitiatu, debet esse discrimen aliquod; nullum est, nisi quòd posteriora non acceptentur à Religione, acceptentur priora, ita, ut illa hæc emittentem intra corpus suum admittat. ergo &c.

168 Dub. 1. an valeat Professio emissa ab eo, qui impedimentum aliquod in Examine tacuit, quod si aperuisset, receptus non fuisset? R. Vel enim impedimentum illud essentiale est, vel non essentiale. *Si primum*, Professio erit invalida; quia emissa ab incapaci: quod etiam verum est, si bona fide fuisset ingressus ex probabili ignorantia, quòd impedimentum illud essentiale sit; quia ignorantia supplere defectum essentialis requisiti non potest. Si tamen illum suscipiens sciret, eum, quem suscipit laborare, tali defectu, & hoc non obstante ipsum suscipere, censeretur dispensâsse, & consq. Professio à sic suscepto emissa erit valida, modò impedimentum tale sit, in quo suscipiens dispensare possit.

Si non est essentiale impedimentum, 169 fraudulenter tamen suppressum, ita, ut fraus ista causam receptioni dederit, poterit talis Professus postea, fraude cognita, è Religione ejici. Addo tamen non ob quamcunque fraudem impedimentum non essentiale reticentis eum post Professionem ejici è Religione posse; sed debere esse deceptionem in re gravi: qualis non est, siquis tacuisset morbum contagiosum v. g. Gallicum, quo laborat, nisi talis ille sit, qui adhibitis remedijs per annum curari non possit; tunc enim, ut Pal. *tr. 16. D 2. p. 2. §. 2. n. 4.* notat, expelli etiam post editam Professionem poterit tum ob culpam deceptionis, tum ob periculum infectionis aliorum. In Societate JEsu, ut quis ob commissam fraudem in Examine post Vota Simplicia Scholasticorum, aut Coadjutorum nondum formatorum expelli possit, minor requiritur causa; quia Vota ista minùs, quàm Solennia Societatem stringunt ad voventem apud se retinendum.

Dub. 2. an in Professione malitia, seu 170 potiùs prudentia defectum ætatis suppleat; Videtur respondendum affirmativè ob paritatem cum Matrimonio carnali. Sed revera non est paritas; nam de Matrimonio carnali id statuit Jus, quòd malitia ætatem suppleat, prout habetur *c. de illis 9.* & *c. fin. de desponsi. impuber.* nullum ejusmodi Statutum extat de matrimonio Spirituali, seu Professione.

Dicendum igitur, in Professione re- 171 quiri, ut ætas ad illam requisita sit omnino completa. Ita Gloss. *in c. 20. in fin. h. tit.* & *in Clem. 2. V. ætate tit. cod.* Sanch. *l. 5. mor. c. 4. n. 2.* Wex *Ariadn. p. 5. tr. 3. c. 2. n. 10.* Pirh. *hic n. 117.* Estque hoc adeo verum, ut si dies unica, vel etiam hora desit, Professio sit invalida. Causa sic statuendi fuit favor tum Religionis, tum Novitij, ne hic austeritatibus Religionis ante tempus adstringatur.

Si constat Professionem fuisse emissam, 172 sed is, qui eam emisit, postea opponat impedimentum ætatis, vel aliud irritans Professionem, probandi onus incumbit impedimentum alleganti, ut alijs *citt.* notat Pirh. *hic n. 120. not. 3.* & ratio est, tum quia in dubio præsumendum est pro valore actûs, legitimè quòd factus sit, donec contrarium ostendatur *c. Abbate 25. de V. S.* tum quia possessio stat pro Professione, ipsáque Religione, quæ hactenus hominem ut Professum suum aluit, & habuit.

Dub. 3. utrum nemo cogi possit ad 173 faciendam Professionem? *Rationem dubitandi* faciunt 1. *can. Monachum 3. caus. 20. q. 1.* & *c. cùm virum 12. h. tit.* ubi ijs, qui à parentibus oblati sunt Monasterio, reverrendi ad

sæculum

sæculum aditus penitus interdicitur. 2. c. *uxoratus 8. de converſ. conjugat.* ubi conjux, ſi in alterius conjugis Profeſſionem, aut Sacri Ordinis ſuſceptionem conſenſit, & incontinentis vitæ ſuſpicionem præbet, jubetur Religionem ingredi, & in ea profiteri. 3 c. *conſulti 20. h. tit.* ubi is, qui Votum Religionis fecit, ſi in Religione, quam ingreſſus eſt, perſeverare non poſſit, jubetur ad laxiorem ſaltem Regulam tranſire, ut ibidem regulariter vivat. 4. *can. de lapſis 5. cauſ. 16. q. 6. c. pervenit 2. de adult. c. inter 10. in fin. de Purgat. Canon.* & c. *tuæ 6. de pœnis*, vi quorum Canonum Clerici, & etiam Laici, gravium exceſſuum, præſertim carnalium rei, olim in Monaſteria, etiam invitiſſimi, detrudebantur.

174 Verùm his non obſtantibus, Regulæ inſtar receptum eſt, quòd ut Matrimonium carnale, ita etiam Profeſſio, quæ eſt Matrimonium quoddam Spirituale, irrita omnino ſit, ſi ſit vi, aut metu gravi injuſtè incuſſo extorta. Ita deciditur *can. præſens 4. cauſ. 20. q. 3. c. perlatum 1. de his, quæ vi metúſve cauſâ &c. c. nullus 1.* & c. *ſicut 15. h. tit. Proceditque hoc* etiam de Votis Simplicibus Societatis JEſu, poſt biennium Novitiatûs editis, ut Pal. *tr. 16. D. 2. p. 2. §. 2. n. 1.* Wex *Ariadn. p. 5. tr. 3. c. 5. §. 2. n. 37.* & alij notant. Colligitur ex Trid. *ſeſſ. 25. c. 19. de Regular.* ibi, *Quicunque Regularis prætendat ſe per vim, & metum ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam Profeſſionem feciſſe &c.* ubi Religionem ingredi, & profiteri pro eodem uſurpatur; conſtat autem emittentem Vota Simplicia Societatis Societatem ingredi, verúmque Statum Religioſum aſſumere, ergo &c.

175 Neque contrarium probant Argumenta oppoſita. *Ad 1.* ſic oblati poſt pubertatem è Religione liberè poſſunt egredi, neque coguntur profiteri Religionem, ut *n. 153.* dictum eſt. *Ad 2.* ejuſmodi uxor conſentiendo liberè in Profeſſionem mariti, vel Sacri Ordinis ſuſceptionem, hoc ipſo ſe obligavit disjunctivè, ut vel caſtè vivat in Sæculo, emiſſo Voto Simplici Continentiæ, vel ſi incontinentis vitæ ſuſpicionem præbeat, ingrediatur Religionem, & Profeſſionem emittat; ſub hac enim ſola conditione Eccleſia conſenſum ejuſdem approbat. *Ad 3.* Eccleſia eo caſu compellendo voventem tantùm compellit, ut impleat obligationem jam antè contractam. *Ad 4.* detruſio illa olim facta eſt, non ut edita Profeſſione Monachi inviti fierent, ſed ut Monaſterio, tanquam carceri incluſi, pœnitentiam agerent.

176 Dub. 4. utrum irrita fiat Profeſſio, ſi non Profeſſionem emittens, ſed eam acceptans ad ſic acceptandum compulſus eſt metu gravi injuſtè incuſſo? Affirmant Leſſ. *l. 2. de J. & J. c. 41. n. 61.* Donat. *prax. Regul. tom. 2. p. 2. tr. 11. q. 8. à num. 3.* Wieſt. *hic n. 83.* Et videtur hoc etiam probari ratione. 1. Quia Profeſſio eſt contractus ultro, citróque obligatorius, & ſicut obligat Profeſſum Religioni, ita Religionem Profeſſo. igitur ut inter eos ſervetur æqualitas, ſicut irrita eſt Profeſſio, quando metum gravem paſſus eſt eam emtitens, ita irrita erit, quando ſimilem metum paſſus eſt eam acceptans. 2. Quia in correlativis, quod diſpoſitum eſt de uno, diſpoſitum etiam cenſeri debet de altero illorum, quando eadem eſt utriuſque ratio, atqui Religio, & Profeſſus ſunt correlativa quoad actum Profeſſionis, & eadem eſt ratio utriuſque. ergo &c. 3. Quia in Matrimonio carnali metus irritum facit Contractum, tam quando Sponſæ, quàm quando Sponſo is eſt incuſſus, atqui à Matrimonio carnali ad Spirituale, & viciſſim Jure approbatum eſt Argumentum *c. inter 2. de Translat. Epiſc.* & *c. cùm inter 21. de Elect.* ergo etiam irritum erit Matrimonium Spirituale, ſeu Profeſſio, ſive deinde metum paſſus ſit is, qui illam emiſit, ſive ille, qui eam acceptavit.

177 Hæc Sententia admodum probabilis eſt ob has rationes, probabiliùs tamen videtur eſſe, quòd in hoc caſu Profeſſio ob metum non fiat irrita. Ita Suar. *tom. 3. de Relig. l. 6. c. 4. n. 14.* Pal. *tr. 16. D. 2. p. 2. §. 2. n. 2.* Bordon. *de Profeſſ. Relig. c. 19. n. 58.* Wex *Ariadn. p. 5. tr. 3. c. 5. §. 2. n. 38.* Pirh. *hic n. 134.* Rationem dat Pal. *l. cit.* quia metus non annullat Profeſſionem Jure naturali, ſed poſitivo humano tantùm, ut communiter omnes docent. atqui Jus poſitivum non diſponit de metu, qui incuſſus eſt admittenti, ſed de illo tantùm, qui profitenti, ergo ſolus ille annullat Profeſſionem, non alius.

178 Argumenta in contrarium non ita fortia ſunt, ut non commmodè reſponderi ad illa poſſit. *Ad 1.* Profeſſio quidem eſt contractus ultro, citróque obligatorius, minùs tamen difficilis, & oneroſus ex parte Religionis, quàm ex parte profitentis, ut adeo huic meritò favorem conceſſerit Jus. *Ad 2.* Profeſſus, & Religio correlativa ſunt, ſed non eadem eſt ratio utriuſque, cùm minùs ſæpe, imò vix unquam metus inferatur acceptanti, ſæpiùs profitenti; Jus autem caſibus frequentioribus proſpicere ſoleat. *Ad 3.* in Matrimonio Sponſi, & Sponſæ par eſt obligatio, diſpar autem Religionis, & Profeſſi, ut adeo hoc caſu à Matrimonio carnali ad Spirituale illegitimè ducatur Argumentum.

179 Quæritur 4. quâ formâ Profeſſio expreſſa emitti debeat? R. hìc conſulenda ſunt ſingularum Religionum inſtituta. De Jure communi præter ea, quæ *n. 163.* & *ſeqq.* enarravi, ad valorem Profeſſionis ex parte formæ aliud nihil requiritur. Adeoque.

1. Fieri Professio potest non tantùm verbis, sed etiam nutibus, vel alijs etiam signis, externis quibus traditio profitentis, & hujus traditionis acceptatio, mutuáque obligatio significatur, ut passim DD. colligunt ex *c. porrectum 13. h. t.* ubi junctæ ante Abbatem manus pro signo emissæ Professionis habentur.

2. Etsi consuetudo communis Ecclesiæ sit, ut fiat in Scriptura, eáque publicè ex scripto legatur coram testibus sufficientibus, de Jure communi tamen (nam in Societate JEsu hæc omnia essentialia sunt) nec Scriptura, nec testes essentialiter necessarij sunt, cùm nuspiam requirantur in Jure communi. Suar. *tom. 3. de Relig. l. 6. c. 12. n. 2.* Bordon. *de Profess. Relig. c. 18. n. 111.* Wex *Ariadna. 5. tr. 3. c. 5. §. 2. n. 34.*

180 3. Quamvis in praxi tutum non sit ob multa pericula, & incommoda ut bene notat Donat. *prax. Reg. tom. 2 p. 2. tr. 10. q. 3. n. 6.* absolutè tamen, & si Jus commune spectetur, Professio emitti per Procuratorem potest ex eo generali Principio; quia regulariter omnes actus fieri per Procuratorem possunt, nisi specialiter quidam interdicantur *c. potest quis 68. de R. I. in 6.* & *l. procurator 1. § usus 2. ff. de Procurat.* atqui nuspiam reperitur prohibitum, ne Professio per Procuratorem fiat. ergo &c. Opus tamen eo casu erit speciali mandato, iisque conditionibus, quæ requiruntur ad Matrimonium per Procuratorem contrahendum, quas enarravi *Libr. 1. Tit. 38. n. 19.* quia in hoc ob similem arduitatem negotij pari passu Matrimonium, & Professio Religiosa ambulant.

4. Fieri potest non tantùm absolutè, sed etiam sub conditione in futurum pendente modò hæc non repugnet substantiæ Statûs Religiosi: & hoc si fiat, impleta conditione, statim absque novo consensu conditionatè edita transibit in absolutam; nam idem contingit etiam in Matrimonio. Sanch. *l. 5. mor. c. 4. n. 87. & seqq.*

181 5. Fieri potest non tantùm in Ecclesia vel Monasterio, sive intra claustrum Religionis, sed etiam extra, ubicunque, etiam in lecto, cùm nihil de loco reperiatur statutum in Jure. Suar. *c. 12. cit. n. 24.*

6. Fieri potest quocunque tempore sive matutino, sive vespertino; quia hæ circumstantiæ sunt valde extrinsecæ, ideoque nulla fuit ratio, cur tanquam essentiales requirerentur. Pellizar. *Man. Reg. tr. 3. c. 1. q. 17. n. 34.*

7. Etiam infirmitas corporis non impedit, quo minùs valida sit Professio, ut colligitur ex *c. porrectum 13. h. tit.* ideoque etiam in articulo mortis validè emitti potest Professio, dummodo profitens integrum habeat judicium, ut patet ex *c. sicut 15.* junct. Gloss. *V. extra mentem h. tit.*

182 Dubium est 1. quis admittere Novitios ad Professionem possit? 2. in hoc spectandæ Constitutiones singulorum Ordinum horúmque consuetudines. In Societate JEsu juxta peculiares ipsius Constitutiones potestas admittendi ad Vota Simplicia Scholasticorum, & Coadjutorum nondum formatorum ex generali commissione Provincialibus competit; ad solennia autem Professorum, & Publica Coadjutorum Formatorum admittit solus Generalis, ita ut sine ejusdem expressa, & speciali licentia, saltem in partibus Europæ nostræ, nemo illa in cujuscunque manibus possit emittere. Sanch. *l. 5. mor. c. 4. n. 72.*

Spectato Jure communi, admittere ad 183
Professionem potest. 1. Episcopus, si Monasterium, aut Ordo, in quo Professio edenda est, non sit Exemptus ab ejus Jurisdictione. Sanch. *n. 74.* Pirh. *hic n. 135.* quòd maximè contingere potest in Monasterijs Monialium Ordini non subjectis. Opus tamen erit eo casu, ut ejusmodi admissio fiat cum consensu maioris partis Capituli; nam etsi & ipse talis Monasterij Prælatus proprius, consensum tamen in re Monasterium contingente, qualis est admissio ad Professionem, à Monasterio debet exquirere.

2. Abbas, seu Prælatus Religionis 184
immediatus; nam penes hos est ordinaria potestas admittendi ad Professionem, etiam irrequisito Episcopo, cui Monasterium subest, non tamen irrequisito Capitulo, & quidem, ut probabilius Gloss. *in c. fin. in casu*, & *V. pertineat h. tit. in 6.* Sanch. *l. 5. mor. c. 4. n. 65* Caramuel *Theol. Regul. D. 41. n. 485.* Engl *hic n. 23.* König *ibid. n. 16.* Wex *Ariadn. p. 5. tr 3. c. 5. §. 2. n. 11.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Person. Eccl. c. 3. n. 181.* docent, cum consensu istius; alias Professio erit invalida, & retractari poterit, si postea ostendatur, quòd major pars Conventûs justè, & rationabiliter contradixerit, nisi ex pòst facto etiam, ipsi ratam illam habuerint. Pirh. *hic n 132.* & alij apud ipsum. *Ratio est*, quia etiam Conventûs interest, ne aliquis in corpus Religionis recipiatur, qui idoneus non est, & detrimentum alijs afferre potest.

3. Prælatus Regularis mediatus, ut 185
Generalis Ordinis, vel Provincialis Sanch. *l. cit. n. 71.* idque verum est, etiam contradicente Superiore, seu Prælato immediato, dummodo id fiat cum consensu Capituli. *Ratio est*, quia Prælati superiores, seu mediat in potestate cumulativè concurrunti cum Superioribus localibus, & immediatis, & potestas admittendi ad Professionem in Superioribus mediatis eminenter existit, imò immediatis Superioribus non aliter competit, nisi quatenus ea ipsis per Superiores mediatos communicatur: unde etiam restringere illam ipsis ex justa causa, & in casu speciali possunt, ac prohibere, ne ipsis inconsultis, ad Professionem quenquam recipiant.

4. Abbatissa etiam admittere ad Pro- 186
fessionem, stando in Jure communi, potest Mo-

Moniales suas, ut docent Azor *p. 1. l. 12. c. 5. q. 6. in fin.* Tambur. *tom. 4. de Jur. Abbatiss. D. 4. q. 1.* Sanch. *l. cit. n. 76.* Pirh. *hic n. 135.* Wex §. *2. cit. n. 19.* Magnif. P. Schmier *c. 3. cit. n. 191.* & supponi videtur *in c. consuluit 4. Qui Cleric. vel vovent.* Ratio est, quia acceptatio hæc non est actus Jurisdictionis spiritualis pertinentis ad claves Ecclesiæ, sed Superioritatis cujusdam, quam Abbatissa habet in suas Moniales.

187 5. Eadem potestas à Superiore, cui illa Jure ordinario competit, delegari etiam alteri potest. Sumitur ex *c. ad Apostolicam 16. h. tit.* ibi *per se, vel per alium Professionem recipiente.* Proceditque hoc, ut delegari potestas hæc possit cuicunque, etiam Religioso simplici, aut Clerico Sæculari, imò & Laico; nam *c. cit.* generaliter loquitur sine personarum distinctione. Sanch. *n. 77.*

188 6. Non obest, etsi is, qui Professionem recipit, sit Excommunicatus vitandus, vel suspensus ab admissione ad Professionem; quia talis Excommunicatio, vel Suspensio admissionem tantùm facit illicitam, non verò invalidam, cùm non privet Superioritate, cujus solius actus est ista admissio. Sanch. *n. 78. & 79.*

189 Dub. 2. quomodo convalescat Professio, invalidè priùs emissa? R. distinguendum esse, ex quo capite invalida fuerit Professio, an ob defectum potestatis in admittente, an ob aliud impedimentum.

Si primum, satis erit, si is, qui eam potestatem habet, postea admissionem illam ratam habeat; quia ratihabitio retrotrahitur ad tempus emissæ Professionis, & mandato comparatur juxta *Reg. ratihabitionem 10. in 6.* Ubi tamen duo sunt necessaria: unum est, ut Professio acceptata sit nominehabentis potestatem admittendi; quia ratum habere quis non potest, quod ipsius nomine non est gestum *Reg. 9. in 6.* Alterum, ut Professus ante ratihabitionem factam priorem voluntatem per actum contrarium non mutaverit; debet enim voluntas prior adhuc moraliter perseverare, ut ratihaberi possit.

Si secundum contingat, & ob aliud impedimentum invalida sit Professio, necessarium est, ut is, qui Professionem ita invalidè emisit, remoto impedimento, Professionem priùs factam ratificet expressè, vel tacitè: quod ultimum fiet, si postquam scivit Professionem priùs editam fuisse irritam, permaneat sub externo Habitu Regulari, & sub obedientia Religiosa. Pirh. *hic n. 149.*

190 In neutro autem casu, sive ob defectum potestatis in suscipiente, sive ob aliud impedimentum invalida sit Professio, is, qui Professionem sic fecit, tenetur in Religione persistere, aut Professionem priùs invalidam ratificare, etiamsi impedimentum, ob quod Professio invalida est, in foro externo probare non possit. Estque hoc verum, etiamsi culpâ ipsius professentis e. g. ob fictionem invalida fuisset Professio. Sanch. *l. 7. de matr. D. 37. n. 38. & 39.* Pellizar. *Man. Prælat. tr. 3. c. 1. n. 48.* Pirh. *hic n. 148.* & alij communiter. *Ratio est*, quia Religiosus Status est tam arduus, & tam sublimis perfectionis, ut requirat consensum omnino liberum, & spontaneum talis non adesset, si cogi posset ad ratificandam Professionem, quam emisit invalidè, ergo &c.

Neque obstat, quòd habuerit voluntatem professendi saltem exteriùs, & apparenter; quia cùm talis voluntas inefficax fuerit, & nullius effectûs ob defectum consensûs interni, vel aliud impedimentum dirimens, idcirco vi illius in foro conscientiæ obligari non poterit, qui Professionem emisit invalidè, ut illam ratificet. Interim tamen, quia adversùs talem in foro externo stat præsumptio, quòd Professionem emiserit validè, in illo foro cogi poterit ad observanda illa, ad quæ verus Professus obligatur.

Dub. 3. quid requiratur, ut ratifi- 191
cata dicatur Professio priùs invalida? R. 1. requiritur, ut ratificans sciat Professionem à se factam fuisse invalidam. Azor *p. 1. l. 12. c. 4. q. 7.* Suar. *l. 7. c. 1. n. 4.* Sanch. *l. 7. de matr. D. 37. n. 57.* Less. *l. 2. de Just. c. 41. n. 66.* Pirh. *hic n. 149.* Wiest. *n. 95.* Ratio est, quia nemo potest habere voluntatem ratificandi Professionem nisi cognoscat ratificationem sibi esse possibilem, atqui hanc possibilem sibi esse non cognoscit, nisi cognoscat nullitatem priùs à se editæ. ergo &c. *Excipitur*, nisi expressè apud se statuat, se Professionem à se emissam velle esse validam, etsi ab initio fortè fuisset invalida. Less. *l. cit.*

2. Ut impedimento ablato, ponatur novus consensus Professi, Religioni se rursum tradentis; quia cùm sit nova Professio, nova intentione, seu voluntate fieri debet. Sanch. Pirh. Wiest. *l. citt.*

3. Ut traditio hæc acceptetur à 192
Religione; quia est nova Professio, & quæcunque Professio sine acceptatione, à Religione facta, est nulla. Azor, Pirhing, Wiestner *l. citt.* *Ex quo sequitur*, ad hoc, ut ratificata legitimè dici possit Professio, requiri

4. Ut etiam Religio habeat aliqualem notitiam de nullitate Professionis; quia tam parum acceptatiodari sine aliqua notitia nullitatis potest, quàm parum dari sine illa potest nova traditio. Pal. *tr. 16. D. 2. p. 5. n. 3.* qui tamen alijs *cit. n. 4.* notat, hanc notitiam non debere esse specialem, sed sufficere generalem, & indeterminatam, ut patet ex *c. significatum 11. h. t. c. is qui 1. ¶. quodsi eod. in 6.* & confirmatur per Trid. *sess. 25. c. 19. de Regular.* quibus textibus declarat Ecclesia, quòd ratam & ipsa habere velit Professionem, quam Professus tacitè, vel expressè, ratificaverit.

193 Dub. 4. an, & quamdiu reclamare Professus possit adversùs suam Professionem, & illam arguere nullitatis ? R. reclamare adversùs eandem potest Regularis quilibet, etiam ex Ordine militari, prout constat ex Trid. *sess. 25. c. 19. de Regular.* ubi utitur terminis generalibus, & complectentibus quoscunque Religiosos ; ait enim, *Quicunque Regularis prætendat &c.* éstque ita declaratum à Cardd. apud Joann. Gallemart. *ibid. n. 1.*

Tempus, quo reclamare adversùs Professionem invalidam licet, assignatur *ibidem* quinquennium : nam intra hoc tempus deducere causam nullitatis Professionis suæ coram Superiore debet ; illo elapso enim non audietur, nisi impedimentum, ob quod invalida fuit Professio, adhuc duret ; hoc namque si fiat, sive perpetuum impedimentum istud sit, sive temporale, audiendus est, modò probare impedimentum istud possit, ut bene notat P. Wiest. *hic n. 92.* & rationem dat ; quia Trid. Decretum, quo tempus reclamandi restringitur ad quinquennium, publicatum est in favorem Religionis. atqui non in favorem, sed gravamen Religionis redundaret, si laborantem hujusmodi impedimento, & conf. certò non Professum, denegatâ ipsi, teneretur audientiâ retinere. ergo &c.

194 Dub. 5. an Religio etiam reclamare possit contra invalidè professum ? R. affirmativè. Ita Fagnan. *in c. nullus 1. h. tit. à n. 31.* Pellizar. *Man. Prælat. tr. 3. c. 5. s. 2. q. 3. n. 52.* Donat. *prax. Regul. tom. 2. p. 2. tr. 12. q. 35.* Bordon. *var. resolut. p. 1. resol. 23.* Pirh. *hic n. 154.* Wex *Ariadn. p. 5. tr. 3. c. 5. §. 3. n. 50.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Pers. Eccl. c. 3. n. 249.* Ratio est, quia dispositum de uno correlativorum censetur etiam dispositum de altero, si ratio dispositionis de uno procedat etiam in altero, & de hoc in specie aliter in Jure non sit dispositum. atqui Religiosus, & Religio sunt correlativa, & ratio, cur Professo nulliter permissum sit reclamare, procedit etiam de Religione, neque de hac aliter est in Jure dispositum. ergo &c. *Confirmat* Responsionem hanc Fagnan. *l. cit. n. 42.* Declaratione *Cardd. Trid. Interpr.* & *Decreto Urbani VIII.* & evincit ratio æquitatis ; neque enim Religio debet esse deterioris conditionis, quàm sit Religiosus : quod fieret, si Religiosus reclamare posset, Religio non posset.

195 Est tamen faciendum discrimen aliquod inter causas nullitatis, ob quas potest reclamare Religio, & inter eas, ob quas Religiosus, ut bene advertit Pirh. *l. cit. in fin.* nam Religiosus reclamare potest, ob quemcunque defectum, vel impedimentum Professio sit invalida, non ita Religio, sed tum solùm, quando Professio fuerit nulla ob ignorantiam justam, & invincibilem Superiorum Regularium ; nam isti, si Professionem invalidam admittendo culpâ non vacant, non debent audiri, si reclamare, & causas nullitatis allegare velint post elapsum biennium.

Dub. 6. quæ conditiones requiran- 196
tur ad legitimam reclamationem adversùs Professionem invalidam ? R. tres præscribi à Trid. *sess. 25. c. 19. de Regular.*

1. Ut ante reclamationem Habitum non deponat, vel etiam cum Habitu non discedat, sine licentia Superiorum. Excipitur, nisi justam causam Habitum dimittendi habeat, quia v. g. aliter causam suam prosequi coram Superiore non permittitur, nisi Habitu dimisso fugiat : cujus exceptionis ratio est, quia Concilium intendit punire eum, qui temere, ac sponte dimittit Habitum, quod non facit, qui ex justa causa, ut facultate, per Jus sibi concessa, libere uti possit, Habitum deponit. Navarr. *Comment. 4. de Regular. n. ult.* Azor *p. 1. l. 12. c. 4. in fin.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 37. n. 3.* Pirh. *hic n. 152.* & alij communiter. Idem, saltem ex æquo, & bono dicendum, siquis Habitum temere dimissum iterum assumat ; quia per reassumptionem Habitûs dimissi Religio in possessionem restituitur, & purgatur spolium : conf. tum audiendus est, qui asserit se invalidè fuisse professum. Navar. Sanch. Pirh. *l. citt.*

2. Ut causas nullitatis suæ Professio- 197
nis deducat coram Superiore suo, & Ordinario. Nomine *Superioris* intelligitur immediatus Prælatus Regularis, qui Professionem ejus, qui reclamat, admisit, vel qui in ejus locum successit : nomine *Ordinarij* autem venit Episcopus, in cujus Diœcesi situm est Monasterium, in quo reclamans Professionem emisit, vel Vicarius Generalis Episcopi, vel etiam alius Prælatus, qui Jurisdictionem quasi Episcopalem exercet in illo Territorio, & Sede, vel Prælatura vacante, Capitulum, aut ejus Vicarius. Pirh. *hic n. 151.* Dixi *coram Superiore suo, & Ordinario* per conjunctionem copulativam *Et* ; nam ita loquitur Trid. Ex quo Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 104. num. 12.* alijs *citt.* deducit, causas nullitatis coram utroque, videlicet coram Superiore Regulari, & Ordinario loci deducendas esse conjunctim, seu copulativè : & ita decisum idem Barbosa *l. cit.* refert ex Armendar.

3. Ut reclamatio fiat intra quinquen-
nium, à die Professionis editæ numerandum. Sed ex hoc oritur

Dub. 7. an audiendus sit impugnans 198
Professionem suam post quinquennium, si toto illo tempore ejus nullitatem ignoravit, vel obstante sibi justo impedimento, eam impugnare, & coram Superiore deducere nequijt ? Non conveniunt DD. Negant Navar. *comment. 4. de Regular. n. 71. v. tertiò*, Sanch. *l. 7. de Matrim. D. 37. n. 19.* Pellizar. *Man. Regular. tr. 3. c. 5. n. 45.*

45. & alij ab his *citt.* Nituntur triplici maximè ratione. 1. Quia Tridentinum *c. 19. cit.* dicit, *quinquennium numerandum esse à die Professionis tantùm*, quæ particula negat, & excludit omnes alios casus, præter expressos. 2. Quando tempus præscriptum est, non in odium negligentis, sed in favorem alterius, illud etiam ignoranti, & impedito currit, ut communiter tradunt DD. cum Gloss. *in c. statutum 3. de Præbend. in 6.* atqui ita præscriptum est tempus quinquennij in casu præsenti; præfixum enim est in favorem Religionis, ut consulatur ejus tranquillitati, & paci, quæ facilè turbaretur, si semper audirentur ij, qui ad sæculum, & liberiorem conversationem aspirant. 3. contra alia remedia, & actiones à Jure proditas admittitur præscriptio tam in casu ignorantiæ, quàm in casu impedimenti, si id facti, non Juris sit, ut communiter DD. *ad Tit. de Præscript.* igitur etiam adversùs remedium nullitatis oppositæ Professioni,

199 Contrà audiendum etiam post quinquennium esse illum, qui intra id tempus ob ignorantiam, vel ob aliud impedimentum reclamare non potuit, affirmat Navarr. *l. 3. consil. 23. n. 3. h. tit.* Suar. *tom. 3. de Relig. l. 7. c. 4. n. 6.* Pal. *D. 2. p. 7. n. 5. & seqq.* Pirh. *hic n. 152.* Fundantur 1. quia impedito agere non currit præscriptio *c. super 1. in fin. C. de annal. præscript.* atqui nullum est majus impedimentum, quàm ignorantiæ; ignorans enim experiendi potestatem non habet *l. annus 6. ff. de calumniat.* 2. Quia Concilium, quando dicit, quinquennium computandum à die Professionis, intelligendum solùm est per se, & nisi justa causa aliud suadeat. atqui ejusmodi justam causam habet invalidè professus, si nullitatem Professionis suæ ignoravit, vel adversùs illam reclamare non potuit. igitur etiam post quinquennium audiri debebit, saltem si probare velit toto illo tempore se fuisse impeditum, vel ignorantiâ laborâsse. 3. Quia dispositio Trid. negans facultatem reclamandi post quinquennium, fundatur in præsumptione, quòd invalidè professus intra hoc tempus ratificaverit Professionem suam, quæ præsumptio in casu Dubij præsentis cessat. igitur cessat etiam ipsa dispositio.

200 Ego cum Tambur. *tom. 3. D. 6. q. 25. n. 9.* P. Wiestner *hic n. 92.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Person. Eccl. c. 3. n. 257.* teneo sententiam mediam, & distinguo inter impedimenta, ob quæ invalida fuit Professio, an ejusmodi impedimentum sit temporaneum, v. g. metûs, defectûs legitimæ ætatis &c. an verò perpetuum, ut quòd mulier professa sit Religionem in Monasterio virorum. *Si hoc secundum*, reclamantie tiam post quinquennium audientia denegari non debet, cùm sit Professionis emittendæ incapax, & cons. illa neque post quinquennium possit præsumi valida. *Si primum*, iterum distinguendum est, an impedimentum istud adhuc duret, vel intra quinquennium sublatum sit. *Si hoc posterius*, audiri non amplius debet, quando remedio ordinario uti vult; obstat enim reclamare volenti præsumptio ratificationis, quæ cùm sit Juris, & de Jure, nullitatis probationem non admittit. *Si prius*, & post quinquennium adhuc duret impedimentum, quia e. g. superstes est conjux Professi, quam tempore ingressûs, & Professionis credebat mortuam, reclamanti etiam post quinquennium audientia denegari non debet, ne quod in favorem Religionis constitutum est, cedat in ejus vel alterius præjudicium, quod fieret, si laborantem hujusmodi impedimento, & cons. certò non Professum, denegatâ audientiâ, teneretur retinere. Et hoc, non autem plus probant Argumenta Sententiæ secundæ.

Dub. 8. an ejusmodi ignoranti, vel 201
impedito, qui quòd intra quinquennium non reclamaverit, reclamare postea non permittitur, denegetur etiam remedium extraordinarium restitutionis in integrum? *Ratio dubitandi* est 1. quia Præsumptio Trid. est Juris, & de Jure, quæ nullam in contrarium probationem admittit. 2. Quia restitutioni locus non est, quando actus non valet *l. in causa 16. §. & generaliter 3. ff. de minor.* 3. Quia non restituitur, qui læsus non est *l. scio 4. ff. de in integ. restit.* atqui talis non est læsus; quia Statum perfectiorem ingressus est. ergo &c.

Sed dicendum, hoc casu locum esse 202
remedio extraordinario restitutionis in integrum, eóque uti posse eum, qui Professionem quocunque ex capite invalidam emisit, non tantùm, si minor sit, sed etiam, si major, ex clausula generali, *Si qua alia mihi justa causa videbitur*, ut dicitur *l. hujus 1. §. verba 1. fin. ff. ex quibus caus. major.* Ita Navarr. *l. 3. cons. 23. n. 7. h. tit.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 37. n. 22.* Mirand. *Man. Prælat. tom. 1. q. 30. art. 3.* Barbos. *in Trid. c. 19. cit. n. 8.* Fagnan. *in c. perlatum n. 52. de his, quæ vi metúsve causa &c.* Bordon. *de Profess. Relig. c. 22. n. 12. & seqq.* Card. de Luca *disc. 14. de Regular. n. 12.* Wex *p. 5. Ariadn. tr. 3. c. 5. §. 2. n. 49. in fin.* Engl *hic n. 54.* Wiest. *ibid. n. 94.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Person. Eccl. c. 3. n. 258.* & suadet praxis; nam ut *citt.* DD. testantur, hodie illi, qui post quinquennium reclamare volunt, adire solent Congregationem Card. Trid. Interpp. vel eorum, qui Regularium negotijs præpositi sunt, & non rarò restitutionem in integrum obtinent.

Neque contrarium probant Argu 203
menta opposita. *Ad 1.* etiam adversùs præsumptionem Juris, & de Jure, si allegatur, & probetur sufficiens causa, cur citiùs reclamatum non sit, restitutio peti, atque concedi possit, ut teste Oddo *de restit. in integr. p. 2. q. 72. art. 1.* admittunt omnes. *Ad*

2. principium illud verum saltem modo est, quando adversùs actum habetur remedium ordinarium, & extraordinario pinguius, quod in casu nostro non habetur. *Ad 2.* non modica læsio est, aliquem invitum perpetuò obligari ad Statum arduissimum, quem propterea Jura voluerunt non nisi summa libertate amplectendum.

204 Dub. 9. an is, qui invalidè professus est, teneatur ratificare Professionem suam, si impedimentum, ob quod Professio invalida est, in foro externo probare non possit? R. non teneri: procedítque hoc, sive bona fide, & sine culpa, sive mala fide, & culpâ suâ, e. g. ob fictionem invalidè professus sit, ut docet Henriq. *l. 11. de Matr. c. 11. n. 11. litt. V.* Sanch. *de Matr. l. 7. D. 37. n. 38. & 39.* Pellizar. *Man. Prælat. tr. 3. c. 1. n 48.* Pirh. *hic n. 148.* & alij communiter. *Ratio est*, quia Religiosus Status est tam arduus, & tam sublimis Perfectionis, ut requirat consensum omnino liberum, & spontaneum. talis non adesset, siquis cogi posset ad Professionem à se invalidè emissam ratificandam. ergo &c.

205 *Neque obstat*, quòd habuerit voluntatem profitendi saltem exteriùs, & apparenter; quia cùm talis voluntas inefficax fuerit, & nullius effectûs ob defectum consensûs interni, vel aliud impedimentum dirimens, idcirco vi illius in foro conscientiæ obligari non poterit, qui Professionem emisit invalidè, ut illam ratificet. Interim tamen, quia adversùs talem in foro externo stat præsumptio, quòd Professionem emiserit validè, in illo foro cogi poterit ad observanda illa, ad quæ verus Professus obligatur.

206 Quæritur 5. qui sint Effectus Professionis validæ? R. Professionis, quæ in Religione à Sede Apostolica approbata validè emissa est, varij sunt effectus, ex quibus celebriores sunt undecim.

1. Profitentem Religiosum efficit, eúmque obligat ad observationem Votorum Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, ita, ut neque Pontifex facere possit, ut Professus Religiosus maneat, & observare Vota non teneatur *c. cùm ad Monasterium 6. in fin. de Stat. Monach.*

2. Ligat Professum Religioni, & hanc Professo, ita, ut nec sola Professi voluntate, nec solâ Religionis, neque mutuo utriusque consensu dissolvi possit. Suar. *tom. 3. de Relig. l. 6. c. 14 n. 2. & seqq.*

3. Transfert personam Professi in dominium, & potestatem Religionis, & Religionem vicissim obligat, ut illum alat, retineat, atque ut filium tractet. Pal. *tr. 16. D. 2. p. 8. n. 1.*

207 4. Per eam patria potestas in filium Professum solvitur quoad ea, quæ Professio damnosa, & Religioni præjudiciosa sunt; nam quoad ea, quæ utrique utilia sunt, patria potestas manet, ne quod ob gratiam ipsi conceditur, in ejus dispendium detorqueatur *contra regulam 61. in 6.* Pal. *l. cit. n. 2.*

5. Relaxat Irregularitatem ortam ex defectu natalium, ita, ut Professus, licèt procreatus sit ex concubitu utroque Jure damnato, ad SS. Ordines, & Beneficia Ecclesiastica (Prælaturis duntaxat, & Dignitatibus exceptis) sine dispensatione promoveri possit: cæteras Irregularitates non quidem tollit, ad dispensationem tamen super ijs concedendam faciliùs movere solet. Laym. *l. 4. Theol. tr. 5. c. 10. n. 4.*

6. Purgat maculam, seu inhabilitatem ad actus temporales ortam ex crimine v. g. ex perjurio, furto, falso testimonio depósito in Judicio. *Novell. 5. in princ.*

7. Abolet notam ingratitudinis, quæ de Jure sufficisset ad exhæredandum filium, prout ex *Novell. 123.* refert Gratianus *can. fin. caus. 19. q. 3.*

8. Dirimit Matrimonium contrahendum, & contractum, si ratum duntaxat sit, dissolvit etiam quoad vinculum *c. verùm 2. c. ex publico 7.* & *c. ex parte 14. de convers. conjugat.* 208

9. Si conjux in casu licito post Matrimonium consummatum professus Religionem sit, inducit divortium inter ipsum, & conjugem relictam in sæculo, prout colligitur ex *c. veniens 19. h. tit.*

10. Omnia alia Vota, & Juramenta pia ipso Jure extinguit *c. scripturæ 4. de Voto*, nisi facta sint in favorem hominis; nam ista manent, nisi promissarius Juri suo renuntiaverit. Sanch. *l. 5. mor. c. 5. n. 45.*

11. Impertit plenissimam condonationem omnium peccatorum, non quidem quoad culpam; neque enim peccatorum culpas delet, cùm non sit Sacramentum: sed quoad pœnam, si profitens tunc sit in Statu Gratiæ, & pœnæ illius reatus non sit ortus ex multiplicatis enormibus criminibus. Pal. *p. 8. cit. n. 3.*

Dub. 1. an dictos effectus habeant etiam Vota Simplicia Societatis JEsu, post biennium Novitiatûs edi solita? R. affirmativè. Ita Sanch. *l. 5. mor. c. 5. n. 7.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 10. n. 1. & seqq.* Pal. *tr. 16. D. 2. p. 8. à n. 1.* 209

Excipiuntur duntaxat sequentia in quibus modificatio aliqua adhibenda est. 1. Enim non inducunt absolutam insolubilitatem, cùm ex justa causa is, qui hæc emisit, è Societate dimitti possit.

2. Quod ex priori sequitur, vinculum, quo hæc Vota emittens Societati nectitur, ex parte Societatis est conditionatum duntaxat, non absolutum, ut in Professione solenni.

3. Per ea Vota homo in Religionem transfertur non ita absolutè, ut per Professionem, sed ex parte Societatis conditionatè tantùm, *Si societas eum retinuerit.*

4. Ita

210 4. Ista emittens, quamdiu persistit in Societate, à patria potestate non minùs, ac solenniter professus, eximitur, in eandem tamen reincidit, si dimittatur, nisi Sacro aliquo Ordine initiatus sit; quia talis est liberatio à patria potestate, qualis est translatio in potestatem, & dominium Religionis.

5. Similiter per illa Vota antè emissa in sæculo suspenduntur tantùm, dum in Societate ipsa emittens manet; dimissum verò denuo urgent, prout decisum est in *Congreg. Gen. 1. can. 42.*

6. Denique Vota Simplicia Societatis dirimunt quidem Matrimonium contrahendum, non tamen contractum, etsi ratum duntaxat, sed huic ipsa cedunt, prout dicetur *Libr. 4. Tit. 6.* Videatur P. Wiest. *hic n. 112.* & apud ipsum *citt.*

211 Dub. 2. an Professio quoad vinculum dissolvi possit authoritate Summi Pontificis? Negat S. Thom. *2. 2. q. 88. art. 12.* Rationem dat; quia Solennitas Voti consistit in quadam consecratione, & benedictione; non potest autem, quod semel est sanctificatum DEO, in alios usus profanos commutari.

Sed dicendum, Papam ex justa, & legitima causa posse dispensare in Professione Religiosa, vinculum per illam inductum solvendo, ita, ut qui hactenus fuit Religiosus, postea non ampliùs sit, neque ampliùs Votis adstringatur. Ita Suar. *tom 3. l. 6. c. 16. & c. 17. n. 5.* Sanch. *de Matr. l. 8. D. 8. n. 7.* Pirh. *hic n. 144.* König *n. 19.* *Ratio est 1.* quia S. Petro, ejúsque successoribus tradita est à Christo *Matth. 16.* universalissima potestas solvendi: ac proinde quidquid naturâ suâ insolubile non est, vel à Christo prohibitum solvi, hoc Papa potest solvere. atqui Professio neutro modo est insolubilis. ergo &c. 2. Quia Papa ex communi omnium DD. sensu potest dispensare in Votis Simplicibus, ergo etiam in Votis Solennibus; nam solennitas Voti solùm Constitutione Ecclesiæ est introducta *c. un. de Vot. in. 6.* 3. Quia sæpiùs in hoc dispensârunt Summi Pontifices, prout videre est apud Baronium *ad annum Christi 1041.* & Suar. *c. 17. cit. n. 6.*

212 Addidi *ex justa, & legitima causa;* nam sine causa saltem licitè non potest: & ita intelligendum est *c. cùm ad Monasterium 6. in fin. de Stat. Monach.* nam etiam illud non posse dicimur, quod licitè non possumus. Requiritur autem gravissima necessitas, sive causa boni publici, nec sufficit bonum privatum ipsius Professi, v. g. ut vitetur probabilissimum periculum Voti transgrediendi, ut notat Sanch. *l. cit. n. 8.* & ratio est; quia talis dispensatio non potest fieri sine notabili detrimento Statûs Religiosi, cujus boni non debet præferri bonum alicujus privati.

Ad Argumentum oppositum dico illo solùm probari, quòd Papa facere nequeat, ut manens Religiosus Votis substantialibus Religionis non obligetur, quod jam *n. 206. suprà* concessi ultrò. Interim tamen Pontifex dispensatione potest facere, ut Religiosus esse cesset; non enim implicat rem DEO consecratam, consecratione cessante, in usus profanos converti, ut patet in calice consecrato, cujus materia, dissolutâ formâ, quibuscunque usibus adhiberi licitè potest.

213 Dub. 3. an vinculum Professionis Religiosæ dissolvatur per promotionem ad Episcopatum, vel regimen Parochialis Ecclesiæ? De assumpto ad regimen Parochialis Ecclesiæ, vel aliud Beneficium inferius Episcopatu extra Ordinem satis clarum est, quòd ligatus vinculo Professionis suæ maneat; quia iste nec Votis Religiosis, nec jugo Regulæ liberatur, sed observare istam etiam extra Ordinem degens debet in omnibus ijs, quæ cum Pastorali munere, & laboribus possunt consistere, & quidem sub obligatione ad pœnam, imò & culpam, si Regula ita obliget. Sanch. *l. 6. mor. c. 6. n. 36.* Pirh. *hic n. 145.*

De assumpto ad Episcopatum rationem dubitandi facit; quia talis liberatur à jugo Regulæ, utpote jam constitutus in culmine Magisterij.

214 Sed adhuc dicendum, Professionis vinculum etiam per promotionem ad Episcopatum non dissolvi, sed ita assumptum adhuc manere obstrictum omnibus tribus Votis Religiosis. Ita S. Thom. *2. 2. q. 185. art. 8.* Sanch. *l. 6. mor. c. 6. n. 2.* Less. *l. 2. de J. & J. c. 40. n. 113.* Pirh. *hic n. 145.* & plurimi alij apud istos. Patet 1. *de Voto Castitatis;* nam hujus Voto illum obligatum manere est extra dubium. 2. *De Voto Paupertatis;* quia talis Episcopus non fit dominus bonorum, seu redituum Ecclesiasticorum, sed administrator tantùm, cum hoc solùm discrimine, quòd ea, quæ acquirit, jam non ampliùs acquirat Religioni, ut priùs, sed Ecclesiæ suæ Episcopali juxta *can. un. caus. 18. q. 1.* 3. *De Voto Obedientiæ;* nam etsi hanc non ampliùs debeat Superioribus Regularibus, utpote in altiori Dignitatis gradu constitutus, debet tamen illam Summo Pontifici, cui præter Obedientiam generalem, ab omnibus Fidelibus debitam, speciali Obedientiæ Voto adstringitur: imò si renuntiet Dignitati simul, & gradui, tenetur redire ad Monasterium, & iterum obedire, ut priùs.

215 *Ad Rationem dubitandi* negatur paritas; quia subjectio ad Regulam non pertinet ad substantiam Religiosi: deinde ejusmodi Episcopus non eximitur omnino ab observantia Regulæ; nam in ijs, quæ Dignitatem Episcopalem non dedecent, observare eam debet, non quidem ex præcepto Regulæ, sed ex honestate, & morali decentia.

216 Dub. 4. an valida sit Professio, quam emittit Episcopus, facultate Pontificis non obtenta? *Certum est* valere, si tantùm sit electus, & non confirmatus; quia iste propriè nondum est Episcopus, nec adhuc Ecclesiæ, ad quam electus est, Spiritualis conjugij vinculo

culo obligatur: quare sicut sine licentia Papæ renuntiare Episcopatui potest, ita sine illa etiam profiteri Religionem. Suar. *tom. 3. de Relig. l. 6. c. 8. n. 1.* Idem dicendum de Episcopo, qui legitimè renuntiavit Episcopatui; nam in hoc ratio prohibitionis cessat, nempe obligatio alicui Ecclesiæ, quod est impedimentum assumendi Statum Religiosum. Suar. *l. cit.* Pirhing *hìc n. 125.*

217 *Dubium* procedit de Episcopo electo, & confirmato, qui nondum legitimè renuntiavit Episcopatui. Validam esse, etiam sine licentia Papæ factam contendit Suar. *l. cit. n. 7.* Rationem dat 1. quia talis Professio nullo Jure est irritata. 2. Quia Status Religiosus non est incompatibilis cum Episcopali, cùm Religiosus fieri possit Episcopus, & tamen manere Religiosus, ut *n. 214.* dictum est. 3. Quia alij Prælati inferiores, habentes Jurisdictionem Episcopalem, sine licentia Papæ validè profiteri Religionem possunt.

218 Sed probabiliùs hujusmodi Professio, sine licentia Papæ ab Episcopo edita, est invalida. Ita Laym. *in c. 10. de renunt. n. 3.* Pirh. *hìc n. 126.* Schambog. *ibid. n. 50.* *Ratio est*, quia Deus non acceptat Professionem Religionis, si Ecclesia repugnet. repugnat autem, si Episcopus gregem suum, cui se obligavit, deserat, nisi à Summo Pontifice liberationem impetraverit, ut patet ex *c. licèt 18. h. tit. c. nisi 10. de renunt. c. inter 2. de Translat.* ergo &c.

219 Neque urgent admodum Argumenta contraria. *Ad 1.* hoc ipso, quòd Ecclesia tali Professioni resistat, nec Ecclesia, nec Deus illam acceptat; est autem de essentia Professionis valdæ acceptatio, ut dictum est *suprà n. 166.* *Ad 2.* disparitas est; quia Religiosus non habet Ecclesiam Sponsam, sed eam, dum promovetur ad Episcopatum, primùm acquirit; Episcopus autem jam habet sponsam, quam cum Religioso Statu postea suscepto conservare commodè non potest. *Ad 3.* Episcopi sunt desponsati Ecclesiæ suæ, non alij Prælati inferiores, quamvis & hi decentiùs faciant, si licentiam à suo Superiore petant, quando profiteri volunt.

220 Dub. 5. utrum Religionis Professione amittatur Nobilitas? Affirmant nonnulli DD. & Interpp. duplici fundamento nixi. 1. Authoritate Juris *can. præsens 4. caus. 20. q. 2.* & *can. scripsit 26. caus. 27. q. 2.* quorum ultimo Thierberga Regina scripsit, se velle Regia Dignitate per Professionem exui. 2. Ratione; quia per Professionem homo moritur mundo, & omnibus istius pompis renuntiat *can. placuit 8. caus. 16. q. 1.* & *l. Deo nobis 56. C. de Episc. & Cleric.*

Contrà alij negant ex ratione; quia Nobilitas, proveniens ex natalibus, est quoddam jus sanguinis, ac proinde naturale, & incommutabile *l. jus agnationis 34. ff. de Pact.*

221 Tenenda est via media, & distinguendum inter duplicem Nobilitatem, unam sanguinis, alteram Dignitatis. *Prior* Professione Religiosa non amittitur, ut rectè docent Bald. *in c. 49. de Elect.* Tiraquell. *de nobilit. c. 26. à n. 3.* Sanch. *l. 7. mor. c. 12. n. 13.* & alij apud istum, estque hoc teste decisum in Rota, & probat Argumentum secundæ sententiæ.

Posterior Nobilitas, videlicet Dignitatis, puta, ex Ducatu, Comitatu, Præfectura, vel alio honorifico munere militari, vel Politico proveniens per Professionem Religiosam perditur, prout non ægrè concedunt DD. *citt.* & hoc, non autem plus probant Argumenta primæ Sententiæ.

222 Dub. 6. an Religiosus possit præscribere contra Professionem à se emissam, & sic se ab illa eximere? ℟. non posse. Patet ex *c. sicut nobis 17. h. tit.* ubi ratio additur; quia *quòd tanto tempore extra vitam Canonicæ observationis manfit, non in excusationem ejus, vel in majoris transgressionis argumentum meritò valeat allegari*; est enim talis Professus in continua mala fide, cùm sciat, vel scire debeat, quòd obligatus sit servare Vota Religionis substantialia perseveranter usque ad finem vitæ.

223 *Neque obstat*, etsi actus Professioni contrarij facti sint, videntibus, & scientibus Episcopo, & Superioribus Regularibus; quia delictum subditi non excusatur ob patientiam, & tolerantiam Superioris. *Ex quo sequitur*, quòd si ejusmodi Professus moriatur extra Monasterium, istud in bonis ejusdem succedat, eáque sibi vendicare possit, cùm is adhuc Religiosus manserit, & Religiosus, quod acquirit, Monasterio acquirat.

§. VIII.

De Recessu à Religione permisso, & vetito.

SUMMARIUM.

224. 225. 226. *An possit Professus, sive Religiosus ab una Religione transire ad aliam, & quæ conditiones sint observandæ?*

227. 228. 229. *An conditiones istæ solùm requirantur ad honestatem, an verò etiam ad valorem transitûs, & secuturæ istum Professionis?*

230. 231. 232. *An, & quando Religiosus ex Religione strictiore transire possit ad laxiorem?*

233. 234.

233. 234. 235. *Quid circa licentiam transeundi observandum sit tranſire volenti, & Superiori Religionis, à qua tranſit, vel ad quam tranſit?*
236. *Quis Superior licentiam dare poſſit ad tranſeundum ad Religionem ſtrictiorem?*
237. *Vel æquè ſtrictam?*
238. *Aut laxiorem?*
239. 240. 241. *Quænam Jure Canonico interdicta ſint Religioſis, etiam licitè tranſeuntibus ad alias Religiones?*
242. *Ad quod Monaſterium, ſeu Religionem pertineant bona Religioſi licitè tranſeuntis ab una ad aliam Religionem?*
243. *Quid dicendum de ijs bonis, quæ deferuntur eidem, dum adhuc eſt Novitius Religionis, ad quam tranſijt?*
244. *An caſu, quo Abbas Monaſterij ipſemet ad aliam Religionem tranſit, procedi ſtatim ad electionem Succeſſoris in Prælatura poſſit?*
245. *An is, qui Religionem à Sede Apoſtolica approbatam profeſſus eſt, poſſit ab ea ejici?*
246. *Deciditur affirmativa.*
247. *Si ſit incorrigibilis.*
248. *Solvuntur Argumenta oppoſita.*
249. *An Religioſus Profeſſus, ejectus in perpetuum ex Religione, liberetur ab obligationibus Profeſſione contractis?*
250. 251. *Sequelæ inde deductæ.*
252. 253. 254. *An ita ejectus teneatur ad Religionem redire?*
255. 256. 257. 258. *An Religio reſipiſcentem admittere?*
259. 260. 261. 262. *An ita ejectus poſſit ingredi Religionem aliam?*
263. 264. 265. *Cui acquirantur bona comparata ab Ejecto?*
266. 267. *Quinam dicantur Religioſi Fugitivi, & Apoſtatæ?*
268. 269 *Qualis ſit is, qui diſceſſit ab Ordine animo quidem redeundi, ſed poſt tempus diuturnius?*
270 271. *An Jure communi contra fugitivos ſit aliqua pœna impoſita?*
272. 273. *An Prælati Religioſos fugitivos, & Apoſtatas capere, & incarcerare valeant, ſi eosdem extra Territorium ſuum deprehendant?*
274. 275. *Ad quem pertineat dominium rerum, quas Religioſus Apoſtata, aut fugitivus reliquit?*
276. 277. *An Monaſterium ſolvere teneatur debita à Profeſſo ſuo Fugitivo, Ejecto, vel Apoſtata contracta?*

TRibus modis recedi à Religione poteſt à Religioſo Profeſſo. *Primus* eſt voluntarius, & ſi debitè fiat, licitus, per tranſitum ejusdem ad alium Ordinem. *Secundus* neceſſarius, cùm quis ob incorrigibilitatem ejicitur. *Tertius* ſacrilegus, cùm quis è Monaſterio fugit, & per Apoſtaſiam à Religione deſciſcit.

224 Quæritur 1. an poſſit Profeſſus, ſive Religioſus ab una Religione tranſire ad aliam? Videtur non poſſe. 1. ob authoritatem Apoſtoli *1. Cor. 7. v. 20* monentis, ut *unusquisque, in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat.* 2. quia per Profeſſionem Religioſus certo Monaſterio, vel Ordini perpetuò obligatur, & quidem ex contractu utrinque oneroſo.

Sed dicendum, ſi hujusmodi tranſitus habeat conditiones ad ita tranſeundum requiſitas, eum licitum, atque permiſſum eſſe. Sumitur ex *c. licèt 18. h. tit.* & jam olim ſtatutum erat in Concilio Triburienſi, quod refertur *can. Virgines 1. cauſ. 2. q. 4.* Conditiones ad hoc, ut tranſitus iſte rite fieri poſſit, ſunt.

225 1. Ut fiat ad Religionem perfectiorem, ſeu quod idem hoc loco eſt ſtrictiorem *c. licèt cit.* Debet autem major auſteritas Religionis, prout ad propoſitum ſervit, deſumi non tantùm ex inſtitutione primæ Regulæ, ſed etiam Conſtitutionibus, ſive Ordinationibus in tempore adjectis, & vel maximè ex obſervantia earundem præſenti, ut cum alijs notat Sanch. *l. 6. mor. c. 7. n. 23. & 24.*

2. Ut non fiat temere, & leviter v. g. ex ira, odio, contemptu, vel alia inordinata paſſione animi, ſed zelo bono, ſive majoris Perfectionis ſtudio *c. licèt cit.* ibi, *Ne quis & temeritate, vel levitate.*

3. Ut non fiat cum notabili detrimento, vel infamia Religionis, aut Monaſterij, à quo tranſitur *c. licèt cit.* ibi *In jacturam, vel injuriam ſui Ordinis*; quia bonum Religionis commune præferendum eſt utilitati privatæ unius Religioſi tranſeuntis.

4. Ut tranſiturus à Prælato ſuo 226 immediato, vel mediato, prout per Regulas & Ordinis Conſtitutiones præſcribitur, propoſits tranſeundi cauſis, petat licentiam *c. licèt cit. V. quo circa*, ubi ratio additur, ne Religioſus, eâ non petitâ tranſiens, *bonum obedientiæ contemnere videatur.*

5. Ut à Prælato petantur Dimiſſoriæ; nam ſine his ab alterius Ordinis, vel Monaſterij Prælato, aut Superiore admitti nequit, niſi iſte incontinenti probare velit, vel tranſitum, vel litteras hujusmodi ſibi indebitè fuiſſe negatas *can. ſtatuimus 3. cauſ. 19. q. 3.* Sanch. *l. 6. moral. c. 7. n. 39.* Pirh. *hic n. 161.* Wieſt. *n. 123.*

Neque obſtant duo Argumenta in Ratione dubitandi allata; quia hæc ſolùm probant, quòd talis tranſitus non poſſit fieri temere, & licentiâ non petitâ à Prælato Monaſterij, vel Religionis, in qua profeſſus eſt.

Dub. 1. an conditiones iſtæ ſolùm 227 requirantur ad honeſtatem, an verò etiam ad valorem tranſitûs, & ſecuturæ iſtum Profeſſionis?

Certum est 1. invalidam esse Professionem in ejusmodi Religione, si transitus ad illam factus sit contra specialia Religionis privilegia, quæ transitum talem, & Professionem irrittant.

Certum est 2. similiter valore Professionem destitui, quando sine debita licentia transitur à Religione Mendicantium ad Monasticum, præterquam Carthusianorum. Ordinem, prout statutum est *Extrav. viam 1. h. tit.* propter publicum bonum, & conservationem Ordinum Mendicantium, ut *ibidem* dicitur.

Certum est 3. irritam esse Professionem Jure communi, si ejusmodi transitus fiat, non præcedente legitima dispensatione à Religione strictiore ad laxiorem, ut habtur *c. sanè 10. h. tit.* ubi Canonicus Regularis, à quodam Abbate in Monachum receptus, jubetur compelli, ut redeat, si locus, ad quem transijt, non sit majoris Religionis, quàm locus, à quo transijt.

228 Controversia moveri potest de conditionibus reliquis, an ob earum defectum transitus, & Professio in ejusmodi Monasterio sit irrita? Videtur respondendum affirmativè ex *can. mandamus 2. caus. 19. q. 3.* & *c. intelleximus 12. de ætat.* & *qualit.* ubi irritus pronuntiatur transitus Canonici Regularis ad Monachos, cons. à laxiore ad strictioris observantiæ Religionem.

Verùm his textibus nihil probetur, quia Canonicis Regularibus prohibitus fuit transitus ad Statum Monachorum ex ea ratione, quòd tempore, quo conditi erant hi Canones, Monachi vacaverint soli Orationi, & contemplationi, nec initiati fuerint SS. Ordinibus, ne scilicet ad hos transeundo viderentur quasi descendere de Statu Clericorum ad Statum Laicorum quæ ratio nunc, cùm Monachi fiant Clerici, & Sacra Mysteria obeant, cessat.

229 Hinc dicendum, Professionem transeuntis ad Religionem observantiæ strictioris ob solùm licentiæ petitæ, vel alium similem defectum non esse invalidam. Ita Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. c. 10. n. 12.* Sanch. *l. 6. moral. c. 7. n. 94.* Pal. *tr. 16. D. 4. p. 16 §. 4. n. 7.* & plures alij ab his citt. *Ratio est*, quia etsi hujusmodi transitus sit culpabilis quoad modum, quòd tamen irritus sit, nullo Jure probatur: non naturali, & Divino; quia propositum, aut promissum non infringit, qui illud commutat in melius *c. pervenit 3. de Jurejur.* non etiam Ecclesiastico; quia *c. licèt cit.* plus non habetur, quàm quòd sine licentia, aut fine non puro transiens molestari possit, non verò quòd Professio ab eo emissa sitirrita. Accedit, quia neque necessarium erat, ut irritaretur, cùm alijs modis ita transeundi temeritas coërceri possit, videlicet revocando illos, antequam Professionem edant, aut si illam jam ediderunt, pro qualitate culpæ alijs pœnis plectendo.

Dub. 2. an, & quando Religiosus ex 230
Religione strictiore transire possit ad laxiorem? R. Jure communi, & per se loquendo transitus iste nemini permissus est, ut patet ex *c. sanè 10. h. tit.* ubi ita transiens jubetur compelli, ut redeat. Ratio est, quia Religiosus quo ad personam suam est obligatus Monasterio, & Religioni, sicut servus domino suo, uxor viro, filius patri, in cujus est potestate. sicut ergo tales personæ repeti, & vindicari possunt, ita & Religiosus.

Dixi *Jure communi*, & *per se loquendo*; nam tres Exceptiones sunt faciendæ. 1. transiri à strictiore Religione potest ad Religionem, quæ secundùm præsentem observantiam quidem est laxior, secundùm Regulam autem strictior, si probabilis spes sit, quòd brevi sit reformanda, & reducenda ad pristinum rigorem Regulæ. Pirh. *hic n. 159.* alijs *citt.*

2. Concedi transitus à strictiore ad 231
laxiorem Religionem potest à Papa imò etiam à Generalibus, & similibus Prælatis Exemptorum, saltem cum consensu Conventûs sui, & à Prælatis Exemptorum, saltem tum consensu Conventûs sui, & à Prælatis non exemptorum cum consensu Episcopi Diœcesani, si allegetur causa justa infirmitatis, debilitatis, necessitatis parentum, cui consuli in strictiore Religione nequeat. Sanch. *l. 6. moral. c. 7. n. 65.* & *seqq.* Less. *l. 2. de Just. c. 41. n. 104.* Krimer *hic n. 2792.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de person. Eccl. c. 3. n. 241.* sicquein pluribus locis habere praxin docet Pirh. *n. 173.*

3. In Societate JESU Præpositus 232
Generalis ex speciali, & alijs Religionibus incommunicabili privilegio, quod ipsi indulsit Gregorius XIII. *Const.* incipit *Cùm alias editâ 22. Sept. 1582.* licentiam Religiosis, etiam Professis, sibi subjectis potest concedere, ut transire possint ad quemvis alium Mendicantium, vel non Mendicantium Ordinem, cùm antehac nemini ex ijsdem liceret transire ad alium, nisi Carthusiensium Ordinem, idque semel duntaxat sine Præpositi Generalis licentia, prout constat ex *Constitutionibus* Pauli III. incipit *Licèt debitum editâ 15. Calend. Nov. 1549* & S. Pij V. incipit *Æquum reputamus editâ 18. Calend. Febr. 1565.*

Dub. 3. quid circa licentiam tran- 233
seundi observandum sit transire volenti, & Superiori Religionis, à qua transit, & ad quam transit? R. circa hanc Sanch. *l. 6 mor c. 7. à n. 33.* Pirh. *hic n. 161.* & alij sequentia præcipuè annotant. 1. Licentia ista necessariò, & sub gravi obligatione petenda est, ut patet ex *c. licèt 18. h. tit. v. quocirca*, ibi, *Subditus à Prælato cum humilitate, & puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur*: ubi verbum *Debet* necessitatem præcepti importat.

2. Peti licentia ista debet ante transitum, nec sufficit, si petatur post transitum ad

ad Religionem strictiorem ; quia quoties ad aliquem actum requiritur, ut petatur licentia à Superiore, ea necessariò ante actum illum peti debet.

234 3. Non statim, ac petita est licentia, fas est transire ad Religionem strictiorem, sed debito tempore exspectandum est responsum Superioris ; quia hoc generale est in omni eo, qui jubetur consilium, aut licentiam petere, ut expressè habetur *c. cùm in veteri 52. de Elect.*

4. Transire volens, dum licentiam transeundi petit, exprimere causam debet, quæ moveat ipsum ad ita transeundum ; quia non ex qualibet causâ transitus iste permittitur, sed cùm ex majoris Perfectionis ardore proficiscitur.

5. Si causam justam attulerit, Superior, vel Prælatus concedere licentiam sine difficultate debet *c. licèt*, & ℣. *quocirca citt.* ubi etiam additur ratio, *ne propositum Divinitus inspiratum videatur impedire.*

6. Si Superior, vel Prælatus Religioso ad aliam Religionem strictiorem volenti transire licentiam indiscretè, h. e. ex nulla, vel apertè injusta, aut falsa causa deneget, & ipse Religiosus certus sit de receptione in alio Ordine, is transire ad istum nihil ominus potest *c. licèt cit.* ibi, *Liberè potest sanctioris vitæ propositum adimplere ; non obstante proterva indiscreti contradictione Prælati.*

235 7. Si negati transitûs causam non apertè injustam, sed verisimilem, vel dubiam Prælatus alleget, adeundus est Superior, quod fieri potest, etiamsi in tali Religione interdicta sit Appellatio ; quia id Interdictum intelligi debet de solis spectantibus ad correctionem, ut notat Sanch. *c. 7. cit. n. 37.* Superior autem, ad quem hoc casu provocatur, debet esse, non Monasterij, aut Religionis, à qua, vel ad quam paratur transitus, ne in propria causa judicent ; sed is, cujus est de controversijs, inter utrumque Monasterium, vel Religionem ortis, cognoscere, & pronuntiare.

8. Quodsi Superior nullam assignet causam denegati transitûs, subditi est eam petere : post quod si adhuc recuset illam exprimere, etiam Superiore invito transire ad Religionem strictiorem potest, non tamen antè, quàm certus sit de receptione in illo Ordine : quod observandum quandocunque, licentiâ non impetratâ, discedit ur ; aliàs habebitur pro Apostata, cùm sub nullius sit Obedientiâ. Sanch. *l. cit. n. 38.* & apud ipsum *citt.*

236 Dub. 4. quis Superior licentiam dare possit ad transeundum ex una ad aliam Religionem ? R. distinguendo, an Religiosus transire velit ad strictiorem, vel ad æquè strictam, an verò ad laxiorem.

Si primum, ex causa licentiam dare, seclusis specialibus Ordinum Statutis, potest etiam Superior, seu Prælatus Religiosi transitum parantis immediatus : neque opus est, ut de hoc interrogetur Episcopus, vel Conventus ; quia consensus istorum nullo Jure requiritur. Sine causa autem licentiam dare solus Pontifex potest, ut Sanch. *l. 6. mor. c. 7. n. 63.* notat, & rationem dat, quia etsi per talem transitum Votum muteturin majus bonum, est tamen jus acquisitum priori Religioni, quod ipsi sine causa justa tolli non potest. Casu autem, quo Pontifex dat licentiam, causa respectu ipsius sufficiens est ipsa major austeritas Ordinis, ad quem fit transitus. Sanch. *n. 64.*

Si secundum, & transitus paretur ad 237 Religionem æquè strictam, licentiam ad hoc dare potest Episcopus, si Ordo, vel Monasterium, à quo paratur transitus, non sit exemptum ; si verò exemptum sit, & alteri mediato Prælato, Provinciali, vel Generali subsit, licentia dari ab alterutro saltem istorum debet : quod ut rite fiat, tria sunt advertenda. 1. ut fiat illud ex justa causa, e. g. propter infirmitatem, inimicitias &c. nam sine justa causa ne Pontifex quidem licentiam dare ad transeundum potest, ut cum aliis notat Prh. *hic n. 165.* & rationem dat ; quia sine justa causa non potest auferri jus acquisitum priori Religioni. 2. ut quando Episcopus hujusmodi licentiam dat Religioso sibi subjecto, accedat consensus Abbatis, seu Prælati ejusdem Regularis *arg. c. non est 7. h. tit.* ibi *Sine licentia Abbatum suorum.* 3. ut consensum præstet etiam Conventus, seu Capitulum : estque hic necessarius regulariter etiam respectu Exemptorum, ut notat Sanch. *n. 66.* quia hoc casu fit quædam alienatio personæ : unde cùm authoritatem Juris pro se non habeat, sicut pro se habet transitus ad strictiorem Regulam, consensu Conventûs, seu Capituli indigebit, ut aliæ alienationes rerum graviorum.

Si tertium, & agatur de transitu 238 faciendo ex Religione strictiore ad laxiorem cum requisitis modò relatis licentia datur non solùm à Papa, sed probabilius etiam ab alio Superiore Papâ inferiore e. g. Ordinis Provinciali, vel saltem Generali, si Ordo exemptus sit ; vel si exemptus non sit, ab Episcopo post sufficientem causæ cognitionem potest : éstque id verum, etsi Papa facile adiri possit, ut alijs *citt.* advertit Sanch. *c. 7. cit. n. 68.* ex communi DD. dicentium eo casu de consilio solùm esse, ut Pontifex adeatur. *Neque obstat* Trid *sess. 25. c. 19 de Regular.* ubi in fine dicitur, quòd *nemo Regularis, cujuscunque facultatis vigore, transferri* possit *ad Religionem laxiorem* ; nam dicendum, eo Decreto solùm prohiberi, ne hujusmodi licentiæ concedantur absque justa causa ; & prætermissa causæ cognitione, ut olim interdum fiebat, quibusdam Prælatis id suo arbitratu concedentibus. Inspicienda autem quoad hæc omnia sunt privilegia Ordinum singulorum, ut bene notat Schambog. *hic n. 61.*

239 Dub. 5. quænam Jure Canonico interdicta sint Religiosis, etiam licitè transeuntibus ad alias Religiones? ℟. de transeuntibus à Religione aliqua Mendicantium ad aliam non mendicantem *Clem. 1. h. tit.* tria sunt constituta.

1. Redduntur inhabiles ad Prioratus, administrationes, & officia quæcunque, etiam tanquam Vicarij, & locum aliorum tenentes, ut constat ex *Clem. cit.* idque meritò, ne facilè quis ex ambitione, primæva Vocatione deserta, ad aliam Religionem transitum meditetur. *Proceditque hoc*, non tantùm de Officijs intra Religionem, sed etiam extra illam, si hujusmodi Officia per Religiosos non mendicantes exerceri sunt solita; nam textus est generalis, & indistinctè prohibet quæcunque Officia.

240 2. Exercere non possunt Curam animarum per se, vel per alios, aut promoveri ad Beneficia Sæcularia quæcunque, ut iterum habetur *Clem. cit.* & confirmat Trid. *sess. 14. c. 11. de reform.* ubi statuitur, ut sic translati in claustro Ordinis, ad quem translati sunt, sub Obedientia Superioris sui perpetuò maneant, & quamvis fuerint Canonici Regulares, ad Beneficia Sæcularia, etiam curata, omnino incapaces existant. *Procedit que hoc*, quamvis ad strictiorem Ordinem sint translati; quia textus generaliter loquitur de translatis vigore etiam cujuscunque facultatis.

241 3. Vocem nullam, & locum in Capitulo habent: quod intelligendum, quando Capitulum congregatum est ad Electiones, vel alios Tractatus habendos; nam quando Capitulum congregatum duntaxat est ad correctionem, & disciplinam Regularem, etiam ipsi locum in eo habent, cùm æquum non sit à tali Capitulo, quod in bonum Religionis, & Religiosorum ordinatur, Religiosum excludere. Sanch. *n. 123.* Similiter ita Translati etiam non privantur loco sibi debito in Choro, & aliis Conventibus extra Capitulum; quia hæc Constitutio Clementina pœnalis est, cons. de loco in locum extendi non debet. Ob eandem rationem extendi non debent hactenus dicta ad eos, qui transeunt à Religione non mendicantium ad mendicantem, vel ab una mendicante ad aliam mendicantem. Plura de his vide apud Sanch. *l. 6. mor. c. 7. à n. 128.*

242 Dub. 6. ad quod Monasterium, seu Religionem pertineant bona Religiosi licitè transeuntis ab una Religione ad aliam diversam? ℟. distinguendo inter bona, quæ ante transitum Religioso tali delata sunt, & inter ea, quæ eidem deferuntur post transitum *Bona prioris generis* manent penes Monasterium, vel Religionem, à qua transit; nam huic per Professionem in eadem editam quæsita sunt absolutè, & sine transitûs futuri conditione *can. quia ingredientibus 7. caus. 19. q. 3.* & *Auth. ingressi C. de SS. Eccl. Bona generis posterioris*, si hæc obveniant eidem post Professionem editam in Religione, ad quam transijt, spectant ad Monasterium, ad quod transijt, si sit bonorum capax; aliàs debentur Hæredibus, qui ab intestato veniunt, ut facilè concedunt omnes, & ratio probat, quia per Professionem ejusmodi Religiosus absolvitur à priore, & subditur posteriori Monasterio, ad quod transit.

243 *Difficultas est*, ad quem pertineant bona, quæ hujusmodi Religioso transeunti deferuntur, dum adhuc est in Novitiatu Religionis, ad quam transijt? Sanch. *l. 7. mor. c. 32. n. 9.* cum alijs putat ea acquiri Monasterio priori: ex ratione, quia talis Novitius adhuc est, & manet usque ad Professionem Professus Monasterij prioris; bona autem, quæ deferuntur Religioso, obveniunt Monasterio, cujus est Professus. ergo &c.

Sed verius ea bona, quæ Novitiatûs tempore delata sunt tali Religioso, secuta Professione, acquiruntur Monasterio Religionis posterioris. Ita Zabarell. *in Clem. 1. §. quia verò h. tit. q. 12. n. 14.* Donat. *tom. 1. p. 2. tr. 5. q. 54. n. 4.* Wiest. *hic n. 140.* Ratio est 1. quia in tali videtur locum habere tritum illud axioma, *Proximè accingendus pro accincto habetur*, quod sumitur ex *l. filiusfamilias 43. ff. de Testam. milit.* 2. quia sicut Sæcularis factus Novitius magis dicitur esse de Religione, quàm de Sæculo, ita & talis ab alia Religione transgressus magis dicitur esse de Monasterio, ad quod transijt, quàm de illo, à quo transijt. 3. quia qui sentit incommodum, etiam debet sentire commodum. sed secunda Religio nutrit, & alit translatum. ergo etiam ipsi debentur acquisita per illum in tali Statu.

Neque urget Argumentum oppositum; dicendum, quòd ita translatus sit quidem de Religione prioris Conventus, à quo transijt, spectata Professione, non verò quoad alia; nam quoad hæc potiùs est de Religione, ad quam transijt, cujus Habitum portat, & sub cujus Regula vivit. Imò, ut *l. cit. n. 8.* notat Donatus, dici potest, quòd prius Monasterium, ex quo tempore illum licentiavit, cesserit omni futuro Juri quærendo propter ejusmodi Professum à se dimissum.

244 Dub. 7. an casu, quo Monasterij Abbas ipsemet ad strictioris observantiæ Religionem transit, procedi statim valeat ad electionem Successoris in Prælatura. ℟. negativè. Ita Donat. *tom. 1. prax. Reg. p. 2. tr. 5. q. 55. n. 1.* Wiest. *hic n. 132. & seqq.* atque alij ab his *citt.* Ratio est, quia ad Successoris electionem procedi nequit, ante quam Abbatia vacet *c. nulla 2. & seqq. de conces. Præb.* atqui ista non vacat ante editam Professionem in Religione, ad quam transijt; quia si è Novitiatu egrederetur, ad Religionem priorem, & ipsam Abbatiam, juráque pristina redire posset, ut rectè *l. cit.* notat Donatus. *Conf.* quia dimissio Juris, quod

quod quis habet, si facta sit ex causa, causâ non secutâ, firmitatem non obtinet, ut clarum est apud omnes. atqui Prælatus non dimisit Prælaturam absolutè, sed tantùm ex causa, seu sub conditione, si in Religione, ad quam transit, emittat Professionem. ergo &c. *Ex quo sequitur*, hujusmodi Jura, quæ ad aliam Religionem transiens in priore Religione habuit, durante Novitiatu tantùm quiescere, & suspendi, non verò perdi, nisi post emissam Professionem.

245 Quæritur 2. an is, qui Religionem, à Sede Apostolica approbatam, professus est, possit ob culpam ex ea ejici? Negant Abb. *in c. 6. de Stat. Monach. n. 13. in fin.* Host. *in Rubr. de Apostat. num. 4.* Angel. *V. Abbas n. 8.* & alij quidam, juxta quos Religiosus, quantumcunque graviter delinquens, non ejici è Monasterio, sed aliter puniri, & si contumax, & incorrigibilis sit, recludi in carcere debet. *Fundantur 1.* textu *can. impudicas 11. c. siquis sacro 17. &c. caus. 27. q. 1.* ubi impudicæ Moniales jubentur non expelli, sed à cæterarum consortio separari, & ad ergastulum Monasterij detrudi. 2. *c. fin. h. tit.* ubi Religionum Prælati jubentur fugitivos, & ejectos suos ad Monasteria revocare, & si salvâ disciplinâ Regulari ad Fratrum consortium admitti nequeant, in separatis Monasteriorum locis arctâ custodiâ detinere, vel ad alia Monasteria ejusdem Ordinis transferre. 3. *Ratione*; quia per Professionem celebratur quidam quasi Contractus, vi cujus & Religiosus se obstringit ad perpetuò manendum in Religione, & Religio ad eum perpetuò retinendum.

246 Sed verior, & cæterorum ferè omnium assensu celebrata sententia est, quæ cum S. Thom. *quodl. 12. art. ult.* docet, Professum, casu, quo ob contumaciam incorrigibilis, & Religioni intolerabilis apparet, etiam invitum ex Religione expelli posse. Sumitur apertè ex *c. cùm in Ecclesijs 10. de Major. & Obed. c. cùm ad Monasterium*, & *c. fin. de Stat. Monach. c. Relatum 7. Ne Cleric. vel Monach.* quibus, alijsque textibus jubentur Religiosi contumaces, & incorrigibiles de consortio Fratrum expelli, & non recipi, nisi pœnitentes resipuerint. Accedit notissima Religionum praxis, & ipsæ etiam Regulæ, quibus ejectio Religiosi incorrigibilis expressè permittitur, ut patet ex *Regula S. Basilij 28. S. Augustini 20. S. Benedicti 28. S. Francisci 13. & Const. Societ. JESU p. 2. c. 1. §. 1.* Ratio est, quia talis Religiosus est instar putridæ carnis, & ovis scabiosæ. atqui putridæ carnes sunt resecandæ, ne sanas corrumpant, scabiosa ovis à caulis repellenda, ne cæteras inficiat, *can. resecandæ 16. caus. 24. q. 3.* ergo &c.

247 Dixi, *casu, quo incorrigibilis, & Religioni intolerabilis apparet;* non enim sufficit qualecunque delictum etiam grave, semel duntaxat perpetratum, nisi Religionum Statuta, privilegia, aut ratio aliud suadeat, sed requiritur incorrigibilitas, eáque notoria, qualem contrahet Religiosus, quando in eodem crimine, vel similibus æquè gravibus, aut gravioribus sine emendatione perstiterit, & ter monitus se non correxerit, ut cum alijs monet Sanch. *l. 6. mor. c. 9. n. 4.* Imò hodie ad ejectionis effectum incorrigibilis Religiosus non reputatur, nisi ultra ea, quæ ex Juris communis dispositione requiruntur, delinquens unius anni spatio in jejunio, & pœnitentia probetur in carceribus, & elapso anno nihilominus non resipuerit, prout habetur *in Decret. de Regular. Apostat. & Eject. à S. Congr. Cardd. jussu Urbani VIII. edito* apud Barbos. *in c. fin. cit. n. 23.*

Neque obstant Argumenta adversæ 248 Sententiæ. *Ad. 1.* in Monialibus diversa est ratio; nam in his ob fragilitatem Sexûs est majus periculum scandali, ut propterea Sanch. *l. cit. n. 6* putet, ejectionem illarum, inconsulto Romano Pontifice, & ejus Legato non decernendam. *Ad 2.* Constitutio illa defacto non ampliùs observatur: ubi verò observatur, intelligi debet vel de ejectis injustè, ut vult Navarr. *Comment. 2. de. Regular. n. 36.* vel ut Pal. *tr. 16. D. 4. p. 19. n. 2.* monet, de ejectis ad tempus duntaxat. *Ad 3.* Religiosus incorrigibilis fidem Contractûs prior violavit; & hinc nec Religio servare eundem tenebitur.

Dub. 1. an Religiosus Professus, ejectus in perpetuum ex Religione, liberetur ab obligationibus Professione contractis? Ny. à Votis Substantialibus Religionis non liberatur, liberatur tamen à cæteris observantijs Regulæ, ut sunt jejunia, & abstinentia à carnibus, Vigiliæ Ordinis, obligatio ad Horas Canonicas &c. nisi ratione Ordinis Sacri, vel Beneficij Ecclesiastici ad istas teneatur.

Pars prima patet; quia ita ejectus 249 non definit esse Religiosus, cujus indicium manifestum est, quòd is, quando ad Religionem, unde ejectus est, revertitur, absque nova Professione restituatur in statum pristinum, quod non fieret, si cessâsset esse Religiosus. atqui Religiosus manere non potest, nisi pariter ligatus maneat Votis Substantialibus Religionis. ergo &c.

Pars 2. ex eo constat; quia observantiæ illæ non comitantur Statum Religiosum inseparabiliter, ut patet in Religioso assumpto in Episcopum; sed Regularem solummodo, seu eos, qui vivunt sub Regula. atqui ab eo Statu ejectus is est. ergo quamdiu in statu ejectionis manet, ad observantias istas non obligabitur.

Ex quo sequitur 1. ita ejectum rerum 250 quas post ejectionem donatione, Legato, industriâ &c. acquisivit, usum duntaxat, & administrationem habere, non verò dominium obstante Voto Paupertatis.

2. Eundem incapacem esse ad Matrimonium contrahendum; quia Voto Castitatis solenni ligatus manet.

3. Illum præter subjectionem, quam, ut aliæ Personæ Ecclesiasticæ, erga Episcopum habet, Voto Obedientiæ subjectum esse, & manere non tantùm Summo Pontifici, tanquam supremo, & generali omnium Religiosarum Familiarum Prælato, sed etiam ipsi Superiori suo Regulari; quia ab hoc revocari potest, & si revocetur, eidem parere debet, ut dicetur *n. 253.*

251 4. Sic ejectum in perpetuum, si Habitu Religioso per sententiam spoliatus sit, non teneri ampliùs illum deferre; secus, si spoliatus illo non sit: tunc enim deferre illum debet; quia etiam deferre illum Episcopus Regularis debet, etsi ad observantias Regulæ cæteras non adstringatur.

5. Denique eundem etiam non teneri ad observandum quartum Votum annexum Professioni, ut in Religione Minimorum S. Francisci de Paula est Votum solenne vescendi tantùm cibis Quadragesimalibus, in Religione B. Mariæ de Mercede Votum redimendi Captivos &c. *Ratio est*, quia talia Vota emittuntur, ut accessoriè annexa Vitæ Monasticæ. igitur cùm ab ista liberentur, etiam liberabuntur ab obligationibus talium Votorum, cùm accessorium sequi ad principale debeat. Vide Sanch. *l. 6. moral. c. 9. à n. 51.* Pal. *tr. 16. D. 4. p. 21. à n. 1.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 13. à n. 2.* Pirh. *hic n. 196. & seqq.*

252 Dub. 2. an Religiosus, ob crimen ejectus per sententiam in perpetuum, teneatur ad Religionem? Negat Navarr. *cons. 51.* redire *de Regular. & cons. 3. de Stat. Monach.* item *Comment. 2. de Regular. n. 36.* cujus sententiam non obscurè approbat Azor *p. 1. l. 12. c. 16. q. 6.* & suadere istud videtur Argumentum duplex. 1. quia Religiosus æquiparatur Servo. Servus autem ejectus à Domino desinit esse sub potestate Domini. 2. quivis conformare se potest justæ sententiæ Judicis. ergo si per sententiam justam Professus ejectus est à Religione, extra illam manere potest.

253 Sed dicendum, ejusmodi Professum ejectum teneri in conscientia, ut se corrigat, & correctus petat iterum recipi in Ordinem, ac Monasterium suum. Ita Suar. *tom. 4. de Relig. l. 3. c. 5. n. 6.* Sanch. *l. 6. mor. c. 9. n. 25.* Less. *l. 2. de Just. c. 41. n. 111.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 13. n. 6.* Pal. *tr. 16. D. 4. p. 21. n. 1.* Pirh. *hic n. 101.* Schambog. *n. 74.* Imò Religio ejusmodi ejectum cogere Censuris, & alijs Ecclesiasticis pœnis potest ad redeundum, ut patet ex *c. fin. h. tit. in fin.* & probat ratio; quia cùm adhuc maneat ligatus Votis Religiosis, adhuc Jurisdictioni sui Prælati subjacet; aliàs quod in favorem Monasterij introductum est, detorqueretur in detrimentum ejusdem contra *Reg. 16. in 6.* *Conf.* nam Matrimonium Spirituale, quod contrahitur per Professionem Religiosam, æquiparatur carnali, atqui si conjux innocens repetat conjugem, cum quo ob causam adulterij fecit divortium, hic redire ad eundem debet, ergo etiam Professus ad Religionem, si hæc illum repetat.

Neque obstant Argumenta adversæ 254
Sententiæ. *Ad 1.* negatur paritas; nam Dominus Servum suum liberè potest manumittere, ideoque ejectus ab illo absolutè fit liber? Professus autem à Professione Regulari, & Votorum obligatione per ejectionem non absolvitur. *Ad. 2.* sententia ejectionis sicut à Votis ejectum non absolvit, ita neque liberat ab obligatione se corrigendi, & petendi denuo receptionem, quippe quæ accessoria videtur esse obligationi Votorum, utpotè quæ convenienter Professioni suæ extra claustra Monasterij servare non potest.

Dub. 3. an Religo Religosum justè 255
ejectum, si postea resipiscat, plenèque emendatus sit, teneatur recipere? *Ratio dubitandi* est 1. quia interdum Ordo prohibet tales recipi, prout in Regula S. Benedicti 29. prohibetur, ne ij, qui ter fugitivi facti sunt, denuo recipiantur. 2. quia ejectus ob grave, & atrox crimen fit infamis. atqui infamem recipere Religio Jure nequit ex *Constit. Sixti V.* incipit *Cùm de omnibus editâ 6. Calend. Dec. 1587.* 3. quia Matrimonium spirituale æquiparatur carnali, atqui in Matrimonio carnali conjux conjugem, ex causa adulterij à se dimissum, etiam pœnitentem, & emendatum, ad thori consortium non tenetur recipere. ergo &c.

Sed his non obstantibus dicendum, Pro- 256
fessum, etsi à Religione legitimè ejectus sit, si tamen plenè sit emendatus, & recipi petat, ab illa de nuo admittendum, nisi ista justas causas eum non admittendi habeat, quia v. g. ex ejus admissione timetur grave scandalum &c. Ita Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 140. n. 36.* Less. *l. 2. de Just. c. 41. n. 112.* Sanch. *l. 6. mor. c. 9. n. 32.* Barbos. *in c. fin. h. tit. n. 8.* Lauret. de Franch. *Contr. int. Episc. & Regul. p. 1. n. 1017.* & alij ab his *citt.* *Ratio est*, quia Religio, & Religiosus illam professus pari Jure censentur *c. ad Apostolicam 16. h. tit.* igitur sicut Religosus, si repetatur à Religione, ad eam reverti debet, ita, si plenè emendatus petat, ab eadem recipiendus est.

Neque opus est, ut tunc novam Pro- 257
fessionem edat, ut *suprà citt.* notant: & ratio est; quia, ut *n. 249.* dictum est, à priore nondum solutus est. Imò, ut Pirh *hic n. 205.* Wiest, *n. 158.* alijs *citt.* notant, ita rediens restituendus est loco, & dignitati pristinæ, nisi aliud quid gravitas delicti exigat; quia hæc Jura sunt consequentia ad Professionem. ergo sicut ista per ejectionem non extinguitur, ita nec illa.

Neque obstant Argumenta contraria. 258
Ad 1. jam addita est responsioni clausula,

sula, *Nisi justas causas eum non admittendi habeat.* *Ad 2.* præteritæ vitæ infamia satis aboletur per emendationem vitæ, & restitutionem in pristinum gradum. *Ad 3.* negatur paritas; quia dedecus, ex adulterio ortum, manet, etiam emendato delicto.

259 Dub. 4. utrum Professus, ejectus ex sua Religione, liberè possit aliam ingredi? *Ratio dubitandi* sumitur ex privilegio quòd Societati JESU concessit Gregorius XIII. *Constit.* incipit *Cùm alias editâ 22. Sept. 1582.* & cum alijs Ordinibus incommunicabile esse voluit, vi cujus Professus, ex ea ejectus, ex licentia Præpositi Generalis ingredi aliam Religionem potest, atqui hujus privilegij usus non foret, si etiam Professi cæterorum Ordinum Regularium, ex sua Religione ejecti, liberè ingredi Religionem aliam possent. ergo &c.

260 Sed respondendum est distinguendo: Vel enim ejecto, si emendetur, spes reditûs ad propriam Religionem relicta est, vel hæc ex justa causa eidem est omnino præcisa. *Si primum,* sine licentia ad aliam Religionem transire non potest, sed emendare se debet, & se denuo Religioni suæ offerre. Armilla *V. Religio n. 15.* Sanchez *l. 6. mor. c. 9. n. 36.* Wiest. *hic n. 160. Ratio est,* quia talis ejectus Religioni suæ obligatus manet non secus, ac cæteri, qui in Monasterio vivunt. atqui cæteri opus habent licentiâ, si velint transire ad Ordinem laxiorem, vel saltem petere illam debent, si transire cogitent ad strictiorem. ergo &c.

261 *Si secundum* liberè, & nullâ petitâ licentiâ, imò invito Superiore Religionis, á qua ejectus est, transire potest ad Religionem quamcunque, non tamen per se loquendo tenetur, sed potest manere in Sæculo. *Quòd in Sæculo manere possit*, & aliam Religionem intrare non teneatur, docent Azor *p. 1. l. 12. c. 16. q. 7.* Sanch. *c. 9. cit. n. 34.* Less. *l. 2. de Just. c. 41. n. 111.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 13. n. 8.* cum communi, & probat ratio, quia aliam non vovit, sed illam, à qua ejectus est. *Quod vero si velit, transire possit ad Religionem quamcunque*, iterum cum communi advertunt Sanch. *l. cit. n. 36.* Laym. *n. 8. cit.* Pirh. *n. 205.* Wiest. *n. 161.* & constat à pari cum Matrimonio carnali, in quo si conjux innocens reconciliari conjugi ob fornicationem dimisso, & emendato nolit, etiam ipse mutare statum, & ingredi Religionem potest, ut rectè advertit Sanch. *l. 10. de Matrim. D. 10. n. 10.*

262 Addidi *per se loquendo*; excipitur enim, si ea conditione ejectus sit, ut aliam Religionem ingrediatur, vel si in Sæculo versari nequeat sine animæ suæ periculo, aut scandalo aliorum; tunc enim compelli poterit, ut ingrediatur Religionem aliam, quippe quæ obligatio tunc descendit ex Jure naturali.

Ad Argumentum contrarium dico, privilegium illud Societati datum adhuc habere usum; quia Generalis Societatis vi illus à se ejecto dare potest licentiam transeundi ad quemcunque Ordinem, etiam laxiorem, quod non possunt Generales cæterorum Ordinum se solis, sed tantùm cum consensu Capituli. 263

Dub. 5. cui acquirantur bona comparata ab Ejecto? *Ratio dubitandi est;* quia non apparet, cui acquiratur illorum dominium: *non enim acquiritur Ejecto*: quia hic ob Votum Paupertatis Solenne, quo adhuc ligatur, ejusdem acquirendi est incapax. *Non Episcopo loci suæ commorationis;* quia huic Religiosi ejecti non aliter subijciuntur quàm alij Clerici. *Non Romano Pontifici*; quia, quòd huic acquiratur bonorum istorum dominium, nullo Juris textu statutum est. *Non denique Monasterio suæ Professionis*; quia sic ejectus comparatur Servo derelicto à Domino, & infanti exposito à parente, qui Domino, aut parenti non lucrantur *c. un. de infant. & languid. exposit. & l. quod servus 36. ff. de stipulat. Servor.*

Sed dicendum, spectato Jure communi 264 Decretalium, veriùs dominium bonorum, à sic ejecto acquisitorum, acquiri Monasterio, & Religioni, à qua ejectus est, si dominij talis Religio capax sit. Ita Suar. *l. 3. c. 6. n. 19.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 140. n. 33. & 36.* Less. *l. 2. de Just. c. 41. n. 112.* Pirh. *hic. n. 196.* Wiest. *n. 168. & 169. Procedit que hoc*, sive in perpetuum, sive ad tempus duntaxat, sive injustè ejectus sit; nam quocunque modo ejectus sit, manet sub potestate Ordinis, unde ejectus est, qui per hoc, quòd eundem à se ejecerit, non censetur abdicâsse se jure ad bona ab eo acquirenda.

Addidi, *spectato Jure communi Decretalium*; quia ex *Motu proprio Gregorij XIII.* incipit *Officij nostri edito 21. Jan. 1577.* bona, quæ Regularibus ejectis, & Apostatis successione, Legato, donatione, industriâ, aliòve quovis modo acquisita sunt, si isti extra Monasterium decedant, ad Cameram Apostolicam devolvuntur, ut neque Monasterio, neque alteri pio loco, vel causæ valeant adjudicari, ut alijs citt. advertit P. Wiestner *n. 169. cit.* 265

Ad Rationem dubitandi negatur paritas; quia Servus expulsus à domino plenam libertatem consequitur, & infans expositus à patria potestate liberatur; cons. uterque sibi acquirit

Quæritur 3. quinam sint, & dicantur 266 Religiosi fugitivi, & Apostatæ? R. quamvis hæc duo idem videantur significare, diversum tamen aliquid sonant; nam *Fugitivus* propriè dicitur ille, qui ab Ordine, vel Monasterio suo sine licentia Superiorum recedit ad tempus animo vagandi, aut extra Obedientiam vivendi, cum animo tamen redeundi ad Religionem. *Apostata* autem appellatur ille, quiab Ordine recedit animo jugum Religionis omnino excutiendi, & Institutum perpetuò deserendi. Ita Sylv. *V. Apostasia n. 9. in fin.* Azor *p. 1. l. 12. c. 16. q. 1.* Sanch. *l. 6. mor. c. 8. n. 2.* Less. *l. 2. c. 41. n. 109.* Pal. *tr. 16. D. 4. p. 16. n. 2.* & alij ab his *citt.*

Differunt inter se Fugitivus, & Apo-

sta-

ſtata: quia ille animum redeundi habet, non iſte; animus enim non redeundi Apoſtatam à ſimpliciter Fugitivo diſcernit, & quidem ſolus, ut notat Sanch. *c. 8. cit. n. 5.* Pirh. *hic. n. 187.* Wieſt. *n. 145.*

267 *Ex quo ſequitur 1.* eſſe verum Apoſtatam, qui cum tali animo recedit à Religione, etiam retento Habitu, ut alijs *citt.* advertit Sanch. *l. cit.* & rationem dat; quia ſicut Habitus non facit Monachum, ſed Regularis vitæ Profeſſio, ita Apoſtatam reddit receſſus à Profeſſione Monaſtica, etiamſi Habitus non deponatur.

Sequitur 2. è contrario non eſſe Apoſtatam, ſed Fugitivum, qui depoſito Habitu, ad tempus recedit à Religione animo ad illam redeundi. Sanch. Pirh. Wieſt. *l. citt.*

Sequitur 3. ſimiliter non eſſe Apoſtatam propriè, qui Habitum Religionis ſuæ cooperit alia veſte ſuperinducta, ut exteriùs non appareat, ut contra Gloſſ. & alios à ſe *citt.* advertit iterum Sanch. *n. 5.* & à Rota deciſum apud eundem teſtatur Mandoſ. *in Signat. gratiæ V. Licentiæ, ℣. qui licentiâ non obtentâ.*

268 Dub. 1. qualis ſit ille, qui diſceſſit ab Ordine animo quidem redeundi, ſed primùm poſt duos, vel tres annos, vel indeterminatè, donec aliquod diuturnum negotium confecerit Suar. *tom. 4. de Relig. tr 8. l. 3. c. 1. n. 21.* & *c. 2. n. 14.* Tambur. *tom. 3. de Jur. Abbat. D. 8. q. 1. n. 13.* & alij ab hoc *citt.* putant eſſe verè Apoſtatam: quod probant à paritate; quia Chriſtianus, qui recedit à Fide, etiamſi habeat animum redeundi adillam, eſt verus Apoſtata à Fide & Clericus in Sacris, qui dimiſſo Habitu ſæculariter vivit, eſt verus Apoſtata ab Ordine, ſi hic, & ille tanto tempore perſeveret in hoc ſuo delicto, ut meritò cenſeri poſſit, quòd ſtabiliter velit ſic vivere. hoc ipſum præſumi poteſt de Religioſo in caſu præſentis Dubij. ergo &c.

269 Tribuendum huic Argumento eſt aliquid, non tamen totum, & dicendum, talem Religioſum in foro externo quidem habendum pro vero Apoſtata, in foro interno tamen fugitivum duntaxat eſſe. Ita Pal. *tr. 16. D. 4. p. 16. n. 4.* Wex *Ariadn. p. 5. tr. 3. c. 5. §. 3. n. 19. Primum reſponſionis membrum* rectè probat Argumentum ab adverſa parte allatum, & confert *§. pavonum 15. ℣. in ijs autem Inſt. de rer. diviſ. l. deſertorem 3. §. emanſor 2. ff. de re militar. Alterum* ex eo conſtat; quia revera non habuit animum excutiendi jugum Religionis, qui ſolus ferè Apoſtatam conſtituit, ut *n. 266.* dictum eſt', & *l. cit.* frequentiſſimam ſententiam eſſe docet Palao: & hinc, ſi de retento redeundi animo ſufficienter conſtaret in foro externo, etiam in hoc ut verus Apoſtata puniri non poſſet, ut notat P. Wex *l. cit.*

Ad Argumentum contrarium negatur paritas: nam Apoſtaſiam à Fide, & Ordine Clericali conſtituere poteſt receſſus à Fide, & Habitu Clericali factus breviſſimo tempore; non autem Apoſtaſiam à Religione, ut ipſimet fatentur Adverſarij.

Dub. 2. an Jure communi contra Religioſos fugitivos ſit aliqua pœna impoſita? 270
Affirmant nonnulli DD. decepti textu *c. ut periculoſa 2. ne Cleric. vel Monach. in 6. Extrav. viam 1. inter comm. h. tit.* & *Conſt. Pauli IV.* incipit *Poſtquam Divina editâ 13. Calend. Aug. 1558.*

Sed meliùs tenetur negativa, quam etiam defendunt Navarr. *cemment. 2. de Regular. n. 61.* Suar. *tom. 4. de Relig. l. 3. c. 1. n. 10.* Pal. *tr. 16. D. 4. p. 16 n. 8.* Wex *p. 5. tr. 3. c. 5. §. 3. n. 24.* Wieſt. *hic n. 148.* qui proinde notant, quoad hos conſiderandas eſſe Religionum conſuetudines, & Statuta. *Ratio eſt*, quia Jure communi pœnæ nullæ ſtatutæ ſunt, niſi in Apoſtatas. atqui Fugitivi verè Apoſtatæ non ſunt, ut patet ex dictis *à n. 266. ergo* &c.

Neque contrarium oſtenditur ex textibus allegatis, 271
Ad 1. textus *c. ut periculoſa cit.* non loquitur de Fugitivis, ſed de illis, qui in Scholis dimittunt Religionis ſuæ Habitum, vel ad illas accedunt ſine licentia, aut conſilio Superioris. *Ad 2.* Extravagans illa pœnam Excommunicationis ſtatuit ſolùm contra Religioſos Mendicantes, qui ad alium non mendicantium, præterquam Carthuſianorum, Ordinem, absque licentia ſpeciali tranſeunt, vel etiam ſub prætextu quocunque licentiæ, dimiſſo, aut retento Habitu, vagantur extra Ordinem. *Ad 3.* pœnæ illæ in *Conſtitutione Paulina cit.* latiæ afficiunt tantùm Apoſtata, ut patet ex textu, ubi ſæpius vox *Apoſtaſia* repetitur, & confirmatur ex *Conſtit. Pij IV.* incipit *Sedes Apoſtolica editâ 3. Non. Sept. 1560.* & *cit. Conſtitutionis* declaratoria eſt.

Dub. 3. an Prælati Religioſos Fugitivos, & Apoſtatas capere, & incarcerare valeant, ſi eosdem extra Territorium ſuum deprehendant? *Ratio dubitandi* eſt, quia ejusmodi apprehenſio Religioſi fugitivi videtur fieri non poſſe ſine violatione Territorij, & Jurisdictionis alienæ *arg. l. Præſes 3. ff. de offic. Præſid.* ubi Magiſtratus extra Provinciam, & Territorium pro privato habetur. *Conf.* quia id varijs Religionibus, & nominatim Societati JESU conceſſum eſt ſpeciali privilegio. igitur Jure communi iſtud non poterant, nec aliæ Religiones, quæ ſimili privilegio non ſunt inſtructæ, Poſſunt. 272

Sed dicendum poſſe Prælatos omnes 273
cujuscunque Religionis, imò debere hujusmodi Fugitivos, & Apoſtatas compellere ad redeundum, ne vagandi occaſionem habentes, propriæ ſalutis detrimentum incurrant, ut dicitur *c. fin. h. tit.* & cum communi docet Navar. *Comment. 3. de Regular. n. 50.* Sylv. *V. Apoſtaſia q. 6.* Mirand. *Man. Prælat. tom. 1. q. 51. art. 3.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 13. n. 7.* Pal. *tr. 16. D. 4. p. 16. n. 14.* Pirh. *hic n. 189.*

&

& 190. Wiest. n. 149. *Ratio est*, quia Religiosus ratione Voti Obedientiæ personaliter obligatus est Prælato suo Regulari, & habet se ut Servus. atqui Servum fugitivum Dominus, ubicunque illum invenerit, capere, & reducere potest *l. requirendi 2. & l. seq. C. de Serv. fugitiv.*

Ad Rationem dubitandi dico, non esse periculum, ne violetur Territorium alienum; quia hujusmodi captura non fit per modum Jurisdictionis, sed per modum dominij, seu vindicationis, & necessariæ defensionis.

274 Dub. 4 ad quem pertineat dominium rerum, quas Religiosus Apostata, aut fugitivus reliquit? R. cum distinctione: Vel enim Religiosus hujusmodi Fugitivus mutavit Statum, vel non mutavit, *Si hoc secundum*, ex *Motu proprio Gregorij XIII.* ab ipso relicta cedunt Cameræ Apostolicæ; de Jure communi autem Monasterio, è quo discessit, ut *n. 264.* dictum est de Ejectis.

Si Primum, altera distinctio est adhibenda, videlicet, an transierit ad Ecclesiam aliquam Sæcularem, an verò aliam Religionem ingressus sit. *Si ad Ecclesiam Sæcularem transijt*, ea, quæ intuitu hujus Ecclesiæ accepit, hujus dominio cedunt; quæ verò comparata sunt intuitu personæ ejusdem, pertinent ad Monasterium.

275 *Si autem ingressus est Religionem aliam*, opus est distinctione tertia, an legitimè hoc factum sit, an illegitimè. *Si legitimè*, ea, quæ post ingressum acquirit, huic acquirit, cùm etiam teneatur eundem alere. *Si illegitimè*, cùm per ejusmodi transitum privari Monasterium, è quo discessit, Jure suo nequeat, omnia huic obvenient, nisi intuitu Monasterij ad quod transit, delata sint fugitivo. Videatur Azor. *p. 1. l. 12. c. 16. q. 8.* Sanch. *l. 7. mor. c. 33. an. 2.* Tambur. *tom. 3. de Jur. Abb. D. 8. q. 5. n. 1.*

Dub. 5. an Monasterium solvere tenea- 276
tur debita, a Professo suo fugitivo, ejecto, Apostata contracta? *Ratio dubitandi est*, quia, ut ad *Dubium præcedens* respondi, Monasterio acquiritur dominium bonorum, fugæ, Apostasiæ, aut ejectionis tempore ab istis acquisitorum. igitur æquum est, ut illud etiam adstringatur ad solutionem debitorum ab illis contractorum; nam qui sentit commodum, etiam onus sentire debet *Reg. 55. in 6.*

Sed respondendum est distinguendo, an Monasterium bona aliqua à Religioso suo fugæ, Apostasiæ, ejectionis tempore quæsita perceperit, vel nihil ex illis. *Si Primum*, ratio dubitandi, & æquitas naturalis probat, ejusmodi Monasterium etiam teneri ad debita talis sui Religiosi solvenda, ne cum jactura, & damno alieno locupletari videatur *Reg. locupletari 48. in 6.*

Si secundum, ad debitorum solutio- 277
nem verius non obligatur, ut cum communi notat Rodriq. *tom. 1. Regul. q. 33. art. 1.* Tambur. *q. 5. cit. n. 2.* Wiest. *hic n. 172.* & ratio est, quia ejusmodi fugitivo, ejecto, Apostatæ Monasterium etiam non debet alimenta, quippe quæ Religioso tantùm debita sunt ratione servitij Monasterio præstiti, ut teste P. Wiestner *l. cit. n. 170.* communis DD. habet. igitur multo minùs solvere debebit illorum debita.

Neque obstat Ratio dubitandi; quia Monachus in Jure, quod Monasterio jam quæsitum est, eidem obesse non potest, licèt prodesse valeat in acquirendo.

TITULUS XXXII.

De Conversione Conjugatorum.

ACtum hactenus de Regularibus, & transeuntibus ad Religionem generaliter: nunc in specie agendum de ijs, qui post Matrimonium transeunt ad Religionem: quod duplici modo fieri potest. 1. post Matrimonium Ratum solummodo. 2. post Matrimonium consummatum. Sit ergo.

§. I.

De Religionis Ingressu post Matrimonium Ratum.

SUMMARIUM.

1. 2. *Intra quod tempus Sponsus, vel Sponsa de præsenti ante consummationem Matrimonij ingredi Religionem possit?*
3. *A quo tempore parti volenti Religionem ingredi currat bimestre per Jus indultum?*
4. *An bimestre hoc competat etiam conjugi Religionis propositum non habenti?*
5. 6. 7. *An illud solùm detur ad deliberandum de ingressu, an etiam ad profitendum?*
8. 9. 10. *An ad Religionem adhuc transire liceat, si bimestre transactum, nondum tamen Matrimonium est consummatum*
11. *An Religionis ingressus permissus sit Sponsæ de præsenti, si à Sponso carnaliter cognita est per vim?*
12. *Rationes dubitandi.*
13. *Decliditur Quæstio,*
14. *Respondetur ad opposita.*
15. 16. *Quis sit Effectus transitûs in Religionem, & Professionis post Matrimonium ratum emissæ?*
17. *Quando hoc dissolvatur per transitum ad Religionem?*
18. *Requisita, ut effectus hic inducatur.*

1 QUæritur 1, intra quod tempus Sponsus, vel Sponsa de præsenti, ante consummationem Matrimonij ingredi Religionem possit? R.â Jure ipsi conceditur bimestre, ita, ut intra illud Matrimonium consummare non teneatur, aut debitum alteri petenti reddere *c. ex publico 7. h. tit.* Potest tamen hoc tempus arbitrio Judicis vel restringi, vel prorogari, ut monet Gloss. *in c. cit.* V. *infra duorum*, Abb. *ibid. n. 11.* Pirh. *hic n. 52. not. 4.* Wiest. *n. 2.*

2 *Neque obstat*, quòd aliàs communis sit Regula, quòd quando terminus certus à Lege præfigitur, Judex, quia inferior Lege est, tempus longius, vel brevius designare nequeat; quia hoc procedit, quando tempus à Lege designatur sine ministerio, seu operâ Judicis; secus, si hujus operâ mediante, prout sit in casu præsente, ubi *c. cit.* Pontifex mandat Judici, ut ipse parti volenti Religionem ingredi bimestre tempus designet. Sanch. *l. 2. de Matrim. D. 24. n. 12.* qui tamen notat non debere Judicem, ab eo bimestri facilè discedere, cùm Juris terminus sit.

3 Quæritur 2. à quo tempore parti volenti Religionem ingredi currat bimestre hoc tempus? Barbos. *in c. 7. cit n. 9.* Zœs. *hic n. 20.* Wiest. *n. 2.* putant numerandum à die contracti Matrimonij. Verius Gloss. *in c. cit. V. infra duorum*, Fagnan. *ibid. n. 26.* Sanch. *D. 24. cit. n. 21.* Pirh. *hic n. 52. not. 4. docent id* numerandum à die præfixionis termini factæ à Judice Colligitur ex *c. cit.* ubi Papa mandat Episcopo, ut ab uxore, quæ jam antea à viro suo diverterat, recipiat sufficientem cautionem, quòd intra duos menses vel ad Religionem transibit, vel ad virum redibit. *Ratio est*, quia tempus quod datur ministerio hominis, currere incipit à die, quo illed datum est à Judice, ita autem datur bimestre, ut *n. præc.* dictum est, ergo &c.

Utilis est resolutio hæc, prout Sanch. *l. cit.* monet, ad cognoscendum, quando conjuges sibi debitum negantes peccent, & quando si Sponsus Sponsam cogat, Religionem ampliùs ingredi eidem non liceat.

4 Quæritur 3. an bimestre, à Jure indultum, competat etiam conjugi Religionis propositum non habenti, ita, ut intra illud alteri conjugi petenti debitum illud negare possit? Affirmant Gloss. *in can. conjuges 6. V. prima caus. 27. q. 2.* Sylv. *V. debitum conjugale q. 1. cas. 4.* Sanch. *l. 2. de Matrim. D. 24 n. 25.* Pont. *l. 9. de Matrim. c. 9. n. 7.* & plures alij ab his *citt.* Rationem dant; quia tempus hoc favore Religionis à Jure indultum est generaliter: & licèt conjux ejusmodi de præsenti propositum ingrediendi Religionem non habeat, intra bimestre tamen illud acquirere, & propositum suum in melius mutare potest.

5 Sed Juri conformior, & rationi magis consentanea est sententia negativa, quam etiam defendit Angel. *V. debitum n. 14.* Navar. *Man. c. 16. n. 27.* Conink *D. 26. dub. 4. n. 46.* Pal. *tr. 28. D. 3. p. 2. §. 5. n. 7.* Pirh. *hic n. 53.* Wiest. *n. 3.* Colligitur ex *c. ex publico 7. h. tit.* ubi bimestre conceditur mulieri, quòd assereret, se velle ad Religionem transire, *Ratio est*, quia post contractum Matrimonium continuò utrique acquiritur jus ad mutuum usum corporis, qui proinde non rectè negatur, nisi SS. Canones obligationem suspendant, vel aliter inter ipsas partes expresè conventum sit. atqui SS. Canones, ut notavi paulò antè, excipiunt illum duntaxat casum, quo alteruter conjux ingredi Religionem cogitat, ergo &c.

Neque obstat Argumentum adversæ sententiæ; quia quòd ejusmodi conjux propositum in melius commutare possit, Jus non considerat, cùm sit ex non nisi rarissimè contingentibus.

Quæritur 4. an illud bimestre, vel aliud 6
tempus præscriptum à Judice detur conjugi solùm ad deliberandum de Religionis ingressu, an etiam ad profitendum, ita, ut illo elapso statim profiteri debeat? Zœsius *hic n. 21. & 22.* putat datum esse etiam ad profitendum ex ratione; quia textus dicit *c. ex publico cit.* quòd ante consummatum Matrimonium conjux intra bimestre vel ad Religionem transire, vel ad virum suum redire debeat. atqui propriè ad Religionem nemo transire dicitur, nisi qui emittit Professionem. ergo &c. *Conf.* quia nimis grave esset alteri conjugi tanto tempore se continere.

Sed dicendum, bimestre illud ad de- 7
liberandum duntaxat concessum esse, & propterea eum, qui intra hoc tempus ingressus Religionem est, adhuc integrum habere annum, quo probare Religionem possit, antequam teneatur emittere Professionem. Ita Henriq. *l. 12. c. 5. n. 8.* Sanch. *l. 2. de Matrim. D. 24. n. 4.* Fagnan. *in c. 7. h. tit. n. 19. & seqq.* Barbos. *ibid. n. 8.* Pirh. *hic n. 51.* Schambog. *n. 40.* Wiest. *n. 8.* Sumitur ex Trid. quod *sess. 25. c. 15. & 22. de Regular.* statuit, in quacunque Religione tam mendicantium, quàm non mendicantium factam Professionem esse invalidam, si facta illa sit ante annum Probationis completum, neque illum casum excipit. ergo etiam in nostro casu exspectari debebit annuæ Probationis finis, ut Professionem edere teneatur conjux, post Matrimonium ratum Religionem ingressus: imò si ingressus Matrimonium statim post adeptam pubertatem contraxit, exspectari pluribus adhuc annis debebit, usque dum annum 16. ætatis ingressus impleverit; nam ante illam ætatem Tridentinum irritat Professionem

Ad Argumentum Zœsij dico duplicem esse transitum ad Religionem, quorum unus sit per Professionem, alter per assumptionem Habitûs Novitiorum: de hoc secundo intelligendus est textus *c. ex publico cit.* & non de pri-

primo. *Ad Conf.* gravamen illud non obest, quia Religionem ingressus Jure suo utitur, quod alter conjux scivit, vel scire debuit, dum cum altero Matrimonium contraxit.

8 Quæritur 5. utrum, si bimestri transacto, nondum fuit consummatum Matrimonium, liceat adhuc transire ad Religionem, quantumcunque tempus elapsum sit? Videtur non posse; quia transacto eo bimestri, tenetur alter Sponsus alteri debitum reddere; & potest ad id compelli ergo non potest Religionem ingredi, cùm hæc sint incompatibilia. *Conf.* quia lapso termino, Judex Sponsum, renuentem Matrimonium consummare, excommunicare idcirco potest, non autem posset justè excommunicare illum, si adhuc posset Religionem ingredi. ergo &c.

9 Sed dicendum adhuc posse Religionem ingredi, sive deinde causa, quare consummatum non sit Matrimonium, fuerit, quia alter conjux non petijt, sive quia alter, cùm petitum ab ipso fuisset, negavit. Ita Gloss. *in c. 7. h. t. V. intra duorum* Sylv. *V. Votum 5. q. 3. dict. 1.* Sanchez *l. 2. de matrim. D. 24. n. 27.* Pal. *tr. 28. D. 3. p. 2. §. 5. n. 6.* Pirh. *hic n. 54.* & alij ab his *cit.* & colligitur ex *c. ex Publico cit.* ubi mulieri datur facultas ingrediendi Religionem, etsi jam diu antea contraxerit Matrimonium. *Ratio est*, quia etsi post lapsum bimestre debitum negans conjugi peccet, jus tamen ingrediendi Religionem adhuc retinet, utpote quod Christus intuitu Religionis conjugibus, quamdiu Matrimonium nondum est consummatum, sine temporis determinatione concessit.

10 *Ad Rationem dubitandi* dico, in hoc situm discrimen esse inter bimestre à Jure concessum, & inter tempus non consummati Matrimonij post illius bimestris lapsum; nam primo bimestri conjux de Religione cogitans petenti alteri licitè negat debitum, ut dictum est *n. 1.* non item eo transacto, cùm terminus deliberandi jam exspiraverit: unde tenebitur reddere, & ad hoc Censuris Ecclesiasticis compelli potest, nisi statim Religionem ingrediatur. *Ad Conf.* Excommunicatio fertur ob contumaciam, quæ cessat, quando Sponsus, aut sponsa de præsenti ad Religionem transit: unde post transitum absolvi debebit.

11 Quæritur *6.* an Religionis ingressus adhuc permissus sit Sponsæ de præsenti, si à Sponso carnaliter cognita sit per copulam violenter extortam? *Certum est* satis inter DD. hoc non amplius permissum esse eidem, si ita est cognita post bimestre, vel aliud tempus concessum à Judice, & jam transactum; quia tunc Sponsus utitur suo jure; cons. nullam ipsi injuriam infert. Idem dicendum est, si copula est extorta à Sponso intra primum bimestre, si ipsa de ingressu Religionis non cogitavit; quia, ut *n. 5.* dictum est, tum jam tenebatur debitum reddere.

12 *Difficultas* est de Sponsa, quæ de Religionis ingressu cogitabat. Et eo casu non amplius illam posse Religionem ingredi, etsi per vim primo bimestri à Sponso sit cognita, docent Host. *in Summ. hic n. 9. ℣. quid si virgo.* Sylv. *V. Luxuria q. 6. dict. 2.* Covar. *de Matrim. p. 2. c. 7. §. 4. n. 15.* Henriq. *l. 11. c. 8. n. 10.* Zœs. *hic n. 13.* Engl *ibid. n. 9. Rationem dant 1.* quia Sponsa ita cognita jam una caro facta est cum suo sponso, igitur isto invito non amplius transire ad Religionem potest, prout statutum est *c. ad Apostolicam 13. h. tit.* 2. quia per ejusmodi copulam extortam vi non minùs consummatur Matrimonium, quàm per copulam liberè obtentam, ergo non minùs, ac quæ liberè obtenta est, prohibebit Religionis ingressum; nam Jura factum potiùs, quàm voluntatem respiciunt *can. si quis 13. caus. 15. q. 1.* 3. quia defectus oculi, quamvis violenter eruti, inducit Irregularitatem *can. fin. dist. 55.* ergo & consummatio violenter impetrata inducet impedimentum transitûs ad Religionem. 4. quia ex copula vi extorta oriuntur etiam alij effectus Juris, qui Matrimonio consummato sunt proprij; sic enim ex ea nascitur affinitas *arg. c. discretionem 6. de eo, qui cognovit &c.* ita corruptam ducens fit bigamus. *c. debitum 5. de Bigam.* & corrupta inter Virgines amplius velari nequit *can. si quis cit.* igitur orietur ex ea etiam impedimentum, ne sic cognita ad Religionem transire possit. 5. quia si Sponsa ita cognita transire ad Religionem Sponso invito posset, Sponsus talis sine spe conjugij manere deberet usque ad obitum Sponsæ, cùm Matrimonium hujus cum illo per Professionem non dissolvatur. hoc autem videtur nimis durum esse, ergo &c.

Sed dicendum, probabiliùs ita cog- 13
nitam ingredi, vel si jam ingressa est Novitiatum, in ea emittere Professionem, etiam Sponso invito, regulariter, & per se loquendo posse. Ita Gloss. *in can. fin. V. invitus dist. 55. cit.* Abb. *in c. 2. h. tit. n. 9.* Sylv. *V. divortium q. 5.* Felin. *in c. 14. de Probat. n. 4.* Fagnan. *in c. 7. h. tit. n. 36. & seqq.* Sanch. *l. 2. de Matrim. D. 22. n. 6.* Pal. *tr. 28. D. 3. p. 2. §. 1. n. 3.* Pirh. *hic n. 56.* Schambog. *n. 43.* Wiest. *n. 7. Ratio est 1.* quia Sponsus extorquendo copulam Sponsæ gravem injuriam intulit, quippe quæ adhuc debitum negare eidem poterat, igitur ex hac sua culpa commodum sentire non debet, sentiret autem, si Sponsa ab ipso sic cognita eo invito Religionem non posset ingredi. ergo &c. 2. quia Jure suo per injuriam alterius nemo privari debet; privaretur autem Sponsa per vim cognita à Sponso, si is impedire illam porterea ab ingressu Religionis posset. ergo &c. 3. quia propter adulterium, vel lapsum in Hæresim potest uxor virum deserere, & Religionem ingredi, igitur etiam propter violentiam ipsi illatam in extorsione copulæ; non enim minùs hæc est contra jus Matrimonij, quàm illa. Addidi autem *regulariter, & per se loquendo*; per accidens enim

Sponsa etiam per vim cognita impediri ab ing essu Religionis potest, si sc. damnum inde nasceretur proli, quòd illa e. g. commodè sine Matre educari non posset, ut *l. citt.* monent Sanch. *n. 7.* Pirh. *n. 56.* Schambog. *n. 43. in fin.*

14 Neque obstant Argumenta opposita *Ad 1.* casus iste specialiter meretur excipi à Regula communi, ne jus suum aliquis per alterius injuriam perdat. *Ad 2.* multi negant per ejusmodi copulam Matrimonium consummari: sed esto hoc, quod fateor probabilius esse, dicendum, quòd Regula, quâ post Matrimonium consummatum prohibetur Religionis ingressus, intelligenda sit, nisi sit consummatum per vim contra jus Sponsæ. *Ad 3.* Irregularitas eo casu inducitur ob deformitatem, quæ oritur, sive oculus vi, sive sponte sit erutus. *Ad 4.* in casibus *Ant.* Jura factum considerant, & hinc dicta impedimenta etiam per copulam vi extortam inducuntur. at in nostro casu transitus ad Religionem permittitur propter injuriam illatam Sponsæ. *Ad 5.* durum tali casu non debet videri Sponso, si absque spe conjugij manere debeat usque ad obitum Sponsæ; nam spe ista frustratur etiam adulter, cujus uxor in Religione approbata Professionem fecit.

15 Quæritur 7. quis sit effectus transitûs in Religionem, & Professionis post Matrimonium ratum emissæ? R. est dissolutio Matrimonij rati, etiam quoad vinculum: & hinc conjux relictus in sæculo, post Professionem alterius conjugis, liberè transire ad alia Vota poterit, prout clarè decisum est *c. verùm 2. ex parte 14. h. tit.* & novissimè à Trid. *sess. 24. de Sacram. matr. can. 6.*

Neque obstat illud Christi *Matth. 19. v. 9.* ubi negatur viro potestas dimittendi uxorem, nisi *ob causam fornicationis*; quia ut *c. ex publico 7. h. tit.* dicitur textus ille intelligi debet de Matrimonio per copulam carnalem consummato.

16 *Non obstat 2.* quòd per ipsum Matrimonij contractum conjugum utrique quæsitum sit jus in corpus alterius *c. quidem 3. h. tit. in fin.* & hoc jure sibi quæsito invitus nemo privari debeat; quia jus istud conjugi non est quæsitum absolutè, sed sub tacita conditione, *Nisi alter ingrediatur Religionem, & in ea Professionem edat.*

Simile Privilegium non habet susceptio SS. Ordinum, cùm nullo Jure constet hoc ei concessum esse: hinc etsi susceptio Ordinis Sacri conjuge invita valeat, & ea consentiente etiam sit licita, vinculum Matrimonij tamen, etsi ratum hoc solùm fuerit, manet, ut pluribus dicetur *Libr. 4. Tit. 6.*

Quæritur 8. quando dissolvatur Matrimonium ratum per transitum ad Religionem? 17 Putabant aliqui statim dissolvi per ipsum ingressum ob defectum conditionis, sub qua Matrimonium contractum est, *Nisi Religionem ingressus fuero.* Sed omnino cum communi cæterorum dicendum, dissolutionem ejusmodi non fieri ante editam Professionem: unde conjux manens in Sæculo tamdiu exspectare debebit, ut ad alia Vota transire possit.

Porro, ut Professio Religiosa Matrimonij rati dissolvendi vim habeat, quatuor 18 hæc requiruntur. 1. ut emittatur in effectu; non enim sufficit propositum eam emittendi *c. ex parte 14. h. tit.* 2. ut sit solennis Professio, Vota tria substantialia continens; quia Vota simplicia, ut suo loco dicetur, Matrimonium ratumnon dissolvunt. 3. ut emittatur in manibus ejus, qui habet potestatem incorporandi Religioni; nam Professus emittendo Professionem quasi contrahit cum Religione: cons. ex utraque parte consensus requiritur. 4. ut fiat in aliqua Religione, à Sede Apostolica approbata. Perinde autem est, qualis illa sit; nam etiam per Professionem, emissam in Ordinibus Militaribus, Matrimonium ratum dissolvitur, modò ipse Ordo substantialia Religionis habeat, Pirh. *hic n. 48.* & alij apud ipsum.

§. II.

De Ingressu Religionis post Matrimonium consummatum.

SUMMARIUM.

19. 20. *Quibus casibus post Matrimonium consummatum ingredi Religionem liceat?*
21. 22. 23. *Qualis consensus esse debeat, ut alter conjux ingredi Religionem, & profiteri in ea possit?*
25. 26. 27. *An omni vi careat Professio edita à conjuge post Matrimonium consummatum ingresso Religionem, parte altera invitâ?*
27. *Quando revocari possit conjux, sine alterius conjugis consensu Religionem ingressus?*
28. *An revocationi, vel regressui libero adhuc locus sit casu, quo unus conjugum, post Votum Continentiæ ab utroque editum, sine alterius consensu ingressus, & professus Religionem est?*
29. 30. 31. *An eidem repetitioni locus sit etiam casu, quo uterque conjux, licentiâ non obtentâ, ingressus Religionem, & professus in ea est?*
32. *Quid præter consensum conjugis requiratur, ut conjux alter post Matrimonium consummatum possit licitè Religionem ingredi?*
33. *An valida sit Professio, si conjux manens in Sæculo Votum Continentiæ non ediderit?*

34.

34. *Resolvitur affirmativè.*
35. 36. *An, & quo casu maritus, cum uxoris consensu Religionem ingressus, revocari valeat, & compelli, ut ad uxorem redeat?*
37. *An sufficiat, si conjux relictus faciat alterutrum, & vel emittat Votum continentiæ, vel ingrediatur Religionem?*
38. 39. *An si conjux senex cum Voto Continentiæ relictus in sæculo postea incontinenter vivat, cogi possit ad ingrediendam Religionem?*

19 QUæritur 1. quibus casibus post Matrimonium consummatum ingredi Religionem liceat? R. Jure Justinianæo, ut ex *Novell. 123. c. 40.* patet, ingressus Religionis concedebatur sine discrimine, & reservatione, etiam post Matrimonium consummatum, dabaturque alteri conjugi remanenti in Sæculo libertas ad alia Vota transeundi. Sed Jure Canonico (quod solum in hac materia attendendum) declaratum est, per ingressum Religionis vinculum Matrimonij consummati non dissolvi, ingressum autem ipsum non esse licitum, nisi in tribus casibus.

1. Si alter conjux consentiat: quo casu tamen conjux relictus, si juvenis sit, vel suspectus de incontinentia, etiam ipse ingredi Religionem debet *can. Agathosa 21. caus. 27. q. 2. c. præterea 1.* & *c. ad Apostolicam 13. h. tit.* Si verò senex est, & de incontinentia non suspectus, sufficiet, si Votum continentiæ simplex edat, ut ex ijsdem textibus patet. & ulteriùs statuitur *c. cùm sit 4. c. uxoratus 9. c. significavit 18. h. tit.*

20 2. Si alter conjugum commiserit adulterium; tunc enim pars innocens, adultero etiam invito, ingredi Religionem, & profiteri in ea potest *can. Agathosa cit. c. constitutus 15.* & *c. veniens 16. h. tit.* & ratio est, quia eo casu adulter amittit jus petendi debitum, & quidem perpetuò, nisi reconcilietur innocenti. igitur nihil est, quod ipsum ab ingressu Religionis impediat.

3. Si unus sit lapsus in Hæresim, vel Apostasiam à Fide; nam si iste pertinaciter in hoc suo errore post monitionem unam, vel alteram perseveret, innocens ab eo potest divertere, & Religionem ingredi, etiam invita parte rea *c. fin. h. tit.* De posterioribus duobus casibus commodior differendi occasio redibit *Libr. 4. Tit. 19. de Divort.* De primo ulteriùs.

21 Quæritur 2. qualis consensus esse debeat, ut alter conjux ingredi Religionem, & profiteri in ea possit? R. 1. debet esse liber à gravi metu injusto; nam si gravi, & injusto metu extortus est, invalida est Professio *can. notificâsti 2. caus. 33 q. 5.* & *c. accedens 17. h. tit.* Ratio est, quia Jura, sicut voluerunt Matrimonia iniri consensu omnino libero, & spontaneo, ita etiam voluerunt, ut à semel contracto Matrimonio conjux non posset recedere sine consensu conjugis spontaneo, & omnino libero, cùm contrariorum eadem sit ratio, & disciplina *l. de Jure 1. pr. ff. de his, qui sui, vel alien. Jur.*

22 2. Non debet esse gravi, & injusto dolo impetratus Sanch. *l. 7. de Matr. D. 35. n. 9.* & *10.* & colligitur ex *c. veniens 16. h. tit.* Ratio est, quia ejusmodi dolus libertatem consensûs aufert, facitque, ut cessio Juris, ab altero conjuge facta, non sit libera, cons. irrita; si autem hæc irrita est, etiam irrita est Professio, talem consensum non liberum consecuta. ergo &c.

3. Non sufficit consensus merè tacitus, & præsumptus ex eo, quòd conjux manens in Sæculo, & videns alterum conjugem Religionem ingredi, & profiteri, taceat, nec positivè contradicat; nam taliter facta Professio alterius adhuc invalida est, ut rectè advertit Pirh. *hic n. 26.* & ratio est, quia taciturnitas, seu dissimulatio in rebus magni præjudicij non habetur pro consensu. Manebitque hujusmodi Professio invalida etiam post mortem uxoris, nisi is, qui eam emisit, posito novo consensu, illam expressè, vel tacitè ratam habeat, ut cum alijs notat Sanch. *D. 35. cit. n. 7.* Pirh. *hic n. 27.* & constat à paritate cum Matrimonio, quod ubi invalidè contractum est, revalidari non potest, nisi posito novo consensu. 23

Quæritur 3. an omni vi careat Professio edita à conjuge post Matrimonium consummatum ingresso Religionem, parte altera invitâ? R. esse invalidam in vim Professionis, validam autem in vim Voti simplicis continentiæ. Patet *ex c. quidam 3.* & *c. placet 12. h. tit.* Ex quo sequitur, quòd talis Professus revocari à suo conjuge possit, & revocatus teneatur debitum reddere, non tamen possit petere. Abb. *in c. 3. cit. n. 3.* Navarr. *Man. c. 12. n. 6.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 34 n. 2.* & *3.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. n. 4. in fin.* Pal. *tr. 28. D. 3. p. 6. §. 11. n. 2.* Pirh. *hic n. 16.* & *seqq.* Wiest. *n. 20.* & alij ab his *citt.* 24

Ratio prioris partis est; quia jus in corpus suum non ipse, sed conjux habet. igitur invitus, vel ignorans Jure suo spoliari non potest; spoliaretur autem, si revocari non posset, & Professio in vim Professionis valida esset. ergo &c. 25

Ratio posterioris; quia præsumptio Juris est, conjugem profitentem, altero conjuge invito, vel ignorante, voluisse se obligare, quantum potuit, juxta illud, *Si non valet, quod ago, valeat, sicut valere potest.* atqui etsi obligare se non potuerit Professione sua in vim Voti solennis, potuit tamen se obligare in vim Voti simplicis, ita, ut debitum quidem non possit petere, reddere tamen illud teneatur, quippe cùm hoc modò nemini, quàm sibi ipsi præjudicet. ergo &c.

Dixi *Præsumptionem Juris esse*: Hinc 26 si conjux profitendo Religionem noluerit vovere Continentiam, nisi dependenter à valore

Professionis suæ in hac Religione, non obligabitur ex Voto Simplici ad perpetuam Continentiam: idque in foro conscientiæ est certum, & si hoc ipsum probetur, etiam procedet in foro externo; nam adveniente veritate, cessat Præsumptio. Schambog. *hic n. 8.*

27 Quæritur 4. quando revocari possit conjux, sine alterius conjugis consensu Religionem ingressus? R. revocari à conjuge relicto, imò etiam spontè redire ad Sæculum potest, etiam post Professionem jam factam. Patet ex dictis *n. 25.* nam cùm ejusmodi Professio sit invalida, eundem ista in Religione retinere non potest. Neque obstat *c. placet 12. h. tit.* ibi *In ejus potestate non erat*, ubi videtur insinuari non esse ingresso potestatem redeundi ad sæculum, sed relicto tantùm esse jus revocandi; nam ut textum istum Zœs. *hic n. 6.* Schambog. *n. 11.* & alij communiter exponunt, verba illa intelligenda sunt, ut idem sonent, ac non esse in arbitrio redire, vel non redire, ut eligere possit, quid velit; nam si relictus in Sæculo velit, tenetur redire.

28 *Major difficultas est*, an revocationi, vel ingressui libero adhuc locus sit casu, quo unus conjugum, post Votum Continentiæ ab utroque editum, sine alterius consensu ingressus, & professus Religionem est? Negant aliqui ex *c. dudum 20. h. tit.*

Sed retinenda est affirmativa Sententia, quam alijs *citt.* docent Pirh. *hic n. 19.* Wiest. *n. 22.* & colligitur ex *can. quod Deo 4. caus. 33. q. 5.* Ratio est; quia per Votum Continentiæ, mutuo consensu editum, solùm liberatur conjux ab obligatione reddendi debitum, non verò à mutua cohabitatione, & cæteris obsequijs conjugalibus. igitur hoc suo Jure, quod quilibet conjux retinet, ad petendam cohabitationem, & cætera obsequia conjugalia, sine suo consensu, & invita per Religionis ingressum privari non debet: cons. si unus sine alterius consensu ingressus illam est, revocari ab isto potest; imò spontè redire debet, cùm ingrediendo Religionem sine ejus consensu, intulerit ipsi injuriam, & Professio fuerit nulla.

Ad *c. dudum* in contrarium allegatum dico, in casu illius *cap.* conjuges non tantùm voviſſe continentiam, sed etiam cessisse sibi invicem omni jure, quod unus habebat in alterum, cons. etiam Jure ad petenda obsequia coniugalia: & hinc mirum non est, quòd ijsdem permissum fuerit sine alterius consortis sui licentia Religionem ingredi.

29 Quæritur 5. an repetitioni locus sit etiam casu, quo uterque conjux, mutuâ licentiâ non obtentâ, Religionem ingressus, eámque professus est? Negant Innoc. *in c. quidam 3. h. tit. n. 2. fin.* & alij apud Sanch. *l. 7. de Matrim. D. 34. n. 4.* ex ratione, quia tali casu neuter conqueri potest se ab alio spoliatum, sed seipsum proprio facto spoliavit.

Sed meliùs adhibetur distinctio, quâ utuntur Sanch. *l. cit.* Zœs. *hic n. 8.* Pirh. *n. 21. in fin.* Schambog. *n. 12.* Vel enim uterque fuit conscius Professionis alterius, vel uterque inscius. *Si primum* neuter, revocare alterum potest; quia facto ipso censentur sibi mutuam facultatem dedisse.

Si secundum, neutrius Professio tenebit, 30
& uterque è Religione exire, & conjugem suum potest repetere; quia neuter habuit licentiam alterius. Estque hoc verum, etsi unus prior cum injuria conjugis alterius, quippe invitæ, ingressus sit Religionem; per hoc enim non datur licentia conjugi injuriam passæ, ut & ipsa ingredi Religionem possit, ut bene notant Sanch. *n. 23.* Zœs. *n. 10.* Pirh. Schambog. *l. citt.* & ratio est; quia etsi Religionem, non requisita conjuge, ingrediendo deliquerit, hoc tamen delictum tale non est, ob quod licitum sit divortium: hinc regredi adhuc potest ad Sæculum, cons. ad suam uxorem, eámque repetere, cùm Professio ejus ex defectu licentiæ invalida fuerit.

Ad Argumentum contrarium non ob- 31
stat, quòd conjux, non requisito altero conjuge, Religionem ingrediens seipsum spoliaverit; nam etiam seipsum spolians potest restitutionem petere, si rediens non admittitur, quippe qui ex tunc spoliatus censetur.

Quæritur 6. quid præter consensum 32
conjugis requiratur, ut conjux alter post Matrimonium consummatum licitè possit Religionem ingredi? R. duo præterea requiruntur. *Primum*, quod hodie observatur in praxi, est, ut accedat consensus Episcopi. *Secundum*, ut quemadmodum *n. 19.* dictum est, conjux relictus, si juvenis sit, vel suspectus de incontinentia, etiam ipse ingrediatur Religionem; si verò senex, & non suspectus de incontinentia, saltem Votum Continentiæ emittat in Sæculo.

Quòd licentia Episcopi non requiratur 33
ad valorem professionis editæ ab eo, qui ad Religionem transijt, satis convenit inter DD. Neque obstat. *can. si vir. 23. caus. 27. q. 2.* nam ibi licentia Episcopi quidem petitur, non tamen irritatur Professio aliter facta, ut bene notat Sanchez *l. 7. de Matrim. D. 32. n. 3.* De *secundo requisito* major est difficultas. Videtur enim ad valorem requiri ex *c. uxoratus 8. h. tit.* ubi dicitur, quòd conjugatus recipiendus sit nullatenus, nisi uxor consentiat, & post consensum Continentiæ Votum emittat. atqui ex communi doctrina Gloss. *in Clem. un. V. nullatenus de Sequestrat.* dictione *Nullatenus* denotatur actus ipso Jure nullus, ergo &c.

Sed dicendum, Professionem esse, & 34
manere validam, etsi conjux manens in Sæculo Votum Continentiæ non ediderit. Ita Gloss. *in c. ex parte 9. V. de Jure h. tit.* Abb. *ibid. n. 2. 3. & 5.* Sylv. *V. Matrimonium 8. q. 12. dict. 4.* Sanch. *l. 7. de Matrim. D. 33. n. 4.* Pirh. *hic n. 11.* Schambog. *n. 5.* König *n. 8. in*

8. in fin. Wiest. *n. 27.* & sumitur 1. ex *can. Agathosa 21. caus. 27. q. 2.* ubi Professio viri pronuntiatur valida disjunctivè, si uxor in eam præstitit consensum, aut ipsa sui mutationem, sive Religionis ingressum promisit. 2. *ex c. exparte cit.* ubi vir à secunda uxore revocatur ad Monasterium, qui cum consensu primæ uxoris ingressus est, etsi ista Votum Continentiæ post mariti transitum non emiserit, atqui revocari ad Monasterium non potuisset, si Professio ab ipso hoc casu emissa fuisset invalida. ergo &c. 3. *ex ratione*: quia nullo Juris textu ad valorem Professionis emissæ ab uno conjugum reperitur requisitum, ut etiam alter conjux Professionem edat, aut Votum continentiæ emittat, ut adeo locus sit Regulæ *c. ad Apostolicam 16. de Regular.* ibi, *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.*

Ad Rationem dubitandi respondet Sanch. *l. cit. n. 7.* vocem *Nullatenus* non semper denotare, quòd actus sit omnino nullus, præsertim si extet Jus aliud, quo actus ille declaratur esse validus, prout fit in casu dubij præsentis.

Quæritur 7. an maritus, cum uxoris consensu Religionem ingressus, revocari valeat, & compelli, ut ad uxorem redeat? ℟. cum distinctione: vel enim uxor ab ipso relicta Continentiæ Votum edidit, vel illud non edidit.

35 *Si primum*, revocari ê Monasterio maritus post Professionem ab isto editam nequit, ut colligitur ex *c. præterea 1. h. tit.* ubi, ut concedatur revocatio viri Professi, requiritur, ut uxor nec ad Monasterium transierit, nec Continentiam perpetuam voverit. *Ratio est*, quia uxor concedendo viro licentiam, & vovendo perpetuam Continentiam, cessit jure suo Conjugali. Pirh. *hic n. 13.* & alij apud ipsum.

36 *Si secundum*, iterum distinguendum est, an uxor conscia fuerit Juris, disponentis virum non posse profiteri, nisi ipsa etiam ingrediatur Religionem, vel voveat continentiam, an vero hujus Juris ignara consenserit.

Si prius, vir Religionem professus revocari non potest, ut rectè Pirh. *n. 14.* & colligitur *c.* ex *præterea cit.* Ratio est, quia tali casu dando licentiam marito ad ingrediendam Religionem censetur se obligâsse ad id, quod Jus requirit, videlicet, quod etiam ipsa aut Religionem ingredi, aut vovere Continentiam velit, quam obligationem proin implere debet.

Si posterius, revocari adhuc maritus potest, & revocatus debitum quidem tenetur reddere, cùm per ingressum ejusdem nihil Juris uxor ejus amiserit; petere tamen nequit, imò post uxoris mortem ad Monasterium redire debet, cùm per revocationem Professio ejus non sit soluta, sed is redire solum coactus, ut consuleretur periculo incontinentiæ uxoris suæ. Sanch. *l. 7. de Matrim. D. 33. n. 5. & seqq.* ubi plura de hoc Argumento

Quæritur 8. an sufficiat, si conjux re- 37
lictus faciat alterutrum, & vel emittat Votum Continentiæ, vel ingrediatur Religionem? ℟. in conjuge sene, & qui de incontinentia suspectus non est, sufficit, si Votum Continentiæ emittat in Sæculo; non sufficit in eodem, si suspectus sit de incontinentia, neque in juvene etiamsi iste alioquin sit honestæ vitæ, & incontinentiæ periculum absit. Ita Sanch. *l. 7. de matrim D. 32. n. 9. & seqq.* & alij apud ipsum. Colligitur ex *c. præterea 1. c. cùm sit 4. c. uxoratus 8.* & *c. significavit 18. h. tit.*

Dubium est, an si conjux Senex, cum 38
Voto Continentiæ relictus in Sæculo, postea incontinenter vivat, cogi possit ad ingrediendam Religionem? ℟. cum distinctione: vel enim prius jam erat suspectus de incontinentia, vel non erat. *Si primum*, & pars relicta conscia fuit Juris eo casu statuentis ingressum ejus in Religionem, cogi potest ad ingrediendum; quia dando licentiam viro, hoc ipso censetur se obligâsse ad Religionis ingressum, quem tali casu requirit Jus.

Si secundum, ad Religionis ingres- 39
sum per Professionem cogi non potest; quia hoc casu eam nec expressè, nec tacite vovit: potest tamen, ut vult Sanch. *l. cit. n. 12.* compelli ad ingrediendum Monasterium pœnitentiæ causâ, vel potiùs, ut notat Pirh. *hic n. 8.* quia hujusmodi inclusio in Monasterio pœnitentiæ causâ hodiernis moribus ob difficultates, & onera, quæ ex hujusmodi inclusione Monasterijs solebant creari, jam exolevit, ad Episcopum spectabit, ut tali casu mulier in alio loco constituatur, in quo honestè, & continenter vivat *arg. can. de Benedicto 5. caus. 32. q. 1.*

Plura alia, ut etiam, an conjux relictus in Sæculo post mortem conjugis Professi Matrimonium contrahere validè, & ad secunda Vota transire possit, melius expedientur *Libr. 4. Tit. 6.*

TITU-

TITULUS XXXIII.

De Conversione Infidelium.

SUMMARIUM.

1. *Quinam hic nomine Infidelium intelligantur?*
2. *Quid hoc Titulo statutum sit de Matrimonijs conversorum ad Fidem?*
3. *Extensiones doctrinæ.*
4. *Cui conjugum relinquenda sit communis proles, si unus illorum convertatur ad Fidem, alter in Infidelitate permaneat?*
5. *Resolvitur assignandam parenti ad Fidem converso, sive pater ille sit, sive mater.*
6. *Rationes dubitandi solvuntur.*

OCcasione Conversionis, & transitûs Conjugatorum à Sæculo ad Religionem hac Rubrica agitur de Conversione, & transitu Conjugum ab Infidelitate, & Gentilium erroribus ad Fidem Christianam.

1 Quæritur 1. quinam hic nomine *Infidelium* intelligantur? R. nomen *Infidelis* dupliciter sumi potest. Semel *latè*, prout comprehendit quoscunque, qui à Fide Christiana alieni sunt, etiam Hæreticos; & semel *strictè*, prout illos duntaxat complectitur, qui Christianam Fidem nunquam susceperunt, neque Ecclesiam per Baptismum ingressi sunt, quales sunt Judæi, Pagani, Saraceni. Host. *in Summ. hic n. 1.* Valens. *n. 1.* Schambog. *n. 1.* König *n. 3.* Wiest. *n. 1.* In præsenti Titulo sermo est de Infidelibus secundo modo acceptis; nam Hæretici non converti, sed reverti dicuntur ad Fidem Orthodoxam, utpote quam in Baptismo jam susceperunt, ut bene Host. *l. cit.* Duo de his casus hoc Titulo per totidem Capitula resolvuntur: primus Matrimonia illorum concernit, secundus Liberos.

2 Quæritur 2. quid hoc Titulo statutum sit de Matrimonijs conversorum ad Fidem? R. statutum est, ut si vir Infidelis occidat maritum uxoris fidelis, intervenientibus istius, nempe uxoris insidijs, & machinationibus, & post patratam hoc modo cædem ad Fidem Christianam convertatur, Matrimonium cum illa, cujus machinatione cædes facta est, non possit contrahere, sed intercedat inter eosdem impedimentum dirimens. Ita habetur *c. laudabilem 1. h. tit.* & meritò, ut delinquens ita puniatur in eo, in quo deliquit.

3 *Proceditque hoc 1.* licèt adulterium inter eos ante cædem patratam nullum intercessisset; quia textus loquitur absolutè. *Procedit 2.* etsi uxor hoc fecerit, ut vir infidelis, inito cum ipsa Matrimonio, ad Fidem convertatur; quia, ut *c. cit.* dicitur, *tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non vult. Procedit 3.* etiam casu fidelis, quo vir occidit maritum infidelem; nam nec ille hujus uxorem, deinde ad Fidem conversam, potest ducere, si mariti sui cooperata cædi est, ut patet ex *can. siquis 5.* & *can. seq. caus. 31. q. 1.* & exigit sceleris atrocitas, quæ tali casu longè est gravior, si fidelis occidat fidelem, vel etiam infidelem. Plura de hoc casu dicentur *infrà Lib. 4. Tit. 7.*

4 Quæritur 3. cui conjugum relinquenda sit communis proles, si unus illorum convertatur ad Fidem, alter in infidelitate permaneat? *Ratio dubitandi* duplex est. 1. quia alias secundùm Leges Civiles filij sunt in potestate Patris, & curâ ejusdem §. *fin. Inst. de patr. potest.* igitur relinqui eidem debent, etsi iste in infidelitate permaneat. 2. quia, spectato Jure communi, filium triennio minorem alere debet mater, eum verò, qui triennio major est, pater, ut communiter DD. colligitur ex *l. nec filium 9. C. eod.* igitur filij nondum triennes relinquendi sunt matri, patri autem, qui sunt majores.

5 Sed dicendum hoc casu communem prolem assignandam parenti ad fidem converso, sive pater ille sit, sive mater, idque in favorem Religionis, & Fidei Christianæ, ut habetur *c. fin. h. tit.* ne ab infideli parente inducantur in errorem, ut *ibidem* dicitur. *Ex quo sequitur*, ejusmodi prolem, si nondum sit doli capax, volente, & annuente parente Christiano, ablui Baptismo posse, etsi alter infidelis reclamet, ut colligitur ex *c. fin. cit.* & statutum est *can. Judæi 10. caus. 28. q. 1.* Addidi, *si nondum sit doli capax*; nam si doli capax sit proles, relinquenda est libertati suæ, nec cogenda, ut invita Fidem Christianam suscipiat, ut luculenter patet ex *can. de Judæis 5. dist. 45.* & *c. sicut 9. de Judæis.*

6 Neque obstant Argumenta opposita. *Ad 1.* ubi de Fidei bono agitur, patriæ potestatis nulla habetur ratio; nam summa est ratio, quæ pro Religione facit *l. sunt personæ 43. ff. de religios. & sumpt. funer. Ad 2.* ob eandem rationem etiam attendi non debet ætas prolis, doli nondum capacis: imò cùm hoc ipso, quòd unus parentum per conversionem ad Fidem sit factus de foro Ecclesiæ, per consequens de foro ejusdem sint etiam ejusdem filij doli nondum capaces, Ecclesia jus habet compellendi conjugem conversum, ut filios suos nondum capaces doli Baptismo offerat, si iste ex causa, ne infideli conjugi displiceat, Baptismum eorundem differat.

TITU-

TITULUS XXXIV.

De Voto, & Voti Redemptione.

TRactationi de conversione Conjugatorum, & Infidelium meritò subjungitur Titulus *de Voto, & Voti Redemptione*; nam utrique Votum aliquod emittunt, illi Religionis, ad quam, relicto Statu Matrimoniali transeunt; hi verò Fidei, quam abjurata Infidelitate, suscipiunt. Sit ergo.

§. I.

De Voti Natura, & Varietate.

SUMMARIUM.

1. *Definitio Voti.*
2. 3. *Hujus essentialia.*
4. *Ex parte rei promissæ dividitur in commune, & singulare.*
5. *In Reale, & Personale, affirmativum, & Negativum, Reservatum, & non reservatum.*
6. *Ex parte promissionis in Absolutum, & Conditionatum, Pœnale, & non Pœnale.*
7. *Expressum, & Tacitum, Internum, & Externum.*
8. *Solenne, & non solenne.*
9. *Licitum est vovere.*
10. *Omni homini Viatori, ratione utenti, nisi specialiter impediantur.*
11. *Ita impediuntur ex defectu usûs rationis furiosi, amentes, infantes.*
12. *Ex defectu liberæ Voluntatis impuberes.*
13. *Minores, Conjuges.*
14. *Religiosi, Episcopus; singuli tamen cum limitatione.*
15. *Ex dispositione Juris minor 16. annis ab emittendis Votis Religiosis.*
16. *Potest irritare Pontifex etiam alia Vota.*
17. 18. 19. *An valida sint Vota à Religiosis, Filijsfamilias, uxoribus, servis emissa de materia majus bonum non impediente sed sine consensu eorum, à quorum voluntate pendent?*
20. *Qualiter obliget Votum Episcopi de Religione assumenda, & peregrinatione facienda?*
21. *Quid, si addatur conditio, si Pontifex licentiam dederit?*
22. *Quid dicendum circa hoc de alijs clericis?*
23. *An quando vovens petit licentiam a Superiore rem voto promissam implendi, teneatur eidem manifestare suum Votum?*
24. *Resolvitur Negativa.*
25. *Respondetur ad Rationem dubitandi*
26. 27. 28. *An teneat Votum non peccandi?*
29. 30. *Quando censeatur res promissa esse de meliori bono?*

1 QUæritur 1. quid sit *Votum*; R. Votum, prout huc pertinet, est *Promissio de bono meliore liberè DEO facta.* Ita DD. omnes quoad sensum. Ut tale sit, quinque requiruntur.

1. Ut sit promissio, & non tantùm simplex aliquod propositum. Navarr. *Man. c. 12. n. 26.* Azor. *p. 1. l. 11. c. 13. q. 1. & seqq.* Suar. *tom. 2. de Relig. tr. 6. l. 1. de Vot. c. 2. n. 3.* Less. *l. 2. de I. & I. c. 40. n. 21.* Vallens. *hic §. 1. n. 3.* Zoes. *n. 1.* Schambog. *n. 2.* Wiest. *n. 2. Ratio est*, quia ex Voto nascitur obligatio præstandi id, quod vovetur juxta illud *Isaiæ 19. v. 21. Vovebunt Domino, & solvent*, talem obligationem autem non inducit simplex propositum, quamvis absolutum *c. litteraturam 3. h. tit.* ubi, qui ultra vitæ mutandæ propositum non est progressus, à Voti obligatione pronuntiatur immunis. Unde quando *c. consulti 20. de Regular.* Monasterium ingressus cum proposito vitam absolutè mutandi, obligatur ad perseverandum in eodem, intelligi debet de proposito cum intentione se obligandi conjuncto, ut notat ibidem Barbos. *n. 3.* Vall. *hic n. 3.*

2. Ut sit promissio vera, non ficta, 2
seu facta sine animo se obligandi. Ita *l. citt.* Navarr. *n. 27.* Suar. *c. 3. n. 7. & 10.* Less. *n. 6.* Wiest. *n. 4.* Schambog. *n. 3. Ratio est*, quia obligatio Voti oritur ex voluntate ipsius voventis. ergo si iste non habet voluntatem obligandi se, non obligabitur. Aliud est, si habeat animum obligandi se, non tamen implendi Votum; nam Votum hoc verum est Votum, quippe ad cujus substantiam non spectat animus exequendi id, quod est promissum.

3. Ut promissio ista sit liberè, seu cum advertentia rationis, & deliberato consensu voluntatis facta: & hinc Votum illud, in quo error quoad substantiam rei promissæ contigit, vel quod vi absoluta extortum, aut ex præcipiti animi passione emissum est, verè, & propriè Votum non est. Sanch. *l. 4. mor. c. 1. n. 2.* Suar. *l. 1. cit. c. 10. n. 4. & seqq.* Pal. *tr. 15. D. 1. p. 4. n. 4.* Wiest. *hic n. 6.* & alij ab his *citt.*

4. Ut eadem immediatè fiat Deo, & 3
non alicui creaturæ, quantumvis Sanctitate præcellenti: & hinc quando Vota nun-

cupantur Sanctis, coram illis, vel in memoriam eorum Deo nuncupata intelliguntur, eo ferè modo, sicut in memoriam illorum, & honorem excitantur Templa, consecrantur Altaria, & Sacrificia DEO offeruntur. S. Thom. *2. 2. q. 88. art. 5.* Sylvest. *V. Votum 1. n. 3.* Suar. *l. 1. cit. c. 16. annot. 5.* Sanch. *l. 4. c. 1. n. 41.* Pal. *D. 1. cit. p. 7. n. 3.* König. *hic n. 19.* Schambog. *n. 3.* Wiest. *n. 7. Ratio est*, quia Votum est actus Latriæ, seu Religionis, quo principaliter, & immediatè DEUM, tanquam supremam Majestatem, colimus.

5. Denique ut eadem promissio sit de re non solùm possibili, & bona, seu honesta, sed etiam de meliori bono: hinc nulliter vovet, qui vovet, quòd non jejunabit: quia jejunare est melius, quàm non jejunare. S. Thom. *art. 2.* & alij *suprà citt. Ratio est*, quia promissio non obligat, nisi à promissario acceptetur; à DEO autem non acceptatur promissio rei impossibilis, malæ, omnino inutilis, & quâ melius, h. e. perfectius & ipsi gratius opus impeditur, ergo &c. *Ex quo patet*, quænam sit materia Voti; esse enim debet possibilis, honesta, & quidem de meliori bono.

4 Quæritur 2. quotuplex Votum sit? R. Voti partitiones duplicis maximè generis sunt; dividi enim potest vel ex parte rei promissæ, vel ex parte ipsius promissionis.

Dub. 1. quotupliciter dividatur Votum ex parte rei promissæ, R. 1. dividitur Votum in commune, & singulare. *Commune* tunc est, quando materia illius est res ex necessitate præcepti observanda omnibus; *Singulare*, cujus materia est res ad consilium duntaxat pertinens. Hoc alij *Liberum* vocant, quia obligatio eiusdem pro singulorum arbitratu suscipitur; illud contra *Necessarium*, quia etiam sine Voto obligatio est rem Voto tali promissam ponendi. Ad Votum *Necessarium*, seu *Commune* Schambog. *hic n. 4.* & quidam alij revocant promissionem, quæ fit in Baptismo servandi Legem Christianam, & renuntiandi Operibus Satanæ. Sed, ut bene Cajetan. *2. 2. q. 88. art. 2.* Pal. *tr. 15. D. 1. p. 10. n. 4.* & hoc teste ferè omnes advertunt, Baptizatus in Baptismo nullum emittit Votum, sed solùm obligationem Legis Evangelicæ acceptat, illamque servare proponit obligationem acceptando, quam imponit Lex Evangelica; aliàs Christianus transgrediens quodlibet Præceptum duplex peccatum commiteret, unum adversùs Virtutem, cujus est Præceptum: alterum adversùs Votum in Baptismo emissum, quod est contra communem sensum.

5 2. Dividitur in Reale, Personale, & Mixtum. *Reale* est, quo res externa e. g. equus, pecunia, domus &c. *Personale*, quo actio hominis, vel ejus omissio e. g. peregrinatio, abstinentia à carnibus &c. *Mixtum*, quo res simul, & actio e. g. peregrinatio simul cum Oblatione facienda DEO promittitur.

3. In Affirmativum, & Negativum. *Affirmativum* est, quo promittitur res positiva, e. g. Oratio, Eleemosyna. *Negativum* quo promittitur omissio, quale est Votum non nubendi, jejunandi &c.

4. In Perpetuum, & Temporale. *Perpetuum* tunc est, quando obligatio ejus pro tota vita suscipitur. *Temporale*, quod fit pro limitato tempore.

5. In Reservatum, & non reservatum. Reservata sunt tantùm quinque, nempe Votum perpetuæ Castitatis, Votum Religionis, Votum peregrinationis Romam ad Limina Apostolorum, Compostellam ad S. Jacobum, & Hierosolymitana: dequibus quando reservata illa sint, dicetur *infrà n. 108. & seqq.*

Dub. 2. quomodo dividatur Votum ex parte promissionis? 6
R. 1. dividitur in Absolutum, & Conditionatum. *Absolutum* est, quod absolutè, & independenter ab ulla conditione, sive incerto eventu futuro editur. *Conditionatum*, cujus obligatio à conditione certa, & ejus eventu incerto pendet. In primo statim contrahitur obligatio; in secundo ab eventu conditionis suspenditur: & hinc prius Votum censetur proficisci ex affectu erga rem promissam; posterius ex affectu in eventum futurum, per quam conditio impletur. Pal. *tr. 15. D. 1. p. 10. n. 1.*

2. Dividitur in pœnale, & non pœnale. *pœnale* est, quo promittitur pœna solvenda à vovente in casum, quo hoc, vel illud fecerit, aut non fecerit, e.g. *si lusero hanc, vel illam summam dabo in Eleemosynam. Non pœnale*, quando conditio apponitur præcisè ut conditio, ut si dicas: *promitto me ingressurum Religionem, si convaluero, si pater meus consenserit &c.*

3. In Expressum, & Tacitum *Expressum est*, quod verbis, scripturâ, nutibus, DEO aliquid promittentibus Séque obligandi voluntatem declarantibus editur. *Tacitum*, quod susceptione voluntaria alicujus signi, cui ipsum annexum est, emitti censetur; & tale est Votum Continentiæ, quod ex Juris dispositione præsumitur editum in susceptione Ordinis Sacri. 7

4. In *Externum*, & *Internum*, *Publicum*, & *Occultum*, quæ divisiones per se sunt manifestæ, & ideo explicatione non indigent.

5. Denique celeberrima divisione, in 8
Solenne, & *Non solenne*. In quo consistat Voti Solennitas, magna est apud DD. contentio. Communis apud RR. doctrina eam refundit in dispositionem Ecclesiæ, ita acceptantis illud, ut secluſa dispensatione Apostolica, sit perpetuum, & voventem inhabilem, reddat ad actus Voto repugnantes. Tale Votum de facto est duplex duntaxat, videlicet Votum annexum susceptioni Sacri Ordinis, & Professio Religiosa; nam ita ab Ecclesia acceptantur, ut prius quidem ad contrahendum Matrimonium, posterius ad dominium

rerum

rerum temporalium retinendum, vel acquirendum perpetuò inhabilem reddat. Cætera omnia Simplicia duntaxat sunt, quia actus Voto contrarios vel illicitos duntaxat reddunt, vel si invalidos (sicut Vota Simplicia Societatis JESU contractum Matrimonij) inhabilitatem istam non inducunt absolutè, & irrevocabiliter; nam solutis illis, inhabilitas per illa inducta cessat, quod in Solennibus non nisi dispensatione Papali potest.

9 Quæritur 3. an, & cui licitum sit vovere? *Ad 1.* certa est omnium Catholicorum sententia adversùs Hæreticos, licitum esse vovere, dummodo voveatur id, quod est de meliori bono, prout dictum est *n. 3. in fin.* Patet ex pluribus scripturæ textibus, præsertim *Num. 30. v. 3. Deut. 23. v. 21. Eccl. 5. v. 3. & 4.* ubi DEUS Voto factam promissionem non solùm approbat, sed etiam obligationem illud implendi imponit. 2. exemplo irrefragabili; nam hæc fecerunt non solùm viri Sancti in utraque Lege, sed & ipsi Ethnici suis Dijs ea solverunt, tanquam actus Religionis à natura debitos Numini. 3. Ratione naturali ipsa, quæ dictat, quòd sit opus salutare DEUM colere Votis, cadentibus super materiam Voto aptam.

10 *Ad 2.* Regula est certissima, Voto obstringi posse omnem hominem Viatorem, ratione utentem, nisi specialiter impediantur. Ita S. Thom. *2.2.q. 88. art. 8. & 9.* receptus ab omnibus. *Ratio* est manifesta; quia ut Voto suo obstringatur vovens, plus non requiritur, quàm ut promissionem hominis DEUS acceptet. atqui DEUS promissionem de meliori bono ab homine ratione utente, aliunde non impedito, statim acceptat, cùm ipse sit author omnis boni. ergo &c. Dixi *aliunde non impedito.* Porro impedimentum, ob quod Votum aliquando voventem non obstringit, triplex est. 1. defectus usûs rationis. 2. defectus liberæ voluntatis. dispositio Juris Votum irritantis.

11 Dub. 1. quinam ex *primo capite* vovere non possint? ℟. ex primo capite, videlicet ex defectu usûs rationis, vovere prohibentur furiosi, amentes, infantes, sive, quod idem est, pueri usque ad septennium; quia de his præsumitur, quòd ante septennium usum rationis sufficientem non habeant. *Præsumitur*, inquam, scilicet in foro externo; in interno enim, ubi Præsumptio locum non habet, ex statu pueri, aliisque circumstantijs colligere Confessarius debet, an ille sit Voti emittendi capax; capax autem Voti emittendi judicabitur, si tanto rationis usu polleat, ut peccare mortaliter possit, ut cum Navarr. *Man. c. 12. n. 68.* communiter notant DD. & ratio est, quia secundùm axioma Juris commune, qui per peccatum mortale obligare se potest Dæmoni, etiam potest per Votum se obligare DEO.

12 Dub. 2. quinam à Votis emittendis arceantur *ex defectu liberæ voluntatis?* ℟. ex hoc capite arcentur ij, quorum voluntas, aut Voti objectum ab alterius voluntate, ac dispositione pendet. Tales sunt *1. Impuberes* majores septennio; nam horum voluntas à Parentum, & Tutorum suorum voluntate pendet, ita, ut quamvis Votum ab ipsis editum sine illorum consensu validum sit, non tamen firmitatem habeat, sed ab ijsdem irritari directè possit, ut dicetur *infrà n. 76.* Ratio est, quia etsi rationis usum aliquem habeant, adeo tamen imbeciliem habent, ut meritò eorum voluntatem voluntati parentum, ac tutorum subjecerit Lex Ecclesiæ.

13 2. *Minores* Patriæ, & Curatorum potestati subjecti; nam hi etsi absolutè vovere non prohibeantur, & vota abijsdem emissa valerant, irritari tamen possunt & ipsa à Parentibus, & Curatoribus, quatenus Patriæ, vel Curatoris potestati præjudicant, ut iterum *infrà 78.* Ratio iterum est defectus plenæ discretionis; nam etsi hæc in Minore pubere major sit, atque perfectior, non tamen tanta esse præsumitur, ut in dispositione rerum suarum providere commoda, & incommoda omnia possit.

3. *Conjuges*; neuter enim aliquid contra jus conjugis vovere potest: diverso tamen jure maritus, quàm uxor quoad istud censetur; nam maritus quoad cætera, quæ usum Matrimonij non impediunt, liberam voluntatem vovendi habet, non item uxor; quia hæc, cùm caput ejus sit vir, etiam alia quæ in rei domesticæ detrimentum cederent vovere nequit. Vide de hoc *infrà n. 88. & tres seqq.*

14 4. *Religiosi*: sed in his distinguendum est; nam Vota realia Religiosi, Administrationem non habentes, omnino non possunt emittere; quia essent de re aliena, conf. nec grata DEO. At personalia, si nihil contra Regulam, aut Regularem observantiam contineant, possunt emittere, quamvis & illa irritari à Superiore possint. Vide *infrà n. 85.*

5. *Episcopus*; hic enim nulla nec realia, nec personalia Vota sine licentia Papæ potest emittere, quæ Officium Episcopale impediunt, quale esset Votum longæ peregrinationis, ingrediendi Religionem &c. quia vinculum, quo suæ Ecclesiæ alligatur, etiam prætexu Pietatis non potest dissolvere.

15 Dub. 3. quinam *ex dispositione Juris* vovere non possit? ℟. ex dispositione Juris Votum irritantis non potest Professionem, aut Vota Religiosa emittere Novitius, qui annum 16. ætatis, & integrum Probationis nondum explevit; quia sic emissam Professionem Ecclesia non acceptat, & irritam, & omni effectu destitutam vult, ut patet ex *Tit. 31. n. 163. 170. & seqq.*

Præter hunc casum nullus alius invenitur in Jure, in quo Vota emissa de materia honesta, & majoris boni ab Ecclesia irritentur, ut cum communi docet Suar. *l. 3. de Voto c. 3. & 4.* Sanch. *l. 4. mor. c. 24. n. 47. &*

toto c. 25. Pal. *tr. 15. D. 1. p. 19. n. 2. & 3.* Habet tamen Pontifex potestatem etiam plura ex ijs irritandi, si justa causa hoc postulet. Suar. *c. 3. cit. n. 8.* Sanch. *c. 24. cit. n. 44.* Pal. *n. 2. cit.* Ratio est, quia Ecclesia commissam sibi à Christo potestatem generalem habet, ut possit Fidelium suorum Vota vel acceptare absolutè, vel sub certa conditione, ita, ut illâ non positâ, sint invalida.

16 *Proceditque hoc*, non tantùm de Votis externis, & manifestis, sed etiam de internis, & occultis, ut *loc. citt.* advertunt Suar. *n. 11.* Sanch. *n. 40.* Pal. *n. 2. cit.* *Neque obstat*, quòd Ecclesia de actibus internis judicare, aut Jurisdictionem circa illos exercere nequeat; quia hoc intelligitur de Judicio forensi, & obligationem aliquam imponente, non verò de eo, quod bonum animarum respicit, & ab obligatione contracta liberat.

Dixi autem, *Si causa justa hoc postulet* nam hac non interveniente, potestatem istam exercere Ecclesia nullàtenus potest, ut rectè notat Pal. *l. cit.* & ratio est, quia remissio hæc, & irritatio Voti fit nomine DEI, & per potestatem Jurisdictionis ab ipso concessam per verba *Quodcunque solveris &c.* DEUS autem non censetur velle, ut jus sibi acquirendum, vel acquisitum per Votum sibi factum remittatur sine justa causa. ergo &c.

Addidi *Pontifex.*; nam hic solus Legem Vota irritantem statuere potest, non Episcopi, vel alij Prælati. Suar. *n. 12.* Sanch. *n. 47.* Pal. *n. 2. cit. in fin.* Neque conveniens erat, illius statuendæ potestatem ipsis concedi; quia hæc potiùs universale Ecclesiæ regimen, quàm particulare respicit. Ex quo solvitur, quod ulteriùs.

17 Quæritur 4. an valida sint Vota à Religiosis, Filijsfamilias, uxoribus, servis emissa de materia majus bonum non impediente, sed sine consensu eorum, à quorum voluntate pendent? R. cum distinctione: Vel enim ejusmodi Votum est de materia præcepta, vel de materia per Legem positivam prohibita, vel de materia nec præcepta, nec prohibita.

Si Primum, ut si voveres non furari, vel Missam audire diebus festis, Votum de ea materia emissum validum est, etiamsi factum sit sine Superioris consensu; quia subjectio, quam hujusmodi personæ habent ad voluntatem alterius, non impedit ipsis liberum usum suæ voluntatis circa res licitas, & honestas, & juri Superiorum non præjudicantes. Pal. *tr. 15. D. 1. p. 19. n. 4.*

18 *Si secundum*, distinguendum est, an Votum ejusmodi sit de materia absolutè interdicta, an verò solùm prohibitâ quoad modum, nesc. res sub Votum cadens e. g. jejunium fiat absque licentia Superioris. *Si Prius*, invalidum est Votum, quia est de materia incapace Voti; Votum enim non adversatur præcepto. Pal. *n. 6.* *Si posterius*, Votum, subintellecta conditione, *Si Prælatus consenserit*, valet, & obligat ad petendam à Superiore licentiam; quia jejunium cum licentia non prohibetur, sed potiùs consulitur, igitur Votum de eo factum est de meliori bono, adeoque ligat: irrisoria autem foret hæc obligatio, nisi obstringeret simul etiam ad petendam à Superiore licentiam, ergo &c. Pal. *n. 7. & 8.* alijque apud ipsum.

19 *Si tertium*, Vota de hujusmodi materia emissa valida sunt, à quocunque emittantur, ut liquet ex terminis. *Proceditque hoc*, etsi prohibitus sis vovere absque Superioris licentia; nam esto, modus promittendi malus sit, promissio tamen quoad rei promissæ obligationem tenet, & à DEO acceptatur, quia ad hunc effectum sola honestas rei promissæ spectatur. Suar. *l. 3. de Vot. c. 6. n. 25.* Sanch. *l. 4. mor. c. 24. n. 52.* Laym. *l. 4. tr. 4. c. 7. n. 9. V. qui habent.* Pal. *l. cit. n. 15.* *Excipitur* nisi illa prohibitio simul esset irritatio: quod tamen universaliter præsumendum non est, partim quia non omnes Superiores potestatem Vota irritandi habent, partim quia etiam, qui illam habent, non statim volunt esse irritum Votum, quando prohibent.

20 Dub. 1. qualiter obliget Votum Episcopi de Religione assumenda, & peregrinatione facienda? R. *ad 1.* ut Votum de Religione assumenda ab Episcopo conceptum valeat, fieri debet sub conditione licentiæ à Pont. impetrandæ; quia absque illa Episcopatui renuntiare non potest *c. nisi 10. de renunt. c. licèt 18. pe Regular.* ob spirituale conjugium inter Episcopum, & ejus Ecclesiam *c. inter corporalia 2. de Translat. Episc.*

Ad 2. distinguendum est; nam si talis est peregrinatio, quæ in muneris Episcopalis præjudicium non cedit, eò, quòd mandari executioni possit tempore, quo Episcopis permittitur abesse à suis Ecclesijs, Votum ejusdem ab Episcopo factum est validum, nulla subintellecta conditione, ut omnes facilè concedent. At si peregrinatio sit ita diuturna futura, ut residentiam Jure Divino præscriptam impediat, invalidum est, saltem si sit absolutè emissum, quod iterum apud omnes certum est,

21 *Difficultas est*, an valeat emissum ab Episcopo sub conditione, *Si Pontifex licentiam dederit*? Affirmat Suar. *l. 3. c. 4. n. 4.* Sanch. *l. 4. mor. c. 25. n. 39.* & videtur colligi ex *c. magnæ 7. h. tit.* ubi Votum Hierosolymitanæ peregrinationis ab Episcopo factum commutatur; *conf.* validum fuisse supponitur. *Conf.* quia peregrinatio non est prohibita Episcopo, sed solùm prohibetur ipsi, ne eam suscipiat sine licentia.

Sed veriùs tale Votum, etiam sub conditione licentiæ impetrandæ factum, invalidum est. Ita Sylv. *V. Votum 3. q. 1.* Azor. *p. 1. l. 11. c. 16. q. 2.* Sayr. *Clav. Reg. l. 6. c. 5. n. 24.* Pal *tr. 15. D. 1. p. 19. n. 12.* Ratio est

est, quia est de re impeditiva majoris boni; nam majus bonum Ecclesiæ est Episcopum residere in sua Ecclesia, & pascendis ovibus suis invigilare, quàm longis peregrinationibus incumbere.

Neque obstat *c. magnæ cit.* nam Votum, de quo ibi sermo est, fuit validum, vel quia tum temporis generalis licentia Episcopis data fuit à Pontifice, vel quia factum fuit pro subsidio impetrando in Ecclesiæ propriæ defensionem: de quo vide lectionem integram *c. cit. Ad Conf.* esto, peregrinatio non sit prohibita in se, est tamen prohibita non residentia, & Episcopus vovens peregrinationem absolutè vovet non residere, quando aliàs tenetur: quod fieri non potest, nisi posita dispensatione.

22 Dub. 2. quid dicendum de alijs Clericis? R. hi 1. possunt emittere Votum Religionis absolutè, illúdque exequi inconsulto Episcopo, ut ex communi sententia docet Pal. *tr. 15. D. 1. p. 19. n. 14. Procedit* que hoc probabiliùs etiam de Parochis; quia ut idem Pal. *n. 13.* rectè advertit, nullus extat in Jure textus, ex quo obligatio petendi licentiam ab Episcopo colligatur, & *c. admonet 4. de renunt.* ubi dimissio Ecclesiarum, inconsulto Episcopo, prohibetur, intelligendum est extra casum Religionis à Jure concessum, ut patet ex ijs, quæ dicuntur *suprà Tit. 31. n. 33.*

Quoad Votum Peregrinationis distinguendum est inter Clericos, qui Beneficium residentiam exigens habent, & inter eos, qui vel nullum Beneficium habent, vel non habent residentiam exigens. *Priores*, præsertim si Parochi, vel Curati sint, ad suscipiendam peregrinationem, præcipuè si longior illa sit, indigent licentiâ Episcopi; non autem *posteriores*, & ratio est; quia in illis peregrinatio longior in muneris obligatorij præjudicium cedit; non verò in istis.

23 Dub. 3. an vovens, quando licentiam petit à Superiore rem Voto promissam implendi, teneatur eidem manifestare suum Votum? Affirmant Azor *p. 1. l. 11. c. 16. q. 6.* Sayr. *Clav. Reg. l. 6. c. 5. n. 20.* Valent. *D. 6. q. 6. p. 6. q. 2.* Less. *l. 2. c. 40. dub. 13. n. 73.* & alij relati à Sanch. *l. 4. mor. c. 25. n. 28. Moventur*; quia hæc Voti manifestatio conducit regulariter loquendo, ut faciliùs licentia obtineatur, & casu, quo neganda est, prudentiùs negetur. igitur vovens tenetur manifestare Votum suum; quia tenetur licentiam eo modo petere, quo credit obtinendam esse, vel prudenter negandam, ne convincatur, quòd animum, & verum propositum exequendi non habeat.

24 Sed probabilior videtur esse negativa sententia, nisi vovens ad manifestandum Votum expresè se obligâsset. Ita Cajetan. *2. 2. q. 88. art. 8. dub. 2. §. ad hoc dicitur*, Navarr. *Man. c. 12. n. 69.* Suar. *tom. 2. de Relig. l. 3. de Vot. c. 6. n. 15.* Sanch. *l. cit. n. 29.* Laym. *l. 4. tr. 4. c. 7. n. 7.* Pal. *tr. 15. D. 1. p. 19. n. 9.* & apud hos alij. *Ratio est*, quia vovens ad id solum obligare censetur, quod est necessarium, & communiter sufficiens medium ad licentiam impetrandam; sunt enim Vota strictæ interpretationis, cons. virtualis intentio voventis ad extraordinaria, & communiter non necessaria media extendi non debet, atqui communiter, & per se loquendo ad impetrandam boni operis licentiam sufficit voluntatem, & desiderium ejusdem explicare Superiori, neque necessarium est manifestare se Voto id promisisse. ergo &c.

Ad Rationem in contrarium allatam in- 25
certum est, an ex manifestatione Voti faciliùs sit concedenda licentia; fortè enim concederetur difficiliùs, quia ægrè ferunt Superiores, hæc Vota se inconsultis emitti. Deinde esto, faciliùs sit obtinenda licentia, si Votum manifestetur, non tamen sequitur ventem obligari ad manifestationem; quia tantùm se obligavit ad ponenda media necessaria, & communiter sufficientia, ut *n. præc.* dictum est.

Quæritur 5. an teneat Votum non pec- 26
candi? R. distinguendo: Vel enim vovens se voluit obligare Voto suo tantùm ad vitanda peccata mortalia, vel etiam ad venialia, & si hoc, an ad vitanda omnia, an solùm ad vitandum certum genus Peccatorum venialium.

Si primum, Votum ejusmodi validum est, utpote conceptum de re per vires gratiæ, quam omnes, eâ uti volentes, paratam habent, possibili. Navarr. *summ. c. 12. n. 65.* Azor *p. 1. l. 11. c. 14. q. 4.* Suar. *tom. 2. de Relig. l. 2. de Vot. c. 3. n. 2.* Less. *l. 2. de Just. c. 40. n. 33.* Sanch. *l. 4. mor. c. 5. n. 16.* Pal. *tr. 15. D. 1. p. 8. §. 1. n. 4.* qui tamen addit Votum hoc consulendum non esse, præsertim homini fragili, & aliàs similibus peccatis dedito, ob transgressionis periculum.

Si secundum, & vovens obligare se 27
voluit ad non peccandum nec mortaliter, nec venialiter, tale Votum quoad collectionem omnium peccatorum invalidum est; quia moraliter, & spectato communi rerum cursu, & auxilijs à DEO concessis, impossibile est vitare omnia omnino peccata, etiam venialia minima. Ita *l. citt.* Azor *q. 4.* Suar. *n. 5.* Less. *n. 31.* Sanch. *n. 10.* Pal. *n. 5.*

Si tertium, & vovens se obligare voluit solùm ad vitandum certum aliquod genus peccatorum venialium, Votum hoc regulariter validum, sed nequaquam consulendum est ob periculum; quia, spectato communi ordine Gratiæ, potest quis unum, vel alterum genus peccatorum venialium evitare, præcipuè si sint peccata ex plena advertentia, & deliberatione. Suar. *n. 4.* Sanch. *n. 18.* Pal. *n. 11.* cum *citt.*

Addidi *regulariter*; sunt enim aliqua 28
peccata venialia, quæ attenta fragilitate humana,

mana, longo tempore vitari moraliter nequeunt, qualia sunt distractiones sub Oratione, verba otiosa &c. & ea de causa, si per se sumantur, materia Voti esse non possunt, quamvis possint in consequentiam, & quatenus comprehenduntur in materia absolutè promissa. Suar. *c. 3. cit. n. 11. & 12.* quem citat, & sequitur Pal. *dict. n. 11.*

29 Quæritur *6.* quando censeatur res promissa esse de meliori bono? ℟. tunc, quando est de re magis grata DEO, quàm sit rei, vel operis eo promissi oppositum. In exemplum passim datur Matrimonium; nam hujus promissio DEO facta ex communi sententia per se loquendo non valet, quia excludit Statum Religiosum, & Cælibatum, ex natura sua perfectiores Statu Matrimoniali juxta illud *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, & sequere me.*

Dixi *per se loquendo*; nam plures sunt casus, in quibus etiam Votum Matrimonij contrahendi valet. Et talis est 1. quando Matrimonium est de præcepto, ut cum puellæ corruptæ, & impregnatæ de eo cum ipsa ineundo data est fides, aut cùm inter Christianos Principes ejus contractu pax stabiliri, Religio conservari, vel propagari, aut alia gravia, & publica mala sisti, vel averti possunt. Suar. *l. 2. de Voto c. 9. n. 8.* Sanch. *l. 4. mor. c. 8. n. 51* Laym. *l. 4. tr. 4. c. 2 n. 12.* Wiest. *hic n. 9.*

2. Quando vovens ob carnis fragilitatem 30 aut inveteratam peccandi consuetudinem ad lapsum carnis est adeo pronus, ut virorum prudentum judicio consultum sit ei Statum Matrimonialem amplecti; tunc enim stante hac fragilitate, Votum Matrimonij est de meliori bono, cons. observandum saltem ab eo, qui alia media ad vincendas tentationes adhibere non vult. Suar. *n. 12.* Less. *n. 44.* Sanch. *n. 53.* Laym. *n. 12.* Pal. *§. 1. cit. n. 14.* Wiest. *hic n. 10.*

3. Quando is, qui aliàs matrimonium est contracturus, vovet se ducturum puellam pauperem, & miserabilem, ut inopiæ ejus succurat; nam tali casu vovens à meliore bono, & perfectiore statu non impeditur, sed solummodo in eventum, quo Matrimonium ineundum est, melior, & perfectior ejus status eligitur *c. inter opera 20. de Sponsal. & Matrim.* Henriq. *l. 11. c. 6. n. 5.* Suar. *c. 9. cit. n. 27.* Laym. *n. 12. cit. ℣. tertiò*, Pal. *n. 15.*

§. II.

De Voti Obligatione.

SUMMARIUM.

31. 32. Qualem obligationem inducat Votum deliberatè factum?
33. 34. 35. Qualem, quod dubium est?
36. Aut incertæ quantitatis, vel qualitatis? Rationes dubitandi.
37. Resolvitur quæstio.
38. Declaratur resolutio.
39. Respondetur ad opposita.
40. 41 Quando Votum implendum sit?
42. 43. 44. Quando impletio ejus licitè differri possit?
45. An Voto ab aliquo edito adstringi etiam alij possint?
46. Deciditur negativa, nisi isti consentiant.
47. Sequelæ ex hac doctrina deductæ.
48. Respondetur ad Argumenta contraria.
49. An Votum suum vovens per alium implere possit?
50. Vel per Procuratorem?
51. 52. 53. An, & quando Voto defuncti teneatur Hæres?
54. 55. 56. 57. An is, qui vovit Religionem, possit licitè ante Votum impletum suscipere Episcopatum?

31 Quæritur 1. an, & qualem obligationem inducat Votum deliberatè factum, & cæteris suprà requisitis instructum? ℟. 1. ad vovendum nulla est obligatio. Patet ex *c. licèt 6. pr. h. tit.* ibi *Universis liberum sit arbitrium in vovendo.*

2. Post Votum factum necessariò illud implendum est *c. licèt cit.* ibi *Usque adeo solutio necessaria est post Votum, ut sine propriæ salutis dispendio alicui non liceat resilire*; in hoc enim par Voti cum Contractibus ratio est, qui ab initio liberæ voluntatis, postea tamen necessitatis sunt *l. sicut 5. C. de O. & A.* & meritò; nam si fidem homini datam non oportet frangere, multo magis fidem DEO datam servare oportet.

3. Obligatio hæc plerumque est com- 32 mensurata gravitati objecti. Hinc si objectum grave est, nisi aliud constet, censetur vovens sibi imposuisse obligationem gravem; si verò leve levem tantùm: imò eo casu, ut communis sententia habet, non est locus obligationi gravi, nisi objectum ipsum ex circumstantijs fiat grave.

4. Quoad cætera obligatio Voti commensuratur intentioni ipsius voventis: quia Votum est Lex privata; Lex autem, & hujus obligatio ex mente Legislatoris pendet. Wiest. *hic n. 22.*

Quæritur 2. quam obligationem in- 33 ducat Votum dubium? ℟. multipliciter Votum dubium esse potest, 1. dubium esse potest

potest, an aliquis voverit? 2. an valeat Votum, quod scit se emisisse? 3. an Votum, quod scit se validè emisisse, adhuc eundem stringat?

Si primum contingat, & dubites, an revera Votum emiseris, inquirere primùm in rei veritatem debes, qua inquisitione diligenter facta, si dubius adhuc de Voto emisso maneas, dicendum ad ejus observationem te non teneri, ut cum communi notant Zœs. *hic n. 50.* Schambog *n. 27.* & ante hos Sot. *l. 7. de Just. q. 3. ar t. 2. docum. 2. & sed est hic*, Medin. *l. 1. Summ. c. 14. §. 7. fol. 70.* Capua *l. 2. decis. 31. in fin.* Rodriq. *tom. 2. summ. c. 99. n. 5.* Henriq. *l. 11. de Matrim. c. 11. n. 5* & *l. 8. de Euch. c. 45. n. 3. in Comment. lit. P.* Ludov. Lopez. *p. 1. Instruct. c. 45. §. dubitans de Voto*, quos citat, & sequitur Sanch. *l. 2. de Matrim. D. 9. n. 11.* & *l. 2. D. 41. n. 32. Ratio est* quia in dubio melior est conditio possidentis *Reg. in pari 65. in 6.* atqui in hoc casu voluntas possidet suam libertatem, cùm de vinculo contracto dubitetur. ergo in hoc dubio pro libertate judicandum est. *Conf.* nemo tenetur solvere, nisi qui probatur debere; dubius autem, quamdiu dubius est, non probatur debere. ergo &c.

34 *Si secundum*, & certus sis de Voto emisso, dubius autem, an validè illud emiseris, quia dubitas, an habueris animum te obligandi, deliberationem sufficientem &c. videri posset, pariter non obligare Votum. 1. quia etiam Juramentum in tali dubio non obligat. 2. quia dubitare de animo obligandi, an illum quis habuerit emittendo Votum, perinde videtur, ac dubitare de ipso Voto, quipe quod sine animo se obligandi nequit consistere. 3. quia in hoc casu non minùs, ac in priore libertas videtur esse in possessione. *Sed retinenda* est affirmativa sententia, quam etiam defendit Sanch. *l. cit. n. 13.* Zœs. *hic n. 51. & 52.* Schambog. *l. cit. Ratio est* quia probato facto, præsumuntur interveniisse omnia ad factum requisita, ut bene Abb. *in c. 1. de his, quæ vi, metúsve causâ &c. n. 9.* & colligitur ex *c. præsentia 8. de probat.* ubi probata Professione, præsumitur professionem habuisse legitimam ætatem, & neganti incumbit probatio. *Neque contrarium probant Argumenta allata. Ad 1.* id procedit, quando constat Juramentum fuisse extortum metu; nam iste vehementem ficti consensus conjecturam præbet. *Ad 2.* est quidem de Voto dubium, sed tale, ut præsumptio stet pro valore Voti, quippe cùm semper præsumatur mens concordare verbis. *Ad 3.* sequitur ex modò dictis, possessionem stare pro Voto, quippe quod præsumptionem pro se, & sui valore habet.

35 *Si denique contingat tertium*, & postquam constat Votum validè emissum esse, dubium sit, an adhuc stringat, iterum dicendum est voventem obligari Voto suo; nam tamdiu aliquis convincitur debere, quamdiu non probet, quòd debitum, quod fatetur se contraxisse, exsolverit: cons. Votum est in possessione, & præsumptio contra libertatem.

Quæritur 3. an, & ad quid obliget Vo- 36
tum rei e. g. Eleemosynæ, aut Oblationis quoad quantitatem, vel qualitatem indeterminatæ? Difficultatem faciunt diversi Juris Canonici, atque Civilis textus. 1. *l. triticum 94.* & *l. qui insulam 95. ff. de V. O.* junct. Gloss. *in l. legato 37. V. pessimus ff. de Legat. 1.* secundùm quas stipulatio, & Legatum vitiatur incertitudine rei promissæ, vel legatæ, & pronuntiatur eo casu nihil deberi; videtur autem eadem esse ratio Voti, quæ alterius promissionis, aut stipulationis, ergo nec vovens, si rem incertam voverit, ad aliquid obligabitur. 2. *l. Titia 58. §. Seja 2. ff. de aur. argent. &c. legat.* per cujus textum ab eo, qui Ecclesiæ Statuam legavit, argentea potiùs, quàm ærea præstanda est. ergo etiam in Voto non minima quantitas, & vilissima qualitas, sed major, & melior præstanda venit. 3. *c. cùm dilecti 6. de Donation.* ubi dicitur plenissimam interpretationem faciendam in beneficijs. ergo etiam in Votis, & Donationibus pijs,

Sed dicendum, ejusmodi indetermi- 37
natione, & incertitudine Votum nec vitiari, nec obligationem induci ad præstandam quantitatem majorem, vel qualitatem meliorem, sed sufficere, & requiri, ut præstetur res in quantitate, vel qualitate utili: cons. qui ex pluribus equis, vel calicibus, quos habet, vovit equum, vel calicem quoad individuum indeterminatum, satisfaciet, si præstet, quem maluerit, modò ille utilis fuerit. Ita Abb. *in c. 18. de Censib. n. 2. & seqq.* Butrio *ibid. n. 7.* Barbos. *n. 3.* Sanch. *l. 4. mor. c. 13. à n. 4.* Pal. *tr. 15. D. 1. p. 12 n. 23. & 24.* Wiest. *hic n. 28.* & hoc teste communis doctrina. *Quòd Votum per ejusmodi incertitudinem non vitietur*, patet; quia tale Votum, licèt incertum quoad quantitatem, & qualitatem, est tamen de re honesta, & possibili, ut ponitur, ergo obligat ad sui impletionem, quâ incertitudo determinetur.

Quod verò sufficiat, si impletio fiat in 38
quantitate minima utili, ostenditur 1. ex *c. ex parte 18. de Censib.* ubi de Voto, quo D. Jacobo Compostellano promissa est mensura tritici, decidit Pontifex, satis esse, si minima reddatur. 2. *ex l. nummis 75. ff. de Legat. 3.* ubi Ulpianus, *Nummis*, inquit, *indistinctè legatis, hoc receptum est, ut exiguiores legati censeantur.* 3. ex *ratione*; quia Votum solùm obligat, ut promissum servetur, quod verificari optimè potest, si in minima quantitate utili impleatur. *Excipitur*, nisi aliter ferat consuetudo; nam ex consuetudine optimè colligitur intentio voventis: & hinc quia Ecclesia ad Sacrificium Missæ calice inferioris qualitatis uti non solet, qui vovit calicem alicui Ecclesiæ dare, donare debet argenteum, nisi

nisi vovens nimis pauper esset, & in Ecclesia illa essent stannei, vel cuprei Pal. *n. 24. cit.* & alij apud ipsum *citt.*

39 Neq; obstant textus allati in contrarium. *Ad 1.* negatur paritas inter promissiones profanas, & pias; nam posteriores ex speciali favore causæ piæ sustinentur, & determinari debent secundùm promittentis facultates, & alias circumstantias, prout sustinetur, & determinatur Jure Civili etiam Dos incerta promissa, cùm non minor favor esse debeat piæ causæ, quàm Dotis. *Ad 2.* in casu *l. Titia cit.* de mente voventis satis constabat ex circumstantijs; nam in æde sacra, cui ibi promissa est Statua, extabant aureæ tantùm, & argenteæ Statuæ: præsumitur autem quivis donare velle, quod in tali loco est usitatum *Ad 3.* in beneficijs Principum, & Nobilium fieri lata interpretatio debet; quia hæc videtur menti illorum conformior: contrà in Votis; nam istorum obligationes, ne sacrilegæ violationi occasio facilè detur, sunt restringendæ, & locum potiùs habet *Reg. semper 9. ff.* & *Reg. in obscuris 30. in 6.* quæ in obscuris minimum sequendum suadent.

40 Quæritur 4. quando Votum implendum sit? R. distinguendo: vel enim factum est cum designatione temporis, vel sine illa absolutè. *Si primum*, implendum est pro tempore designato, nisi justa, & rationabilis causa dilationem suadeat *c. non est 5. h. t.*

Si secundum, Navarr. *Man. c. 12. n. 42.* Cajet. *2. 2. q. 88. art. 3.* Ludov. Lopez *1. p. Instruct. c. 44. pr.* Reginald *l. 18. summ. n. 286.* volunt id ex obligatione implendum, quando voventem conscientia pro Voti executione remordet. Verùm hæc Regula, ut bene cum alijs *infrà citandis* advertit Sanch. *l. 4. mor. c. 14. n. 4.* pro timoratis est nimis scrupulosa, nimis laxa pro negligentibus, cùm illos facilè, & frequenter, hos perrarò conscientia remordere soleat.

41 Quare dicendum, Votum ejusmodi implendum, cùm primùm judicio prudentis, & spectatis circumstantijs, potest sine notabili incommodo. Ita S. Thom. *2. 2. q. 88. art. 3. ad 3.* Sylv. *V. Votum 2 q. 5.* Azor. *p. 1. l. 11. c. 15. q. 10.* Suar. *l. 4. de Vot. c. 12. à n. 6.* Sanch. *l. cit. n. 5.* Laym *l. 4. tr. 4. c. 3. n. 5.* Pal. *tr. 15. D. 1. p. 13. n. 4.* Pirh. *hic n. 8.* Wiest. *n. 25.* & colligitur ex Script. *Deut. 23. v. 21.* ubi DEUS, *Cùm votum*, inquit, *voveris Domino DEO tuo, non tardabis reddere? quia requiret illud Dominus* DEUS *tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Similia habentur *Eccles. 5. v. 3.* ubi Sapiens, *Si quid*, ait, *vovisti DEO, ne moreris reddere; displicet enim infidelis, & stulta promissio.* *Ratio est*, quia hoc est de ratione promissionis in genere, ut statim obliget, & impleri debeat, cùm primùm spectatis circumstantijs potest, si sit absolutè, & sine determinatione temporis facta, & à promissario acceptata, juxta Regulam, *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur*: quæ est *14 ff.*

Quæritur 5. quando licitè executio Voti ad aliquod tempus differri possit? R. 42 id fieri potest in triplici casu. 1. si spes sit fore, ut vovens postea Votum suum utiliùs, & meliùs executurus sit, ut si ingressum Religionis, quam vovisti, differas, donec ad asperitates ejusdem idoneus fias, vel scientiam, & eruditionem, quam in Religione æquè obtinere non potes, obtineas, vel parentes tuos, qui nunc ingressum tuum ægrè ferunt, sed sperantur persuadendi, persuaseris. Sylv. *V. Votum 2. q. 3.* Sanch. *l. 4. mor. c. 14. n. 8.* Laym. *l. 4 tr. 4 c. 3. n. 5. prop. fin.* Pal. *tr. 15. D. 1. p. 13. n. 6.* Pirh. *hic n. 9.* Ratio est, quia ita differens censetur votum implere meliùs, modò non sit periculum, ne interea interveniat impedimentum perpetuum, aut Votum dilatione minuatur

2. Si occurrat impedimentum: ubi 43 tamen distinguendum est, an impedimentum illud sit perpetuum, vel temporale; nam *si temporale duntaxat est*, impletio Voti differri potest, donec commodè, & quiè executioni mandari possit. *Si Perpetuum* distinguendum est denuò, an absolutam impotentiam, seu impossibilitatem inducat, an verò difficilem solùm Voti executionem reddat. *Si hoc secundum*, Votum vel commutandum, vel in eo dispensandum est prout sumitur ex *c. quod super 8. h. tit.* *Si primum*, commutatione, vel dispensatione non est opus, sed sine his vovens liberatur ab obligatione solvendi Votum, sicut liberatur promittens ab obligatione Præstandi rem promissam, si hujus præstatio facta sit absolutè impossibilis. Suar. *l. 4. de Vot. c. 11. n. 17.* Sanch. *l. 4. mor. c. 2. n. 25.* Pirh. *hic n. 11. not. 1.* Schambog. *n. 29.* & ratio est, quia ad impossibile nemo teneri potest.

3. Si Voti executioni nullum tempus 44 sit designatum; nam eo casu licèt secundùm dicta *n. 41.* statim, ac commodè potest, implendum sit, ad aliquod tamen breve tempus, etiam sine gravi causa, differri potest. Azor *p. 1. l. 11. c. 15. q. 10.* Suar. *l. 4 cit. c. 12. n. 12. & 13.* Sanchez *l. 4. cit. c. 14. n 5. & 6.* Laym. *c. 3. cit. n. 5.* Pal. *p. 13. cit. n. 4. Ratio est*, quia dictiones *statim*, & *quamprimum* juxta *l. ratum 13.* & *l. quod dicimus 105. ff. de Solution.* cum quodam temperamento, & spatio temporis intelligendæ sunt. Spatium autem hoc nec maximum, nec minimum esse debet, sed ex circumstantijs prudentis viri arbitrio metiendum, ut habetur *l. continuus 137. § cùm ita 2. ff. de V. O.* & cum *citt.* notat Wiestner *hic n. 26.*

Quæritur 6. an Voto ab aliquo edito 45 adstringi etiam alij possint? Videtur posse, 1. ex *c. licet 6. h. tit.* ubi Votum, quo Andreas Hungariæ Rex promisit expeditionem in Terræ Sanctæ subsidium, adimplere coactus est filius. 2. ex *praxi & usu communi*, quo à Magistratibus in beneficiorum à

DEO

DEO acceptorum memoriam, vel ad avertendum mali imminentis periculum sæpe eduntur Vota, ad quæ observanda deinde adstringitur populus. *3.* ex *ratione;* quia aliena voluntate v. g. parentum Baptismo offerri potest filius, & eo suscepto, ad Legem Christianam obligatur, si adolescat. ergo eâdem parentum voluntate obligari poterit Religione Voti.

46 Sed omnino dicendum, Voto quocunque adstringi solum voventem, non alium, nisi consentiat. Ita Sylv. *V. Votum 2. q. 9.* Sot. *l. 7. de Just. q. 2. art. 1. ad 5.* Suar. *l. 4. de Vot. c. 9. à. n. 2.* Sanch. *l. 4. mor. c. 15. n. 14.* Laym. *l. 4. tr. 4. c. 3. n. 6.* Pal. *tr. 15. D. 1. p. 15. n. 1. & seqq.* Zœs. *hic n. 58.* Wiest. *n. 34.* & hoc teste communis doctrina. Ratio est quia Votum est Lex privata, quam vovens sibi ipsi ponit: item obligatio ejusdem est voluntaria; igitur ex natura sua ligare non potest alium, nisi consentientem, cùm omnino personalis sit ejus obligatio.

Ex quo sequitur 1. quòd hæres, filij, successores, non adimplentes Vota Testatorum, Parentum, & Antecessorum, nullatenus sint rei Voti violati, quamvis, ut *n. 51.* dicam, aliud peccatum perpetrare possint. Sanch. *l. cit.* Pal. *n. 3.*

47 *Sequitur 2.* non posse voveri factum alienum e. g. jejunium, peregrinationem, ingressum Religionis ab altero faciendum, nisi eatenus, quatenus vovens promittit diligentiam, & conatum, ut id fiat, quod pro alio promissum est; sed tunc non amplius erit Votum rei, aut facti alieni, sed proprij. Suar. *l. 2. de Vot. c. 1. n. 7.* Sanch. *l. 4. mor. c. 5. n. 9.* Pal. *D. 1. cit. p. 8. §. 1. n. 1.*

Sequitur 3. eum, qui Votum suum implere ex quacunque causa, etiam suâ culpâ, non potest, non teneri, ut curet Votum hoc suum, sive reale, sive personale illud sit, impleri per alium, nisi ad hoc ipsum intendisset se obligare. Navarr. *Man. c. 12. n. 55.* Suar. *c. 10. n. 10.* Laym. *c. 3. cit. n. 9.* Wiest. *n. 37. Ratio est*, quia voventis promissio se non extendit ultra ipsius intentionem, fuit autem intentio promittentis actum, vel opus promissum per se, vel de suo præstare, ut ponitur. ergo &c.

48 Neque contrarium probant Rationes dubitandi allatæ. *Ad 1.* in casu *c. licèt cit.* filius ad persolvendam peregrinationem Hierosolymitanam, quam Pater ejusdem voverat, ideo solùm fuit compulsus, quia intellecta pia voluntate Patris, promisit se illud impleturum; cons. ad implendum suo potiùs, quàm patris Voto obstringebatur. *Ad 2.* ut Voto edito à Magistratu subditi, & edito à majori parte communitatis tota communitas teneatur, necessarium est, ut à subditis, & reliquis communitatem constituentibus acceptetur: si hoc non fiat, & accedat authoritas Episcopi, totam Communitatem ad ejus observantiam obligantis, obligabuntur quidem omnes, non tamen in vim Voti, sed Legis authoritate Ecclesiastica latæ, & approbatæ. *Ad 3.* negatur paritas: nam, ut rectè advertit Zœs. *hic n. 59.* Professio Fidei est imediatè ex obligatione Divinæ Legis, quam Christus potuit imponere sola sua voluntate; at obligatio Voti est relicta arbitrio hominis, à cujus libera voluntate emanare debet, ut teneatur.

Quæritur 7. an Votum suum vovens 49
per alium implere possit, vel alius loco voventis? R. distinguendo, an Votum sit Personale, Reale, vel Mixtum. *Si personale est*, patet, per alium illud impleri nequaquam posse. Abb. *in c. licèt 6. h. tit. n. 12.* Sylv. *V. Votum 2. q. 10.* Navarr. *Man. c. 12. n. 55.* Sanch. *l. 4. de Vot. c. 15. n. 3.* Laym. *l. 4. tr. 4. c. 3. n. 9.* Pal. *tr. 15. D. 1. p. 15. n. 4 Ratio est*; quia nullus implere potest Votum, nisi exequendo rem promissam, sed res promissa in Voto Personali est actio propria voventis, non alterius. ergo &c. *procedit que hoc* probabiliter etiam casu, quo Votum ejusmodi factum est ab eo, qui dum Votum fecit, agnovit se impotentem esse ad exequendum; quia, ut cum Suar. & Bonac. notat Pal. *n. 4. cit.* credendum est potiùs temere, & arroganter promisisse, quàm contra verba promissionis obligationem voluisse contrahere.

Si Reale est, impleri medio Procuratore 50
potest; quia materia ejus est res à vovente extrinseca, quæ à quocunque exhibeatur ad finem à vovente intentum, satisfit obligationi: quodsi vovens exsolvere ex suo Votum nequeat, satisfit Voto, si nomine voventis alius rem Voto promissam in finem Voti implendi det; quia idem erit, acsi donata voventi, & hujus mandato pro impletione Voti fuisset expensa: non tamen obligatur, ita impotens factus, aut corrogare illam per Eleemosynam, aut rogare amicos, ut nomine suo satisfaciant; quia solùm vovit rem donare, sub qua promissione non comprehenditur petere ab amicis, ut nomine suo donent, cùm hæc duo longè diversa sint Suar. *l. 4. de Vot. c. 10. n. 10.* Sanch. *l. 4. cit. c. 15. n. 7.* Laym. *l. 4. tr. 4. c. 3. n. 8.* Pal. *tr. 15. D. 1. p. 15. n. 5. & 6.*

Si denique Mixtum sit, videndum, an id, quod personale in eo est, sit separabile ab illo, quod in ipso reale est, vel non. *Si hoc secundum*, impleri debet per ipsum voventem, ut patet. *Si primum*, id, quod personale est, impleri per voventem debet; quod reale, fieri per alium potest. Vide Pal. *l. cit. n. 7.* & ab ipso relatos.

Quæritur 8. an Voto defuncti tenea- 51
tur Hæres? R. distinguendo; nam 1. *Si Votum sit personale*, quale est Votum certarum precum, peregrinationis, jejunij, aut alterius mortificationis, obligatio ejusdem ad hæredem non transit, sed cum vovente extinguitur, ut exploratum est apud omnes,

& probat perspicua ratio ; quia talia Vota sunt de actione ipsius voventis, quæ ab hærede præstari nequit. *Neque obstat*, quòd hæres repræsentet personam defuncti ; revera enim est persona distincta, quæ promissione alterius formaliter obligari non potuit. *Formaliter*, inquam ; nam ad actionem similem aliquando obligari potest : idque ex duplici capite, si vel Testator eum instituit cum obligatione eam præstandi, vel ipse sponte promisit se facturum, quod defunctus promisit, ut *n. 48. ad. 1. arg.* dictum est, & notat Sanch. *l. 4. moral. c. 15. n. 22. & seqq.* Laym. *l. 4. tr. 4. c. 3. concl. 2.* Pal. *tr. 15. D. 1. p. 16. n. 1.* Zœs. *hic n. 61. & 62.*

52 2. *Si Votum sit Reale*, hæres voventis implere illud debet juxta vires hæreditatis, ut cum communi docet Sylv. *V. Votum 2. q. 11.* Navar. *Man. c. 12. n. 56.* Less. *l. 2. de Just. c. 40. n. 65.* Sanch. *c. 15. cit. n. 25.* Laym. *n. 13. cit. pr.* Pal. *n. 2.* & constat exJuris utriusque textibus : Canonici quidem *c. ex parte 18. de Censib. c. si hæredes 6. de Testam.* & *c. licèt 6. h. t.* Civilis autem *l. siquis rem 2. ff. de Pollicitat.* Ratio est, quia hæres adeundo hæreditatem illam suscipit cum obligationibus, & oneribus realibus ipsi annexis ; talia autem sunt etiam illa, quæ Testator defunctus vovit, ergo illa debebit solvere, non quidem ex vi Voti, à Testatore defuncto editi, sed Contractûs, vel quasi Contractûs, adeoque ex obligatione Justitiæ. Quod ita verum est, ut etiam hæres, si monitus à Judice intra annum exequi Vota illa distulerit, ad executionem eorundem sub pœna Excommunicationis, & privationis hæreditatis, tanquam indignus, compelli possit, prout statuitur *c. si hæredes*, & *c. licèt citt.*

53 3. *Si Votum sit mixtum*, id, quod in eo personale est, hæres persolvere non tenetur ob rationem *suprà* allatam de Voto personali ; tenetur tamen præstare illud, quod in eo reale est, si à personali sit separabile, & independenter ab eo promissum, sed non nisi juxta vires hæreditatis, & salvâ legitimâ hujusmodi hæredi debitâ ; nam hæc Votis, & Legatis, aliisque obligationibus gravari non potest. Suar. *l. 4. de Vot. c. 11. n. 2. & seqq.* Sanch. *n. 25. cit. & seqq.* Tamburin. *Decal. p. 1. l. 3. c. 12. §. 4. n. 3.* Zœs. *hic n. 63.* Pirh. *n. 12.* Schambog. *n. 33.* Wiest. *n. 41.*

Quæritur 9. an is, qui vovit Religionem, possit licitè ante Votum impletum suscipere Episcopatum ? Affirmant Rodriq. *tom. 2. summ. c. 6. n. 6.* Henriq. *l. 10. c. 3. ad fin.* & colligi videtur ex *c. per tuas 10. h. tit.* ubi Pontifex ei, qui post Votum Religionis editum electus est in Episcopum, Religionis ingressum solummodo suadet, non præcipit, cùm utatur verbo *Consulimus.* *Conf.* quia Votum non infringit, qui illud in melius mutat *c. pervenit 3. de Jurejur.* atqui Episcopatus est status perfectior Religioso *c. licet 18. de Regularib.* ergo &c. 54

Sed utendum est distinctione : Vel enim electio talis ab electo solum est accepta, vel ea insuper à Sede Apostolica confirmata. *Si primum*, ita electus, dimisso Episcopatu, Religionem ingredi debet, & quia Spiritualis conjugij vinculo nondum ligatus est, liberè potest Azor *p. 1. l. 11. c. 16. q. 2.* & *c. 22. q. 13.* Suar. *tom. 3. de Religion. l. 1. c. 19. n. 3.* Sanch. *l. 4. mor. c. 17. n. 5.* Pirh. *hic n. 18.* Schambog. *n. 36.* Wiest. *n. 43.* 55

Si secundum, etsi ita electus electioni consentiendo peccârit, adimplere tamen Votum per actualem ingressum in Religionem sine Apostolicæ Sedis authoritate nequit ob vinculum spiritualis conjugij, quod intercedit inter Episcopum confirmatum, vel consecratum, & ejus Ecclesiam. Suar. *l. 3. c. 4. n. 8.* Sanch. *c. 17. cit. n. 6.* Barbos. *in c. per tuas cit. n. 5.* Gonzal. *ibid. n. 3.* Pirh. *hic n. 21.* Schambog. *n. 39.* Wiest. *n. 44.* eritque tunc in arbitrio Papæ positum vel concedere licentiam ingrediendi Religionem, vel dispensare in Voto Religionis : quod ultimum plerumque fiet eâtu, quo ita electus crederetur fore utilior Episcopatui, eique melius, quàm alij, præfuturus, ut Pirh. Wiest. *l. citt.* notant. 56

Neque obstat *c. per tuas cit.* nam quòd eo textu Pontifex non tantùm consilium det, sed etiam præceptum imponat, clarè indicant verba, *Si suam sanare desiderat conscientiam* quibus indicavit, quòd ita vovens sui electionem ad Episcopatum non sine læsione conscientiæ acceptare possit. *Ad Conf.* etsi Episcopatus secundùm se sit perfectior Religioso, non tamen est perfectior secundùm media, quibus utitur, ut tendat ad Perfectionem ; nam Status Religiosus talibus utitur medijs, quibus utens perfectus fiat ; Episcopatus autem talia non suggerit, sed potiùs supponit Perfectionem. 57

§. III.

De Cessatione Obligationis ex Voto contractæ.

SUMMARIUM.

58. *Obligatio Voti cessat primò lapsu temporis.*
59. *Si illud statutum sit finiendæ obligationi.*
60. *Secundò Mutatione materiæ Voto promissæ,*
61. *Explicatur* c. quod super 8. h. tit.
62. 63. *Et qualitas impedimenti, quo posito obligatio Voti cessat.*
64. *Tertiò cessante conditione, sub qua actus, vel præstatio rei est promissa.*
65. 66. *Ubi, quid dicendum, si multiplex conditio apponatur Voto?*
67. *Item quid dicendum, si ipse vovens malitiosè impediat conditionis eventum?*
68. *Resolvitur etiam hoc casu cessare obligationem Voti.*
69. *Solvuntur Argumenta contraria.*
70. *Quartò cessat Voti obligatio, cessante causâ finali.*
71. *Explicatur* c. magnæ 7. h. tit.
72. 73. *Quando ex fine malo vitietur Votum?*
74. *Quintò cessat Irritatione.*
75. *Ex quo Jure oriatur potestas irritandi Vota?*
76. 77. *Quis irritare Vota impuberis possit?*
78. 79. 80. 81. *An, & quando Vota filij sui puberis possit irritare Pater?*
82. 83. 84. *An, & quomodo Vota Servi Dominus?*
85. *Religiosorum sibi subjectorum Prælatus Regularis?*
86. *Monialium Abbatissa, vel Priorissa?*
87. *Quid dicendum de Voto transeundi ad Religionem strictiorem?*
88. *An & quæ Vota uxoris suæ possit irritare maritus?*
89. *An omnia? Rationes dubitandi.*
90. *Deciditur quæstio.*
91. *Rationes dubitandi solvuntur.*
92. *Sextò cessat obligatio Voti Redemptione, & Commutatione.*
93. *Quis commutare Vota possit in melius.*
94. 95. 96. *Quis in æquale?*
97. 98. *Quis in minus?*
99. 100. *Quid observandum sit volenti commutare Votum sibi subditi?*
101. *Septimò denique obligatio Voti cessat Dispensatione.*
102. *Requisita, ut hæc ritè fiat.*
103. *Quis dispensare in Votis possit?*
104. *An etiam Prælatus Regularis cum Novitijs?*
105. *Tenetur affirmativa.*
106. *Respondetur ad oppositа.*
107. *Quænam sint justæ causæ dispensandi in Voto?*
108. *Quænam Vota sint reservata?*
109. *Quæ non sint reservata?*
110. 111. *Quando inferiores Prælati dispensare possint in Votis reservatis?*
112. *An Votum Castitatis, Religionis &c. reservatum sit etiam, quando sub conditione emittitur?*
113. *Tenetur negativa.*
114. *Si conditio sit in futurum pendens, & contingens.*
115. *Respondetur ad oppositа.*

58 OBligatio Voti, de qua §. *præc.* variis modis cessare potest. Et I. quidem *Lapsu temporis.* ubi tamen est distinguendum, an tempus sit præfixum soli executioni, an etiam obligationi finiendæ. *Si executioni tantùm præfixum est*, Voti antè non impleti obligatio manet, sicut manet obligatio solvendi debitum 100. fl. si eo tempore, quo debebat, non est solutum. *Ratio est*, quia vovens ita vovendo duplicem obligationem contrahit, unam præstandæ rei, quæ est promissa, alteram præstationis ultra tempus designatum non differendæ; est autem hæc separabilis à prima. igitur etsi hæc, transacto tempore fiat impossibilis, manebit tamen obligatio prima.

59 *Si secundum contingat*, & terminus statutus sit obligationi finiendæ, lapso illo tempore, cessat obligatio solvendi Votum. *Ratio* patet ex *n. 32.* quia ut ibi dixi, Votum est Lex privata, & sicut quoad obligationem, ita etiam quoad tempus obligationis à voluntate voventis pendet.

Utro autem modo emissum sit Votum, quando dubium est, ex circumstantijs desumendum est. Quando intuitu specialis devotionis editur, sicut cùm promititur jejunium feriâ 6. in memoriam Passionis Dominicæ, aut Sabbato in honorem B. V. tempus istud censeri debet designatum obligationi finiendæ: cons. etsi culpâ voventis tempus illud transiverit, non impleto Voto, obligatio implendi cum die extinguitur. Pal. *tr. 15. D. 1. p. 14. n. 2.* & ab hoc *citt.*

II. Cessat obligatio Voti *mutatione materiæ* Voto promissæ, si tanta illa fit, ut incipiat esse impossibilis vel defacto, vel de jure, quod fieret, si honestè ampliùs impleri non posset, si majoris boni impeditiva, vel omnino inutilis fieret; nam tali casu locum habebit illud JCti: *Obligatio extinguitur, si in eum casum incidat, à quo incipere non potest l. pluribus 140. §. & si placeat 3. ff. de V. O.* 60

Neque obstat *c. quod super 8. h. tit.* ubi *v. unde* Innocentius III. statuit. ut postquam executio peregrinationis in Terram

Sanctam, superveniente impedimento perpetuo, facta est impossibilis, Votum istud præstatione expensarum, quæ in iter faciendæ fuissent, redimeretur: quod fieri, non fuisset necesse, si obligatio Voti omnino cessâsset. Nam duplex ad textum istum responsio à DD. & Interpretibus datur.

61 *Prima* est Abb. *in c. 1. h. tit. n. 4.* Sylv. *V. Votum 2. q. 6. & 10.* Sanch. *l. 4. mor. c. 2. n. 25.* & aliorum, quos citat; Putant enim isti, nomine *Impedimenti perpetui* ibi intelligi, non quod impossibilem physicè, vel moraliter executionem Voti faciat, sed quod eam reddat difficiliorem, nam tunc commutatione, vel dispensatione opus est.

Altera cum Laym *l. 4. tr. 4. c. 3. n. 14. prop. fin.* existimat *c. cit.* contineri casum specialem, & exceptum speciali dispositione Juris, quod ob magnum ejus Voti, & recuperationis Terræ Sanctæ favorem statuerit, ut qui edito Voto Crucem Sanctam susciperent, quocunque modo possent, sive per se, sive per alios auxilium polliceri censerentur.

62 *Dubitatur*, quale impedimentum esse debeat, ut ob illud obligatio Voti cesset? R. distinguendum est, an impedimentum sit tantum temporale, an verò perpetuum. *Si primum*, obligatio Voti non cessat, sed suspenditur duntaxat, ita, ut executio differri debeat Quoad modum dilationis spectandum est, an impedimentum sit certum, an verò dubium, quale fortasse fuit in casu c. *non est 5. h. tit. Si certum sit*, differri potest authoritate etiam propria ipsius voventis; *si dubium*, opus est authoritate Superioris Ecclesiastici, ut notat Gloss. *in c. magnæ 7. V. noluisti h. tit.* & rationem dat; quia suum Votum nemo interpretari debet.

63 *Si secundum contingat*, & impedimentum Voti sit perpetuum, videndum, an promissio sit dividua, vel individua; nam *si individua sit*, obligatio exequendi Votum omnino cessat, ut dictum est *n. 43.* & patet ex *Reg. 185. ff.* & *Reg. 6. in 6. Si verò dividua est*, v. g. peregrinatio cum oblatione 100. aureorum, impossibili reddita parte una v. g. peregrinatione, obligatio remanet ad alteram, sive oblationem, ne utile per inutile vitietur contra *Reg. utile 37. in 6. Excipitur*, nisi alia sit intentio voventis, ut si utramque simul, & neutram sine altera, vel partem possibilem accessoriè solùm ad eam partem quæ jam impossibilis est, intendisset vovere; hoc enim si fieret, impossibilitata una parte, cessaret obligatio etiam ad partem possibilem, ut cum communi notat Zœs. *hic n. 14.* Wiest. *n. 32.* & ratio est, quia, ut jam sæpius dictum est, Votum est Lex privata, imposita ab ipso vovente, cujus proinde intentio spectanda præcipuè est.

64 III. Cessat obligatio Voti, *cessante conditione*, sub qua actus, vel præstatio rei est promissa DEO. Ita communis & certa sententia, *Ratio est*, quia sub conditione aliquid vovens ad id præstandum obligari non vult, nisi in eventum conditionis; proinde cum obligatio Voti commensuretur intentioni voventis, is, qui sub conditione vovit, ea non eveniente, obligationem non contrahit.

Si multiplex conditio apponatur Voto, inspiciendum, an copulativè fuerit apposita, an disjunctivè. *Si copulativè*, omnis conditio impleri debet, antequam Votum obliget; secus, si disjunctivè, ut rectè Pal. *tr. 15. D. 1. p. 17. n. 2.* & rationem dat, quia ad veritatem Copulativæ Propositionis utriusque partis complementum expostulatur; ad veritatem autem Disjunctivæ unius partis implementum sufficit 65

Quomodo autem apposita sit multiplex conditio, copulativè, an disjunctivè, ex verbis colligendum est. Si autem verborum suorum quibus Votum edidit, vovens non recordetur, sed dubitet, utro modo conditiones istas addiderit, præsumendum potiùs est copulativè adjectas esse, ut cum cit. Palao monent Sanch. *l. 4. mor. c. 23. n. 20.* ex ratione; quia cùm constet plures conditiones appositas, & natura conditionalis obligationis sit petere conditiones integrè impleri, possessio est pro libertate, dum non constat eas disjunctivè appositas. 66

Dubitatur, an obligatio Voti cesset etiam casu, quo eventus conditionis, sub qua Votum emissum est, ab ipso vovente malitiosè est impeditus? Negant complures, & fundantur *1. Reg. 66 in 6.* ubi dicitur, *Cùm non stat per eum, ad quem pertinet, quo minùs impleatur conditio, haberi debet perinde, acsi impleta fuisset.* atqui per DEUM (supposito, quòd homini relinquere libertatem velit) non stat, quò minùs impleatur conditio, si vovens ejus eventum malitiosè impediat. ergo &c. 2. clarus in rem istam textus est *l. in executione 85. §. fin. ff. de V. O.* ubi Paulus, *Quicunque*, inquit, *sub conditione obligatus curaverit, ne conditio existeret, nihilominus obligetur.* 3. id ipsum probat paritas cum promissione homini facta sub conditione; nam hujus obligatio manet, si per promittentem stetit, ne eveniret conditio. 4. ex absurdo; sequeretur enim, quòd siquis Voto se obligâsset ad serviendum Hospitali, vel Monasterio sub conditione, *quamdiu Prælatus ejus ipsum retinuerit*, liber â Voto, et obligatione sit, quomodocunque libertatem extorqueat, etiam malè serviendo, Monasterium turbando &c. 5. ex ratione; quia qui votum sub conditione fecit, ex vi Voti obligatur exspectare eventum conditionis, atqui ad hoc non teneretur, si ab obligatione Voti liberare se posset impediendo eventum conditionis. ergo &c. 67

Sed probabiliùs tenenda est affirmativa sententia, quam etiam defendunt Major *in 4. dist. 38. q. 1. corroll. 7.* Suar. *l. 4. de Vot. c. 17. n. 20.* Laym. *l. 4. tr. 4. c. 6. n. 4.* Pal. 68

Pal. *tr. 15. D. 1. p. 17. n. 11. & 12.* Wiest. *hic n. 47. Ratio est*; quia tota obligatio Voti pendet ex intentione voventis, & in Voto conditionali ab eventu conditionis. atqui hoc ipso quòd eventus conditionis impediatur, conditio non impletur. ergo &c.

69 Neque probant contrarium Argumenta allata. *Ad. 1. & 2.* dico illos textus loqui de promissione homini facta, quæ si sub conditione facta sit, & eventus conditionis â promittente malitiosè impediatur, perinde obligat, acsi revera impleta fuisset conditio: cujus ratio est, quia per hujusmodi malitiosam impeditionem conditionis violatur Jus quæsitum promissario, & infertur eidem damnum, quod compensari potest, & debet. Contraria ratio in Voto est? nam per istius violationem solùm negatur cultus, & honor DEO debitus, qui reparatur per Pœnitentiam, neque ad compensationem, per executionem operis Voto promissi præstandam obligat, si per peccatum fuit impedita conditio, sub qua emissum est Votum. Ex quo patet etiam *ad tertium*. *Ad 4.* negatur sequela; quia talis non implet conditionem, sub qua eximatur à servitio Monasterio, vel Hospitali præstando: quod evidenter ostenditur; nam ut Votum ejusmodi Religiosum sit, ut bene *l. cit.* advertit Pal. *n. 13.* intelligi debet sub hac forma conceptum, quòd vovens servire Monasterio, vel Hospitali velit, dum Prælatus illius, quantum est ex parte sua, retinere illum voluerit. at quando coactus iniquo procedendi modo voventis, eum dimittit, quantum est ex parte sua, retinere illum volebat. ergo &c. *Ad 5.* quia vovens ex Voto suo obligatur exspectare eventum conditionis, eum impediendo hoc ipso peccat, ex quo tamen non sequitur, quod sic impedito conditionis eventu, adhuc ligetur Voto.

70 IV. Cessat obligatio Voti, *cessante causâ finali*; & hinc qui vovit non ingredi certam domum ob occasionem peccandi proximam, quæ fuit, hac in ea cessante non amplius prohibetur ingredi; & qui vovit peregrinationem pro salute amici isto mortuo, non tenetur peregrinari. Ita Abb. *in c. magnæ 7. h. tit. n. 14.* Sylvest. *V. Votum 2. q. 8.* Azor *p. 1. l. 11. c. 15. q. 13* Suar. *l. 4. de Vot. c. 18. n. 3.* Sanch *l. 4. mor. c. 2. n. 42.* Pal. *tr. 15. D. 1. p. 20. n. 1.* Valens. *hic §. 3. n. 2.* Zoes. *n. 55.* Pirh *n. 35. not. 4.* Wiest. *n. 48.* & colligitur *arg. c. cessante 60. de Appellat. Ratio est*, quia causa finalis illa est, quæ voventem principaliter movit ad vovendum; & hinc meritò præsumitur, quòd causa illa cessante, non intenderit se obligare.

71 Neque obstat *c. magnæ cit.* ubi Votum Peregrinationis Jerosolymitanæ ab Episopo editum causâ subsidij, pro Ecclesiæ suæ libertate recuperanda impetrandi à Campaniæ Comite, isto mortuo, adeoque causa finali cessante, in alia pia opera ab Innocentio III. fuit commutatum, adeoque obligatio Voti illius mansit, cùm Votum, cujus obligatio cessavit, commutatione non indigeat; nam dicendum Voti *in c. cit.* relati causam finalem fuisse duplicem, quia editum fuit à memorato Episcopo tam pro libertate Ecclesiæ suæ, quàm pro salute animæ propriæ, ut patet ex lectione plena apud Gonzal. *n. 5.* Vel si urgeat te aliquis, & ex verbis *cit. c.* ibi *Quia cessavêre causæ illæ*, inferat cessâsse causam finalem adæquatam, dic cum Sanch. *l. cit. n. 43.* commutationem eo casu adhibitam fuisse ad cautelam duntaxat, non verò ex necessitate.

72 *Dubitatur*, quando ex fine malo vitietur Votum? R. finem in Voto duplicem spectari posse: nam alius quidem est finis rei promissæ per Votum, i. e. ille, qui executione rei promissæ obtineri intenditur; alius verò est finis ipsius voventis, quique ad vovendum excitat, & cujus obtentio actu vovendi procuratur: primus vitiat Votum, si malus sit; non secundus. Ita Navarr. *Man. c. 12. n. 30. & seq.* Sot. *l. 7. de Just. q. 1. art 3. dub 1. circa 5. Concl.* Suar. *tom. 2. de Relig. l. 2. de Vot. c. 4. n. 3. & 4.* Sanch. *l. 4. moral. c. 6. n. 13.* Pal. *tr. 15. D. 1. p. 8. §. 3. n. 1.* & alij ab his *citt. Ratio primi* est: quia quando finis rei promissæ malus est, licet bona sit res promissa, mala tamen efficitur, cum intendatur ut medium ad obtinendum hujusmodi finem pravum. *Ratio secundi*; quia valor Voti, ejusque honestas sumitur ex honestate objecti promissi; finis voventis autem, & extrinsecus objectum promissum non afficit.

73 *Ex quo sequitur 1.* validum esse Votum jejunij, vel Eleemosynæ dandæ pauperibus, licèt deinde istam dirigas ad vanam gloriam aucupandam; quia hæc in isto casu est finis duntaxat voventis, non rei Voto promissæ, nec jejunium, aut Eleemosynæ datio per hoc mala fit, licèt intentio illa, quâ vovens hujusmodi opera ad finem malum dirigit, mala sit.

Sequitur 2. è contrario invalidum esse Votum, si voveas Eleemosynam, aut aliud opus bonum, ut medio illo obtineas victoriam injustam; quia esto, Eleemosyna bona sit, non tamen bona est, quatenus intenditur ut medium finis pravi obtinendi.

Sequitur 3. similiter invalidum esse Votum, in quo finis rei est indifferens, & inutilis; nam opus ob talem finem intentum, utcunque in se bonum sit, quatenus tamen intenditur ut medium ad ejusmodi finem, cedere non potest in cultum, & honorem DEI, ac proinde Voti materia esse nequit. Vide Pal. *l. cit. & n. seq.*

74 V. Cessat obligatio Voti *Irritatione* ejus, à quo aut voluntas voventis, aut materia Voto promissa pendet. Hinc duplex illa est, Directa & Indirecta. *Directa* quæ etiam *Propria* dicitur, tunc fieri censetur, quando illa actum vovendi respicit, & ipsum

Votum ob subjectionem, quam voluntas voventis ad voluntatem irritantis habet, è medio tollit. *Indirecta*, quæ etiam *Impropria* appellatur, materiam promissam respicit impediendo illus executionem, & revera potiùs est suspensio, quàm irritatio.

75 Ortum potestas Vota irritandi secundùm aliquos habet ex Jure naturali ex ratione, quia filius naturaliter subditur patri, servus domino, uxor viro, Religiosus Prælato, quæ subjectio cùm hujus potestatis sit radix, hinc sequi videtur eandem provenire à Jure naturali. Sed meliùs refunditur in Jus positivum, ex cujus dispositione hanc tacitam conditionem habent Vota, ut illis firmiter obligare se velit vovens, nisi Superior, vel alius, cujus interest, contradixerit: quod ex eo colligitur, quia qui Vota aliorum irritare possunt, ad hoc ampliorem potestatem non habent, quàm quantum eisdem concedit Pontifex, qui eam alijs extendit, alijs limitat. Vide Pal. *tr. 15. D. 2. p. 1 n. 4.*

76 Dub. *1.* quis Impuberis Vota irritare possit? R. distinguendo: Vel enim Patrem adhuc habet, aut Avum paternum, vel utroque orbatus est. *Si primum*, irritare Vota illius omnia potest Pater, & in hujus defectu Avus paternus, ut habetur *Num. 30. v. 6.* & statuitur *can. puella 2. caus. 20. q. 2.* Ratio est, quia ea ætate filius propter imbecillitatem judicij patriæ potestati, & gubernationi in assumendis obligationibus subjectus est, ut omnium ferè gentium usus probat. *Si secundum*, & Pupillus Patre, & Avo paterno orbus, Tutorem habeat, in potestate irritandi Vota Tutor succedit patri; quia eidem etiam succedit in gubernanda persona, & actionibus Pupilli, ut ex communi advertit Pal. *D. 2. cit. p. 7. n. 6.* Vallens. *hic §. 3. n. 4.* Wiest. *n. 50.* *Si Tutore careat*, Vota ejusdem irritare poterit Mater; nam *can. puella cit.* generali nomine *parentum* utitur, & ostendit hoc etiam ratio; quia deficiente Patre, Avo paterno, Tutore, liberorum impuberum cura, & gubernatio ad Matrem pertinet. Laym. *l. 4. tr. 4. c. 7. n. 10. ℣. amplia secundò.*

77 Possunt autem prædicti irritare Vota ab Impubere, eorum potestati subiecto, facta, etiam postquam iste jam pubes factus est, modò illa pubes factus non ratificaverit, ut cum alijs notat Laym. *l. cit. n. 11.* ubi rationem dat; quia in his Votis primordialis natura, & obligatio est inspicienda. Votum autem Impuberis ob ætatis, & judicij imperfectionem ab initio dependebat à Patre. igitur ita dependens etiam manet post pubertatem. *Neque obstat*, quòd Tutor, postquam Pupillus ejus pubes est factus, non ampliùs Tutor, sed Curator sit, cui non in personam Minoris, sed in bona illius potestas competit; nam potestate in Minorem non omni caret. Hinc pro Regula Sanch. *l. 4. moral. c. 30. n. 7.* tradit, Superiorem irrirare Vota emissa à subdito tempore, quo subditus ipsi fuerat, posse etiam tunc, quando tempus subjectionis transijt, si potestas illius non sit omnino extincta, vel suspensa; secus, si sit omnino extincta, vel suspensa.

Dub. 2. an, & quomodo Vota filij 78
sui puberis Possit irritare Pater; R. irritare illa directè non ampliùs potest, potest autem indirectè, quatenus illa præjudicant administrationi, & domesticæ gubernationi illius. Colligitur ex *can. puella 2. caus. 20. q. 2. l. DEO nobis 56. §. hoc etiam 1. C. de Episcop. & Cleric.* & *Novell. 123. c. 41. Ratio est*: quia filius pubertatem adeptus jam habet discretionem, & maturitatem judicij sufficientem ad vovendum, ut adeo non expediat alij potestatem concedi irritandi Vota ab ipso emissa, nisi casu, quo Voto ipsius præjudicium fieret Patri, vel alij, cujus gubernationi subjectus est.

Ex quo sequitur, firma esse Vota, à 79
filio pubere emissa, quibus vovet Castitatem, Religionem, susceptionem Sacri Ordinis, Orationes, jejunia, aliàsque corporis afflictationes moderatas; contrà irritari à Patre posse Vota à filio edita, quibus vovet oblationem de bonis, quorum dominium, & administrationem habet pater, longam peregrinationem, jejunia, & abstinentiam cum periculo, morbi, vel domestici ordinis perturbatione conjunctam &c. nam per ista paterno juri præjudicat, non per illa.

Excipitur 1. si filius non ampliùs sit 80
in potestate Patris: nam eo casu Vota ipsius non ampliùs à patre irritabilia sunt; quia sui juris est, nec Patri quoad personam, vel bonorum administrationem subjectus, Pal. *tr. 15. D. 2. p. 7. n. 13.*

Excipitur 2. si disponat de bonis suis Castrensibus, vel quasi Castrensibus, vel Adventitijs quidem, talibus tamen, ut eorum administrationem, & usumfructum filiusfamilias habeat; quia tunc Votum de ijs faciendo non præjudicat Patri. Pal. *l. cit. n. 12.* & apud hunc Sanch. *l. 4. mor. c. 35. n. 41.*

Excipitur 3. Votum, vel Juramen- 81
tum eundi Romam pro impetranda absolutione Excommunicationis reservatæ, si aliter impetrare absolutionem non possit; quia hoc casu peregrinatio ista est medium necessarium saluti filij. Sanch. *c. 35. cit. n. 27.* Pal. *l. cit. n. 11.*

Excipiunt aliqui 4. Votum peregrinationis in subsidium Terræ Sanctæ *arg. c. ex multa 9. h. tit.* ubi viris, etiam uxoribus renitentibus, executio hujus permittitur ob boni publici favorem, qui in hoc subsidio præstando cernitur. Sed meliùs negatur ista exceptio; quia, ut Suar. *l. 6. de Vot. c. 5. n. 11.* Sanch. *l. cit. n. 26.* Pal. *n. 10.* & alij ab his citt. advertunt, exceptio hæc virorum, conjugatorum est à Jure communi exorbitans, neque ad alios casus extendi debet.

Dub.

82 Dub. 3. an, & quomodo Servorum suorum Vota possit irritare Dominus ? Distinguunt aliqui inter Servum puberem, & impuberem ; nam posterioris Vota omnia irritari ab hero posse, prout possunt filij impuberis à patre, existimant plures, & graves DD. apud Sanch. *l. 4. mor. c. 35. n. 83.* Sed hic eorum sententiam approbare non audet; quia solido fundamento caret, solique pietati innititur, quæ sufficiens non est ad potestatem hanc dominativam adstruendam: & hinc *n. 84.* cum Bonacin. *D. 4. q. 2. p. 7. §. 2. n. 18.* Pal. *tr. 15. D. 1. p. 7. n. 8.* dicendum putat, integrum esse impuberi Servo se Votis adstringere independenter à Domini voluntate, modò per illa debitum Domino servitium non impediatur.

83 Quare de Servo sine discrimine, an pubes, vel impubes sit, tenendum, ab hero ejus Vota ab ipso emissa irritari illa duntaxat posse, quæ potestati illius dominativæ præjudicant, non verò alia. Ita S. Thom. *2. 2. q. 88. art. 8. ad 2.* Abb. *in c. scripturæ 4. h. tit. n. 6.* Navarr. *Man. c. 12. n. 64.* Sanch. *l. 4. mor. c. 36. n. 2.* Vallens. *hic §. 3. n. 4.* Zœs. *n. 69.* Schambog. *n. 43.* Wiest. *n. 54.* & hoc teste communiter Interpp. & DD.

84 *Ex quo sequitur*, quòd Dominus non possit irritare Vota servi, quibus is vovit Divinorum præceptorum observantiam, continentiam, orationes, jejunia moderata, & his similia opera: posse autem irritare Vota ejusdem realia; quia cùm quidquid lucratur, domino lucretur, secluso peculio, non habet, unde solvat: item personalia quædam, uti est Votum Religionis, Sacri Ordinis suscipiendi, obeundæ peregrinationis, & aliorum similium, quæ à servitio Domini eundem abstrahunt: quorum omnium ratio est, quia per hæc posteriora præjudicium fit Domino, non autem per priora.

85 Dub. 4. quæ Vota Religiosorum sibi subjectorum irritare possint Prælati Regulares ? R. hi subditorum suorum Religiosorum Vota irritare possunt omnia, excepto Voto ingrediendi Religionem strictioris observantiæ, & ijs Votis, quæ essentialia sunt vel Religiosis omnibus, vel in aliqua certa Religione annexa Votis substantialibus, uti est quartum de Redemptione captivorum in Mercenarijs, de abstinentia à carnibus in Minimis S. Francisci de Paula, obedientiæ Summo Pontifici exhibendæ, & alia quædam in Societate JEsu &c. Ita S. Thom. *2. 2. q. 88. art. 8. ad 3. & 4.* Navar. *Man. c. 12. n. 65.* Sayr. *Clav. Reg. l. 6. c. 10. n. 9.* Azor. *p. 1. l. 11. c. 17. q. 16. & 17.* Less. *l. 2. de Just. c. 40. n. 75.* Suar. *tom. 2. de Relig. l. 6. c. 7. n. 3.* Sanch. *l. 4. mor. c. 33. n. 4. & seqq.* Laym. *l. 4. tr. 4. c. 7. n. 6. concl. 3.* Pal. *tr. 15. D. 2. p. 8. n. 2. & 3.* Vallens. *hic §. 3. n. 4.* Zœs. *n. 70.* Schambog. *n. 41.* König. *n. 23.* Wiest. *n. 55. Ratio est*, quia Religiosus velle, & nolle non habet, sed ex istius, quem DEI vice super caput suum posuit, & cujus imperio se subjecit, potestate pendet, ut dicitur *c. si Religiosus 27. pr. de Elect. in 6.* ex quo sequitur, quòd sine Superioris sui consensu nihil firmiter vovere possit, quin ab isto revocari valeat.

Extenditur potestas hæc etiam ad Abbatissas, & Prioriss as quoad Vota suarum Monialium, cum limitatione tamen; nam Superiores Regularium mares, ut dictum est, irritare possunt Vota Regularium suorum omnia: at Abbatissæ, & Prioriss æ probabiliter solùm illa, quæ domesticæ ipsarum gubernationi præjudicare, vel obesse possunt, ut rectè advertunt Azor *p. 1. l. 11. c. 17. q. 3 ad fin.* Pal. *p. 8. cit. n. 7.* Wiest. *hic n. 86.* Ratio est, quia licèt per Votum Obedientiæ Moniales Abbatissis, & Prioriss is suis non minùs subjiciantur, ac Abbatibus, & cæteris Superioribus suis subjiciuntur cæteri Religiosi, non tamen in Moniales suas aliam potestatem habent, quàm domesticam, & quæ domûs, & familiæ rectam gubernationem concernit. 86

Excepi autem Votum transeundi ad Religionem strictioris observantiæ, & substantialia, vel annexa substantialibus ex Constitutionibus Ordinis; nam ista nullus Superior Regularis irritare potest: prius quidem, quia, ut ad strictiorem observantiam Religiosus transeat, Superioris consensu non indiget, cons. quoad hoc à voluntate Superioris sui est prorsus independens; posteriora autem, quia Superioris est curare, ut ea, quæ substantialia sunt Religioni, vel substantialibus annexa, potiùs observentur, quàm relaxentur. 87

Dub. 5. an, & quæ Vota uxoris suæ possit irritare maritus, & vicissim mariti uxor? 88
Certum est 1. posse maritum uxoris, & uxorem mariti Vota irritare, quæ mutuæ cohabitationi, & obligationi præjudicant, qualia sunt longa peregrinatio, immoderatæ abstinentiæ, & similia opera, usum Matrimonij multo difficiliorem reddentia. Navarr. *Man. c. 12. n. 64.* Suar. *l. 6. c. 4. n. 8. & seqq.* Sanch. *l. 4. mor. c. 34. n. 20.* Pal. *tr. 15. D. 2. p. 6. n. 9.* Zœs. *hic n. 69.* Wiest. *n. 58.*

Certum est 2. maritum posse irritare saltem indirectè Vota uxoris, si hæc præjudicent rectæ educationi prolis, domesticæ gubernationi, & administrationi familiæ; quia Vir est caput mulieris, quæ propterea in præjudicium illius vovere nil potest. Pal. *n. 5.* & apud hunc Less. Suar. Bonacin.

Difficultas est, an maritus Vota uxori suæ irritare omnia possit an solùm hactenus recensita ? Prius affirmat cum quibusdam alijs Sanch. *l. 4. mor. c. 34. n. 3.* & videtur istud probari. 1. ex illo *Num. 30. v. 13.* ubi adstruitur marito potestas contradicendi sponsioni uxoris generaliter, nullâ materiâ Voti exceptâ. 2. *Ephes. 5. v. 22.* S. Paulus, *Mulieres, inquit, viris suis subditæ sint, sicut Domino; quoniam vir est caput mulieris, sicut* 89

Chri-

Christus est caput Ecclesiæ. ergo sicut Ecclesia subjecta est Christo in omnibus, ita & mulieres viris suis. 3. ad conservandam pacem, mutuúmque amorem inter conjuges necessarium fuisse videtur, ut mulier plenè viro in omnibus esset subjecta, neque velle, aut nolle haberet, nisi secundùm viri beneplacitum.

90 Sed meliùs alij marito adstruunt potestatem irritandi Vota uxoris tantùm illa, quæ usui matrimonij, rectæ educationi prolis, domesticæ gubernationi, & administrationi familiæ præjudicium afferre possunt; cætera ab uxore, etiam sine consensu mariti edita, manere firma. Ita Navarr. *Man. c. 12. n. 64.* Azor *p. 1. l. 11. c. 17. q. 12.* Less. *l. 2. de Just. c. 40. n. 89.* Suar. *l. 6. de Voto c. 4. n. 2.* Laym. *l. 4. tr. 4. c. 7. n. 12.* Pal. *tr. 15. D. 2. p. 6. n. 2.* Zœs. *hic n. 69.* Wiest. *ibid. n. 57.* & alij plures ab his *citt.* *Ratio est*, quia nullo Jure potestas adeo universalis marito adstruitur in actiones prorsus omnes uxoris: sed neque ratio tam amplam in illo potestatem probat; quia potestas irritandi Vota, per jus marito competens, solùm oritur ex contractu Matrimonij, cons. fini ejusdem commensurari debet, atqui sic restricta potestas se tantùm extendit ad Vota, quibus præjudicium affertur marito, ergo hæc sola irritare potest.

91 Neque contrarium evincunt Argumenta allata. *Ad 1.* imprimis Lex illa ceremonialis, vel judicialis duntaxat fuit; cons. morte Christi extincta: deinde universalitas textûs satis restringitur per ℣. *14.* subsequentem, ubi mentio fit de Votis tantùm jejunij, & abstinentiæ, quæ finem conjugij spectant. *Ad 2.* textu illo plus non probatur, quàm quòd uxor quoad prædictos fines subjecta sit viro, sicut Ecclesia subjecta est Christo. *Ad 3.* neque alia subjectio necessaria esse videtur ad conservandam pacem, & mutuum amorem conjugum.

92 VI. Obligatio Voti cessat *Redemptione*, & *Commutatione.* *Redimi* obligatio Voti tunc dicitur, quando peregrinationi, vel alteri pio operi, quod Voto promissum est, substituitur certa pecuniæ quantitas: quod frequenter fiebat tempore Belli Sacri in Votis factis pro recuperatione Terræ Sanctæ. *Commutari* verò dicitur Votum tunc, quando Operi pio substituitur aliud opus pium: quod si fiat, opus pium substitutum virtute priùs editi Voti præstandum est; quia subrogatum sapit naturam ejus, cui subrogatur *c. Ecclesia 3. & 4. ut lit. pendent.* Commutationis Votorum hodie frequentissimus usus est. Fieri potest vel in melius, vel in æquale, vel in minus. Hinc

93 Dub. 1. quis commutare Vota possit in melius? ℟. si id, in quod commutandum est, sit evidenter melius, Deóque gratius, non requiritur authoritas Superioris, sed propria voventis voluntate commutari possunt. Ita Navarr. *Man. c. 12. n. 75.* Azor *p. 1. l. 11. c. 18. q. 1.* Suar. *l. 6. de Vot. c. 18. à n. 4.* Sanch. *l. 4. mor. c. 49. n. 4.* Laym. *l. 4. tr. 4. c. 8. n. 19.* Pal. *tr. 15. D. 2. p. 15. n. 2.* Vallens. *hic §. 3. n. 5.* Zœs. *n. 73.* Pirh. *n. 24.* Schambog. *n. 47.* Wiest. *n. 60.* & hoc teste communissima DD. sententia. Colligitur ex *c. peregrinationis 1.* & *c. scripturæ 4. h. tit.* Ratio est, quia promissum non infringit, qui in melius illud commutat *c. pervenit 3. de jurejur.* nam hoc ipso, quòd opus substitutum, omnibus consideratis, melius sit, quàm id, quod est promissum, à DEO, cui ob summam rectitudinem voluntatis necessariò magis placent ea, quæ meliora sunt, substitutum opus loco ejus, quod Voto promissum est, acceptatur: ut adeo omni Voto intelligatur inesse conditio, *Nisi rem meliorem elegero, vel substituero.*

Dub. 2. quis commutare Vota possit in evidenter æquale, sive æquè bonum? 94 *Certum est*, commutari illa sic posse, saltem superveniente Superioris authoritate. An verò sine hac, sola voluntate voventis, dubium est inter DD. Affirmant Henriq. *l. 5. c. 20. n. 5.* & *l. 7. c. 30. n. 5.* Rodriq. *tom. 2. summ. c. 110. n. 4. concl. 4.* Tambur. *l. 3. Decal. c. 16. §. 5. n. 14.* & alij apud Sanch. *l. 4. mor. c. 49. n. 10.* Moventur 1. quia si res, seu materia Voti sit evidenter æqualis, seu æquè bona, non potest non æqualiter esse grata DEO, ergo utrâvis præstitâ, satisfiet obligationi Voti. 2. quia etiam homini per æquale satisfit, si ipse non sit invitus. igitur satisfiet etiam DEO, cùm non invitum esse hoc casu ob ejus benignitatem præsumi possit.

Sed meliùs tenetur negativa, quam 95 etiam defendunt Less. *l. 2. de Just. c. 40. n. 105.* Suar. *l. 6. de Vot. c. 19. n. 3.* Sanch. *c. 49. cit. n. 12.* Laym. *l. 4. tr. 4. c. 8. n. 19. concl. 2.* Pal. *tr. 15. D. 2. p. 15. n. 4.* Zœs. *hic n. 73.* Pirh. *n. 25.* Schambog. *n. 48.* Wiest. *n. 61.* *Ratio est*, quia difficile, & pene impossibile est, cognoscere æqualitatem materiæ subrogatæ cum ea, quæ promissa est; cons. periculum est, ne sæpe minus bonum præ majori bono, vel æquali exhibeatur.

Neque obstant Argumenta opposita. 96 *Ad 1.* etsi opus subrogatum secundùm se, & alias circumstantias spectatum æquale sit, promissum tamen melius, gratiúsque DEO est; quia gratius DEO est, si promissio in sua specie impleatur, & fideliter reddatur. *Ad 2.* negatur Suppositum, quòd DEUS immutationem ejusmodi acceptet, cùm, ut modò dictum est, gratius ipsi sit promissionem impleri in specie.

Dub. 3. quis commutare Vota possit in minus? 97 ℟. ad hoc juxta omnes opus est authoritate Superioris; quia commutatio in minus potiùs est dispensatio, quæ fieri solùm à Superiore potest, vel ab habente privilegium Pontificium.

In specie commutare Vota sic potest. 1. Pon-

1. Pontifex : éſtque hæc ejus poteſtas ad nullos certos ſubditos , vel caſus reſtricta , cùm univerſaliſſimam habeat poteſtatem in univerſam Eccleſiam.

2. Epiſcopus reſpectu ſuæ Diœceſis, & alij Prælati Jurisdictionem quaſi Epiſcopalem obtinentes reſpectu ſubjectorum Jurisdictioni ſuæ in caſibus Sedi Apoſtolicæ non reſervatis.

98 3. quidam alij , qui vi privilegij , delegationis, Bullæ Cruciatæ, & Jubilæi poteſtatem Vota commutandi habent ; quorum poteſtas quanta ſit, & ad quæ Vota ſe extendat , inſpici tenor privilegiorum , mandati delegationis , & conceſſionis debet.

4. Generaliter omnes, qui poteſtatem diſpenſandi in ejusmodi Votis habent ; nam in tali caſu procedit Regula , *Cui licet plus , licet utique , quod eſt minus* , quæ eſt *53. in 6.* eſt autem plus diſpenſare , quàm commutare ; quia per diſpenſationem Voti obligatio omnino tollitur , non item per commutationem , ſed ſub onere alterius materiæ ſubrogandæ.

99 Dub. 4. quid obſervandum ſit volenti commutare Votum ſibi ſubditi? ℟. tria hæc. 1. Votum ejusmodi non debet eſſe reſervatum poteſtati ſuperiori ; nam hoc ipſo , quòd illa ſibi reſervârit Superior , eadem ex arbitrio aliorum excepit.

2. Ut non ſit acceptatum ab eo , in cujus utilitatem factum eſt ; nam ſi acceptatum ſit ab ipſo , cùm per acceptationem acquiratur ei jus, exhibenda eſt res promiſſa , neque in aliud , etiam melius , ipſo invito , commutari poteſt , ut *arg. pr. Inſt. quib. mod. oblig. tollit.* docet Sylv. *V. Votum 4 q. 7. dict. 5.* Henriq. *l. 7. c. 30. n. 5.* Tambur. *l. 3. Decal. c. 16. §. 5 n. 5. & 6.* Vallens. *hic § 3. n. 6.* Pirh. *n. 26.* Wieſt. *n. 63.* & alijpaſſim. *Excipitur* , niſi commutans ſit ejus , in cujus utilitatem factum eſt , dominus , aut Superior tam ab ſolutus , ut poſſit ipſi auferre rem quæſitam, & dare alteri. Piaſec. *p. 2. c. 1. art. 3. n. 8. ℣. in commutatione.*

100 3. Ut commutatio fiat ex juſta cauſa: ubi diſtinguendum , an commutatio fiat in melius , an in æquale , vel minus. *Si in melius* , ipſa ſubrogatio rei , vel operis melioris eſt juſta cauſa commutationis , ut notat Navarr. *Man. c. 12. n. 63.* Sanch. *l. 4. mor. c. 50. n. 15.* Laym. *l. 4. tr. 4. c. 8. n. 21. ℣. altera quæſtio* , Schambog. *hic n. 49.* König *n. 24.* Wieſt. *n. 64.* At ſi in æquale , vel minus , opus eſt interventu cauſæ diſtinctæ : & hoc requiritur non tantùm , ut licitè , ſed etiam ut validè diſpenſetur , ut rectè advertit Sanch. *l. 4. cit. c. 45. n. 3.* Laym. *n. 22.* Pirh. *hic n. 34. not. 1.* Schambog. *n. 49 cit.* & colligitur ex *c. 1. 2. 7. & 8. h. tit.* in quorum textuum caſibus omnibus commutationis cauſa intervenit.

101 VII. Denique obligatio Voti ceſſat *Diſpenſatione.* Eſt autem *Diſpenſatio* Voti obligationis per id inductæ DEI nomine facta remiſſio. Ut rite fiat, requiritur 1. poteſtas in diſpenſante , ne ſcilicet Voti talis diſpenſatio ſit alteri Superiori reſervata.

2. Si in favorem , & utilitatem alterius vel Eccleſiæ , vel communitatis , aut etiam privati hominis factum ſit , & ab hoc acceptatum , requiritur hujus conſenſus ; nam jus alteri quæſitum eidem invito ne Papa quidem auferre poteſt , niſi aut neceſſitas , aut utilitas valde magna id ſuadeat.

3. Debet accedere uſta cauſa ; & hæc 102 requiritur non tantùm ad licentiam , ſed etiam ad valorem diſpenſationis , ut unanimiter TT. & Canoniſtæ docent , & demonſtrat ratio evidens ; quia ſine juſta cauſa diſpenſans excedit limites poteſtatis ſibi conceſſæ , utpote quæ indulta ipſi eſt ad ædificationem, non ad deſtructionem , & diſſipationem. Accedit , quia diſpenſatio Voti fit DEI nomine: iſte autem in remiſſionem obligationis erga ſe contractæ , ſine juſta cauſa , etiam bono fine factam , tanquam irrationabilem , & rectæ gubernationi præjudicantem non cenſetur conſentire. Videatur Pal. *tr. 15. D. 2. p. 9. n. 3. & 4.* ubi etiam examinat quæſtionem , an valeat diſpenſatio facta ex cauſa , quæ bona fide exiſtimatur eſſe juſta ; & reſpondet negativè.

Dub. 1. quis diſpenſare in Votis poſ- 103 ſit? ℟. Poteſt 1. Pontifex , idque illimitatè quoad omnes Fideles , & omnia iſtorum Vota , etiam Solennia , ex generaliſſima poteſtate ligandi , & ſolvendi S. Petro , & ejus Succeſſoribus à Chriſto tradita.

2. Epiſcopi , & alij Prælati Eccleſiaſtici Jurisdictionem quaſi Epiſcopalem obtinentes : & hi quidem poteſtate ordinariâ , ſibi communicatâ à Summo Ponrifice : ſed cum limitatione duplici , nempe ad ſubditos ſuos duntaxat , & certis caſibus , votisque exceptis, nempe ijs , quæ Summo Pontifici reſervata ſunt.

3. Alij à Papa delegati , vel Privilegiati juxta formam mandati , vel privilegij ſui. Hæc ſatis certa.

Difficultas eſt , an diſpenſare cum No 104 vitijs Prælatus illorum Regularis poſſit? Negant id poſſe poteſtate ordinaria Azor *p. 1. l. 11. c. 19. q. 21.* Sayr. *Clav. Reg. l. 6. c. 11. n. 92.* Suar. *l. 6. de Vot. c. 11. n. 9.* & probari videtur, 1. quia Novitij non videntur ſubjici Religionum Prælatis , niſi quatenus neceſſarium fuerit , ut ipſi Religionem experiantur , & Religio ipſos, atqui ad hunc finem non eſt neceſſaria poteſtas abſoluta diſpenſandi in Votis non præjudicantibus ſupradicto experimento, ergo &c. 2. Prælatus Regularis non poteſt Novitio ſuo concedere Dimiſſorias ad Ordines. ergo nec cum eo diſpenſare in Votis ; nam utraque poteſtas Jurisdictionem requirit. 3. cum Novitijs poteſt diſpenſare Epiſcopus ; quia cùm Religioſi verè non ſint,

à Jurisdictione illius plenè non eximuntur, atqui non videtur Novitius duplicem habere Prælatum ordinarium in ordine ad dispensationem in Votis, ergo &c.

105 Sed tenenda tanquam probabilior sententia affirmativa, quam etiam defendunt Sylv. *V. dispensatio q. 14.* Rodriq. *tom. 1. qq. Regul. q. 25. art. 8.* Sanch. *l. 4. mor. c. 39. n. 17.* Pal. *tr. 15. D. 2. p. 10. n. 3.* & alij ab his *citt.* *Ratio est*, quia Prælatus Regularis, etsi in Novitios non habeat potestatem dominativam, habet tamen in eosdem Jurisdictionem Spiritualem Ecclesiasticam, ut bene cum alijs Navarr. *Man. c. 12. n. 65.* sed potestas dispensandi in hac Jurisdictione fundatur. ergo &c.

106 Neque obstant Argumenta contraria. *Ad 1.* etsi plena, & integra Jurisdictio in Novitios Prælatis Religionum necessaria non sit, est tamen conveniens, ut sic perfectiùs regi possint: & propterea meritò præsumitur concessa à Summo Pont. *Ad 2.* in concessione Dimissoriarum diversa est ratio; nam has ideo Prælatus Regularis non potest Novitio suo concedere, quia cum iste Religionem possit deserere, non expediebat Prælatum in se suscipere onus, quod Litteras Dimissorias danti incumbit, providendo scilicet ordinando de necessarijs. *Ad 3.* non est inconveniens Novitium dispensationis Beneficium à pluribus posse accipere, cùm id in ejus utilitatem, & favorem Religionis cedat.

107 Dub. 2. quænam sint justæ causæ ad dispensationem Voti? R. causæ hujusmodi plures sunt, ut videre est apud Sanch. *l. 4. mor. c. 45. à n. 26.* Suar. *l. 6. de Vot. c. 17. n. 8.* Pal. *tr. 15. D. 2 p. 9. n. 5.* Wiest. *hic n. 66.* Reducuntur omnes ad sequentia capita. 1. si defuerit plena libertas in vovendo: ob hoc Vota in ætate pupillari edita facilè relaxantur: imò tunc aliâ causâ ad dispensandum opus non est; hoc ipso enim, quòd ejusmodi Votum ab impubere editum sit, præsumitur ex levitate, & imprudentia fuisse editum, cùm impuberes maturo consilio, atque judicio careant. 2. si ex vehementi aliqua passione editum, aut gravi metu injustè incusso extortum sit; nam etiam hoc casu plena libertas in vovendo deficit. 3. si Votum emissum propter voventis fragilitatem, inconstantiam &c. occasio ruinæ spiritualis sit, vel si illud cedat in damnum familiæ, aut magnum istius, vel etiam communeReipublicæ bonum impediat. 4. si in ejus executione appareat gravis, & antè non prævisa difficultas, insufficiens tamen ad auferendam obligationem Voti. 5. si dubia sit intentio voventis, vel iste erraverit circa causam impulsivam. 6. si causa impulsiva, vel etiam finalis ex parte cessaverit &c.

108 Dub. 3. quænam Vota sint reservata Summo Pontifici? R. sunt duntaxat quinque, nempe Castitatis, Religionis, & Peregrinationis in Terram Sanctam, Romam ad Limina Apostolorum, & Compostellam ad S. Jacobum. Ut autem talia sint, debent in suo genere esse perfecta; nam quando imperfecta sunt, v. g. quòd materiæ reservatæ tantùm aliqua pars promittatur, vel circumstantiæ materiæ reservatæ non sint, neque ipsa Vota quoad ejusmodi circumstantium sunt reservata.

Hinc reservata non sunt. 1. Votum non nubendi, non fornicandi, aut peccandi adversùs Castitatem, servandi eam ad tempus, non petendi debitum; quia est Votum diminutæ Castitatis, non perfectæ, & integræ. 109 2. Votum suscipiendi SS. Ordines, emittendi Votum Castitatis post aliquod tempus; quia non sunt de Castitate servanda, sed de ejus observantia solùm promittenda. 3. Votum peregrinationis Romam, aut Compostellam vel in Terram Sanctam ob alium finem, quàm devotionis, vel subsidij Terræ Sanctæ ferendi factum; nam ex his tantùm causis reservantur Peregrinationum istarum Vota. 4. Votum, quo disjunctivè Castitas, vel jejunium Sabbatinum ingressus Religionis, vel susceptio Sacri Ordinis promittitur; quia Vota ista non cadunt præcisè ad materiam reservatam, sed ijsdem alterutrum faciendo fit satis. 5. Votum ingrediendi Religionem non approbatam; quia non est Votum Religionis propriè dictæ. 6. ipsum Votum Castitatis, vel Religionis approbatæ, si injustè incusso metu extortum sit; quia perfectum consensum non habet. Vide Sanch. *l. 4. mor. c. 40. à n. 24.* Laym. *l. 4. tr. 4. c. 8. à. n. 8.* Pal. *tr. 15. D. 2. p. 11. n. 1.* & *seqq* Wiest. *hic n. 70. & 71.*

Dub. 4. quando inferiores Prælati 110 dispensare possint in Votis reservatis? R. plures ejusmodi casus sunt, ut videre est apud Pal. *tr. 15. D. 2. p. 12. n. 1. & seqq.* & alios ab hoc *citt.* Et 1. quidem, quando vovens ad observantiam illorum se obligavit tantùm sub veniali; nam reservatio est odiosa, & idcircò intelligi debet de Voto facto ex intentione imponendi sibi per illud obligationem proportionatam materiæ reservatæ, quod hoc casu non fit.

2. Quando dispensatio necessaria est ad evitandum grave scandalum, infamiam &c. & ad Papam in tempore recurri nequit; quia tali casu dispensationem committi Prælatis inferioribus bonum commune, & recta fidelium subditorum gubernatio exigit.

3. Quando dubium est, an Votum sit reservatum; nam credendum est reservatum non esse, cùm reservatio sit strictè interpretanda, ac proinde ad solos casus certos extendenda.

4. Quando potestas illa relaxandi 111 est obtenta consuetudine legitimè præscripta; quia

quia consuetudo sicut constituere Legem, ita etiam abrogare constitutam potest.

5. Quando eadem facultas data est alicui Privilegio Apostolico; potest enim Pontifex reservationem hanc, utpote Jure Ecclesiastico introductam, omnino tollere. igitur & potestatem in hujusmodi Votis dispensandi certis personis concedere.

6 Quando Votum ejusmodi extortum est metu injustè incusso, etiam levi; præterquam enim, quòd tale Votum, *ut n. 109.* dixi, perfectum consensum non habeat, non censendus est Pontifex ita emissum reservare, ne videatur injuriantis iniquitati favere. Hæc satis certa.

112 *Difficultas est*, an reservata, & consà solo Romano Pontifice dispensabilia sint Vota Castitatis, Religionis, & triplicis Peregrinationis memoratæ, quando illa non absolutè, sed sub conditione de futuro emittuntur, e. g. *si consecutus fuero hoc officium, si recuperavero sanitatem, si ex naufragio, pugna, incendio &c. salvus evasero.* Affirmant reservata esse, postquam conditio impleta fuerit, Sot. *l. 7. de Just. q. 2. art. 1. ad 4.* Gutier. *qq. can. l. 2. c. 22. n. 51.* Azor *p. 1. l. 11. c. 19. q. 13.* Pont. *de Matrim. l. 8. c. 9. n. 7.* & alij relati à Sanch. *l. 8. de matrim. D. 10. n. 7. Fundantur*; quia promissio conditionata, impleta conditione, transit in absolutam, & eosdem sortitur effectus, quos sortita fuisset, si fuisset ab initio absolutè facta. atqui Vota ejusmodi, si facta fuissent absolutè, fuissent reservata Summo Pontifici. ergo etiam reservata erunt Vota illa, si posita conditione, transeant in absoluta. *Conf.* à pari; nam etiam sponsalia conditionatè facta, positâ conditione impedimentum publicæ honestatis inducunt. igitur etiam Vota conditionata, posita conditione, subjacebunt reservationi.

Sed adhuc dicendum, probabiliùs hu- 113
jusmodi Vota, si emissa sint sub conditione in futurum pendente, & contingente, licèt illa eveniat, reservata non esse. Ita Henriq. *l. 7. de Indulg. c. 30. n. 6.* Gomez. *Bull. cruciat. clauſ. 10. n. 99.* Petr. de Ledesm *Summ. p. 2. tr. 10. c. 8. pag. 116.* Tolet. *l. 4. summ. c. 18. n. 11.* Sanch. *D. 10. cit. n. 8.* Pal. *tr. 15. D. 2. p. 12. n. 15.* Wiest. *hic n 73. Ratio est*, quia, ut *n. 108.* dixi, reservatione, tanquam voventi onerosa, & odiosa, comprehendi solùm debent Vota ex natura sua perfecta. talia non sunt Vota conditionalia; quia censentur fieri majori affectu in conditionem, sub qua fiunt, quàm in rem promissam, de qua fiunt. ergo &c. *Conf.* saltem dubium est, an hujusmodi Vota sint reservata, cùm utrinque gravissimi DD. stent. atqui in dubio, an Votum sit reservatum, pro non reservato habendum est, ut dixi *n. 110. in fin.* ergo &c.

Dixi, *si emissa sint sub conditione in fu-* 114
turum pendente, & contingente; nam si emissa sint sub conditione de futuro necessaria, vel contingente quidem, sed de præsenti, vel præterito, reservatis accenseri debent, ut notat Pal. *n. 17.* cum alijs à se *citt.* quia apparenter solùm conditionalia sunt, reipsa autem absoluta; & licèt cum displicentia quadam rei promissæ sint edita, præstitus tamen in ipsa consensus est integer, & perfectus. 115

Neque obstat Argumentum contrarium; quia licèt impletio conditionis obligationem perficiat, modum tamen promittendi non mutat, neque affectûs, & consensûs imperfectionem tollit. *Ad Conf.* nego paritatem; nam in Sponsalibus in ordine ad inducendum impedimentum publicæ honestatis spectatur solus eorum valor; at in reservatione Votorum perfectus in rem promissam consensus.

TITULUS XXXV.

De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

POst enarrata illa, quæ de Regularium conversione, Novitiatu, Professione, & Votis per SS. Canones sunt constituta, sequitur de Statu, & conservatione illorum. *Status* est vitæ ratio, quâ alteri quis irrevocabiliter devincitur. In Ecclesia Statuum tria sunt genera, Clericorum, Religiosorum, Conjugatorum. Religiosorum Statum, qui solus ad Rubricam præsentem pertinet, præcipuè constituunt tria Vota Religiosa, Paupertatis, Castitatis, Obedientiæ, quæ propterea Religionis substantialia appellantur. Sit igitur

§. I.

De Voto Paupertatis Religiosæ.

SUMMARIUM.

1. *Ad quid obligetur Religiosus ratione Voti Paupertatis Religiosæ?*
2. *Non includitur hoc Voto renuntiatio Beneficij Ecclesiastici, & aliorum Jurium Spiritualium.*
3. *Nec famæ aut honoris.*

4. *Non est de essentia Paupertatis Religiosæ ut dominio rerum temporalium privet, aut voventem incapacem illius reddat?*
5. *Quæ sit observantia Paupertatis Religiosæ?*
6. *Quid singulare circa hanc habeant FF. Minores de Observantia, Capucini, & Societas JESU?*
7. *Dispositio Religiosi Professi de bonis temporalibus est invalida.*
8. *An ita invalida sit etiam Dispositio Scholastici in societate JESU?*
9. *Defenditur negativa.*
10. *Objectiones solvuntur.*
11. 12. *An Religiosis licitum sit habere Peculium?*
13. *Quid de hoc tenendum moderno Jure post Trid.*
14. *Deciditur negativa.*
15. *An sub eodem Decreto etiam comprehendantur Vitalitia?*
16. 17. *Respondetur distinguendo.*
18. &c. *Quibus modis Religiosus contra Votum Paupertatis peccare possit?*
24. *Quæ licentia Superioris excuset subditum à Paupertatis transgressione?*
25. *An data ad usus turpes, vanos, superfluos?*
26. *An Tacita?*
27. *Vel Præsumpta?*
28. *Si adiri quidem Superior possit, sed non adeatur ob respectum humanum, pudorem &c.*
29. *Deciditur affirmativa.*
30. *Explicatio Decisionis.*
31. *An hoc casu requiratur cognitio certa, quòd sit consensurus Superior?*
32. *Solvuntur objectiones.*
33. 34. 35. 36. *Quid si neget Superior, vel negaturus prævideatur licentiam præter morem Prælatorum ejusdem Ordinis?*
37. *Quale peccatum sit violatio Paupertatis Religiosæ?*
38. *Quando grave?*
39. *Quænam pœnæ impositæ sint violantibus Paupertatem?*
40. *A quibus hæ incurrantur?*

1 QUæritur 1. ad quid obligetur Religiosus ratione Voti Paupertatis Religiosæ? R. ex hoc Voto obligantur Religiosi omnes, & singuli, ne proprium quid habeant, vel aliquo tanquam proprio utantur, prout constat ex *can. non dicatis 11. caus. 12. q. 1. c. Monachi 2. c. super quodam 4.* & *c. cùm ad Monasterium 6. h. tit.* quia hoc Votum emittentes se abdicant in perpetuum omni rerum temporalium externarum, quæ *Bona fortunæ* dicuntur, dominio, possessione, vel alio reali Jure, vel saltem libera dispositione illarum, & usu.

2 Dixi 1. *Rerum temporalium*; nam Beneficium Ecclesiasticum acquirere, & retinere, saltem cum Superiorum suorum consensu, Religiosus potest, modò fructus, qui titulo Beneficij percipiuntur, non sibi, sed Monasterio, vel Ecclesiæ suæ acquirat. Laym. *l. 4. tr. 5. c. 7. n. 2.* Engl *hic n. 1.* Wiest. *n. 18.* Ratio est; quia Jus Beneficij Ecclesiastici Spirituale est; Spiritualium autem Jurium incapacem Professio Religiosa non facit. Idem dic de Jure eligendi, præsentandi, conferendi hujusmodi Beneficia, aut Dignitates Ecclesiasticas; nam etiam hæc Jura acquirere, retinere, & pro ijsdem acquirendis, retinendis, recuperandis agere etiam suo nomine Religiosus non prohibetur, cùm & ipsa sint Spiritualia, vel Spirituali annexa. Navar. *comment. 2. de Regular. post princ.* Mirand. *Man. Prælat. tom. 1. q. 18 art. 1.* Leff. *l. 2. de J. & J. c. 4. n. 25. ℣. dixi.*

3 Dixi 2. *Externarum*; nam honori, & famæ per Professionem Religiosam non renuntiatur, imò nec renuntiari potest, cùm non sint actus ipsius honorati, sed honorantis. Laym. Engl, Wiestner *l. citt.* Potest tamen hoc non obstante, studio humilitatis voveri moderatio affectûs ad honores v. g. excludendo ambitum, & acceptationem Dignitatum, & Titulorum honoratorum, sicut in Societate JEsu faciunt Professi. Item potest aliquis (prout in eadem Societate per Institutum illius injungitur) contentum se ostendere, ut quicunque defectus sui per quemcunque, qui extra Confessionem Sacramentalem notitiam illorum acceperint, ad Superiorem ad Spiritualem deferendi fructum, & correctionem deferantur.

Dixi 3. *Vel saltem libera dispositione, & usu:* quod additur propter Scholasticos, & 4
Coadjutores nondum formatos in Societate JEsu, qui ex justis causis post edita Vota Simplicia dominium bonorum temporalium aliquamdiu retinent, sed usum illorum, & dispositionem non habent, nisi dependenter à Superiorum suorum licentia. Laym. *c. 7. cit. n 3. Ex quo sequitur*, non esse de essentia Paupertatis Religiosæ, ut dominio rerum temporalium privet, sed tantùm ut privet potestate utendi, ita, ut absque Superioris consensu non possit ulla re uti, vel de re ulla disponere, & illo volente tenearis etiam ejus dominium abdicare, ut bene advertit Less. *c. 4. cit. n. 27.* Rationem dat, quia talis etsi dominium rerum suarum retineat, idem tamen est, acsi non haberet, cùm dominium rerum non æstimetur, nisi propter usum, & potestatem disponendi, quæ eidem per Paupertatis Votum adimitur: cons. nihil eidem deest, quò minùs censendus sit Paupertatis Religiosæ Cultor.

Quæritur 2. quæ sit observantia Pau- 5
pertatis Religiosæ? R. olim observantia hæc adeo fuit stricta, ut Monachi non solùm habere, vel retinere, sed etiam dicere aliquid proprium, aut suum vererentur: qui verò proprietatem aliquam habere deprehendebatur, expellebatur è Monasterio; & si cum ea de-

decessisset, sepulturâ Ecclesiasticâ censebatur indignus, sed in sterquilinio sepeliebatur, nummis, quos retinere præsumpserat, in proprietarium projectis, ut habetur *c. cùm ad Monasterium 6. h. tit.*

Hic tamen rigor non est de substantia Religiosi Statûs, nec unus, idémque in omnibus; nam diversa in diversis Religionibus tam in communi quàm personarum in particulari Paupertatis est observantia. In plerisque Religionibus, licèt personæ particulares dominium nullius rei temporalis habere possint, retinetur tamen, & obtinetur dominium rerum temporalium in communi.

6 Peculiarem à cæteris Paupertatis Religiosæ observantiam habent. 1. FF. Minores de Observantia, & Capucini, quippe qui juxta Regulam suam nullius rei temporalis, sive mobilis illa sit, sive immobilis, dominium etiam in communi obtinere possunt. 2. Societas JEsu, idque quoad Paupertatem tam in communi, quàm in particulari. Quoad Paupertatem in communi hoc commune Societas cum plerisque Ordinibus Religiosis habet, quòd ut alia Monasteria, ita etiam illius Collegia possidere bona in communi possint; hoc particulare, quòd Domus Professæ illius bonorum mobilium quidem dominium possint acquirere, non verò immobilium, præterquam habitationis, & horti. Quoad particulares ejusdem personas observantia Paupertatis diversa est inter easdem; nam Professi illius, & Coadjutores formati non solùm abdicant à se dominium omnium rerum temporalium, ut Professi aliarum Religionum, sed etiam successionis hæreditariæ incapaces fiunt, cujus capaces plerique alij sunt. At Scholastici ejusdem, & Coadjutores nondum formati, ut *n. 4.* dictum est, non statim abdicant à se dominium rerum suarum, sed solum usum earum liberum, quem post edita Vota Simplicia dependentem a Superiorum voluntate habent.

7 Quæritur 3. an illicita tantùm, vel etiam invalida sit dispositio Religiosi, quam post edita Vota Religiosa facit? *Certum est*, invalidam esse dispositionem Religiosi Professi; nam iste per ipsam Professionem abdicat à se dominium rerum temporalium, quas antè habuit, & incapax fit earundem; sibi imposterum acquirendarum. igitur disponendo de his disponeret de re aliena: talis autem dispositio invalida est, nisi fiat cum consensu ejus, ad quem dispositio illarum de Jure pertinet, qui respectu Religiosi est ejus Superior. ergo &c. *Excipitur* casus, quo Pater liberos habens, de substantia sua ante Professionem dispositionem non fecit; nam iste eandem etiam post Professionem, portione legitima Monasterio reservatâ, liberis suis potest dividere, non quidem jure dominij, quod Religionem profitendo amisit, sed administrationis, quam ad effectum istum eidem concessit Jus *Auth. siqua mulier C. de SS. Eccl.*

Dubium est, an valida sit dispositio, 8
quam Scholasticus Societatis JEsu de bonis suis sine consensu Superiorum fecit? Negant valere Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 139. n. 11.* Less. *l. 2. c. 4. n. 28.* Haun. *tom. 1. tr. 4. n. 38.* *Moventur 1.* textu *l. non dubium 5. C. de Legib.* ubi pro irrito habetur actus, qui gestus est contra Legem, istum prohibentem. 2. Paritate cum rerum Ecclesiasticarum alienatione, quæ facta est à Prælato sine consensu Capituli, & cum alienatione, quæ ab Pupillo sine Tutoris consensu celebrata est: quarum utraque valore caret. 3. Ratione; nam si dicatur, quòd ejusmodi dispositio nulla, & invalida omnino sit, melius obtinetur finis à Societate intentus, quæ ideo diutiùs reliquit Scholasticis suis dominium, ut facilior sit eorum è Societate dimissio; facilior autem hæc est, si propter nullitatem dispositionis, sine Superiorum consensu factæ, integrum maneat disponenti dominium. ergo &c.

Sed dicendum, probabilius ejusmodi dispositionem esse validam, quamvis illicitam, & contra Votum Paupertatis. 9
Ita Azor *p. 1. l. 12. c. 12. q. 8.* Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 10. l. 4. c. 6. à n. 12.* Sanch. *l. 7. mor. c. 8. n. 25.* & *c. 18. n. 28.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 7. n. 3.* Pal. *tr. 16. D. 3. p. 2. n. 7.* Wiett. *hic n. 29.* *Ratio est*, quia hæc dispositio nec Jure naturali, nec positivo est irrita, cum sit de rebus, quarum Religiosus dominium, & administrationem habet, licèt impeditam ex virtute Religionis ob Paupertatis Votum. Addidi *esse illicitam*; quia Religiosus Societatis, ut *n. 5.* dictum est, per Vota Simplicia abdicavit se usu libero rerum suarum, quarum dominium ex ejusdem Societatis Constitutionibus aliquousque retinet: cons. sine Paupertatis læsione de rebus suis, ignorante, aut invito Superiore suo, disponere amplius nequit. Imò idem Superior dispositionem, se inscio, vel invito factam, ob potestatem dominativam, quam in subditi voluntatem, & in ejus actiones habet, irritare, & revocare potest, sicut potest Votum, & quamlibet ejus humanam promissionem. Suar. Pal. *l. citt.*

Neque obstant Argumenta opposita. 10
Ad 1. textus *l. non dubium cit.* & alij similes intelligendi sunt de Lege, seu Jure prohibente non simpliciter, sed præscribente formam actui, aut habente clausulam irritantem sibi adjectam: quorum neutrum contingit in nostro casu. *Ad 2.* quòd nulla, & irrita sit alienatio, à Prælato sine consensu Capituli, & à Pupillo sine authoritate Tutoris facta, claris terminis in Jure proditum est: non ita proditum Jure est, quòd irrita sit dispositio facta à Religioso Societatis, ligato Votis Simplicibus, Superiore vel ignorante, vel invito. *Ad 3.* ne difficilior fiat per ejusmodi dispositionem dimissio, cavere Superior potest, si eandem re-

rescindat, & irritet, quod secundùm dicta *n. præc.* potest.

21 Quæritur 4. an Religiosis licitum sit habere peculium ex Superioris licentia? R. distinguendo inter duplex Peculium, unum Juris perfecti cum facultate de eo liberè, & independenter ab alio disponendi; alterum juris imperfecti, tribuentis administrationem, possessionem, vel detentionem, & usum dependentem ab alio, ita ut ad ejus arbitrium restringi, revocari, & omnino auferri possit. *Prius Peculium* cum Voto Paupertatis Religiosæ apertè pugnat; nam per hoc Religiosus fit incapax proprietatis rerum temporalium, vel saltem usûs ejusdem liberi, & independentis à Superioris consensu. Laym. *l. 4. tr. 5. c. 7. n. 12.* Vincent. Petra *tom. 4. comment. fol. 164. n. 7.*

Posterioris antiquo Jure Religiosus probabilius non erat incapax, ut rectè advertunt Abb. *in c. Monachi 2. h. tit. num. 4.* Navar. *comment. 2. de Regular. n. 14.* & *comment. 3. n. 27.* Suar. *tom. 3. de Relig. l. 8. c. 14. n. 4.* Sanch. *l. 7. mor. c. 22. n. 5.* Pal. *tr. 16. D. 3. p. 7. n. 2.* & communiter DD. cæteri. *Ratio est*, quia non apparet, ex quo capite (secluso speciali rigore cujusque Religionis) peculium hoc Voto Paupertatis adversetur: non enim adversatur illi de Jure naturali; quia hoc Jure Votum Paupertatis solùm obligat voventem, ne re aliqua utatur tanquam propriâ, atqui qui utitur re aliqua dependenter à voluntate Superioris, non ut propriâ, sed ut alienâ eâdem utitur. ergo &c. Non etiam adversatur illi de Jure positivo; quia nullus in hoc textus est, qui peculium à Superioris voluntate dependens Religiosis interdicat: imò *c. Monachi cit.* apertè permittitur. *Neque obstat*, quòd textus iste loquatur de Religiosis administrationem habentibus; quia causa administrationis pro peculio concedendo ibi data est, non quòd sola sufficiat, sed quòd sit frequentior.

Dubium est, an Peculium à Superio-
13 rum voluntate dependens Religiosis habere liceat etiam post Trid. quod *sess. 25. c. 2. de Regular.* statuit, *ut deinceps nemini Regularium, tam virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventûs possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur.* Navar. *comment. 2. de Regular. n. 15.* & *seqq.* & *cons. 3. n. 32 de Stat. Monach.* Mirand. *tom. 1. Man. Prælat. q. 28. art. 8.* Sanch. *l. 7. mor. c. 22. n. 11.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 103. n. 6.* Dian. *p. 1. tr. 6. resol. 32.* Tambur. *tom. 2. de Jur. Abb. D. 22. q. 5. n. 6.* Murga *tom. 2. disquis. 6. dub. 2. §. 3. n. 50.* Capon. *discept. 82. n. 6. tom. 2.* Engl *hic n. 2.* & plures alij ab his *citt.* putant hoc Decreto suo Tridentinum non statuisse Jus novum, sed clarioribus solùm verbis expressisse, quod jam antea expressum erat *c. Monachi cit.* sc. Regularibus peculium concedi non posse absque justa causa, & ad usus quoslibet, etiam superfluos.

Sed verius est, eo Sacræ Synodi De- 14
creto constitutum esse Jus novum, prout ex *c. 2. cit.* verbis *Nec deinceps liceat &c.* & toto tenore textûs colligunt Suar. *tom. 3. de Relig. l. 8. c. 14. n. 8.* Vasq. *de redit. c. 3. dub. 2. n. 14.* Leff. *l. 2. de Just. c. 4. n. 30.* Pal. *tr. 16. D. 3. p. 7. n. 5.* Coton. *l. 4. contr. 6. n. 76.* Fagnan. *in c. Monachi cit. n. 10. & seqq.* Van Espen *p. 1. Jur. Eccl. tit. 29. c. 6.* Thomasin. *de Benefic. p. 1. l. 3. c. 21.* Monacell. *p. 1. Formul. Legal. in Append. fol. 291. n. 2.* Vincent. Petra *tom. 4. comment. fol. 169. n. 25.* qui *n. 27. & seqq.* plures super hoc S. Congr. Declarationes, & Decreta recensent. Quare dicendum, si insistere velimus Juri Decreti memorati S. Synodi Trid. non posse Religiosos habere Peculium etiam secundo modo spectatum. Dixi, *si insistamus Juri istius Decreti*; nam consuetudine Jus hoc multùm temperatum est, cùm passim Superiores Religiosis suis, non tantùm extra, sed etiam intra Monasterium degentibus concedant pecunia ad usus necessarios, & honestos impendenda. Vide Pal. *p. 7. cit. n. 6.*

Quæritur 5. utrum sub eodem Decre- 15
to etiam comprehendantur Vitalitia, seu annuæ præstationes assignatæ Regularibus? Negativam videtur probare consuetudo, quæ præcipuè apud Moniales invaluit, cùm usitatissimum sit, ut eædem in renuntiatione sibi reservent, aut pro dote illis assignentur hujusmodi Vitalitiæ præstationes, tamdiu pendendæ, quamdiu Monialis, cui assignata est, vixerit.

Sed distinguendum est: Vel enim Vi- 16
talitium, cum licentia Superioris Regularis reservatum, administratur ab ipso Religioso, vel à Monasterio, & hujus Officialibus. *Si primum*, etsi revocabiliter, & ad usus licitos concessum sit, per *cit. Trid. Decretum* reprobatur. Vinc. Petra *tom. 4. comment. fol. 171. n. 33.* & apud hunc *S. Congr.* quæ ad quæstionem, an liceat Regularibus habere prædictos annuos reditus, seu provisiones annuas nomine Conventûs, ac de suorum Superiorum licentia, & dependenter ab eorum voluntate, ut sint immunes à culpa, & pœna, de qua in Decreto *c. 2. sess. 25. de Regular.* respondit negativè. Quod responsum eadem *S. Congr.* confirmavit novissimè *7. April. 1707.* ubi cùm duæ Moniales Conventûs SS. Trinitatis Neapolis obtinuissent à S. Congr. Episcoporum Indultum, ut possent recipere annuam præstationem scutorum 200. à parentibus solvi promissam, ita tamen, ut Superioritiæ, seu Depositariæ traderetur, eroganda ab ipsis Monialibus pro earum indigentijs, sive alijs usibus pijs sibi bene visis, reclamantibus contrà Indultum hoc reliquis

quis Monialibus, tanquam læsivum vitæ communis, & Constitutionum Conventûs, eadem S. Congregatio rescripsit, *servandas omninò esse Constitutiones, non obstante Indulto.*

17 *Si secundum*, & Vitalitij præstatio ita reguletur, ut pecuniæ detineantur in depositò, vel arca communi ipsius Monasterij, atque exinde Religiosus à manu Superioris eas percipiat, erogaturus in Religiosos, & honestos usus, de quibus Superior possit inquirere, id denegando, quoties ij non videntur congrui, & honesti, in eo sensu Vitalitium Regularibus licitum est, ut cum alijs docent Less. *l. 2. de Just. c. 4. n. 31.* Card. de Luca *de Regul. disc. 57. n. 17.* Monacell. *tom. 1. form. in append. fol. 291. n. 4.* Petra *tom. 4. comment. fol. 172. n. 37.* & in hoc, non verò alio sensu Vitalitium Monialibus *n. præc.* relatis censetur concessisse S. Congr. Episcop. *in Neapolitana cit. Ex quo sequitur*, Vitalitium tunc primùm Regularibus illæso Trid. Decreto concedi posse, quando observabuntur sequentes conditiones. 1. Ut illud fiat cum licentia Prælati Regularis. 2. Ut reditus hujusmodi cum alijs bonis Conventûs incorporentur, ac Superiori tradantur, qui eos per se, vel per Officiales Ordinarios administret. 3. Ut ille, pro quo relicti sunt, in ijsdem nihil sibi juris vindicare possit, & Superior, quamvis deceat, ut inde primùm necessitatibus illius, cujus intuitu relicti sunt, provideat, liberè tamen in alios usus eosdem expendere, & Religiosi necessitatibus aliunde providere possit.

18 Quæritur 6. quibus modis Religiosus contra Votum Paupertatis peccare possit? R. id contingere varijs modis potest, prout videre est apud Less *l. 2. de Just. c. 41. n. 78.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 7. à n. 4.* Pal. *tr. 16. D. 3. p. 21. & 22.* ac alios passim.

1. Si rem aliquam absque Superioris facultate expressa, tacita, vel præsumpta accipiat, retineat, absumat. S. Antonin. *p. 3. tit. 16. c. 1. § 11.* Sylv. *V. Religio 6. q. 7.* Navarr. *Comment. 2. de Regular. n. 20.* Azor *p. 1. l. 12. c. 12.* Less. Laym. Pal. *l. citt.* nam eo ipso, quòd sine facultate Superioris accipiat, retineat, accipit, & retinet nomine proprio. *Proceditque hoc*, etsi comestibilia tantùm sint; quia solum etiam usum, seu absumptionem absque Superioris licentia attentare repugnat Voto: imò est etiam furti species, si res accepta sit ex bonis Monasterij. Sanch. *l. 7. mor. 21. n. 35.* qui tamen addit, in his esculentis, & poculentis majorem requiri quantitatem ad constituendum peccatum mortale furti, seu transgressionis Voti, quàm in rebus alijs; partim quia talium rerum acceptio, & absumptio propter naturæ necessitatem faciliùs excusatur; partim quia earum dominium non vendicatur, aut retinetur, sed merus usus appropriatur, per quem res mox absumitur.

19 2. Si absque facultate Superioris rem aliquam donet, alienet, distribuat. Estque hoc verum, etsi illa ex ijs sit, quas cum ejusdem Superioris facultate accepit; non enim hoc ipso facultatem habet eam donandi, alienandi &c. nisi talis sit generis, quæ in hunc finem conceduntur, ut alijs denuo donari possint, ut sunt imagines, rosaria, & similia munuscula; nam hæc concedendo Superior hoc ipso concessisse censetur facultatem donandi alijs. *Et procedit*, etsi generalem rerum ejusmodi administrationem habeat, ut sunt Procuratores, Oeconomi &c. non enim potest eas distribuere pro suo arbitratu, sed solùm ex præcepto, & mente Superioris, ita, ut non det alia, nec plura, vel pauciora, nec meliora, vel deteriora, quàm scit Superiorem velle: qua parte enim recedit à mente Superioris, incurrit in vitium proprietatis; nam ita dispensat, acsi esset dominus, & ab alterius arbitrio non penderet: cons. ita distribuens committit furtum, & simul peccat contra Votum; & qui ab eo accipit, ejusdem furti fit particeps, & si Religiosus sit, etiam Voti prævaricator. S. Thom. *2. 2. q. 32. art. 8.* Navarr. *comment. 2. de Regular. n. 9.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 276. n. 7.* Less. *n. 78. cit. ¥. quartò*, Laym. *n. 9.*

3. Si ex ijs, quæ ad usum ipsi permissa 20 sunt, aut alijs Monasterij rebus absque Superioris facultate mutuò, aut commodatò det alteri. Less. *¥. quintò*, Laym. *n. 4. ¥. secundò* Ratio est, quia est solum usuarius, habens nudum usum facti, idque precariò, quamdiu Superiori videbitur. Usuarius autem non potest usum rei concedere alteri; hoc enim non est Usuarij, sed Usufructuarij *§. minus 1. & § sequent. Inst. de Us. & habit.* In rebus tamen parvis, & crebrò occurrentibus censetur esse facultas tacita, vel generalis, saltem ad breve tempus. Imò etiam in rebus majoris pretij sæpe à mortali excusari Religiosus, qui ejusmodi rem absque Superioris facultate commodat, potest; etsi enim v. g. liber, quem commodat, valeat 10. aureos, cons. si eum sibi vindicaret, indubitatò committeret peccatum mortale usus tamen libri non perpetuus, sed temporalis tanti non æstimatur, ut materia peccati mortalis sit. Sanch. *l. 7. mor. c. 19. n. 57. & c. 20. n. 6.*

4. Si rem Monasterij sibi usurpet abs 21 que facultate Superioris, aut aliter eâdem utatur, quàm ad quos usus à Superiore hæc ipsi concessa est. Pal. *p. 22. n. 2.* Hinc excusari à peccato mortali contra Votum Paupertatis, si materia gravis sit, Religiosus in Academia degens non potest, qui pecunias, sibi à Monasterio transmissas ad victum, vestitum, Libros Theologicos emendos, donando, ludendo, aut libris profanis, & inutilibus emendis absumit. Idem dicendum, si esculenta, & poculenta, quæ domi v. g. in mensa singulis apponuntur, contra Prælati voluntatem secum auferat, vel alteri largiatur. Neque illum hoc casu excusat, quod

ea

ea genium suum, defraudando comparserit; cùm enim dominij incapax sit, ita comparcendo nihil sibi acquirit proprium, sed in bonis Monasterij remanet, quæ sine Prælati consensu nulli dari, vel alia ratione expendi possunt. Laym. *n. 5.*

22 5. Si aliquid abscondat, ut illud liberæ Superioris dispositioni subducat, aut si tanquam injuriâ affectus, murmuret, dum talia ipsi à Prælato adimuntur; quia tales sunt actus tanquam dominij independentis, sive Juris proprietatis, qui Voto Religiosæ Paupertatis repugnant, prout *l. citt.* monent Sanch. *c. 19. n. 60.* Less. *ỳ. octavò*, Laym. *n. 8* Pal. *p. 21. n. 3.* Et procedit, etsi talia illa sint, quæ cum Prælati licentia acceperat Religiosus; cùm enim precariò illa concesserit, ad nutum revocare potest; cons. si Religiosus ea abscondat, ne Prælatus volens ea revocare proposítum suum exequi possit, aut si murmuret, & querelis impediat, ne auferre, aut revocare audeat, transgressor Voti Religiosæ Paupertatis efficitur. Sylv. *V. Religio 6. q. 7. dict. 1.* Sanch. *n. 60. cit.* Laym. *n. 8. ỳ. septimò.* Pal. *n. 3. cit.*

23 6. Si res ipsi ad usum concessas per culpam, seu negligentiam latam, quæ dolo æquiparatur, amittat, destruat. Sanch. *c. 19. cit. n. 115.* Less. *ỳ. decimò*, Laym. *n. 6.* Ratio est, quia in rebus sibi permissis conservandis eam tenetur præstare diligentiam, quam Usuarius, qui precariò utitur. hic autem tenetur præstare culpam latam, ut dictum est *Tit. 14. n. 14.* ergo & Religiosus. *Conf.* quia rem aliquam posse suo arbitratu perdere, destruere est actus proprius dominij. Religiosus autem, cui solus usus facti concessus est, non potest talem actum dominij exercere sine violatione Voti Paupertatis. ergo &c. Imò si talis Religiosus peculium habeat, suæ administrationi commissum, debebit ex eo restitutionem facere Monasterio, cui ex tali destructione, vel quacunque inutili alienatione damnum illatum fuit, ut notat Sanch. *n. 112.* Laym. *n 6. cit.*

24 Quæritur 7. quæ licentia Superioris excuset subditum à Paupertatis transgressione? *Certum est 1.* eam licentiam debere esse voluntariam Superiori eandem danti; nam si metu, coactione, dolo, vel fraude extorqueatur, non excusat. Suar. *tom. 3. de Relig. l. 8. c. 11. n. 14.* Sanch. *l. 4. mor. c. 19. n. 16.* Pal. *tr. 16. D. 3. p. 23. n. 1.* Ratio est, quia fraus, & dolus talem licentiam ob- vel surreptitiam, cons. involuntariam facit; metus autem licèt eam relinquat in ratione voluntarij, cùm voluntarium non tollat, injuriam tamen infert; metum passo, à qua metum inferens in conscientia obligatur cessare: cons. tenetur ea facultate non uti, ne ipse injuriam Superiori illatam continuet. Hinc in conscientia tutus non est, qui dum licentiam petit à Superiore, ea tacet, quibus expressis licentia non solet dari, vel ea falsò exprimit, quibus non expressis eadem licentia negaretur; quia istam extorquet fraude, & dolo. Suar. Sanch. Pal. *l. citt.* Secus dicendum, si ea taceat, aut falsò exprimat, quibus tacitis, vel expressis licentia concedi solet, licèt difficiliùs concedatur. Suar. *l. cit.*

25 2. Ea licentia debet esse justa, seu talis, quam Superior possit concedere; nam si Religiosus pecuniam, vel res alias, etiam cum Superioris facultate, expendat ad usus turpes, vanos, superfluos, e. g. in sumptuosa convivia, vestes fericas, vanas picturas &c. à vitio proprietatis, & peccato contra Votum Paupertatis non excusatur. Less. *l. cit. ỳ. nonò.* Pal. *p. 23. n. 4.* Ratio est, quia Prælato, utpote qui non est dominus, sed administrator duntaxat, & dispensator bonorum Religionis, non est datum ea distribuere, nisi juxta præscriptum Religionis, & SS. Canonum, atqui per hos non conceditur ei potestas absumendi illa in res turpes, vanas, superfluas. igitur ad has concedendo licentiam terminos potestatis suæ excedit; cons. licentia data irrita est. Addit Pal. *l. cit.* eundem Prælatum nec sibi ipsi eam facultatem posse concedere; quia non potest sibi ampliorem, quàm subditis usurpare Jurisdictionem.

26 3. Aliquando ad excludendum vitium proprietatis sufficit licentia tacita. Quod triplici præcipuè modo potest contingere, 1. quando id, de cujus licentia agitur, in expresso contentum, aut cum eo connexum, vel ipsi accessorium est. Ob hanc causam, si Prælatus Regularis donet, aut ab alijs donatas res aliquas permittat v. g. imagines, rosaria, nummismata benedicta, sciens subditum non indigere ijs omnibus ad proprium usum, spectata talium rerum qualitate, censebitur tacitè eidem dedisse facultatem illa donandi alijs. Laym. *l. 4. tr. 5. c. 7. n. 4.* 2. quando ita consuetudine Religionis receptum est. Et ex hoc capite Religiosi iter agentes, vel extra claustra in Studijs versantes permittuntur facere Eleemosynas aliquas moderatas; imò & donationes aliquas leves consanguineis, vel amicis in signum gratitudinis pro beneficio recepto, amicitiæ debitæ, aut ad eorum voluntatem in favorem Religionis conciliandam. Pal. *D. 3. cit. p. 22. n. 3.* 3. quando Religiosus re aliqua temporali utitur Superiore conscio, & non contradicente, nisi iste solùm taceat, & non contradicat ex verecundia solùm, aut metu querelarum, vel similium incommodorum; nam ita tacens non tam consentire, quàm ejusmodi liberam acceptionem &c. tanquam minùs malum tolerare intelligitur. P. Wiest. *hic n. 34.* & apud hunc Navarr. *Comment. 2. de Regular.* 27

4. Casu saltem, quo Superior commodè adiri non potest, & necessitas ad aliquid accipiendum, vel expendendum urget, sufficit etiam licentia præsumpta. Suar. *tom. 3. de Relig. l. 8. c. 11. n. 3.* Less. *l. 2. de*

de Just. c. 41. n. 79. Pal. *tr. 16. D. 3. p. 23. n. 6.* *Ratio est*, quia ex benigna interpretatione Voti Paupertatis præsumi debet illud non extendi ad casum, quo expressa licentia est moraliter impossibilis. Debet tamen eo casu Religiosus, ut tutâ conscientiâ retinere rem ita acceptam possit, ejus acceptionem manifestare Superiori, ut rectè notat P. Wiest. *hic n. 35.* & ratio est, quia licentia præsumpta tantùm vim habet pro re accipienda, non autem, si postea adiri Superior possit, pro illa retinenda. Sed hinc

28 Quæritur 8. an licentia præsumpta sufficiat etiam casu, quo Superior adiri quidem posset, non tamen aditur ob respectum aliquem humanum, pudorem, vel aliam similem difficultatem? Videtur non sufficere. 1. quia licentia, quæ solùm præsumitur, defacto non extat, sed solùm creditur futura. atqui consensus, qui solùm creditur futurus, facultatem dare de præsenti non potest. ergo &c. 2. à pari: nam etsi à proprio Parocho concedenda credatur licentia, ut Parochianus ejus alteri Sacerdoti confiteri possit, per hoc tamen iste Jurisdictionem non acquirit, ut validè illum possit absolvere. 3. ex praxi Religionum: quia Superiores istarum inviti esse, imò punire solent, & debent liberè utentes licentiâ solùm præsumptâ, ne nimia laxitas in Religiosas familias invehatur. 4. ex incommodis gravissimis, quæ ex usu libero licentiæ præsumptæ possent exurgere; nam cùm rari sint casus, quibus licentia, si peteretur, à Superiore, saltem mediato, puta Provinciali, Generali, Legato Sedis Apostolicæ, vel Papa ipsomet non concederetur, sequeretur, quòd quamlibet rem, etiam notabilem, inscijs Superioribus, pro libitu accipere, retinere, expendere Religiosus posset; quod non nisi cum ingenti disciplinæ jactura, & maximo præjudicio Paupertatis Religiosæ fieret. ergo &c.

29 Sed dicendum, eo casu sine vitio proprietatis, & violatione Voti Paupertatis rem temporalem accipi, retineri, expendi posse à Religioso, modò præsumere possit Superiorem non esse absolutè invitum, licèt ipse modus aliquo modo displiceat. Ita S. Thom. *2. 2. q 32. art. 8. ad 1.* Sylv. *v. Eleemosyna n. 6.* Navarr. *comment. 2. de Regul. n. 20.* Petr. Navarr. *l. 3. de restit. c. 1. p. 3. dub. 1. n. 160.* Azor *p. 1. l. 12. c. 12. q. 2. 3. & 4.* Valent. *2. 2. D. 10. q. 4. p. 3. post init.* Suar. *tom. 3. de Relig. l. 8. c. 11. n. 4.* Sanch. *l. 7. mor. c. 19. n. 4. & seqq.* Less. *l. 2. de Just. c. 41. n. 79. v. crediderim*, Pal. *tr. 16. D 3. p. 23. n. 8.* Wiest. *hic n. 38.* & alij plurimi ab his *cit.* *Ratio est 1.* quia Votum Paupertatis non violatur acceptione, quæ non fit nomine proprio, sed cum dependentia, & subordinatione ad voluntatem Superioris. atqui cum tali dependentia jam agit, qui certò sibi persuadet, Superiorem, si rogaretur, facilè consensurum, & quoad ipsam rem, ipsámque ejus acceptionem absolutè non esse invitum, licèt istius modus aliquo modo eidem displiceat. ergo &c. 2. ea præsumptio de voluntate domini sufficit ad excusandum furtum *l. inter omnes 46. §. rectè 7. ff. de furt.* igitur multo magis sufficiet ad excusandum à vitio proprietatis. 3. eadem licentia præsumpta sufficit Religioso ad Eleemosynam dandam de rebus Monasterii, igitur etiam sufficiet ad aliquid accipiendum, & Monasterio acquirendum.

Dixi autem, *Modo præsumere possit Superiorem non esse absolutè invitum* sc. tam 30
circa ipsam rem, quàm circa acceptionem ejusdem hoc modo; nam si Superior quidem sine difficultate licentiam daturus esset, si peteretur, rationabiliter tamen existimaretur, quòd eam nolit concedere, nisi actu petatur, licentia præsumpta ad licitam acceptionem non sufficit, ut cum Suar. Sanch. notat P. Wiest. *hic n. 37.* & ratio est; quia qui ita consensurus præsumitur pro casu, quo peteretur licentia, pro eo casu, quo illa non petitur, eandem præsumitur non concedere, imò esse invitus absolutè.

Addidi, *Licèt ipse modus aliquo modo displiceat*; nam hæc contradictio, ut Sanch. *c. 19. cit. n. 5.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 6. n. 4.* Pal. *p. 23. cit. n. 9.* advertunt, substantiam ipsam receptionis, & dispositionis non afficit: & hinc etsi talis receptio, vel dispositio ferè semper peccatum veniale includat, excusat tamen à peccato gravi contra Votum Paupertatis.

Disputant hìc aliqui, qualis desideretur 31
hoc casu cognitio voluntatis futuræ Superioris? Certam requirunt aliqui apud Pal. *l. cit. n. 8.* ex ratione; quia aliàs periculum foret operandi absque ulla licentia, & contra Superioris voluntatem. Sed verius Navarr. *comment. 2. de Regular. n. 10.* Suar. *tom. 3. de Relig. l. 8. c. 11. n. 11.* Sanch. *l. 7. mor. c. 19. n. 13. fin.* Less. *v. crediderim cit.* Pal. *l. 8. cit.* docent sufficere cognitionem probabilem; quia sic operans moraliter certus est de voluntate Superioris, neque periculo morali operandi sine licentia exponitur, etsi physico exponatur.

Neque obstant Argumenta *n. 28.* op 32
posita. *Ad 1.* ea licentia præsumpta non est sine omni facto Superioris præsenti; fundatur enim illius præsumptio in eo, quòd sc. Superior ad ejusmodi res accipiendas facultatem dare, & acceptationes hoc modo factas ratas habere sit solitus. *Ad 2.* Disparitas est, quia ut absolutio à peccatis sit valida, necessarium est, ut absolvens actu habeat Jurisdictionem, & potestatem absolvendi à peccatis, quæ ex eo, quòd petita daretur, non habetur; at acceptio, ut Paupertatis Voto non adversetur, solùm exigit, ut subditus non proprio, sed alieno nomine,

& Superiore non invito, agere censeatur: quod contingit, quando voluntas Superioris prudenter præsumitur. *Ad 3.* acceptio ex licentia merè præsumpta cum prævisione, quòd Superiori modus accipiendi aliquo modo displiceat, meritò punitur, quando licentia expressa haberi potuit; quia, ut *n. 30.* dixi, non vacat culpâ, tum ob inordinatum illum respectum, tum ob scandalum aliorum, quod plerumque exurgit, si acceptiones hujusmodi palàm fiant. *Ad 4.* Argumentum id solùm probat, quòd liberior usus licentiæ præsumptæ à Superioribus mediatis nequaquam ferendus sit; cùm enim ad istos in causis solum gravioribus, & Superioris immediati potestatem excedentibus recurri soleat, ansa daretur etiam ad res majoris momenti sine expressa licentia accipiendas, & retinendas: quod fieri non posset sine gravissimo laxamento Paupertatis Religiosæ.

33 Quæritur 9. an casu, quo res talis est, ut Superior concedere debeat licentiam eandem accipiendi, sed præter morem aliorum Prælatorum ejusdem Ordinis illam indiscretè negat, vel negaturus p ævidetur, subditus adhuc accipere, retinere, expendere rem aliquam possit ex licentia ab eo, si rationabiliter ageret, præsumpta? Affirmat Mendoza *Quodl. q. 8. in fin.* Rationem dat, quia Superior tali casu facultatem negans non fungitur suo officio, ejúsque indiscreta voluntas nulla est; & subditus, sicut ad obedientiam tantùm rationabilem, sic etiam ad observantiam Paupertatis rationi consentaneam se obligâsse censetur.

34 Sed præterquam, quòd non facilè præsumendum sit de Superiore, quòd licentiam irrationabiliter neget, vel negaturus sit, cùm pluribus rationibus subdito occultis moveri possit, quæ negatam licentiam cohonestent, concesso tamen casu quæstionis, ex eo, quòd Superior licentiam Religioso subdito imprudenter neget, vel negaturus credatur, malè infertur, quòd iste adversùs Paupertatis Votum procedere possit; sicut malè infertur eum, qui Voto Castitatis obstrictus est, posse ducere uxorem, dispensatione non obtenta, quando hæc eidem imprudenter, & præter morem negatur.

35 Quare cum Pal. *tr. 16. D. 3. p. 23. n. 10.* distinguendum est, an licentia sit debita ex parte Prælati tantùm, an etiam ex parte subditi, eò quòd iste à Religione, aut ipso jure naturæ jus habeat, ut res, quam petit, eidem concedatur. *Si hoc secundum*, ut Votum non violetur, sufficit licentia præsumpta à Superiore, si rationabiliter ageret, etsi hic eandem hic & nunc imprudenter neget; quia à natura, vel Religione hæc ei conceditur. Et ob hanc causam, si Prælatus subdito suo Regulari neget necessaria ad victum, & vestitum juxta morem receptum Religionis, potest iste hæc ab externis accipere, etsi ad sic accipiendum licentiam Prælatus neget; quia ad illa subditus jus à Religione habet, quod Prælatus non potest tollere, cùm obligare subditum ad Paupertatem strictiorem promissâ nequeat. Item si sublevanda sit inopia extremè indigentis, & aliunde ista sublevari nequeat, quàm ex bonis Monasterij, si ad istud licentia à Superiore denegetur, potest subditus, aliâ licentâ non impetrata, in ea necessitate indigenti succurrere; quia ad hoc ab ipsa natura jus, imò obligationem habet.

Aliud dicendum, *si primum contingat*, & licentia tantùm sit debita ex parte Prælati, & negatur; nam eo casu Religiosus, absque alia licentia accipiens, retinens, dispensans, à Voti transgressione non excusatur. *Et ratio est 1.* quia Votum Paupertatis violat, qui nomine proprio, & sine subordinatione, ac dependentia à voluntate Superioris aliquid accipit, retinet, dispensat. hoc autem fieret, si Religiosus ageret contra Superioris voluntatem etiam irrationabilem. ergo &c. 2. quia etiam Obedientia violatur, cùm Superiori irrationabiliter imperanti id, quod sine peccato facere potest, Subditus non obtemperat. 3. quia hoc modo observantia Paupertatis, & Disciplinæ Regularis facilè in discrimen adduceretur; nam subditi ad laxitatem proni facilè sibi persuadent indiscretè, & irrationabiliter negari, quæ secundùm Regulæ accurationem à Superiore laudabili zelo non indulgentur. 4. quia videtur in hoc casu esse paritas cum pauperibus, qui si non extrema, sed gravi duntaxat necessitate laborent, non possunt sine peccato divitibus auferre aliquid, licèt hocilli ijsdem irrationabiliter, & per sordidem negent, ergo &c. 36

Quæritur 10. quale peccatum sit violatio Paupertatis Religiosæ? R. est peccatum ex genere suo mortale, in specie Sacrilegij, quia contra Votum, & aliquando etiam furti, & injustitiæ. *Aliquando*, inquam; nam quoad hoc distinctio est adhibenda, an Religiosus, Superiore inconsulto, accipiat, retineat, dispensèt, absumat res tales, quæ Monasterij sunt, vel in jus ejusdem absolutè jam transierunt, an verò eæ sint tales, circa quas nullum jus Monasterio adhuc quæsitum est, ut si recipiat sibi donata à Sæculari ea conditione, ut iste eorum dominium, & administrationem transire in Monasterium nolit, sed velit, ut penes Regularem privatum maneat. *Si primum*, præter peccatum Sacrilegij committitur etiam peccatum furti; quia Monasterium, in cujus dominio, & Jure res talis est, invitum est. *Si secundum*, committitur peccatum Sacrilegij tantùm; quia cùm donatio hoc modo facta invalida sit, donans rei donatæ dominus manet, quem hoc casu constat non esse invitum. Pal. *tr. 16. D. 3. p. 20. n. 4.* & alij apud ipsum. 37

Dubium est, quando censenda sit materia 38

teria lévis, vel gravis, ut peccatum contra Votum Paupertatis Religiosæ censeatur esse leve, vel grave? R. ex communi DD. sententia teste Pal. *p. 20. cit. n. 2.* id desumendum est ex quantitate materiæ, quæ requiritur ad hoc, ut furtum sit grave, vel leve; nam illam materiam judicant constituere peccatum grave adversùs Votum, quæ sufficit ad constituendum peccatum grave in ratione furti; leve autem, quæ in materia furti levis est. Addit tamen *l. cit.* Palao, hoc intelligendum de materia furti secundùm se, & seclusis circumstantijs personæ, cui fit furtum; quia putat obligationem Paupertatis contrahendam arctiùs, quàm aliquando contrahatur in materia furti: in hac enim certum est, praxi saltem, & intentione eorum, quibus fit furtum, spectata, non eandem esse quantitatem, quando furtum fit diviti, quàm quando fit pauperi. Contra in ordine ad constitunendum peccatum mortale contra Votum Paupertatis Religiosæ perinde est, à quo accipias; nam si accipias sine licentia Superioris, in ea quantitate, quæ graviter conducat ad humanas actiones, & hominum necessitatem sublevandam, sive à divite illud accipias, sive à paupere, mortaliter peccas adversùs Votum.

49 Quæritur II. quænam Pœnæ impositæ sint violantibus Paupertatem? R. 1, privantur Sepulturâ Ecclesiasticâ, ut dictum est, *Tit. 28. n. 49.* & tota pecunia simul cum proprietario sepelienda: quod procedit, spectato rigore Juris; nam ex æquitate sufficit pars determinanda arbitrio Judicis, reliquis pecunijs in utiles usus reservatis, cùm per partem solùm perditio Proprietarij abunde significetur. Sanch. *l. 7. mor. c. 20. n. 11.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 7. n. 22.* Pal. *tr. 16. D. 3. p. 24. n. 1.*

2. Proprietarius expellitur à Conventu *c. cùm ad Monasterium 6. h. tit.* Sed hæc pœna *c. fin. de Regular.* ne Religiosis detur occasio vagandi, sublata est, & loco illius Proprietarij jubentur detrudi in carcerem, & ibi pro qualitate delicti plecti. Pal. *l. cit. n. 2.* cum reliquis *suprà.*

3. Privatur voce activa, & passiva per biennium, aliisque pœnis juxta Religionis Constitutiones plectitur. Trid. *sess. 25. c. 2 de Regular.*

Porrò circa has pœnas duo sunt ad 50 vertenda. 1, eas non incurri ante sententiam Judicis: quod de privatione Ecclesiasticæ Sepulturæ. & reclusione in carcerem clarum est; de privatione vocis activæ, & passivæ colligitur ex verbis *Deprehensus, convictúsque fuerit &c.* quæ Judicis actionem sonant. Sanch. *c. 20. cit. n. 4.* Pal. *n. 4.*

2. Eas pœnas statutas esse non cuicunque vitio proprietatis, sed solùm retentioni: & hinc etsi Religiosus convinceretur accepisse sine licentia, vel acceptum expendisse, nisi tamen convictus fuerit retinere, prædictæ pœnæ non subjacet. Sanch. *n. 13.* Laym. *n. 22. fin.* Pal. *n. 4.*

§. II.

De Voto Castitatis Religiosæ.

SUMMARIUM.

41. *Ad quid obliget Votum Castitatis, & quàm gravis sit ejus obligatio?*
42. *An contra Castitatem dentur culpæ solùm veniales?*
43. *An peccatum contra Votum Castitatis solenne, aut Simplex emissum in Religione à peccato contra Votum Castitatis emissum in sæculo specie, & ita differat, ut circumstantia hæc necessariò sit explicanda in Confessione?*
44. *Respondetur negativè.*
45. 46. *An ad Statum Religiosum sufficiat Castitas conjugalis?*
47. *An Pontifex in Voto Castitatis solenni, sive cum Religioso Professo ad Matrimonium dispensare possit?*
48. *Deciditur pro parte affirmativa.*
49. *Solvuntur Fundamenta sententiæ negativæ.*
50. *Qualis requiratur causa, ut Pontifex dispensare in Voto solenni Castitatis possit?*
51. *An valida sit dispensatio, quæ sine justa causa concessa est?*
52. *An Pontifex ea conditione dispensare ad Matrimonium possit, ut dispensatus, suscepta prole, ad Religionem teneatur regredi?*
53. 54. *An Professus, cum quo dispensatum est ad nuptias, teneatur ad recitandum Divinum Officium?*

41 QUæritur I. ad quid obliget Votum Castitatis, & quàm gravis sit ejus obligatio? R. obligat ad abstinendum ab omni voluptate carnali, actúque Venereo, tam interno, quàm externo, etiam aliàs licito, seu conjugali. Ita Sylv. *V. Religio 6. q. 2.* Suar. *tom. 3. de Relig. l. 3. c. 3.* Sanch. *l. 5. mor. c. 6. n. 9.* Less. *l. 2. de Just c. 41. n. 77.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 8. n. 1.* Pal. *tr. 16. D. 3. p. 1. n. 1.* Donat. *prax. Regul. tom. 4. tr. 16. q. 5. n. 1.* Van Espen *p. 1. Jur. Eccl. tit. 30. c. 1. n. 9.* Wiest. *hic n. 42.* Gravitas peccati adversùs Votum hoc ex communi doctrina desumitur ex gravitate peccati,

quod committeretur contra Virtutem continentiæ à soluto : hinc pro Regula DD. *citt.* ponunt, quòd obligatio Voti Castitatis in Religioso talis sit, qualis est Virtutis continentiæ in solutis. Proinde, in quibus transgressio Continentiæ apud hominem Sæcularem est mortalis, etiam transgressio Voti apud Religiosum mortalis est ; & in quibus apud priorem est venialis, etiam apud hunc venialis erit. Ratio est, quia Votum hoc non immutat obligationem Juris naturalis omnibus communem, sed solummodo addit novam circumstantiam sacrilegij, ut duplex committatur culpa, una repugnans temperantiæ, altera Religioni. Sed hinc

42 Quæritur 2. an ergo contra Castitatem dentur culpæ solùm veniales? *Certum est* apud omnes, culpam venialem committi adversùs Castitatem posse ex defectu plenæ advertentiæ, & deliberationis. Idem aliqui admiserunt ex parvitate materiæ. *Sed dicendum*, ob parvitatem materiæ tantùm nullum actum Venereum venialem esse, si sit deliberatè commissus, vel quæsitus. Ita Rebell. *de oblig. Just. l. 3. q. 10. s. 3.* Sanch. *l. 5. mor. c. 6. n. 12.* Pont. *l. 10. de Matrim. c. 16. §. 2. n. 8.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 8. n. 2.* Pal. *tr. 16. D. 3. p. 1. n. 2.* Wiest. *hic n. 45.* & alij ab his *citt.* Sententiam huic oppositam sub Præcepto Obedientiæ, gravi Censura, aliisque pœnis doceri, & in usum deduci, seu practicari hominibus Societatis JEsu prohibuit Claudius Aquaviva ejusdem Societatis Præpositus Generalis quintus *14. April. 1612.* Et meritò; quia generaliter prohibitum, & mortaliter peccaminosum est omne illud, ex quo si graviter prohibitum non esset, sequeretur maximum peccandi illicium, & generis humani præjudicium. hoc sequeretur, si non omnis etiam minima voluptas Venerea deliberatè quæsita, vel admissa graviter prohibita, & peccaminosa foret ; quia propter maximam proclivitatem naturæ, & difficultatem moderationis in hac materia observandæ proniissimus esset lapsus à minima delectatione in majorem, & manifestè mortalem.

43 Quæritur 3. an peccatum contra Votum Castitatis solenne, aut simplex emissum in Religione à peccato contra Votum Castitatis emissum in Sæculo specie, & ita differat, ut circumstantia hæc necessariò sit explicanda in Confessione? Variant DD. apud Sanchez *l. 7. de Matr. D. 27. à n. 23.* nam alij asserunt exprimendam : sed in ratione danda plurimùm differunt, dum quidam eorum hoc refundunt in differentiam specificam, qua differre autumant peccatum commissum contra Votum Castitatis solenne à peccato commisso contra Votum Castitatis simplex emissum in Sæculo; alij contrà licèt fateantur hæc duo peccata specie non differre, dicunt tamen Votum solenne addere circumstantiam aggravantem, quam judicant explicandam in Confessione.

Sed verius censeo cum eodem Sanch. 44
l. cit. n. 27. Pal. *tr. 16. D. 3. p. 1. n. 3.* & alijs apud istos, hanc circumstantiam de necessitate non esse exprimendam. *Ratio est*, quia tota differentia Voti Castitatis emissi in Religione, & emissi in Sæculo in hoc consistit, quòd illud Matrimonium contrahendum dirimat, non verò istud : quæ differentia, cùm extrinseca omnino, & accidentalis obligationi Castitatis sit, violationem Castitatis aggravare, aut speciem ejus mutare nequit. Quare sufficiet, si is, qui se accusat de actu contra Castitatem commisso, addat se Voto Castitatis ligatum esse. Estque hoc verum, sive Religiosus sit, sive Sacerdos, sive Religiosus, & Sacerdos simul ; nam qui post Vota Religiosa suscipit SS. Ordines, aut vicissim, solùm repetit Votum semel emissum. repetitio autem ejusdem Voti etiam millies facta obligationem non auget.

Quæritur 4. an ad Statum Religiosum 45
sufficiat Castitas conjugalis? *Rationem dubitandi* faciunt nonnulli Ordines Militares, qui, licèt tantùm observent Castitatem conjugalem, in varijs tamen Constitutionibus Apostolicis Religiosi Ordines, & eorum Personæ Ecclesiasticæ, & Religiosæ dicuntur.

Sed tenenda est negativa sententia, quam etiam defendunt S. Thom. *2. 2. q. 186. art. 3. 4. & 5.* Sot. *l. 7. de Just. q. 5. art. 3.* Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 9. l. 1. c. 4. n. 26.* Less. *l. 2. de Just. c. 41. n. 7.* Sanch. *l. 4. mor. c. 16. n. 11.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 1. n. 5.* Dian. *p. 8. tr. 1. resol. 78.* §. *legimus quoque*, Wiest. *hic n. 47.* & colligitur ex *c. cùm ad Monasterium 6. h. tit.* ubi in fine *custodia Castitatis omnino annexa* dicitur *Regulæ Monachali.*

Ad rationem dubitandi dico Ordines 46
Equitum Conjugatorum non esse propriè Religiosos Ordines ; quia Consiliorum Evangelicorum observantiam integram, & perfectam non vovent, neque observant : dicuntur tamen Religiosi in quibusdam Bullis Pontificijs, secundùm quid videlicet quia profitentur; Regulam Religionum approbatarum, & Religionis Vota Substantialia ex parte observant. Et hinc etiam personis Ecclesiasticis accensentur, & privilegijs Canonis, & fori, aliisque Religiosorum gratijs, ac favoribus gaudent.

Quæritur 5. an Pontifex in Voto Ca- 47
stitatis solenni, sive cum Religioso Professo ad Matrimonium dispensare possit? Negant Sylv. *V. Votum 4. q. 5.* Tabiena *V. dispensatio q. 7.* Armill. *V. dispensare n. 12.* Sot. *l. 7. de Just. q. 4. art. 2.* & alij plures apud Sanch. *l. 8. de Matr. D. 8. n. 6. in fin.* Fundantur 1. *c. cùm ad Monasterium 6. h. tit.* ubi, ut *n. 45.* insinuavi, *Custodia Castitatis* dicitur *adeo esse annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* 2. Quia repugnat rem semel consecratam Deo ad profanos usus revocari, ejúsque statum mutari *Reg. semel 51. in 6.* atqui ita consecratur Religiosus

gioſus per Vota ſolennia. ergo &c. 3. Repugnat ex Sacerdote fieri non Sacerdotem, ex Epiſcopo non Epiſcopum, ex Baptizato non Baptizatum, ergo etiam ex Religioſo non Religioſum. 4. Papa non poteſt diſpenſare in matrimonio carnali conſummato. ergo nec in Matrimonio Spirituali, quod contrahitur per Profeſſionem, conſummatur per exercitium actuum propriorum Profeſſis; nam vincula Spiritualia ſunt fortiora carnalibus *c. inter corporalia 2. de Translat. Epiſc.* 5. Nulla cauſa juſta diſpenſandi in hoc Voto poteſt occurrere; cauſa enim diſpenſandi in Voto debet excedere bonitatem materiæ Deo promiſſæ. at verò *Eccl. 26.* dicitur, *quòd omnis ponderatio non ſit digna animæ continentis.*

48 Sed dicendum, Papam diſpenſare poſſe. Ita receptiſſima TT. & Canoniſtarum, quos maximo numero congerit, & allegat Sanch. *l. 8. de Matr. D. 8. n. 7. in fin.* *Ratio eſt* 1. quia ex ſententia Doctoris Angelici, & cæterorum omnium Papa diſpenſare poteſt in Voto Caſtitatis ſimplici, ergo etiam in ſolenni; nam ſolennitas Voti, & inhabilitas ad Matrimonium contrahendum, ut *Tit. præc. n. 8.* dictum eſt, ſolùm provenit ex Lege Eccleſiaſtica, quâ ſuperior Papa eſt. 2. Sedi Apoſtolicæ adſtruenda eſt omnis poteſtas ad rectam Eccleſiæ gubernationem neceſſaria, & expediens. talis eſt poteſtas diſpenſandi etiam in Voto Solenni; quia hujusmodi diſpenſatione ſæpe magna bona procurari, & mala impediri poſſunt. 3. Pontifex in Voto ſolenni jam ſæpiùs diſpenſavit; ſic enim diſpenſavit Benedictus IX. cum Caſimiro II. Poloniæ Rege, antè Cluniacenſium Ordinem Profeſſo, & Diacono, Cœleſtinus III. cum Conſtantia Rogerij Siciliæ Regis filia, & uxore Henrici VI. Imp. antea Moniali, Innocentius III. cum Ramiro II. Aragonum Rege, antè Monacho, imò Abbate, & Epiſcopo, Alexander III. cum Nicolao Juſtiniano Sacerdote Monacho in Monaſterio S. Nicolai Ordinis S. Benedicti, Gregorius XIII. cum fratre Cardinalis Joyoſæ Gallo Sacerdote Profeſſo, & Provinciali PP. Capucinorum, & ijs licentia data ad contrahendum conjugium, ut alijs *citt.* refert Fagnan. *in c. cùm ad Monaſterium 6. h. tit. num. 66.* Idem judicium eſt de Voto Paupertatis, & Obedientiæ, ut notat P. Wieſtner *hic n. 52.*

49 Neque obſtant Argumenta oppoſitæ Sententiæ. *Ad 1.* ex inſeparabilitate illa ſolùm infertur, quòd Pontifex diſpenſatione ſua non poſſit facere, ut ita diſpenſatus maneat Religioſus; hoc enim implicat, cùm Vota iſta ad ſubſtantiam Statûs Religioſi ſpectent: non tamen ſequitur, quòd diſpenſando non poſſit ipſum à Statu Religioſo abſolvere, & reſtituere in Statum Laicalem, ut uxorem ducere, proprium habere, & arbitratu ſuo vivere deinceps poſſit. *Ad 2.* retorſio fit in Calice, & alijs vaſis, ac Paramentis conſecratis, vel benedictis; nam quamvis iſta, quamdiu manet eorum conſecratio, vel benedictio, non poſſint applicari profanis uſibus, poſſunt tamen, ſi conſecratio, vel benedictio illorum ceſſet. *Ad 3.* negatur paritas; nam in Monachum tonſo non imprimitur Character indelebilis; imprimitur autem Sacerdoti per Ordinationem, Epiſcopo per Conſecrationem, Baptizato per Baptiſmum. *Ad 4.* iterum negatur paritas; quia indiſſolubilitatis abſolutæ in Matrimonio conſummato cauſa eſt ſignificatio unionis Chriſti cum Eccleſia, quam ſignificationem non habet Matrimonium Spirituale, quod contrahitur per Profeſſionem. *Ad 5.* conſtabit ex mox dicendis; nam

Quæritur 6. qualis requiratur cauſa, 50
ut Pontifex diſpenſare in Voto ſolenni Caſtitatis poſſit? Richard. *in 4. diſt. 38. art. 9. q. 1.* voluit ſufficere utilitatem privatam, ſive ſpeciale aliquod commodum Profeſſi, quòd v. g. Votum Continentiæ ob nimiam fragilitatem difficillimè, & non niſi cum frequenti lapſu ſervare poſſit. Cui favet doctrina Cajetani, qui *in Opuſc. tom. 1. tr. 27. de diſpenſ. Matr. in Occid. Eccl. q. un. ℣. quoad tertium*, & *tom. 3. tr. ult. in reſp. ad a. 12.* idem dicit de Voto ſolenni Clericorum.

Sed dicendum, ut licitè Votum iſtud diſpenſando Pontifex relaxare poſſit, requiri cauſam publicam, & valde urgentem v. g. Regiæ, aut Principalis ſtirpis propagandæ, pacis, vel Religionis in Regno, vel Provincia aliqua conſervandæ, aut promovendæ. Ita Medin. *de Sacror. homin. contin. c. 37. fin.* Valent. *2. 2. D. 6. q. 6. p. 7. ℣. reſpondeo hoc*, Sanch. *l. 8. de Matr. D. 8. n. 8.* Wieſt. *hic n. 56.* & cæteri paſſim omnes. Oſtenditur 1. quia nullum habetur exemplum, quòd unquam fuerit conceſſa diſpenſatio in hoc Voto ad conjugium ineundum ex utilitate merè privata. 2. Quia talis diſpenſatio fieri nequit abſque aliquo Clericalis, aut Religioſi Statûs detrimento, atqui diſſonum rationi eſt ſpectari bonum privati, poſtpoſito totius Statûs Religioſi detrimento. 3. Ita frequentiſſimæ diſpenſationes hujusmodi indulgendæ forent, cùm frequentiſſimè ipſius Profeſſi bonum privatum occurrat, ob quod concedendæ illi diſpenſationis cauſa juſta exiſteret. 4. Sic fraudibus aperiretur via; quia poſſet hujusmodi cauſam privatam habens ſtudioſè ingredi Religionem, ut hujus expenſis aleretur in Studijs, vel ſuſcipere Clericatum, ut opes ex reditibus Eccleſiaſticis corrogaret; obtento autem hoc fine, petere diſpenſationem, & redire ad ſæculum.

Quæritur 7. an diſpenſatio Pontifi- 51
cia, in Voto ſolenni Profeſſi abſque cauſâ juſtâ conceſſa, ſit valida, ac proinde Matrimonium, vi talis diſpenſationis à diſpenſato contractum, ſit validum? 2. Matrimonium quidem hoc caſu initum à Pro-

fesso esse validum, ipsum tamen dispensatum, si sciat defectum istum, debitum conjugale non posse petere, licèt illud teneatur reddere. Ita Suar. *l. 6. de Legib. c. 19. n. 6.* Sanch. *l. 8. de Matr. D. 8. n. 10.* Wiest. *hic n. 54.*

Dixi 1. *Matrimonium tale esse validum;* quia Votum Solenne vim Matrimonij dirimendi tantùm habet ex constitutione Ecclesiæ, quæ cùm à Papæ voluntate pendeat, ideo iste etiam sine causa in illa dispensat validè.

Dixi 2. *non posse talem petere debitum vi ejusmodi dispensationis*; quia Professio Religiosa duo habet: unum illorum est ipsum Votum, alterum solennitas. Primum obligationem, & vim impediendi Matrimonium à Jure naturali habet, in quo quia Pontifex sine causa justa dispensare non potest, hinc sequitur hac cessante in ita dispensato manere obligationem Voti: unde sicut is, qui cùm ligatus sit Voto simplici Castitatis emisso in Sæculo, validè quidem Matrimonium contrahit, sed debitum tamen absque dispensatione non potest reddere, ita etiam Religiosus sic dispensatus.

§2 Quæritur 8. an Pontifex ita dispensare cum Religioso Professo ad Matrimonium possit, ut istud ad tempus duret, e g. donec susceperit prolem, & hac suscepta teneatur ad Religionem regredi? Affirmat Præpositi. *in c. sicut ex litteris num. 11. de sponsal.* cum alijs apud Sanch. *l. 8 de Matrim. D. 8. n. 9.* & inclinare in hanc sententiam videtur Joan. Andr. *Reg. actus legitimi de R. J. in 6.* ubi refert se quæstionem disputâsse, atque remittit ad Pontificem dissolvendam, subdens, si dispensaret, multos censere validam fore dispensationem.

Sed respondendum est negativè. Ita Abb. *in c. ex publico 7. de convers. conjugat. n. 11.* Tabien. *V. dispensatio q. 6.* Sanch. *n. 9. cit.* Ratio est, quia ita dispensatus, dum contraheret Matrimonium, deberet illud contrahere ea conditione, ut teneatur uxor, suscepta prole, consentire in mariti reditum ad Religionem, non potest autem sub ea conditione contrahere; quia est contraria substantiæ Matrimonij, utpote quod ex natura sua individuam, adeoque perpetuam vitæ Societatem inducit.

Dixi, *ut teneatur consentire*: nam ea conditione, ut dispensatus teneatur regredi ad Religionem, si habita prole uxor liberè consentiat, aut si causam divortij perpetuam per fornicationem dederit, dispensare Pontifex cum eo, qui Voto solenni ligatus est, potest; quia conditio hæc nihil continet aut substantiæ Matrimonij, aut Juri conjugis quæsito contrarium.

Quæritur 9. an Professus, cum quo §3 dispensatum est ad nuptias, teneatur ad Officium Divinum recitandum? Conveniunt DD. ita dispensatum teneri ad Officium Divinum, si habitum nondum mutavit, contrà ab ea obligatione absolvi, si mutato habitu reipsa ad statum Matrimonialem transiit.

Difficultas est, quid dicendum, quando habitum quidem mutavit, nondum tamen ad Vota Sæcularia transijt? Rodriq. *tom. 1. summ. edit. 2. c. 141. n. 14.* asserit eum teneri ad Horas, ex ratione, quòd antequam ad nuptias transeat, nondum statum incompatibilem assumpserit, per quem status Religiosus destruatur; cons. adhuc Religiosus maneat: cujus signum est, quia si, mutato proposito, nollet, uti dispensatione, maneret utique Religiosus absque novo alio actu, nec permitteretur ei in sæculo diu persistere, conjugium differendo.

Sed melius Sanch. *l. 8. de Matr. D.* §4 *8. n. 11.* respondet, ita dispensatum ab eo tempore, quo habitu Religioso deposito, sæcularem induit, ut dispensatione urens Matrimonium ineat, eum liberari ab obligatione recitandi Officium Divinum, & cæteris Religiosæ vitæ oneribus. Ratio est, quia cùm jam sit justè extra Monasterium, & vitam Monasticam, sicut ab hac, ita etiam ab ejus obligationibus per consequens liberatur, cùm ad istas non obligetur, nisi ratione Vitæ Monasticæ. *Conf.* a pari cum ejecto, quem his obligationibus liberari fatentur DD.

Ad Argumentum sententiæ contrariæ non est verum, quòd dispensatus per eam dispensationem non desinat esse Religiosus; quia in sic dispensato extinguitur essentia Statûs Religiosi, quamprimum uti dispensatus ad Sæculum transeundo cœpit. Si propositum dispensatus mutet, & Matrimonium non velit contrahere, ad Religionem redire cogitur, non quod à Votis non fuerit liberatus, sed quia cessat omnino dispensationis causa, & ipsa dispensatio tacitam habet conditionem, ut duret, quamdiu causa duraverit.

§. III.

De Voto Obedientiæ Religiosæ.

55. *Quæ sit essentia, & obligatio Voti Obedientiæ?*
56. 57. *Ejus violatio quotuplicem contineat malitiam?*
58. *Cui Religiosus vi Voti Obedientiæ teneatur obedire?*
59. *An Moniales Abbatissis, & Priorissis suis?*
60. *An, & quomodo Regulares utriusque sexûs vi Voti obedire teneantur Episcopo?*
61. *Quid si non exempti, sed Episcopo subjecti sint?*
62. *Solvuntur Argumenta opposita.*
63. *An subditis Religiosis à Prælato suo præcipi possint, quæ sunt extra Regulam?*
64. *An id possit Summus Pontifex?*
65. *Quænam censeantur implicitè contenta in Regula?*
66. *Respondetur ad Rationem dubitandi.*
67. 68. *An Regulares subditi teneantur obedire Prælato Regulari præcipienti actus merè internos?*
69. 70. *An, & qualiter ab ipso obligari ad inserviendum peste, vel alio morbo contagioso infectis?*
71. *Sub quo reatu obligentur servare ea, quæ contenta sunt in Regulis, & Constitutionibus Ordinis?*
72. 73. 74. 75. *An in statu peccati mortalis sit, qui consuetudinem habet transgrediendi Regulas sub nulla, vel veniali duntaxat culpa obligantes?*
76. 77. *An Religiosi obligentur ad asperitates primævæ Regulæ, si illa cum tempore sit relaxata?*
78. 79. 80. 81. *Quid si per reformationem primævo rigori sit restituta?*
82. *An Regularis teneatur obedire Prælato, quando hic ipsi præcipit indifferentia?*
83. *Ridicula, aut per naturam impossibilia?*

55 QUæritur 1. quæ sit essentia, & obligatio Voti Obedientiæ in Statu Religioso? ly. per hoc promittens Obedientiam, séque Religioni tradens renuntiat voluntati propriæ, ita, ut jam proprium velle, aut nolle non habeat, sed gubernationi sui Prælati Superioris se tradat ad obtemperandum in omnibus, quæ honesta, justa, & Regulæ conformia sunt. Laym. *l. 4. tr. 5. c. 9. n. 1.* Donat. *tom. 4. prax. tr. 17. q. 4. n. 1.* Wiest. *hic n. 57.* Adeoque Votum hoc duo in sese continet: unum est, quòd sit promissio Deo facta, quâ ex parte inducit obligationem Religionis; & alterum, quòd simul sit promissio humana, quâ vovens se regendum, & gubernandum Religioni tradens, promittit se executurum Superioris præcepta, cons. inducitur obligatio Justitiæ, & fidelitatis promissioni humanæ propria.

56 *Ex quo sequitur* in violatione Obedientiæ Religiosæ plures contineri malitias, & peccata; nam peccans contra Superioris sui præceptum primò peccat contra Religionem ob transgressionem Voti; deinde contra Justitiam ob jus Religioni per traditionem quæsitum; denique contra veracitatem, & fidelitatem debitam ob promissionem in ipsa traditione inclusam. Neque est inconveniens, unicum actum duplicem, vel triplicem malitiam continere, si plura jura violet, ut patet in famulo, vel servo obligato ex Justitia ad exequenda mandata domini sui, qui si Votum eliciat ea mandata exequendi, dupliciter, vel tripliciter peccabit transgrediens tale mandatum, nempe contra Religionem, Justitiam, & fidelitatem. Suar. *tom. 3. de Relig. l. 10. c. 6. n. 3.* Pal. *tr. 16. D. 4. p. 1. n. 3.*

57 Imò aliquando Religiosus, violans Votum Obedientiæ, etiam peccat contra Virtutem, circa quam actus imperatus versatur. *Aliquando*, inquam; non enim semper, sed tunc solùm contra eam peccare censendus est, quando Superior ei præcipit utens Jurisdictione Ecclesiastica à Pontifice concessa: quod non est præsumendum, nisi id clarè exprimat. Censebitur autem Jurisdictione hac uti. 1. Quando imperat statuendo Legem; quia nullus Legem ferre potest, nisi Jurisdictionem habeat. 2. quando imperat sub pœna Excommunicationis, vel alterius Censuræ Ecclesiasticæ Et hinc si alterutro modo imperet, præceptum violans ultra malitiam Sacrilegij, & injustitiæ etiam peccat adversùs illam Virtutem, cujus rectitudinem per actum imperatum Superior procurare intendebat. Pal. *n. 3. cit.*

58 Quæritur 2. cui Religiosus vi Obedientiæ ita promissæ teneatur obedire? *Certum est 1.* quemlibet teneri obedire Prælato, seu Superiori suæ Religionis tam mediato, quàm immediato, cum subordinatione tamen, & ita, ut Provincialis potiùs, quàm Localis Superioris mandata, si contraria sint, observari debeant *can. quæ contra 2. in fin. dist. 8.* Suar. *tom. 3. de Relig. l. 10. c. 11. n. 6. & seqq.* Pal. *tr. 16. D. 4. p. 2. n. 1.* & ratio est, quia Superior immediatus, tanquam inferior, nihil potest præcipere, quod mediati Superioris mandatis adversum sit.

Certum est 2. omnes utriusque sexûs Religiosos ex Voto Obedientiæ teneri obedire Summo Pontifici, si hic præcipiat ea, quæ Regulæ conformia sunt; neque enim ab hoc Religiones aliter approbantur, quàm ut esset supremus earum Prælatus. Navarr.

Man.

Man. c. 12. n. 76. Suar. *c. 11. cit. n. 13.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 8. n. 3. ℣. tertiò.* Pal. *p. 2. cit. n. 4.* Wieſt. *hìc n. 61.*

Certum eſt 3. quòd Moniales non exemptæ, quæ Ordini non ſubſunt, ſed Obedientiam vovent Epiſcopo, teneantur huic obedire, eíque magis, quàm Abbatiſſæ, Prioriſſæ &c. ſi ille præcipiat conformia Regulæ; quia hic non minùs eſt proprius illarum Prælatus, quàm Exemptarum Abbas, vel alius Superior Regularis. Sanch. *l. 6. mor. c. 1. n. 11.* Laym. *n. 3. ℣. tertiò*, Pal. *p. 2. cit. n. 5.* Wieſt. *n. 62.*

59 *Dubium eſt*, an vi Voti Obedientiæ obedire Abbatiſſis, Prioriſſis, & ſimilibus Superioriſſis teneantur Moniales ipſis ſubjectæ? *Ratio dubitandi* eſt, quia Spiritualem Jurisdictionem non habent, imò nec capaces de Jure communi illius ſunt, ac propterea ex communi ſententia præcipere Monialibus ſuis non poſſunt in virtute Spiritûs S. aut Sanctæ Obedientiæ, atqui præcipere, & obedire ſunt correlativa. ergo nec vi Voti Obedientiæ tenebuntur Moniales ipſis ſubjectæ ijsdem obedire.

Sed tenenda eſt affirmativa ſententia, quam etiam defendunt Sanch. *l. 6. mor. c. 1. n. 17.* Suar. *c. 11. cit. n. 20.* Tambur. *de Jur. Abbatiſſ. D. 12. q. 5. n. 3.* Donat. *tom. 4. prax. Regul. tr. 17. q. 32.* Wieſt. *hic n. 67.* Ratio eſt, quia Moniales vi Voti Obedientiæ tenentur parere illis Superioribus, quibus ſe per tale Votum ſubjiciunt. ſubjiciunt autem ſe non ſolùm Papæ, Epiſcopo, aut Prælatis Ordinum &c. ſed etiam Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ ſuæ. ergo &c.

Ad Rationem dubitandi, etſi Abbatiſſæ &c. nonhabeant Jurisdictionem Spiritualem, habent tamen in Moniales ſibi ſubjectas poteſtatem dominativam, & domeſticam, ſibi acquiſitam per traditionem ſui, à Monialibus in Profeſſione ſolenni factam cum promiſſione obediendi: neque neceſſarium eſt, ut præcipere aliquid poſſint in Virtute Sanctæ Obedientiæ; nam poteſtas hæc ex Jurisdictione Spirituali oritur.

60 Quæritur 3. an, & quomodo Religioſi, & Moniales, quæ Ordini ſubſunt, vi Voti obedire teneantur Epiſcopo? *Certum eſt*, Regulares Exemptos utriusque ſexûs vi Voti non teneri obedire Epiſcopo; quia iſtorum Superior quoad obſervantiam Regularem non eſt. Sanch. *l. 6. mor. c. 1. n. 13.* Pal. *tr. 16. D. 4. p. 2. n. 5.* Wieſt. *hic n. 63.*

Dubium procedit quoad non exemptos. Petr. de Ledeſm. *tom. 2. ſumm. tr. 10. c. 7. n. 2.* Pal. *p. 2. cit. n. 6.* Donat. *tom. 4. prax. Regul. tr. 17. q. 30. n. 4.* cum alijs putant teneri ipſos obedire Epiſcopo ex vi Voti. *Fundantur 1.* quia ex generali axiomate Epiſcopus in ſua Diœceſi erga ſibi ſubjectos poteſt, quod Papa poteſt reſpectu totius Orbis Chriſtiani, niſi ejus poteſtas Apoſtolica reſervatione reſtricta ſit. atqui Papæ ex vi Voti Obedientiæ obedire Regulares debent, ſi ea præcipiat, quæ Regulæ ſunt conformia juxta dicta *n. 58.* ergo etiam Regulares non exempti Epiſcopo ſimilia præcipienti. *2.* Prælati Regularium non exemptorum Jurisdictionem ſuam accipiunt immediatè non à Papa, ſed ab Epiſcopo. ergo iſtorum ſubditi Religioſi huic potiùs, tanquam immediato Prælati ſui Prælato, & principaliori, quàm iſti obedire tenentur. *3.* ſi Religioſi iſti in pertinentibus ad Regularem obſervantiam non eſſent obligati obedire Epiſcopo, ſed tantùm Prælato ſuo Regulari, abſolutè exempti eſſent ab Epiſcopi Jurisdictione: quod eſt contra ſuppoſitum.

Sed veriùs hujusmodi Regulares non 61
exempti, ſi Epiſcopo, tanquam proprio ſuo Prælato, non ſpecialiter Obedientiam voveant, ad ipſi obediendum ex vi Voti Obedientiæ non tenentur. Ita Innoc. *in c. quanto 7. de Offic. Ordin.* Abb. *ibid. n. 5.* Sylveſt. *V. Obedientia q. 8.* Sanch. *l. 6. mor. c. 1. n. 12.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 9. n. 3. ℣. tertiò*, Pirh. *de Offic. Ordin. n. 58.* Wieſt. *hic n. 64.* allegantes S. Thom. *2. diſt. 44. fin. in Expoſit. lit. ad 3.* *Ratio eſt*, quia hujusmodi Regulares Obedientiam promittunt non Epiſcopo, ſed Abbati, & hujus non illius regimini ſe ſubmittunt. *Conf.* ſi Epiſcopo potiùs, quàm Abbati ſuo obedire deberent vi Voti, Epiſcopus ipſos, etiam non conſulto Abbate ipſorum, ordinare poſſet. non poteſt autem Epiſcopus ordinare ipſos, niſi de Abbatis ſui voluntate *can. nullus 1.* & *can. fin. diſt. 58.*

Argumenta contraria non ſunt effica- 62
cia. *Ad 1.* imprimis Regula illa multas alias reſtrictiones patitur: reſpectu Regularium autem apertè non procedit, ut patet in iſtorum Votis, quæ omnia Pontifex irritare poteſt, non autem Epiſcopus. *Ad 2.* Argumentum illud ſolùm probat, quòd Regulares non exempti ſubjiciantur Epiſcopo tanquam Clerici, & perſonæ Eccleſiaſticæ, & ex vi Jurisdictionis quoad diſciplinam Eccleſiaſticam, non verò quoad obſervantiam Regularem, & ex vi Voti Obedientiæ. *Ad 3.* per hoc, quòd ex vi Voti non teneantur obedire Epiſcopo, non fiunt exempti; nam adhuc Jurisdictioni illius ſubſunt, quam etiam in eos exercet tum quoad alios actus proprios Jurisdictionis, tum etiam quoad correctionem, & diſciplinam Regularem, ſi in hac Prælatus Regularis ſit negligens.

Quæritur 4. quænam Religioſis ſub- 63
ditis præcipi à Prælatis eorum poſſint? Videtur poſſe præcipi generaliter quamlibet rem honeſtam, præſertim in ijs Religionibus, quarum Regulis præſcribitur, ut obediant Superiori in omnibus, in quibus manifeſtum peccatum non cernitur, ut fit in Societate JESU *Conſt. p. 3. c. 1. n. 23.* & *p. 6. c. 1. n. 1.* & probare hoc etiam videtur ratio; quia obedientia m promittendo propriam volun-

voluntatem abdicârunt, & submiserunt Prælato, ut jam velle, ac nolle proprium non habeant.

Sed hoc non obstante, dicendum, non posse Religiosis subditis à Prælato suo præcipi, quæ extra Regulam sunt, & in ea nec expressè, nec tacitè, seu implicitè continentur. Ita S. Thom. *2. 2. q. 104. art. 5. ad 3.* Navarr. *Man. c. 23. n. 39.* & *comment. 4. de Regular. n. 22.* Valent. *2. 2. D. 7. q. 3. p. 2. fin.* & *D. 10. q. 4. p. 3. circa fin.* Vasq. *1. 2. D. 154. c. 4. n. 21.* Sanch. *l. 6. mor. c. 2. n. 15.* Suar. *tom. 3. de Relig. l. 10. c. 8. n. 6.* Less. *l 2. de Just. c. 41. n. 74. ℣. quintò*, Laym. *l. 4. tr. 5. c. 9. n. 2.* Pal. *tr. 16. D. 4. p. 4. n. 2.* Engl *hic n. 8.* & communiter DD. cæteri. *Ratio est*, quia subjectio Regularium erga suos Prælatos, cùm voluntaria sit, eorum voluntatem, ac promissionem, quâ Religioni se tradiderunt, non excedit. ipsi autem se tradendo tantùm promiserunt Obedientiam secundùm Regulam Instituti, quod sunt amplexi. ergo quæ contra, vel præter Regulam Instituti sunt, præcipi à Prælatis nequeunt, & conf. nec subditi in ijs tenentur obedire.

64 *Proceditque hoc* non tantùm de Superiore Regulari, sed etiam de Summo Pontifice; nam neque iste ex vi Voti Obedientiæ obligare subditum Regularem potest ad ea, quæ sunt supra, contra, vel infra Regulam, nisi ex causa, quæ tamen sit secundùm Regulam, ut cum alijs advertit Less. *n. 74. cit. ℣. hinc sequitur.* Ratio est, quia ex vi Voti Pontifex ampliùs non potest obligare subditum Regularem, quàm iste eo Voto se intenderit obligare. atqui iste ex vi Voti non magis intendit se obligare Pontifici, quàm Superiori suo Regulari. ergo &c. Addidi *ex vi Voti Obedientiæ*; nam ut Pastor universalis Ecclesiæ, cui Dominus potestatem omnem necessariam ad bonam Ecclesiæ administrationem in Oves contulit, plura præcipere potest, quàm Superior Regularis, v. g. capessere Episcopatum, vel aliam Dignitatem extra Religionem, quod tamen præcipere Prælatus Regularis nequit.

Dixi autem, *Quæ in Regula nec expressè* 65 *nec tacitè, seu implicitè continentur*; sufficit enim, quòd contineantur tacitè, quòd expressi, & taciti sit eadem vis *Reg. expressa 156. ff. de R. J.* Porro tacitè, seu implicitè comprehensa in Regula censentur omnia, quæ moraliter necessaria sunt ad conservationem Instituti, & ipsius Regulæ expressæ observationem. S. Thom. *in 2. dist. 44. q. 2. ad 3.* Sylv. *V. Religio 6. q. 6.* Vasq. *c. 4. cit. n. 20.* Sanch. *n. 9.* Suar. *n. 7. & seqq.* Pal. *n. 4.* Wiest. *hic n. 71.* In specie respectu omnium Religionum implicitè in Regula continentur mutua officia, & obsequia fraternæ Charitatis, munera, seu functiones, & officia Ordinis, correctiones, & pœnæ ob defectus, culpásque commissas, mortificationes, pœnitentiæ, & alia pia opera, atque exercitia multùm conducentia ad hujusmodi transgressiones in futurum vitandas, ad publicas calamitates, & alia mala evitanda &c. In Societate JEsu implicitè, imò explicitè *Constit. p. 9. c. 3. §. 9.* continentur Missiones ad Indos, Saracenos, & quaslibet mundi plagas pro conversione Infidelium, Hæreticorum, & Schismaticorum ad gremium Ecclesiæ reductione, aliique labores, ac functiones obeundæ pro animarum salute.

Ad Rationem dubitandi n. 63. allatam dico, illam Obedientiam, quæ præstatur Superiori etiam in ijs, quæ sunt præter Regulam, esse perfectissimam; nam Doctor Angelicus *in 2. dist. 44. q. 2. art. 4.* triplicem Obedientiam distinguit, quarum unam appellat *Indiscretam*, quæ est de rebus illicitis, alteram *Imperfectam*, id est, minùs perfectam, quæ terminis Regulæ continetur, tertiam *Perfectam*, quæ nullis arctatur terminis, sed extendit sese ad obediendum in omnibus, quæ cum Statu assumpto non repugnant. Prima Obedientia vitiosa est, secunda debita, tertia supererogatoria, quam idcireo Societas JEsu, & alij Religiosi Ordines suadent, non præcipiunt. Videantur *l. citt.* Less. *n. 74.* Laym. *n. 2.* Pal. *n. 3. & seqq.* Wiest. *n. 70. hic.* 66

Quæritur 5. an Regulares subditi teneantur obedire Prælato Regulari præcipienti actus merè internos, e. g. Orationem mentalem? Azor *p. 1. l. 12. c. 13. q. 4.* Mirand. *tom. 1. man. Prælat. q. 26. art. 3.* Sanch. *l. 6. mor. c. 1. n. 6.* defendunt negativam. Sed probabiliùs affirmatur cum Suar. *de Legib. l. 4. c. 12. fin.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 9. n. 4.* & alijs, ex ratione; quia homo vovere potest, quidquid Sanctum, Deóque gratum existit. atqui obedire Prælato præcipienti actus internos Virtutum, v. g. Orationem mentalem, est opus Deo gratum, & magnæ perfectionis. ergo ad talem Obedientiam obstringere homo se Voto potest. Neque est improbabile, quòd Religiosi, saltem aliquarum Religionum, in quibus stricta Obedientia viget, ad talem obediendi severitatem se obligare intendant, cùm velint esse ut Holocaustum quo se totos, ac præcipuè voluntatem suam in manibus, ac potestate Prælati DEO offerant. 67

Conf. nam Prælati Regularium possunt 68 ipsis etiam contradicentibus omnia eorum Vota, etiam merè interna, simpliciter irritare, ut dictum est *Tit. præc. n. 16.* ergo signum est, quòd Prælati Ordinum habeant potestatem gubernativam in actus etiam merè internos Regularium, quippe qui per Obedientiæ Votum Juri voluntatis suæ renuntiârunt, ut jam velle, & nolle non habeant. *Conf. 2.* in multis Religionibus præcipitur subditis, ut ad certam, & particularem intentionem orent, vel sacrificent, cùm tamen talis intentio operi omnino accidentaria, & merè interna censeri debeat.

Monet tamen Suar. *l. 4. de Legib. c 13. in fin.* non esse consultum, & fortasse in

nulla Religione consuetum, ut actus interni, qui exteriùs nullo modo produntur, præcipiantur sub obligatione peccati, quamvis absolutè loquendo præcipi possint.

69 Quæritur 6. an, & qualiter Regulares præcepto Superioris obligari possint inservire peste, vel alio morbo contagioso infectis? R. distinguendo cum Rodriq. *tom. 3. Regul. q. 31. art. 3.* Sanch. *l. 6. mor. c. 2. n. 56. & seqq.* Pal. *tr. 16. D. 4. p. 4. n. 7.* Vel enim Regulari subdito demandatur cura Religiosorum domesticorum, vel Sæcularium externorum, tali morbo laborantium

Si primum, obedire Prælato hoc jubenti subditus Religiosus debet; quia, ut *n. 65.* dictum est, ex vi Voti Religiosus subditus obedire tenetur Prælato præcipienti ea, quæ ad conservationem, & bonum Regimen Religionis pertinent. ad hoc autem maximè pertinet Religiosos sibi mutua præstare obsequia, & invicem succurrere in necessarijs. ergo &c. *Neque obstat*, quòd inde maximum mortis periculum Religioso inservienti immineat; quia tali casu periculum hoc necessitatem obediendi non tollit, sicut non tollit necessitatem eundi ad bellum, & navigationem periculosam, quando id jubet Princeps ob bonum temporale Reipublicæ. Monent tamen *l. citt.* DD. *suprà* allegati, considerandam in hac parte conditionem infirmorum, & inservientium; nam si quis Religiosus tam tenui corporis valetudine uteretur, ut cum multo majori contagionis periculo, quàm alij, id munus obiret, vel si vir esset talis, cujus vita valde utilis est bono Religionis communi, & alij inveniri possent, per quos absque tanto proprio, & boni communis discrimine ei malo posset consuli, existimant, hujusmodi viris curam infirmorum, præsertim si hi prædictis dotibus careant, non posse præcipi.

70 *Si secundum*, DD. prædicti iterum distinguunt inter eos, qui profitentur vitam Monachalem, seu spectantem ex instituto propriam tantùm salutem, & inter eos, quorum Institutum est Spirituali proximorum saluti incumbere. *Priores* ex vi Voti non tenentur obedire Prælato jubenti, ut externis peste infectis Sacramenta ministrent; quia licèt opus istud sit eximiæ perfectionis, ab Instituto tamen istorum alienum est. *Posteriores* casu, quo Parochi, & alij Clerici etiam mercede ab Episcopo conducti non sufficiunt, præcepto Superioris, & ex vi Voti obligari possunt, tenetúrque Prælatus id ipsis præcipere; quia hoc non est supra, sed secundùm illorum Regulam, cùm eorum munus sit esse Episcoporum, & Parochorum Coadjutores in salute proximorum adjuvanda, & ob id Eleemosynis fidelium sustententur. Addidi, *casu, quo Parochi &c. non sufficiunt*; solùm enim tenentur in defectum Parochorum; quia id munus per se primò incumbit Parochis, quorum munus est Parochianis ministrare Sacramenta. *Excipit* Pal. *n. 7. cit.* si aliquando bono nomini Religionis notabiliter expediret Religiosum peste infectis inservire; nam tali casu posset, & deberet Prælatus sibi subditum obligare ad id munus obeundum, & Religiosus cujuscunque Ordinis teneretur obedire, eò, quòd tam Prælatus, quàm subditus obligentur bono communi Religionis consulere.

Quæritur 7. an ex Voto Obedientiæ, & sub quo reatu mortalis, an venialis culpæ Religiosus teneatur servare omnia contenta in Regulis, & constitutionibus Religionis? R. id desumendum ex verbis Constitutionis, intentione Legislatoris, & consuetudine Religionis; possunt enim in aliqua Religione dari Constitutiones, & Regulæ, obligantes sub peccato mortali, aliæ sub veniali, aliæ ad nullam culpam. Si Regula obliget sub mortali, ex communi sententia transgressio illius mortalis est contra Votum Obedientiæ; si sub veniali, venialis; si sub nullo peccato, ejus transgressio ob Votum Obedientiæ nullum inducet peccatum: non excusabitur tamen eam transgrediens à pœna transgredientibus imposita, quamvis hæc pœna propriè pœna non sit, cùm nullam supponat culpam moralem. Pal. *tr. 16. D. 4. p. 3. n. 1. & tribus seqq.* 71

Dubium est, an Religiosus, qui consuetudinem habet transgrediendi Regulas sub nulla culpa obligantes, vel obligantes ad veniale tantùm, sit in statu peccati mortalis. Videtur respondendum affirmativè; quia talis Religiosus caret proposito servandi Regulas illas, ergo deficit à via perfectionis, quam assumptione Statûs Religiosi professus est. Item non vult se subjicere Regulæ; ergo illam contemnit: atqui contemptus Regulæ est mortalis, ut sentit S. Thom. *2. 2. q. 186. art. 9.* & ibi Cajetanus. ergo &c. 72

Sed dicendum, hujusmodi Religiosum per se loquendo non peccare mortaliter, esto, careret intentione servandi illas Regulas, vel etiam haberet expressam intentionem illas non servandi. Ita Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 1. c. 4. à. n. 10.* Pal. *tr. 16. D. 4. p. 3. n. 6.* Ratio est, quia non est propositum transgrediendi aliquam obligationem sub mortali, cùm omnes Regulæ non excedant obligationem culpæ venialis. 73

Dixi *per se loquendo*; per accidens sæpè committet peccatum mortale, quod tunc continget, cùm adverterit ex suo licentioso, & irregulari modo operandi grave detrimentum causari Religioni, proximo, & sibi: Religioni, quam hoc modo privat utilitate, quam ex ipso sperabat percipere, dum se pravis moribus inutilem reddit; proximo, dum ejus exemplo plures occasionem sumunt Regulas passim violandi; sibi, dum se ob eam causam exponit gravi periculo, ne obincorrigibilitatem è Religione expellatur. 74

Neque contrarium probant Argumenta 75

ta allata. *Ad 1.* talis Religiosus per hoc propositum, & pravam consuetudinem à via perfectionis incepta non deficit in necessarijs, sed in accidentalibus solùm, & levem obligationem inducentibus, per quæ perfectionem procurare non obligatur sub gravi, modò illam procuret observatione Votorum, & Præceptorum Religionis, quæ ad substantiam hujus pertinent. *Ad 2.* ad contemptum formalem Regulæ, ut Pal. *n. 6. cit.* notat, requiritur, ut eam violes, tanquam inutilem, frivolam, & nullius considerationis, vel ut eam violes animo determinato ob illius transgressionem pœnæ te non subjiciendi, sed Prælato resistendi, quod non facit formaliter, qui Regulas hujusmodi violare consuevit, etiamsi animum habeat illas non servandi.

76 Quæritur 8. an Religiosi obligentur ad asperitates primævæ Regulæ, etiamsi ea cum tempore sit relaxata? *Ratio dubitandi* est; quia Regulæ observandæ obligatio oritur ex Voto, eique adjuncta, & per omnia respondente promissione. at qui Voto Obedientiæ promittitur Obedientia secundùm Regulam à Sede Apostolica approbatam; talis autem est primæva, non ea, quæ deinde per laxitatem corrupta est. ergo &c.

77 Dandum est huic Argumento aliquid, & utendum distinctione, quam cum alijs dat Pal. *tr. 16. D. 4. p. 4. n. 9.* Vel enim asperitates istæ ab ipso Religionis exordio includuntur in ipsis Votis, vel non. *Si hoc secundum*, ad earum observantiam Religiosi non obligantur; quia non usu, vel contraria consuetudine sunt abrogatæ.

Si primum, iterum distinguendum est, an Vota quoad tenorem, & sensum mutata sint, an verò modernorum Votorum sensus, & tenor sit idem, qui fuerat primo tempore. *Si prius*, asperitates, quæ Votis non ampliùs continentur, Religiosi ampliùs observare non obligantur; quia illas non voverunt. *Si posterius*, omnino tenentur ad observantiam asperitatum contentarum Votis; quia obligatio Voti est naturalis, & Divini Juris, cui per consuetudinem contrariam derogari nequit.

Ex quo cadit Ratio dubitandi allata in contrarium.

78 Quæritur 9. an casu, quo Regula ad primævum rigorem reducta est, ad hujus rigoris observantiam obligentur etiam illi, qui Religionem professi sunt ante reformationem? *Ratio dubitandi* utrinque gravissima est. *Pro negativa* militat: quia Religiosi vi Voti solummodo obligantur ad Regulam & observantiam, ad quam in Professione se obligârunt. istâ autem solùm se obligârunt ad observantiam Regulæ mitigatæ, & relaxatæ à primævo suo rigore. ergo &c. *Pro affirmativa* stat; quia omni Jure Prælatis Regularibus cum Capitulo permissum est collapsam disciplinam erigere, & novis etiam Ordinationibus conditis reparare. atqui correctio ista fieri cum effectu vix posset, si Religiosi subditi salubriter ordinata acceptare, & ijs parere non tenerentur ergo &c.

Difficultas hæc ope distinctionis re- 79
solvitur: Vel enim Regulæ rigor Privilegio Apostolico, aut ab ipso Ordinis Prælato cum Capitulo ex justa causa est mitigatus, vel relaxatus duntaxat est negligentiâ Superiorum observantiam disciplinæ Regularis non promoventium, & conniventium transgressionibus, sicque inducta contraria consuetudine rigori illi est derogatum. *Si primum* contingat, & præsens Regulæ observantia nemini sit offendiculo, sed adhuc commodam viam ad perfectionem præstet secundùm illam viventibus, dicendum, eos, qui antè professi sunt, non teneri ad observandum rigorem ejus primævum, ad quem postea primùm redacta est, prout rectè probat Argumentum primum in Ratione dubitandi *n. præc.* allatum.

Si secundum fiat, probabiliùs refor- 80
mationi postea factæ accommodare se debent etiam illi, qui ante reformationem factam ediderunt Professionem. Abb. *in c. super eo 9. de Regular. n. 5.* Sylv. *V. Religio 6. q. 6.* Azor *p. 1. l. 13. c. 11. q. 17 & 19.* Sanch. *l. 6. mor. c. 2. n. 35.* Suar. *tom 3. de Relig. l. 10. c. 8. n. 19.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 9. n. 13.* Pal. *tr. 16. D. 4. p. 4. n. 11.* Fagnan. *in c. recolentes 3. h. tit. n. 5 & seqq.* Zoes *hic n 9.* Pirh. *n. 14.* Schambog. *n. 6.* Wiest. *n. 75. & 76.* & probavit sententiam istam teste Fagnano *S. Congreg. Cardd.* *Proceditque hoc*, non tantùm, quando præsens laxitas alijs est offendiculo, & substantialia Religionis convellit; nam tunc clarum est eam consuetudinem Jus non inducere, sed corruptelam esse, ac proinde non observandam: sed probabiliùs etiam tunc, quando illa nemini est offendiculo, neque periculum inducit convellendi substantialia Religionis, sed tantùm asperitates aliquas, & observantias ad Perfectionem multùm conducentes sustulit, modò legitima authoritate, videlicet vel Pontificia, vel Prælati cum consensu maioris partis Capituli facta sit reformatio. *Ratio est*, quia consuetudo ista, etsi legitima sit, Pontifici, Prælato, & Capitulo non sustulit potestatem restituendi Regulam rigori pristino, si viderint hoc ad conservationem Ordinis valde utile, aut necessarium esse.

Neque excusare se possunt illi, qui 81
antè professi sunt, quòd non professi sint Regulam secundùm illum rigorem: nam dum secundùm Regulam simpliciter profitendo se sponte tradiderunt, & obligârunt Religioni Perfectionis studio, simul promisisse Prælato censentur, quòd parati esse velint ad amplectenda omnia, quæ ad bonum Religionis statum conservandum, aut reparandum, & ad Perfectionem à Religionis Fundatoribus propositam consequendam valde conducentia vi-

debuntur; est autem sæpe ad fines istos necessaria reformatio, ergo ad istam suscipiendam tenebuntur, & quidem vi Voti. Laym. *l. 4. tr. 5. c. 9. n. 11.* *Excipi* tamen debet, si asperitates illæ accidentariæ essent valde graves, & rigor ille primævus à præsenti observantia valde diversus, ita, ut Vitam Religiosam multò difficiliorem reddat; nam ad hujusmodi reformationem suscipiendam antè professi non obligantur, cùm præsumi rationabiliter nequeat, quòd ad illam Voto intenderint se obligare.

82 Quæritur 10. an Regularis teneatur obedire Prælato, quando hic ipsi præcipit indifferentia, ridicula, per naturam impossibilia, vel etiam Juri naturæ contraria? R. ad 1. de indifferentibus, quòd ea præcipienti obedire teneatur subditus Religiosus, negat Mirand. *tom. 1. man. q. 26 art. 9.* Sed meliùs distinguit Laym. *l. 4. tr. 5. c. 9. n. 5.* dum ait non obligari si appareat Prælatum vanè, & inutiliter, nullóque bono fine præcipere. Secus, si id non appareat; nam quæ ex genere suo indifferentia sunt, & non mala, si à Superiore imperantur bono fine, e. g. intentione exercendi subditos in Virtute Obedientiæ, per circumstantiam finis virtuosi cohonestantur, & bona fiunt, sicut constat ex ijs, quæ docet Cassian. *de Instit. renuntiant. l. 4. c. 24. & 26.* cons. cadunt sub Votum Religiosi, quo vovet se obedituru in omnibus, quæ justa, & Regulæ, ac Votis observandis conformia sunt.

Ad 2. cùm præcipiuntur ridicula, ut 83
cùm olim præceptum Religioso fuit, ut aridum lignum affusâ aquâ per multos dies rigaret, & alij, ut plantas inversas in terram defigeret &c. eadem distinctio est adhibenda.

Ad 3. talia præcipere veteribus Sanctis Abbatibus usitatum erat, ut cùm S. Maurus à S. Benedicto jussus est lacum ingredi, & Fratrem in eo periclitantem extrahere, cùm Mutius Monachus jussus est ab Abbate proprium filium in flumen projicere &c. Hujusmodi ergo res Abbates præcipiebant licitè; quia non præcipiebant, quasi vellent illa fieri, sed ut subditi conarentur ea facere, ut in Obedientia simplici exercerentur, & prompta illorum Obedientia posteris esset exemplo, & documento, ut bene advertit Sanch. *l. 6. mor. c. 2. n. 4.* Quòd verò subditi hujusmodi imperia licitè exequerentur, Spiritûs Sancti instinctus fecit, quo propositum ipsis fuit Obedientiæ meritum, absque eo, quòd in re præcepta apprehenderent ullam malitiam.

§. IV.

Alia quædam, quæ Jure communi constituta sunt circa Regulares utriusque Sexûs

84. 85. 86. 87. 88. 89. *Quænam Jure communi statuta sint circa Regulares in genere?*
90. *De Conciliis, & Capitulis illorum Provincialibus?*
91. *Visitationibus?*
92. *Modo Visitationis, & correctionis?*
93. *Præsertim Monialium?*
94. *Quid circa istarum receptionem?*
95. *An recipi supra numerum possint, si dotem afferant?*
96. *Quotuplex sit Velum, quod dari Monialibus solet?*
97. *Quotuplex earum Benedictio?*
98. *Quid Jure communi statutum sit circa Clausuram Monialium, & egressum illarum ex Monasteriis?*
99. *Constitutionibus his obligantur omnes, & solæ Moniales Professæ.*
100. *Non Novitiæ, & aliæ Virgines devotæ non Moniales.*
101. *Causæ justæ concedendi egressum est magnum incendium, lepra, Epidemia.*
102. *Et aliæ his similes.*
103. *Quæ enarrantur.*
104. *Extra casum, qui moram non patitur, opus est authoritate superioris.*
105. *In exemptis subjectis Ordini præter Superiorem Regularem requiritur etiam licentia Episcopi.*
106. *Præsindendo à contraria consuetudine.*
107. *Pœnæ decretæ in Moniales violantes Clausuram.*
108. *Has incurrunt egressæ cum licentia si ultra licentiam extra clausuram morentur.*
109. *Licentiam ad sic egrediendum concedentes.*
110. *Et personæ, quæ egredientes comitantur, vel recipiunt.*
111. *Etiam ingressus in Monasteria Monialium est prohibitus.*
112. *Personæ quibus ille prohibitus est.*
113. 114. 115 *Exceptiones.*
116. *Quid intelligatur Claustri nomine?*
117. *Ob quam causam ingressus in Monasteria Monialium concedi possit?*
118. *Referuntur causæ, quæ se tenent ex parte Conventûs.*
119. *Enumerantur illæ, quæ afficiunt Moniales singulares.*
120. *Cautela pro ingredientibus cum licentia.*
121. 122. *Quis dare licentiam istam possit?*
123. *Potest hic illam sibi ipsi dare, non tamen delegare alteri.*
124. *Licentia hæc debet esse specialis, & in scripti obtenta.*
125. *Absque hac ingredientes incurrunt Excommunicationem.*
126. *Quæ de Stylo Curiæ est reservata Summo Pontifici.*

127.

127. *Attendenda tamen circa hoc est consuetudo, & usus.*
128. *An sub hac Excommunicatione prohibeatur etiam accessus ad Moniales?*
129. *Quid de hoc statutum sit circa Regulares?*
130. 131. *Quomodo fœminis prohibitus sit ingressus in Monasteria virorum?*

84 QUæritur 1. quænam Jure communi statuta sint circa Regulares in genere? R. 1. Monachi, & alij Regulares, spectato Jure communi Canonico, & seclusis Exemptionis privilegijs, subjecti sint Episcopis, ita, ut ab his visitari, corrigi, & puniri possint, prout sumitur ex *c. Theodosius 1. h. tit.* ibi, *præter diligentiam disciplinæ.* Prima tamen correctio ad Religionis Prælatum spectat, qui si in corrigendo negligens sit, tum demum illa potestas devolvitur ad Episcopum *c. quanto 7. & ibi* Gloss. *V. si Prælati de Offic. Ordin.*

85 2. Non recipiantur in Monasterio pro pretio *c. Monachi 2. h. tit.* ubi etiam pœna statuitur; nam is, qui pro sui receptione in Monasterium aliquid dederit, ad SS. Ordines ascendere prohibetur, is autem, qui receperit, ab officio suspenditur. 2. Non permittantur habere peculium, nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum: qui verò peculium habuerit sine licentia Abbatis, ab Altaris communione removetur, & sic decedens Ecclesiastcâ Sepulturâ privatur; Abbas autem, qui diligenter ista non caverit, officij sui jacturam incurrit *c. Monachi cit. ℣. qui verò.* 3. Prioratus, & alia Officia nulli conferantur pro donatione pretij; alioquin dantes, & accipientes ab Officio, seu Ministerio suo deponantur *c. Monachi cit. V. Prioratus.* 4. ij, qui legitimè per Capituli electionem ad Prioratus Conventuales promoti sunt, sine justa causa non removeantur *c. cit. V. Priores*, ubi etiam referuntur causæ, ex quibus removeri ab Officijs suis possunt, si sc. Monasterij bona dilapidaverint, si incontinenter vixerint, aut aliud quid commiserint depositione dignum, vel contrà ob necessitatem majoris officij ad hoc videantur transferendi. Alia est ratio Priorum Claustralium, qui per Electionem Canonicam non constituuntur, nec in Prioratibus confirmantur; isti enim Obedientiarij sunt, & ad nutum Abbatum suorum amoveri possunt. Abb. *in c. cit. num. 9.* Pirh. *hic n. 7.* Schamb. *n. 2.* 5. Non ponantur singuli per villas, & per oppida in Parochialibus Ecclesijs quibuscunque, sed in majori Conventu, aut cum aliquibus Fratribus maneant *c. cit. ℣. nec singuli.*

86 3. *c. recolentes 3. h. tit.* monet Pontifex Cistertienses Monachos, ut servent Regulam secundùm primævam institutionem, domus verò Religiosæ ijsdem aggregatæ eundem cum ipsis morem custodiant: & additur, alias eosdem Cistertienses, amisso Exemptionis, & alijs privilegijs, eodem cùm alijs Jure censendos, cùm *dignum sit, ut qui similem cum alijs vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam. Ex quo sequitur 1.* Privilegium, quod Religiosis concessum est ob specialem rationem, v. g. ob strictam vitam illorum, si ab eo vitæ instituto recedant, amitti, ut communi cum alijs Jure censeri debeant *can. generaliter 40.* junct. Gloss. *marg. cauf. 16. q. 1.* & ratio est; quia tunc cessat causa, & finis, ob quem concessum est privilegium. *Sequitur 2.* posse integrum aliquod Monasterium, vel Domum Religiosam se ex toto transferre ad arctiorem Ordinem, saltem cum authoritate, & licentia Ordinarij, prout contigit in casu *c. cit.* ubi integra Monasteria Cistertiensium Institutum amplexata sunt. Ut tamen integer aliquis Ordo ad Ordinem alium transeat, efficere authoritate sua potest solus Pontifex; nam iste solus, ut instituere, ita supprimere Ordines Religiosos potest. Pirh. *hic n. 15. not. 4. Sequitur 3.* eos Conventus, qui ita transeunt, etiam vitæ normam sequi debere, quam illi habent, ad quos transitus factus est: hinc si Ordo, ad quem transitum est, non est capax talium possessionum, qualium capax est Monasterium, à quo est transitum, etiam possessiones mutari debent, ut colligitur ex *c. cit.* & notat *ibid.* Gloss. *V. vel etiam commutatis*, Pirh. *l. cit. not. 5.*

87 4. *c. quod Dei timorem 5. h. tit.* conceditur facultas Canonicis Regularibus, quòd in Ecclesijs Parochialibus, seu Curatis præfici possint, ita tamen, ut Socium sui Ordinis secum habeant, *si commodè fieri potest*, prout *ibidem* dicitur. Hodie tamen secundùm dicta *Tit. 5. de Præbend. n. 25.* non minùs, ac Monachi opus habent dispensatione Apostolica, ut præfici Ecclesiæ Parochiali, vel alij Curatæ, quæ Monasterio suo non est incorporata, possint, etiam ad tempus, ex Decreto Gregorij XIII. de quo vide *n. 25. cit.* ubi plura circa hanc controversiam.

88 5. *c. cùm ad Monasterium 6. h. tit.* statuitur 1. ne Monachi utantur camisijs, seu indusijs lineis: quibus tamen uti possunt Canonici Regulares. 2. Nullus Regularis proprium aliquo modo possideat, sub pœna expulsionis ex Monasterio, privationis Ecclesiasticæ Sepulturæ, & novissimo Jure Trid. *sess. 25. c. 2. de Regular.* privationis vocis activæ, & passivæ. 3. Silentium servetur continuum, maximè in Oratorio, Refectorio, & Dormitorio. 4. In Refectorio nullus omnino carne vescatur, sed qui debiles, & infirmi sunt, ut carnium esu indigeant, ijs vescantur in Infirmaria, non in privatis Cameris. 5. Officia & Beneficia Regularia committantur fidelibus, & discretis, & his non in perpetuum, sed ita, ut ad nutum removeri possint

sint. 6. Prior Claustralis præ cæteris post Abbatem sit potens opere, & sermone, ut exemplo vitæ, & verbo doctrinæ Fratres suos instruere, corripere, & à malo revocare, in bono confirmare possit. 7. Abbas frequenter, quantum poterit, sit cum Fratribus in Conventu, & vigilem curam, ac sollicitudinem de omnibus gerat.

89 6. *Clem. 1. h. tit.* præscribitur Regularibus, præsertim Monachis 1. modestia, & modus in vestitu, & victu. 2. Confessio, & Communio menstrua. 3. Explicatio Regularum facienda Novitijs. 4. Interdicuntur aucupationes, & venationes clamorosæ. 5. Excommunicationis pœna fertur in eos, qui conferunt se ad Curias Principum, ut Prælatis, aut Monasterijs damnum aliquod inferant. 6. Prohibetur, ne singuli Monachi in singulis administrationibus, vel Prioratibus sibi commissis habitare præsumant, & eo casu, quo proventus talis Prioratûs ad duos alendos non sufficiunt, jubetur iste vel alij Prioratui viciniori, vel alteri officio Monasterij uniri. 7. Præscribitur ætas necessaria in promovendo ad Prioratus Conventuales, & alios habentes curam animarum annexam: & additur, ut ad eosdem non promoveantur, nisi Ordinem Monachalem professi. 8. Denique statuuntur alia quædam circa Ordinum susceptionem, professionem scientiarum &c. quæ in ipso textu videri possunt.

90 Quæritur 2. quid Jure communi statutum sit de Concilijs, seu Capitulis Provincialibus Regularium, horum correctione, & visitatione? ry. de his inveniuntur sequentia Jure cauta. Et 1. quidem circa Capitula *c. in singulis 7. h. tit.* statuitur 1. ut Concilia Provincialia celebrentur de triennio in triennium, h. e. ita, ut inter unum, & alterum Capitulum intercedat intervallum trium annorum. 2. Ad hæc Capitula convenire debent omnes Abbates, & Priores, seu Præpositi, qui proprios Abbates non habent. 3. Locus conventui designandus opportunus, h. e. Monasterium æqualis, quantum fieri potest, quoad omnes distantiæ. 4. In hoc eligi debent Abbates quatuor, viri pietate, scientiâ, & zelo animarum præditi, qui Capitulo præsint. 5. In his Capitulis tractari debet de reformatione Ordinis, & observantia Regulari, & quod ibi decretum, quatuor Præsidibus approbantibus, inviolabiliter observari. 6. Ibidem eligendi sunt, qui Monasteria Provinciæ illius visitent, corrigant, & reforment, quæ correctione, & reformatione indigent. 7. Abbates ad Capitulum convenientes communiter debent vivere, faciendo omnes communes expensas, secundùm proportionem, pro numero scilicet personarum, equorum &c.

91 2. Quoad Visitationes hæc decernuntur. 1. Instituendæ sunt ab electis in Provinciali Capitulo, ut dictum est *n. præc.* 2. Non possunt Visitatores isti deponere Prælatum, sed si deponendum judicaverint, & Monasterium non sit exemptum, referre debent ad Episcopum; si verò Exemptum, ad Ordinis Generalem, si habeant, vel si talem non habent, ad Sedem Apostolicam. *c. in singulis cit. ỳ. ordinentur.* 3. Per hos tamen Visitatores non impeditur Episcopus, quin & ipse ejusmodi Monasteria sibi subjecta visitare possit; nam *c. cit. ỳ. porro* expressè dicitur, ut *Diœcesani Episcopi Monasteria sibi subjecta ita studeant reformare, ut cùm ad ea prædicti Visitatores accesserint, plus in illis inveniant, quod commendatione, quàm quod correctione sit dignum.*

92 3. Quoad modum Visitationis, & correctionis, à Visitatoribus faciendæ, *c. fin. h. tit.* statuuntur sequentia. 1. Si invenerint aliquem Monachum correctione dignum, eundem per Abbatem loci corrigi faciant. 2. Si quos contumaces, & rebelles invenerint, juxta modum culpæ, authoritate Apostolica, Censuris coërceant, aut omnino è Monasterio ejiciant, ne sanas oves inficiant. 3. Si Abbatem ipsum in munere suo negligentem invenerint, id sine mora Diœcesano loci significent, qui vel Coadjutorem ipsi constituat usque ad proximum Generale, vel Provinciale Capitulum, vel si defectus sit depositione dignus, eundem deponat: quod intelligendum, si Monasterium non sit exemptum; nam si exemptum fuerit, Coadjutorem constituent Visitatores ipsimet, depositione Abbatis Sedi Apostolicæ reservatâ. 4. Visitatores posteriores diligenter inquirant de Visitatoribus prioribus, ac eorum negligentias, & excessus referant sequenti Capitulo Generali, ut juxta culpam publicè pœnam debitam recipiant. Vide Pirh. *hic n. 24. & tribus seqq.*

93 4. Quoad Visitationem Monialium *clem. 2. h. tit.* præscribuntur sequentia. 1. Præcipitur, ut Monasteria Monialium, si Ordini sint subjecta, & exempta, per Prælatos Ordinum; si Episcopo, vel Summo Pontifici immediatè subjecta, per Episcopum, priora quidem authoritate ordinaria, posteriora authoritate delegata à Sede Apostolica singulis annis visitentur: quam Constitutionem innovavit Trid. *sess. 25. c. 9. de Regular.* 2. *ỳ. illas quoque* idem eodem modo faciendum præcipitur circa mulieres, quæ Canonicæ Sæculares vulgò dicuntur, & ut Sæculares Canonici vitam ducunt, non tamen bonis proprijs renuntiant, cujusmodi sunt Parthenones Nobiles quamplures in Germania; nam licèt Religiosæ propriè non sint, cùm substantialibus Religionis Votis non adstringantur, censentur tamen sub numero personarum Ecclesiasticarum. 3. *ỳ. ipsos* præscribitur numerus personarum, quas Visitatores Monialium secum ducere possunt, videlicet duos Notarios, & personas duas suæ Ecclesiæ

cleſiæ (Cathedralis, vel inferioris) & quatuor alios viros (ſive Clericos, ſive Laicos; nam in textu non diſtinguitur) honeſtos, & maturos ætate; quamvis ſecundùm prohibitionem *Congr. Epiſc. & Regul.* nequeant intereſſe Viſitationi Monialium, ut refert Fagnan. *in c. ut juxta 17. n. 23. de Offic. Ordin. 4.* Denique ℣. *ult.* ſtatuitur, ut ſi aliqui ipſos Viſitatores impedire in ſuo officio præſumpſerint, niſi moniti reſipiſcant, ipſo facto Excommunicationis ſententiam incurrant, non obſtantibus quibuslibet contrarijs privilegijs, Statutis, & conſuetudinibus: cujus tamen abſolutio non eſt reſervata Papæ, ideoque ab illa abſolvere poteſt Ordinarius, ut tradit Gloſſ. *fin. hìc*, Pirh. *n. 47.*

94 Quæritur 3. quid Jure Canonico ſtatutum ſit circa receptionem Monialium, & Benedictionem illarum? ℟. 1. non debent recipi plures, quàm quot vel ex reditibus proprijs Monaſteriorum, vel ex conſuetis Eleemoſynis commodè ſuſtentari poſſunt, niſi dotem ſufficientem afferant *c. periculoſo 1. §. ſanè 1. h. tit. in 6.* quod extendit poſtea Trid. *ſeſſ. 25. c. 3. de Regular.* etiam ad Monaſteria Virorum, & additur, ut *de cætero* Monaſteria, & Domus Regularium *non erigantur, ſine Epiſcopi, in cujus Diœceſi erigenda ſunt, licentiâ priùs obtentâ:* quam tamen ad ejusmodi Conventus, præſertim Mendicantium, erigendos dare non poſſunt, niſi priùs conſtiterit, utrum in ea Civitate, vel loco commodè ſuſtentari poſſint, ſine populi, & aliorum in eodem loco exiſtentium Religioſorum Mendicantium juſta querela, & detrimento; & hinc etiam iſti, & alij omnes, quorum intereſt, vocari, & audiri debent, prout decretum eſt à Clemente VIII. *Conſt. editâ 1603. die 23. Julij*, & extat apud Piaſec. *in prax. Epiſc. p. 2. c. 3. art. 6. n. 33.*

95 Dixi, *Niſi dotem afferant &c.* nam ſufficienter dotatæ recipi poſſunt etiam ſupra numerum, in quo ex reditibus Monaſterij ali poſſunt: & ita praxis defacto habet, cui nequaquam contrariatur *c. periculoſo cit.* & allegatum Trid. Decretum; quia intelligi debent ſolùm, ne indotatæ, vel cum expenſis Monaſterij alendæ ultra numerum recipiantur. Neque id Simoniacum eſt, cùm dos non detur tanquam pretium receptionis, ſed ut ſtipendium neceſſarium ad vitæ ſuſtentationem, ut cum alijs docent Navarr. *tr. de redit. Eccl. q. 1. monit. 62. n. 2.* Azor *p. 1. l. 13. c. 9. q. 1.* Sanch. *l. 7. mor. c. 23. n. 4. & 5.* Pirh. *hìc num. 29.* Schambog. *n. 11.*

96 2. Circa Benedictionem, ſeu Conſecrationem Monialium ſciendum eſt, multiplex Velum eis dari ſolere, ut notat Gloſſ. *in can. devotis 11. V. Velamen* junct. Gloſſ. *marg. cauſ. 20. q. 1.* Ab aliquibus ſex recenſentur. 1. *Velamen Converſionis*, ſeu *Probationis*, quod datur in ſuſceptione Habitûs Regularis ante Profeſſionem, & communiter eſt album. 2. *Velamen Profeſſionis*, quod nigrum eſt, & olim dabatur anno ætatis 12. nunc 16. completo, quo Profeſſio fieri poteſt: datur hoc Profeſſis omnibus, ſive Virgines ſint, ſive Viduæ. 3. *Velum Conſecrationis*, quod olim dabatur anno ætatis 25. *can. placuit 14. cauſ. 20. q. 1.* nunc ex univerſali conſuetudine etiam ante iſtam ætatem, teſte Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg. 27. n. 57.* Confertur autem Velum hoc à ſolo Epiſcopo, & non ab alio, niſi delegatus ſit à Summo Pontifice: item ſolis Virginibus, imò ne iſtis quidem omnibus; quia Moniales Mendicantium, & aliæ quædam non conſecrantur ab Epiſcopo. 4. *Velum Continentiæ & obſervationis*, quod eſt Viduarum *can. Vidua 34. cauſ. 27. q. 1.* & poteſt dari etiam Virginibus, licèt Virginale Velum non poſſit dari Viduis, ne quidem cum diſpenſatione Epiſcopi *can. devotis 11. cauſ. 20. q. 1.* 5. *Velum Ordinationis*, quod olim dabatur Diaconiſſis ad inchoandum Officium Divinum, & Homilias legendas, nec ante annum 40. *can. Diaconiſſam 23. cauſ. 27. q. 1.* hodie autem hæc Ordinatio fit, quando Moniales conſecrantur, ſeu velantur. Pirh. *hìc n. 31. ℣. præter dicta*, Schamb. *n. 13. 6.* Denique *Velum Prælationis*, quod olim Abbatiſſis dabatur anno 60. ætatis *can. Juvenculas 12. & ibi* Gloſſ. *V. ſexagenariam*, & Gloſſ. *marg. cauſ. 20. q. 1.* poſtea verò anno 30. completo *c. indemnitatibus 43. tr. de Elect. in 6.* Sed hodie juxta Trid. *ſeſſ. 25. c. 7. de Regular.* 40. anni requiruntur ad Abbatiſſam eligendam, niſi magna eſſet inopia perſonarum.

Ex quo ſequitur, duplicem in Monialibus Benedictionem, ſeu Conſecrationem fieri: unam Abbatiſſarum, alteram aliarum Monialium. Harum Conſecratio fieri debet in Epiphania Domini, vel in Dominica in Albis, in Natalitijs Apoſtolorum, & in diebus Dominicis *can. devotis 11. & can. Virgines 15. cauſ. 20. q. 1.* niſi tempore neceſſitatis, nempe imminente languore, vel mortis periculo; tunc enim quovis tempore conſecrari poſſunt, ut ex Sylveſtro notat Pirh. *hìc n. 31.* imò alij apud Laym. *in c. 1. de tempor. ordinand. §. alterum* putant, Virgines etiam in alijs Feſtivitatibus conſecrari poſſe. Porro circa Conſecrationem Abbatiſſarum Jure communi conſtitutum eſt *Clem. 2. ℣. ſtatuimus h. tit.* ut quævis ad regimen Abbatiarum aſſumptæ in Monaſterijs, in quibus Abbatiſſæ ſolent benedici, intra annum à ſuæ Confirmationis tempore computandum, munus Benedictionis ſuſcipiant, ſub pœna privationis Juris per Electionem, & Confirmationem quæſiti, niſi ſubſit rationabilis aliqua cauſa. Dixi, *In quibus Abbatiſſæ ſolent benedici;* ſolùm enim benedicuntur, quæ ſunt perpetuæ, & hæ non omnes; nam in aliquibus Benedictio hæc ſublata eſt per conſuetudinem: unde hæc, & mos Monaſterij quoad iſtud debet inſpici. Addidi, *niſi ſubſit cauſa rationabilis:* cauſas, ob quas excuſantur à Benedictione recipienda 97

da intra tempus præscriptum, enumerat Gloss. *in Clem. cit. V. rationabilis.*

98 Quæritur 4. quid Jure communi statutum sit circa Clausuram Monialium, & egressum illarum ex Monasterijs? ℟. de hac Bonifacius VIII. *c. periculoso un. h. tit. in 6.* statuit, *universas, & singulas Moniales, præsentes, atque futuras, cujuscunque Religionis sint, vel Ordinis, in quibuslibet mundi partibus existentes, sub perpetuâ in suis Monasterijs debere de cætero manere Clausura, ita, quòd nulli earum Religionem, tacitè, vel expressè professæ, sit, vel esse valeat quacunque ratione, vel causa (nisi fortè tanto, & tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quòd non posset cum alijs absque gravi periculo, seu scandalo commorari) monasteria deinceps egrediendi facultas, nullique aliquatenus inhonestæ personæ, nec etiam honestæ, (nisi rationabilis, & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia) ingressus, vel accessus pateat ad easdem, ut sic à publicis, & mundanis conspectibus separatæ, omnino servire DEO valeant liberiùs, & lasciviendi opportunitate sublata, eidem corda sua, & corpora in omni sanctimonia diligenter custodire.* Quam Bonifacij Constitutionem innovavit Trid. *sess. 25. c. 5. de Regular.* Pius V. *Constit.* quæ incipit *Circa Pastoralis editâ 19. Jun. 1566.* & Gregorius XIII. *Const.* incipit *DEO Sacris Virginibus editâ 21. Jan. 1573.* quæ legi possunt apud Quarant. *Summ. Bullar. V. Monasteria Monialium fol. 440. & pluribus seqq.*

99 Dub. 1. quænam obligentur his Constitutionibus? ℟. obligantur omnes, & solæ Moniales Professæ, quamvis Conversæ, seu ad ministeria, & servitia domestica deputatæ; si emiserunt tria Vota substantialia Religionis. Suar. *tom. 4. de Relig. l. 1. c. 8. n. 17.* Sanch. *l. 6. mor. c. 15. n. 13.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 12. n. 1.* Pal. *tr. 16. D. 4. p. 9. n. 1.* Pirh. *hic n. 33. not. 1.* Proceditque hoc, sive antè servaverint Clausuram, sive non; est enim Constitutio nova, quæ non supponit obligationem, sed imponit. Suar. *n. 11. & 14.* Sanch. *n. 12.* Laym. *tr. 5. cit. c. 9. n. 13. coroll. 1.* Pal. *p. 9. cit. n. 2.* Nec immeritò; quia assumens aliquem Statum, & obligatus in eo perseverare, eo ipso obligatur ad ea, quæ ad conservationem integram, & puram illius judicata fuerint à Rectore illius Statûs moraliter necessaria. atqui Summus Pontifex, ut patet ex allatis Constitutionibus, judicavit Clausuram Monialium moraliter necessariam, ut Status Religiosus fœminarum purè, & integrè conservetur. ergo &c.

100 Dixi *omnes, & solæ Moniales Professæ.* Ex quo *sequitur 1.* ad Claustrum non obligari Novitias, cùm non sint Religiosæ, nec Professæ: ideoque è Monasterio egredi possunt cum Superiorum licentia v. g. ad recuperandam valetudinem, nec per talem egressum annus Probationis interrumpitur, si Habitum retineant: secus est, si absque licentia egrediantur; tunc enim recedunt ab obedientia, cons. interrumperetur Probatio. Suar. *c. 8. cit. n. 16.* Laym. *c. 12. cit. n. 1.* Pirh. *n. 33. not. 3. Sequitur 2.* multo minùs his Constitutionibus obligari Virgines illas, quæ per Votum Continentiæ DEO sunt consecratæ, sed non in Statu aliquo Religioso ab Ecclesia approbato; quia tales non sunt Sanctimoniales Professæ. *Proceditque hoc*, etsi Voto Simplici, ac privato, vel etiam pacto Obedientiam alicui promiserint; quia tribus Votis Substantialibus obligatæ non sunt quod requiritur ad hoc, ut propriè Sanctimonialis sit. Suar. *tom. 4. de Relig. l. 1. c. 8. n. 15.* Sanch. *l. 6 moral. c. 15. n. 14. & 15.* Pirh. *hic n. 33. cit. not. 2.*

101 Dub. 2. quænam sint justæ causæ, ob quas licentia Monialibus concedi potest ad egrediendum ex Claustro? ℟. hac in re triplicis generis dispositiones Juris inveniuntur. 1. *c. un. h. tit. in 6.* ubi Bonifacius VIII. strictè nimis eam solam causam assignavit, si Monialis *labore tanto, & tali morbo - - - quòd non posset cum alijs absque gravi periculo, seu scandalo commorari.* 2. Trid. *sess. 25. c. 5. de Regular.* quod judicium de legitimitate causæ reliquit arbitrio Ordinarij, & nullam designavit in particulari ibi: *Nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda.* 3. *Const. S. Pij. V.* incipit *Decori edit. 1569. Cal. Febr.* ubi causam legitimam expressit magnum incendium, infirmitatem lepræ, aut Epidemiam, subdens sub gravissimis pœnis præter has licentiam egressûs Monialibus non concedendam.

102 Hinc ergo dubium oritur, an præter has causas ex nulla alia suprà dictis simili licentia concedi possit? Non posse concedi existimavit Thom. Zerol. *prax. Episc. p. 1. V. Monialis ad 16. quæst. dub. 2.* & *p. 2. V. eod. fin.* ex ratione, quia aliàs frustra prædictus S. Pontifex expressit tres memoratas causas cum particula taxativa, & clausula adimente potestatem Prælatis Pontifice inferioribus ex alia causa licentiam hanc concedendi. Sed retinenda est affirmativa sententia, quam etiam defendunt Navarr. *comment. 4. de Regular. n. 48.* Gutier. *l. 1. can. qq. c. 14. n. 9.* Azor *p. 1. l. 13. c. 8. q. 1. ¶. tertiò quæres,* Rodriq. *tom. 1. Regul. q. 49. art. 3.* Sanch. *l. 6. mor. c. 15. n. 37.* Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 1. c. 9. n. 3.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 102. n. 16. & seqq.* Pal. *tr. 16. D. 4. p. 9. n. 13.* Ratio est; quia eas causas Pontifex legitimas esse decidit non ob esse materiale, quod habent, sed ob periculum, vel bonum commune Monasterij, aut Ecclesiæ, igitur si quo casu eadem ratio militet in causis materialiter diversis, ad ipsas concessio est extendenda: imò extensio hæc propriè non est extensio, sed inclusio, cùm ratio dispositionis eas causas includat.

103 Hinc variæ à DD. causæ enumerantur,

tur, ob quas Monialibus potest concedi licentia egrediendi ex Claustro? Et 1. quidem, ut Monialis in alio Monasterio ejusdem Ordinis fiat Abbatissa, vel Magistra Novitiarum, prout de Abbatissa expresse concedit. Trid. *sess. 25. c. 7. de Regular. ℣. quodsi.* 2. si egrediatur Abbatissa ad fundandum aliud Monasterium ob æquiparationem cum casu priore, cùm ex illo egressu & bonum temporale, & Spirituale Religioni proveniat, sitque fundatio quoddam regimen Religioni valdè necessarium. Sanch. *n. 47.* Suar. *c. 9. n. 13.* Barbos. *n. 21.* Pal. *n. 16. in fin.* 3. si Homagium præstandum sit Principi ratione feudi, quod Monasterium tenet; tunc enim si non possit obtineri, ut præstetur per Procuratorem, personaliter Abbatissa, duabus, vel pluribus Monialibus antiquioribus comitata, potest exire, ita tamen, ut præstito Homagio, statim ad Monasterium revertantur *c. un. §. verùm h. tit. in 6.* & *ibi* Gloss. *V societate* Pal. *n. 17.* 4. si transferatur Monialis ad aliud Monasterium correctionis causâ, quia in proprio commodè non potest corrigi, prout sumitur ex *c. quoniam 40. de Simon.* & notant Sanch. *n. 47.* Suar. *n. 13.* Pal. *l. cit.* 5. si Monialis ab uno Monasterio ad aliud strictioris observantiæ causâ transire velit; nam favorem istius transitûs utriusque sexûs Religiosis Jus sine exceptione indulget *c. licèt 18. de Regular.* 6. si totum Monasterium transferendum sit in locum commodiorem, v. g. ex rure in oppidum, vel urbem juxta præceptum Trid. *Sess. 25. c. 5. de Regular.* 7. ad Eleemosynas fidelium pro sustentatione necessaria Sororum congregandas: debent tamen, quæ ad has corrogandas mittuntur, esse annorum 40 ut statuit S. Pius V. in Bulla *Circa Pastoralis cit.* 8. ob magnum, & periculosum incendium, ita, ut sine periculo intra claustra Moniales manere nequeant. S. Pius V. *Constit. Decori cit.* 9. ob Hæreticorum, vel aliorum hostium incursiones, quando justè timetur fore, ut Moniales detrimentum patiantur, nisi ad locum tutum se recipiant. Azor *p. 1. l. 13. c. 8. q. 1. ℣. tertiò quæres*, Sanch. *n. 44.* Pirh. *n. 35. hic.* 10. ob morbum, qui toti communitati propter metum contagionis, & ut Azor *l. cit.* Suar. *n. 9.* Pirh. *n. 34.* probabiliter docent, qui ipsi Moniali periculosus sit, ita, ut Medici judicent eam morituram, nisi exierit: quo tamen posteriùs probabiliùs negant Gutier. *tom. 1. can. q. 14. n. 7.* Rodriq. *tom. 1. Regul. q. 49. art. 3.* Sanch. *c. 15. cit. n. 39.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 12. n. 1. ℣. tertiò*; quia SS. Canones significant causam, ob quam egressus è Claustro Monialibus permitti possit, debere esse publicam, & non privatam aliquam earum necessitatem, cùm ea postponi debeat communi Religionis bono.

104 Dub. 3. ad quem pertineat dare licentiam Monialibus exeundi è claustro? ℣. si necessitas exeundi sit manifesta, & Superior pro petenda licentia adiri nequeat sine periculo, tunc Monialis, eo inconsulto, licitè exire potest; quia necessitas non habet legem. Sylv. *V. Religio 7. q. 16.* Rodriq. *q. 49. cit. art. 2.* Sanch. *l. 6. mor. c. 15. n. 62* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 12. n. 1. ℣. quartò* Pirh. *hic n. 37. in fin.* & alij apud istos. Quodsi verò causa aut manifesta non sit, aut res moram patiatur, opus est authoritate Superioris, qui de causa cognoscat, eámque approbet, & licentiam det. Sed hinc quæstio oritur, quis Superior concedere facultatem hanc debeat, vel possit? In quo apud DD. extra controversiam est, eam facultatem dandam ab Episcopo non exemptis, & exemptis immediatè subjectis Sedi Apostolicæ, si hæc adiri commodè nequeat; prioribus eam Episcopus dat potestate ordinaria; posterioribus delegata Sedis Apostolicæ.

Controversia est de Exemptis subje- 105
ctis Ordini; nam aliqui apud Sanch. *c. 15. cit. n. 24.* putant eo casu potestatem dandi licentiam egressûs ex Claustro pertinere ad solos Superiores Regulares, quibus hujusmodi Moniales subduntur. Sed spectato Jure, & præscindendo à contraria consuetudine, tenendum præter licentiam Superioris Regularis requiri etiam licentiam Episcopi. Ita Sanch. *l. cit. n. 28.* Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 1. c. 9. n. 13.* & *c. 10. n. 12.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 102. n. 28.* Pal. *tr. 16. D. 4. p. 9. n. 9. ℣. ex decisione in fin.* Pirh. *hic n. 37.* Schamb. *n. 15.* Monacell. *p. 2. tit. 15. form. 15. n. 2.* & hoc teste declaratum est *à Sacr. Congr. Concil. sub die 13. Nov. 1610.* Ratio est; quia Trid. *sess. 25. c. 5. de Regular.* generaliter, & indistinctè ait: *Nemini Sanctimonialium liceat post Professionem exire è Monasterio - - - nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda.* Et clariùs habetur in *Constit. S. Pij V. cit.* & *Motu proprio ejusdem*, ubi postquam dixit, *nulli Monialium licere exire, nisi ex causa magni incendij, lepræ, aut Epidemiæ* subjungit: *Quæ tamen infirmitas, præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiamsi prædicta Monasteria ab Episcoporum, & Ordinariorum Jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita & expresè in scriptis approbata sit.*

Addidi *præscindendo à contraria con-* 106
suetudine; nam hac spectata, Rodriq. *tom. 1. Regul. q. 49. n. 6.* Sanch. *n. 28.* Pal. *n. 9. cit. ℣. verum.* & alij ab his *citt.* putant, approbationem Episcopi pro Monialibus suprædictorum Monasteriorum necessariam non esse, sed sufficere sui Prælati licentiam, & ita dicunt usum obtinuisse in Hispania. Quod verum esse potest, quoad licentias hujusmodi concedendas, illæso tamen Jure Episcopi; nam privativè ad istos nemini, excep-

to Papa, competit jus istas licentias dandi, non obstante privilegio, sive consuetudine contraria, prout nuper declaravit *S. Congreg. Concil. in Bononiensi 17. Maij 1704.*

107 Dub. 4. quæ pœnæ sint decretæ in Moniales violantes Clausuram, iisque cooperantes, vel faventes? R. ex Bulla Pij V. *incipit Decori cit.* duplex incurritur pœna, sc. 1. Excommunicatio major reservata: & hæc incurritur ipso Jure, & sine alia declaratione. 2. Privatio Dignitatum, Administrationum, Officiorum obtentorum, & inhabilitas ad illa, & alia imposterum obtinenda: & hæc, ut probat Sanch. *l. 6. mor. c. 15. n. 65.* requirit sententiam declaratoriam criminis, quamvis non declaratoriam pœnæ. Porro, ut idem Sanch. *n. 66.* notat, nomine Dignitatum, Administrationum, Officiorum intelliguntur illa, quæ adjunctam habent Superioritatem aliquam, ut est esse Generalem, Provincialem, aut Superiorem localem; non autem alia officia, ut est esse Concionatorem, Confessarium, Professorem Theologiæ &c.

108 Incurrunt pœnas istas 1. Moniales Clausuram violantes: & ut rectiùs docet Pal. *tr. 16. D. 4. p. 9. n. 21.* extenditur etiam ad illas, qui legitimo modo egressæ sunt, sed iniquè extra claustra commorantur, eò, quòd cessaverit causa, ob quam egressus concessus est; quia pœnæ istæ sancitæ sunt adversùs Moniales *egressas* NB. violantes Constitutionem *cit.* at Monialis egressa ex causa legitima, absque legitima tamen causa extra Monasterium diutiùs commorans, jam violat Constitutionem Pontificiam, cujus mens est, tollere abusum, ne extra causam justam Moniales vagarentur. *Conf.* quia quæ extra Monasterium vagatur, cùm in hujusmodi dispositionibus verba intelligi moraliter debeant, dici propriè potest è Monasterio egrediens; continuat enim egressum.

109 2. Licentiam ad sic egrediendum contra *cit. Constitutionem* concedentes. Et verum hoc est, etiamsi sint Episcopi, ut bene Sanch. *c. 15. n. 75.* Pal. *tr. 16. D. 4. p. 9. n. 22.* Neque obstat, quòd aliàs juxta *c. quia periculosum 4. de sent. excomm. in 6.* Episcopi sententiam jure latam nullatenus incurrant, nisi de ijsdem expressa mentio habeatur; in Constitutione autem *cit.* dum pœnæ hæ statuuntur, de Episcopis non fiat mentio. Nam verba posteriora, quibus pœnæ hæ infliguntur iniquè concedentibus egressum è claustro, intelligi debent de ijs, quibus per verba præcedentia concessa est potestas licentiam istam dandi, isti autem sunt Episcopi, & Regulares Prælati. ergo sufficienter de Episcopis est facta mentio.

110 3. Denique Personæ, quæ sic egredientes comitantur, illas receptant, sive Laicæ sint, illæ aut Sæculares, sive Ecclesiasticæ, consanguineæ &c. ut patet ex *Bulla cit.* Circa quod tamen duo sunt advertenda. *Primum est*, ut propter hujusmodi comitatum, vel receptionem incurrantur prædictæ pœnæ, eam debere esse talem, qui egressum, vel ejus perseverantiam foveat: aliàs non est formalis comitatus, vel receptio Monialis è Monasterio egressæ. Rodriq. *tom. 2. Reg. q. 49. art. ult.* Sanch. *l. 6. mor. c. 15. n. 72.* Pal. *p. 9. cit. n. 23.* *Alterum*, ut egressus è claustro sit completus, quod sufficit, etiamsi ad brevissimum tempus fiat. Secus verò, si egressus incompletus esset, qualis foret, si extra limen clausuræ poneretur non totum corpus, sed pars tantùm. Sanch. *n. 6. 8. & 68.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 102. n. 30.* Pal. *n. 24.*

111 Quæritur 3. quid Jure Canonico statutum sit circa clausuram Monialium quoad ingressum aliarum personarum in earum Monasteria? R. de hoc *c. un. h. tit. in 6.* ut *n. 98.* vidimus, absolutè statuitur, ne ulli personæ ad ea Monasteria ingressus pateat absque licentia, & quidem, ut Trid. *sess. 25. c. 5. de Regular.* addidit, *in scriptis obtenta.*

112 Dub. 1. quinam his Decretis prohibeantur clausura Monialium ingredi? R. prohibentur omnes, *cujuscunque generis, aut conditionis, sexûs, vel ætatis fuerint*, ut declaravit Trid. *l. cit.* adeoque etiam fœminæ, præsertim nuptæ, aut viduæ, nisi Moniales fieri velint. Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 1. c. 1. pr.* Barbos. *Jur. Eccl. l. 1. c. 44. n. 99. & seqq.* Pal. *tr. 16. D. 4. p. 10. §. 1. n. 1.* Pirh. *hic n. 41.* & alij apud istos. Proceditque hoc, ut nec etiam ipsi Superiores possint ingredi extra casus necessarios per *Const. Gregorij XIII.* incipit *Dubijs publicatam 30. Dec. 1582.* apud Matthæucc. *in Official. Eccl. c. 11. n. 14.*

113 *Excipiuntur 1.* pueri, & puellæ, qui necdum rationis usum adepti sunt; quia in illis cessat ratio prohibitionis; nempe periculum, ne incitentur Moniales ad peccatum. Navarr. *Comment. 4. de Regular. n. 59.* Azor *p. 1. l. 13. c. 8. q. 5.* Rodriq. *tom. 1. Regul. q. 46. art. 1.* Sanch. *l. 6. moral. c. 16. n. 5.* Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 1. c. 10. n. 2.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 12. n. 2. v. circa quam.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 102. n. 32.* Pal. *tr. 16. D. 4. p. 10. §. 1. n. 2.* Aliud est de amentibus jam puberibus, qui ad peccatum incitare turpiter jocando, vel turpia loquendo, & Moniales perturbare possunt: ideoque Monasteria illarum ingredi permitti non debent, ut rectè Sanch. *n. 8.* Suar. *n. 3.* Pal. *n. 3.* Engl *hic n. 11.* Pirh. *n. 41.* Schamb. *n. 17.* cum alijs *suprà citt.* monent.

114 *Excipiuntur 2.* famulæ sæculares; nam si hujusmodi Moniales alias, quæ profiteri, & perpetuò in Monasterio manere velint, habere non possint, non prohibentur assumere famulas sæculares, nec ad breve duntaxat, sed longum etiam tempus, si Ordinis Regula, vel consuetudo non repugnet, ita tamen, ut nun-

nunquam è Monasterio egrediantur ; donec omnino dimittantur. Rodriq. *l. cit. q. 44. art. 4.* Suar. *n. 18. & seqq.* Laym. *n. 2. ℣. tertiò in fin.* Pirh. Schamb. *l. cit.*

115 *Excipitur 3.* ut cum Episcopi, vel Superioris licentia in Monasterijs recipiantur puellæ, ut in illis educentur, & instruantur, licèt nolint Religiosum habitum suscipere, ita tamen, ut ultra 25. ætatis annum in Monasterio non retineantur, & nequeant clausurâ egredi, & semel egressæ non possint denuo admitti. Rodriq. *q. 46. cit. art. 10.* Mirand. *tr. de Monial. q. 2. art. 6. concl. 1.* Sanch. *c. 16. cit. n. 61.* Engl. *n. 11. ℣. præterea*, Pirh. Schamb. *l. citt.* & teste Quarant. *V. Monasteria Monialium fol. 449.* Episcopo Hieracensi rescripsit S. Congr.

116 Dub. 2. quid intelligatur nomine *Claustri* ? ℟. intelligitur omnis ille locus, sive area sit, sive hortus, sive conclave, in quem Monialibus licet ingredi ; cùm enim illis prohibitum sit exire extra Claustrum, consequenter omnis ille locus intra Claustrum esse censendus est, in quem Moniales ingredi possunt. *Ex quo sequitur*, in talem locum alias personas, sive viri sint, sive fœminæ, non posse ingredi ; nam hoc est, quod SS. Canones præcipuè intendunt, ne scilicet Moniales cum alijs personis extraneis in hujusmodi locis convenire, colloqui, & conversari possint. Et hinc etiam prohibitum est, ne ex Monasterio Monialium pateat janua, sive egressus ad eam Ecclesiæ partem, in qua Sæculares sunt, ut colligitur ex *c. un. h. tit. in 6.* Trid. *sess. 25. c. 5. de Regular.* & notat Suar. *c. 10. cit. n. 8.* Pirh. *hic n. 42. not. 2.* Matthæucc. *in Official. Eccl. c. 11. n. 20.*

117 Dub. 3. ob quam causam ingressus in Monasteria Monialium concedi possit ? ℟. debet esse non solius utilitatis, sed alicujus sufficienter apparentis necessitatis, saltem moralis, cui aliter commodè occurri non possit. Rodriq. *tom. 1. Regul. q. 46. art. 4.* Sanch. *l. 6. mor. c. 16. n. 40.* Mirand. *q. 2. cit. art. 4. concl. 2.* Pirh. *hic. n. 42. not. 3.* Schambog. *n. 18.* Minor autem causa requiritur ad concedendam licentiam fœminis, quàm viris ; quia horum ingressus est indecentior honestati Monialium ; item faciliùs conceditur ingressus matri, & sororibus, quàm alijs fœminis. Sanch. *n. 41.* Demum minor desideratur causa ad ingressum in Monasterij receptacula statim post Clausuræ januam sita, quàm ad Officinas interiores, ut idem Sanch. *l. cit.* annotat.

118 Porro necessitas hæc, ob quam ingressus in Monasteria Monialium vel ipso Jure conceditur, vel authoritate Superioris concedi potest, tenere se potest vel ex parte totius Conventûs, vel ex parte singularium Monialium. *Ex parte Conventûs* sufficiens causa est. 1. si reparatione indigeat Monasterium ; nam ad hanc perficiendam illud ingredi fabri, & alij operarij possunt. 2. si aliqua res ponderosa illuc sit inferenda, vel inde extrahenda, quod per Moniales commodè præstari non potest. 3. si scriptura in Archivo intra Monasterium existente sit quærenda, nec per Moniales, cùm regulariter ad id aptæ non sint, id fieri possit. 4. si expellendus sit inde malefactor ; quia non decet hoc fieri per Virgines. 5. si instituenda sit Monasterij visitatio secundùm dicta *n. 93.* 6. si Moniales indigeant ad infima domûs officia, & ad curandas infirmas fœminis servitricibus &c.

119 *Ex parte singularium Monialium* iterum plures sunt casus, ex quibus licitus ingressus est. Et 1. quidem, si Moniali ægrotanti ministrandum sit Sacramentum Evchariſtiæ, Pœnitentiæ, vel Extremæ Unctionis : quod intelligendum est non tantùm de extrema, necessitate, sed etiam extra illam, quoties monialibus alijs ex præscripto Regulæ Evchariſtia ministratur, vel infirma solita est SS. Mysterijs refici ; quia æquum non est eo subsidio tempore majoris necessitatis privari. 2. si Monialis aliqua in Monasterio mortua sit ; tunc enim licitus est ingressus omnibus illis, qui ad aperiendam sepulturam, eam coaptandam, deferendum defunctæ corpus, & officium sepulturæ exercendum fuerint necessarij. 3. si Monialis ægrotans opus habeat Medico ; nam hic ad eandem ingredi potest, imò non unus, sed plures, si infirmitas gravis sit, & expediat plures convocari. 4. ob eandem medendi causam ingredi Monasterium potest minutor sanguinis, & Chirurgus ; quia est officium infirmæ satis necessarium, nec illud valent Moniales exercere. 5. his addunt aliqui Sartores, & Sutores ad conficiendas, vel saltem metiendas vestes, & calceos : sed meritò de istis cum alijs DD. negat Pal. *tr. 16. D. 4. p. 10. §. 3. n. 11.* quòd præstare omnia in limine Clausuræ possint, ita, ut nec monialis egrediatur, nec ipsi ingrediantur.

120 Videantur de hoc Navarr. *comment. 4. de Regular. à n. 49.* Rodriq. *tom. 1. Regular. q. 46. & 47.* Mirand. *de Monial. q. 2. art. 4. & seqq.* Sanch. *l. 6. mor. c. 16. à n. 43.* Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 1. c. 10.* Barbos. *de Offic. Epis. alleg. 102. à n. 46.* Pal. *tr. 16. D. 4. p. 10. §. 3. n. 11.* Notant tamen plerique ex allegatis, eos, qui ob prædictas causas ingrediuntur Monasteria, illis cessantibus illico debere egredi ; quia cessat finis concessionis, & præcepti dispensationis. Addunt tamen, hoc non ita strictè, & rigorosè intelligendum esse, ut quælibet brevis mora peccatum mortale constituat ; quia hæc præcepta morali, & non metaphysico modo intelligi debent. Debet ergo mora esse ita diuturna, ut ex se pateat in fraudem legis fieri.

121 Dub. 4. quis dare licentiam possit ingrediendi Monasteria Monialium ? ℟. cum distinctione : Vel enim exemptæ illæ sunt,

vel non exemptæ, sed Episcopo subjectæ. *Si hoc secundum*, licentiam concedit Episcopus, vel ejus Vicarius, & quidem potestate Ordinaria. *Si primum*, videndum, an immediatè subjectæ sint Summo Pontifici, an Prælatis Regularibus. *Si prius*, iterum licentiam concedit Episcopus, authoritate delegata à Sede Apostolica. *Si posterius*, petenda licentia est vel ab Episcopo, vel à Superiore Regulari, cui tale Monasterium immediatè subjectum est; sufficit autem hoc casu alterutra, licèt ad egressum ipsarum Monialium requiratur de Jure utraque. Sanch. *c. 16. cit. n. 13.* Pirh. *hic. n. 43.*

122 Nomine autem Superioris Regularis intelligitur hoc loco Generalis, Provincialis, vel etiam immediatus Superior Monasterij virorum, cui Moniales subjectæ sunt, nisi aliter in proprijs ipsarum Religionum Constitutionibus præceptum sit. Sanch. *n. 15.* Suar. *n. 13.* Pal. *§. 2. n. 3.* Pirh. *l. cit.* quia textus licentiam hanc requirentes absolutè, & generaliter tradunt hoc ad Superiorem pertinere. Abbatissa verò sub illo nomine Superioris non comprehenditur; quia illi Monasterium absolutè subjectum non est, sed secundùm quid quoad regimen domesticum, ut cum Pal. *l. cit.* pro certo tradunt Navar. *Comment. 4. de Regul. n. 59.* Rodriq. *tom. 1. Regular. q. 46. art. 2.* Azor *p. 1. l. 13. c. 8. q. 6.* Sanch. *c. 16. cit. n. 22.* Suar. *n. 14.*

123 Potest autem Superior, qui licentiam ingrediendi dare alijs potest, etiam ipsemet eâdem facultate uti in casibus necessarijs, ut patet ex *Bulla Gregorij XIII.* incipit, *Dubijs*, & habetur apud Quarant. *V. Monasteria Monialium fol. 447.* ubi cavetur eum debere ingredi à paucis, & senioribus associatum. Extenditur hoc ad omnes illos, qui ex delegatione habent potestatem dispensandi circa ingressum; nam possunt etiam dispensare secum. Pal. *n. 5.* Probabilius tamen est, ut cum Suar. *n. 14.* docet idem Pal. *n. 4.* potestatem istam à Superiore Conventûs fieri nemini alteri posse, ob verba Trid. *sess. 25. c. 5. de Regular.* ubi dum ait, nullum alium præter Episcopum, & Superiorem hanc licentiam dare posse *etiam vigore cujuscunque facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel imposterum concedendi*, videtur delegationem istam prohibuisse.

124 Porro licentia hæc debet esse specialis, i. e. specialiter concessa ad ingressum, nec sufficit generalis, ut constat ex *c. un. h. tit. in 6.* ibi *speciali licentia:* & insuper requiritur, ut sit in scriptis obtenta, ut patet ex Trid. *c. 5. cit.* ac proinde non sufficit licentia verbis expressis concessa, & multo minùs tacita. Sanch. *n. 28. & 29.* Pal. *n. 6.* Pirh. *n. 43. not. 5.* Extenditque hoc etiam Pal. *n. 7.* ad Medicum, Confessarium, & similes: nam etiam ipsi licentiâ in scriptis indigent, si commodè obtineri possit; quia Concilium absque ulla exceptione pro casibus necessarijs licentiam requisivit in scriptis. Dixi, *si commodè obtineri possit in scriptis*; secus dicendum in casu, quo ex licentiæ dictæ exspectatione grave damnum timeretur; non enim Lex humana cum eo rigore obligat: imò nec obligat licentiam oretenus exspectare, si ex illius exspectatione periculum esset gravis damni. Navar. *comment. 4. de Regular. n. 60.* Sanch. *c. 16. cit. n. 34.* Pal. *n. 7. cit.*

Dub. 5. quæ pœnæ impositæ sint in 125
gredientibus Clausuram Monialium? Re.
si sine licentia in scriptis obtenta ingrediantur, incurrunt pœnam Excommunicationis ipso facto, prout statuit Trid. *sess. 25. c. 5. de Regular.* Et tangit hæc pœna non tantùm eos, qui ingrediuntur ad malum finem, vel prætextu licentiarum, & facultatum, sed etiam qui ingrediuntur ex alio titulo, & capite: & extenditur etiam ad Superiores & alios, qui habent licentiam ingrediendi in casibus necessarijs, si hac utantur extra casus necessarios, ut declaravit Gregorius XIII. *Const.* incipit *Ubi gratiæ publicatâ Romæ 24. Jun. 1557.*

Porro Excommunicatio hæc per 126
Trid. *l. cit.* lata ibidem non reservatur; ex Stylo tamen Curiæ pro absolutione ad Sacram Pœnitentiariam recurritur, ut notant Quarant. *V. Monasteria Monialium fol. 449.* Pignatell. *tom. 10. consult. 100. n. 25.* Monacell. *p. 2. form. 15. tit. 15. num. 14.* Matthæucc. *in Offic. Eccl. c. 11. n. 15.* & sic reservatam esse teste eodem Matthæuccio ea de re consulta respondit *S. Congr. in Sabinens. 3. Jul. 1632.*

Debet tamen quoad has pœnas, & 127
prohibitionem ingressûs in Monasteria Monialium spectari usus Constitutionum, quæ ingressum hujusmodi prohibent, & pœnam prædictam statuunt; nam ut Laym. *l. 4. tr. 5. c. 12. n. 3.* & ex eo Pirh. *hic n. 44.* advertit, Constitutiones istæ non sunt ubique receptæ in Germania, cùm etiamnum hodie in quibusdam Monasterijs tum viri, tum fœminæ ingredi soleant domos, & habitationes, intra septa Monialium positas, & fœminæ quidem non difficulter admittantur etiam ad ipsas cellas Clausurales Monialium.

Dub. 6. an sicut ingressus, ita eti- 128
am accessus ad Monasteria Monialium extra casus necessarios prohibitus sit? Re.
Jure quidem *c. un. h. tit. in 6.* & *c. Monasteria 8. de Vit. & Honest. Cleric.* etiam accessum sine causa, præsertim frequentem, prohibitum fuisse. Verùm hæ Constitutiones vel non fuerunt usu receptæ, vel per non usum abrogatæ: neque restitutæ sunt à Trid. vel Pio V. in sua Bulla, cùm à neutro mentio ulla accessûs fiat. Quare dicendum, seclusis circumstantijs scandali, mali finis &c. non esse culpam gravem Monasteria ista etiam sine justa causa & licentia

centia Superiorum accedere, imò & frequentare. Pirh. *n. 44.*

129 *Excipiuntur Religiosi*, de quibus *S. Congr. Nonis Maij 1590.* statuit, ut *nulli posthac Religioso cujuscunque ordinis, gradûs, qualitatis, & dignitatis existat (Superiore, cui Monasterij, seu Domûs cura incumbit, Visitatore, vel Visitatoribus, Confessarióque ordinario, & extraordinario, cùm ad tempus deputabitur, duntaxat exceptis) liceat absque licentia expressa ejusdem S. Congregationis accedere ad Monasteria, seu Domos, quarumcunque Monialium - - - ad colloquendum, sive tractandum cum eis.* Et extenditur prohibitio hæc etiam ad Ordines Militares, ut notat Quarant. *V. Monasteria Monialium fol. 452.* qui tamen addit per talem accessum à Regularibus pœnam Excommunicationis non incurri. Imò Pal. *tr. 16. D. 4. p. 11. n. 7. in fin.* dubitat, an Decretum hoc satis promulgatum, & usu receptum sit, propendétque in eam sententiam, ut existimet ad summum prolatum esse pro Monasterijs Romæ existentibus, ob difficultatem petendi, & obtinendi eam licentiam ex terris Româ remotioribus.

130 Dub. 7. an sicut prohibitus est ingressus virorum in Monasteria Monialium, ita etiam prohibitus sit ingressus fæminarum in Monasteria Virorum? R. non prohiberi in tanto rigore; nam 1. ingredi Monasteria virorum possunt Imperatrices, Reginæ, earúmque filiæ, & aliæ fæminæ, quæ illas comitantur. Rodriq. *in Exposit. Mot. prop. Pij V. super hoc editi 1566. die 23. Oct. n. 3. & 4.* Sanch. *l. 6. mor. c. 17. n. 5. & 6.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 12. n. 5.* Pirh. *hic n. 45.* & alij. 2. Fundatrices in illis Ordinibus, in quibus est consuetudo illas admittendi. Sanch. *l. cit. n. 7.* Laym. Pirh. *l. citt.* 3. Etiam cæteræ fæminæ cum reliquo populo admitti possunt intra septa Monasterij virorum ad Divina Officia, & Ecclesiasticam Sepulturam. Sanch. *n. 22.* Laym. Pirh. *ubi suprà.*

131 Extra hos casus prohibetur quidem fæminis ingressus in Monasteria, non tamen aut ingredientes, aut recipientes illas statim Excommunicationem incurrunt ob talem ingressum; quia pœna Excommunicationis nullo alio Jure in istas, & eas recipientes fertur, quàm in Bullis Pij V. & Gregorij XIII. in his autem excommunicantur solùm fæminæ, & has admittentes prætextu alicujus privilegij, seu facultatis ipsis concessæ ad ingrediendum Monasteria virorum. ergo &c. Vide Laym. *c. 12. cit. n. 4.* Engl *hic n. 13.* Pirh. *n. 45. cit.*

TITULUS XXXVI.

De Religiosis Domibus, ut Episcopo sint subjectæ.

SUMMARIUM.

1. *Definitio Religiosæ Domûs: harum aliæ sunt Sacræ.*
2. *Aliæ Religiosæ in sensu specifico.*
3. *Aliæ Piæ.*
4. *Jure communi subsunt Episcopo.*
5. *Etsi incorporatæ sint Monasterio exempto.*
6. *De temporalibus tamen earum Episcopus non potest pro libitu disponere.*
7. *Quando dubium est, in qua Diœcesi sit Ecclesia, subest Episcopo, qui antequam illa ædificaretur, Jura Episcopalia ibi exercuit.*
8. 9. *Etsi per unum duntaxat actum.*
10. *Cui Episcopo subjecta sit Ecclesia, vel Monasterium unitum Ecclesiæ, vel Monasterio alterius Diœcesis?*
11. *Respondetur manere subjectum illi, cui antea suberat.*
12. *Rationes dubitandi solvuntur.*
13. 14. 15. *An, & quomodo Hospitalia, & cætera loca, ad pietatis, vel Misericordiæ opera deputata, subjiciantur Episcopo?*
16. 17. *Quænam ex his Visitationi ejusdem subsint?*
18. 19. 20. *Exceptiones.*
21. *An Episcopus ab Administratoribus Hospitalium, & aliorum piorum locorum rationes possit exigere?*
22. *Præsertim si istæ ex consuetudine &c. reddendæ sint alijs ad id deputatis?*
23. 24. *An loca pia, & Religiosa sine authoritate Ecclesiastica in profanos usus converti possint?*
25. 26. 27. *An, & quo casu Ecclesiæ Regulares converti in Sæculares?*
28. 29. 30. *Quis valeat licentiam concedere ædificandi nova Monasteria?*
31. 32. *Quid præter licentiam Pontificis, & Ordinarij in eum finem requiratur?*
33. 34. 35. 36. *Recensentur hæc requisita ex Const. Clem. VIII. Greg. XV. & Urbani VIII.*
37. *Ubinam observandæ sint istæ Constitutiones?*
38. 39. *An etiam comprehendant Monasteria Monialium?*
40. *Observanda in horum erectione.*
41. *An dictæ Constitutiones servandæ sint etiam in translatione Conventûs?*
42. *Hujus ampliatione?*
43. *Et destructi reædificatione?*
44. 45. *Quando exquirendus sit consensus cæterorum Regularium?*

46. 47. *Quid Jure communi decretum sit circa institutionem novorum Ordinum ?*
48. *Et aliarum Congregationum piarum ?*
49. *An valeant Vota in Ordine, per Pontificem non approbato emissa ?*
50. *Quid dicendum de Vita solitaria ?*

1 A Religiosorum Statu ad eorum Domus, sive Ecclesias, Monasteria, cæteráque loca Pia, & Religiosa transimus.

Quæritur 1. quid sit *Domus Religiosa*, & quotuplicis acceptionis ? R. *Domus Religiosa* in genere est, quæ ad Cultum Divinum, & Pietatis, vel etiam Misericordiæ opera exercenda est deputata. Hujusmodi Domus sunt triplicis generis.

1. *Domus Sacræ*, quæ ad Cultum Dei, & Beatorum Cœlitum venerationem per Missarum solennia, cæteráque Divina Officia celebranda Episcopali consecratione sunt dedicatæ : qualia sunt Basilicæ, & Ecclesiæ, sive Templa, Sacella, & alia loca his adhærentia.

2 2. *Domus Religiosæ* in sensu specifico, seu non Sacræ, in quibus citra consecrationem ex authoritate Episcopi Pietatis, & Misericordiæ opera exercentur : uti sunt Monasteria, Collegia, cæteræque Domus Regularium ; item Xenodochia, in quibus peregrini, Nosocomia, in quibus ægroti ; Orphanotrophia, in quibus orphani recipiuntur, & sustentantur &c. Demum Confraternitates, Congregationes, & alia Collegia pia ; nam hæc omnia, si authoritate Episcopi erecta sint, Domus Religiosæ sunt, & vocantur.

3 3. *Domus Piæ* iterum specificè, quæ ad Pietatis, & Misericordiæ opera sine Episcopi, vel alterius similis Prælati Ecclesiastici authoritate constructæ, vel deputatæ sunt : tales sunt Oratoria, Capellæque domesticæ, Hospitalia, & quæcunque alia loca, quæ ad hujusmodi opera destinata sunt, non tamen interveniente aliqua consecratione, benedictione, vel deputatione per Ecclesiasticam authoritatem facta.

4 Quæritur 2. cuinam, Jure communi spectato, Ecclesiæ, & Monasteria, cæteræque Domus, & Congregationes Regularium subjectæ sint ? R. omnes Spirituali Jurisdictioni Episcopi, intra cujus Diœcesin sunt sitæ, esse subjectæ debent, ita, ut nisi ostendatur Ecclesiam illam, vel Monasterium Jure præscriptionis, vel privilegij legitimè obtenti Jurisdictioni Episcopali subtractam esse, Episcopus hoc ipso, quòd constet illam in Diœcesi ejusdem sitam esse, super ejus subjectione intentionem, & præsumptionem in Jure communi fundatam habeat *can. omnes Basilicæ 10. caus. 16. q. 7. can. Monasteria 17. caus. 18. q. 2. c. cùm venerabilis 7. h. tit.* Vivian. *in c. 3. eod.* Barbos. *in c. 6. n. 2.* & *in c. 8. n. 1.* Gonzal. *ibid. n. 5.* Vallens. §. *1. hic n. 2.* Honor. *n. 4.* Engl *n. 8.* Schamb. *n. 3.* König *n. 8.* Ratio est ; quia Jurisdictio Ordinarij per totam Diœcesin Juris præsumptione extenditur : cons. omnia complectitur, quæ ab eadem non probantur exempta.

Proceditque hoc etiam casu, quo ejusmodi Ecclesia, vel alius locus Sacer, aut Religiosus incorporatus est Monasterio exempto ; nam etiam istud ex loco hujusmodi sibi unito solvere Jura Episcopalia Episcopo Diœcesano debet, nisi probetur etiam locum unitum ab Episcopali Jurisdictione exemptum esse, ut clarè statuit Innocentius III. *c. constitutus 6. h. tit.* Ratio est ? quia per unionem solam nihil deperit Episcopo loci, in quo situm est Monasterium. 5

Dixi autem, *spirituali Jurisdictione Episcopi :* aliud enim est quoad temporalia, sive fructus, & proventus Ecclesiæ ; nam de his non potest Episcopus ad libitum disponere, seu illos in proprios usus convertere etiamsi Ecclesia in Diœcesi ipsius sita sit, nisi legitimè probaverit etiam illos ad se pertinere, prout notant DD. *citt.* & sumitur ex *c. cùm venerabilis cit.* 6

Dub. 1. cujus Jurisdictione subjecta debeat esse, & à quo Episcopo consecranda sit Ecclesia ædificata in loco, de quo dubitatur, in cujus Diœcesi is situs sit ? R. subjecta esse, & consecrari debet ab illo Episcopo, qui antequam Ecclesia illa ædificaretur, in incolas illius loci, seu territorij Jura Episcopalia exercuit, vel Sacramenta quædam contulit, prout sumitur ex *c. nunc autem 1. h. tit.* & notat *ibid.* Gloss. *in notat. Vivian. pr.* Gonzal. *n. 4.* Pirh. *hic n. 9.* Schamb. *n. 4.* Wiest. *n. 10.* Ratio est, quia exercitium talium actuum constituit ipsum in possessione Jurisdictionis Episcopalis, utpote ex qua potestas exercendi eos actus de Jure communi dimanat. Hoc certum. 7

Dubij vis in eo sita est, an hoc casu sufficiat, si talis Episcopus in ejusmodi loco unum tantùm, vel alterum actum Juris Episcopalis exercuit ? *Rationem dubitandi* facit *c. cùm olim 18. de præscript.* ubi dicitur, eum, qui certa Jura Episcopalia exercuit in aliquo territorio, ea duntaxat, quæ exercuit, præscripsisse, non alia, quod clarum præbere videtur indicium, per exercitium aliquorum tantùm Jurium non esse obtentam possessionem totius Juris Episcopalis. 8

Sed tenenda est affirmativa sententia, & dicendum, eum, qui unum vel alterum actum, ad Jus Episcopale pertinentem, exercuit, e. g. quia ibidem Baptismi, aut Confirmationis Sacramenta contulit, hujusmodi actuum exercitio in totius Juris, seu Jurisdictionis Episcopalis quasi possessione constitui. Ita Vivian. *in c. nunc autem 1. h. tit.* Barbos. *ibid. n. 6.* Pirh. *hic n. 10.* Wiest *ibid. n. 11.* & sumitur clarè ex *c. nunc autem* 9

cit. estque teste Barbos. *l. cit.* sæpiùs decisum à Rota. *Ratio est*, quia possessio unius ad omnes alios actus trahitur, si quoad cæteros actus nullus alius sit in possessione Juris, & qui exercet unum, vel alterum actum, habeat præsumptionem Juris pro omnibus, sicut pro omnibus actibus Episcopalibus habet Episcopus,

Et hinc ad rationem dubitandi dico *c. cùm olim cit.* solùm procedere, quando quoad alios actus alius est in possessione Juris, vel quando is, qui hos actus exercuit, non est in possessione universi Juris.

10 Dub. 2. cui Episcopo subjecta sit Ecclesia, vel Monasterium unitum Ecclesiæ, vel Monasterio alterius Diœcesis? *Ratio dubitandi* est 1. quia subjectionem indicat potestas instituendi, vel confirmandi atqui in casu unionis in Ecclesia accessoriè, ut ferè fit, unita non ampliùs instituit Episcopus, in cujus Diœcesi Ecclesia unita existit, sed Episcopus, cui subjacet Ecclesia principalis. ergo &c. 2. Per ejusmodi unionem res omnes, jura, & actiones Ecclesiæ, vel Monasterij uniti acquiruntur Ecclesiæ, vel Monasterio, cui illa incorporantur. ergo videntur etiam subjici Jurisdictioni ejus Episcopi, cui Ecclesia, vel Monasterium principale subjicitur. 3. Tale Monasterium, vel Ecclesia, cui alia Ecclesia, vel Monasterium incorporatur, subinde exempta est à Jurisdictione Episcopi. igitur eo Jure Exemptionis gaudebit etiam Ecclesia, vel Monasterium unitum.

11 Sed dicendum, etsi Trid. *sess. 14. c. 9. de reform.* uniones Ecclesiarum, & locorum piorum, qui diversarum Diœcesium sunt, ad vitandam istarum confusionem, & incommodum tum Ordinariorum, tum subditorum inde consequens meritò prohibuerit, si tamen ex causa rationabili unio talis facta sit, Ecclesiam, vel Monasterium unitum per se loquendo, & regulariter subjectum manere Episcopo, in cujus Diœcesi situm illud est. Ita sumitur ex *can. omnes Basilicæ can. Monasteria cit.* & *c. quia Monasterium 2. h. tit.* & notant *ibidem* Vivian. *in Ration.* Barbos. *n. 1.* Gonzal. *n. 2.* Wagner *in Exeg.* Vallens. §. *1. hic n. 2.* Honor. *n. 4.* Engl *n. 9.* Schambog. *n. 6.* König *n. 8.* *Ratio est*; quia per concessionem gratiæ, & privilegij non censetur derogatum juribus Episcopi Diœcesani, si hoc expressum non sit. atqui hujusmodi unio, & incorporatio est gratia, & privilegium. igitur censebitur concessa esse, salvo jure Episcopi, in cujus Diœcesi Monasterium, vel Ecclesia unita sita est, ut sic cuique Episcopo Jurisdictio conservetur, & Ecclesiastici Regiminis ordo non confundatur.

12 Neque obstant Argumenta opposita. *Ad 1.* mirum videri non debet, quòd in Ecclesia, vel Monasterio sic unito Episcopus, in cujus Diœcesi sita sunt, non habeat ampliùs potestatem instituendi, vel confirmandi; nam ipso consensu in hujusmodi unionem juribus illis cessisse censetur. *Ad 2.* ex hoc, quòd res, jura, & actiones Ecclesiæ unitæ transferantur, & acquirantur Ecclesiæ, vel Monasterio Diœcesis alienæ, non sequitur, quòd in eandem Diœcesim etiam transferatur Monasterium, vel Ecclesia unita; ac proinde hæc Episcopo Diœcesis, in qua existit, adhuc subjecta manet. *Ad 3.* non debet videri absurdum, ut, qui aliàs exemptus est, ratione Ecclesiæ non exemptæ subjiciatur Episcopo; nam etiam in Civilibus persona aliàs maximè exempta, si possessiones, in alicujus Regis, vel Principis territorio sitas, & hujus Jurisdictioni subjectas habeat, in rebus, & causis, quæ has concernunt, hujusmodi Regi, vel Principi subesse debet, ut exploratum est apud omnes.

13 Quæritur 3. an, & quomodo Hospitalia, & cætera loca, ad Pietatis, & Misericordiæ opera deputata, subjiciantur Episcopo? R. cum distinctione: Vel enim Episcopi, aut alia simili authoritate Ecclesiastica erecta sunt, vel non. *Si primum*, subsunt Jurisdictioni Episcopi, in cujus Diœcesi sunt constituta, ita, ut ille fundatam de Jure communi intentionem super ijsdem habeat quoad subjectionem, & ordinationem illorum, & asserenti exempta illa esse onus probandi incumbat *c. de Xenodochijs 3. h. tit.* & *ibi* Gloss. *in casu*, & *V. in quorum Diœcesi*, Pirhing. *ibid. n. 19.* Schambog. *n. 12.*

14 *Si secundum*, & hujusmodi Hospitalia sint erecta sæculari duntaxat Principis, aut aliorum Dominorum Sæcularium authoritate, Episcopi Diœcesani Jurisdictioni non subsunt, ut colligitur per argumentum à sensu contrario sumptum ex *c. ad hæc 4. h. tit.* & notat *ibidem* Fagnan. *n. 51.* Barbos. *in c. 3. eod. n. 4.* Pirh. *hic n. 20.* König *n. 9.* Wiest. *n. 15.* Ratio est; quia hujusmodi Hospitalia pia quidem, sed profana, non Religiosa sunt loca, quippe cùm loca Religiosa talia solùm fiant per destinationem Episcopi, vel alterius, qui authoritate Episcopali pollet.

15 *Procedítque hoc*, etsi hujusmodi Hospitalia Oratorium habeant; quia hoc in domo privata extrui potest etiam à privato, non tamen, ut in eo Missæ celebrentur *can. unicuique 33. dist. 1. de consecrat.* Innoc. *in c. 4. h. tit.* Joan. Andr. *ibid. n. 5.* Abb. *n. 6.* Fagnan. *n. 52.* Pirh. Wiest. *l. citt.*

16 *Excipitur*, si Patronus, seu Fundator talis Hospitalis sit mortuus; tunc enim ad Episcopum spectat, videre, an ejus voluntas ultima mandetur executioni; nam generale est, quòd ad Episcopi sollicitudinem spectet curare, ut defunctorum piæ voluntates, & dispositiones executioni mandentur, & conserventur. Abb. *in c. 3. h. tit. n. 3.* Vallens. *hic* §. *2. n. 3.* Pirh. *n. 20.* Wiest. *n. 16.*

Dub.

61 Dub. 1. quænam Hospitalia, & alia pia loca visitationi Episcopi subsint, vel non? ℣. cum distinctione *n. 13.* data; nam si Episcopi, vel alia simili Ecclesiastica authoritate erecta sint, omnia, etiam exempta, subsunt visitationi Episcopi, in cujus Diœcesi sunt sita, per se loquendo, & regulariter; non verò, si authoritate Ecclesiastica erecta non sint. Neque aliud de posterioribus probatur ex Trid. *sess. 22. c. 8. de reform.* ubi Episcopi visitationi subjiciuntur omnia loca pia, etiam, quorum cura ad Laicos pertinet; nam *ibidem* additur, *In casibus à Jure concessis*, & *juxta SS. Canonum Statuta.* atqui juxta ista Visitationi Episcopi non subsunt loca pia, nisi simul Religiosa sint. ergo nec post Tridentinum eidem subsunt, nisi sub data qualitate.

17 Addidi *Etiam exempta*; nam & hæc visitare, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, Episcopus potest, ut Sacra Synodus *loc. cit.* statuit, ibi, *Atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita.* Proceditque hoc, etsi per Laicos administrentur, ita tamen, ut hac facultate, Episcopis concessa, jus visitandi eadem loca Laicis Judicibus, & temporalibus Dominis non adimatur, si isti jus hoc aliàs legitimè obtinuêre, ut à Cardd. declaratum, & à Rota decisum testis est Joan. Gallemart. *ad c. 8. cit. Trid. n. 2.* Barbos. *in c. ad hæc cit. n. 4.* & alij passim.

18 *Excipitur 1.* si hujusmodi Hospitalia, & alia pia loca expressè erecta sint sub immediata protectione Regum, aut aliorum sublimium Principum, Regalia in Ditionibus subjectis exercentium; hæc enim ab Episcopo visitari sine illorum licentia noluit Trid. *c. 8. cit.* ibi, *non tamen, quæ sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia:* & meritò; quia cùm ejusmodi Principes talia Hospitalia, & pia loca ex proprijs proventibus, aut ærario publico constituerint, suæque protectioni reservârint, confidi in ipsis potest, quòd etiam fideliter sint commoda eorum curaturi.

16 *Excipitur 2.* si in eorum fundatione cautum sit, ut Hospitale, vel locus pius non subsit Episcopo; nam hujusmodi conditiones fundationi appositas non improbant SS. Canones, imò apertè approbant *Clem. 2. h. tit.* ibi, *Vel statuto in ipsorum fundatione locorum appositio*, & Trid. *sess. 22. cit. c. 9.* ibi, *Nisi secùs fortè in institutione, & ordinatione talis Ecclesiæ, seu fabricæ expressè cautum esset.*

20 *Excipiuntur 3.* Hospitalia, & alia pia loca Ordinum Militarium, & aliorum Religiosorum, excepta Religione S. Joannis DEI. Vivian. *in Clem. cit.* §. *præmissa verò*, Vallens. *hic* §. *1. n. 5.* Engl. *n. 10.* Schamb. *n. 15.* & patet ex §. *præmissa cit.* nec obscurè colligitur ex Trid. *c. 9. cit.* quod de Administratoribus Sæcularibus, non Regularibus loquitur.

Dub. 2. an Episcopus ab Administratoribus Hospitalium, & aliorum piorum locorum rationes possit exigere? ℣. affirmativè. Patet ex *Clem. 2. cit.* idque verum est non tantùm de ijs Hospitalibus &c. quæ authoritate Episcopi, vel alia Ecclesiastica erecta sunt, sed etiam quæ sine illa. Gutier. *l. 1. qq. can. c. 35. à n. 19.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 75. n. 57.* Pirh. *hic n. 26.* & colligitur ex Trid. *c. 9. cit.* quod administratores hujusmodi locorum ad rationem administrationis Ordinario annuatim reddendam indistinctè obstringit, & illum duntaxat casum excipit, quando in fundatione expressum est, ut Episcopus non possit rationes administrationis exigere. 21

Quod procedit etiam casu, quo ex consuetudine, privilegio, aut Constitutione aliqua loci alijs ad id deputatis ratio reddenda esset; nam cum his etiam Ordinarium ad functionem hanc adhibendum imposterum sanxit S. Synodus *l. cit.* cum clausula, *ut aliter factæ liberationes dictis Administratoribus non suffragentur.* Ratio potestatem hanc Episcopis concedendi fuit; quia hujusmodi loca, licèt Religiosa non sint, quando in eorum erectione authoritas Ecclesiastica non intercessit, pia tamen sunt; piarum autem causarum generalem administrationem, & curam habet Episcopus. 22

Dub. 3. an loca pia, & Religiosa sine authoritate Ecclesiastica mundanis, h. e. profanis usibus deputari, & in eos converti possint? ℣. distinguendo inter loca, quæ sacra, & propriè Religiosa sunt, quòd Episcopi, vel alia simili authoritate Ecclesiastica constituta sint, & inter loca, quæ pia duntaxat sunt, nec erecta authoritate Ecclesiastica. 23

De Prioribus dicendum, quòd profanis usibus deputari sine Ecclesiastica authoritate nequeant *c. ad hæc 4. h. tit.* Ratio est; quia generaliter, quod DEO semel dicatum est, ad humanos usus amplius revocari non debet *can. quæ semel 4. caus. 19. q. 3.* & *Reg. semel 61. in 6.* Imò si hujusmodi fundationes ad certos usus, vel pro certo personarum genere destinatæ sunt, ad alium usum etiam pium, vel ad aliud genus hominum transferri non debent, ob Regulam sumptam ex *Clem. 2. h. tit.* quòd nempe *ea, quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, & non ad alium (salva quidem Sedis Apostolicæ authoritate) converti.* Excipit Trid. *sess. 25. c. 8. de reform. si Hospitalia hæc ad certum peregrinorum, infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta, nec in loco, ubi sunt dicta Hospitalia, similes personæ, aut perpaucæ reperiantur;* tunc enim concedit Sacra Synodus, *ut fructus illorum in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco, & tempore utilior, convertantur, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rem*

rum usu peritiores sint, per ipsum deligendos, magis expedire visum fuerit.

24 *De Posterioribus*, iterum distinguendum, an is, à quo ista in peregrinorum, pauperum, infirmorum &c. & similes usus deputata sunt, adhuc vivat, vel an jam sit mortuus. *Si adhuc vivat*, ita deputata ad usus profanos revocare, & convertere pro libitu poterit, modò ad eorum fundationem se non obligârit, argumento ducto à sensu contrario ex *c. ad hæc cit.* & hinc ad voluntatem Domini hodie potest esse Oratorium, quod cras erit Camera. *Si jam* est mortuus, qui domus ejusmodi ad pietatis, vel misericordiæ opera per donationem mortis causâ deputavit, hæres ejus voluntatem defuncti implere debet, neque ipsi est integrum eam ad usus profanos revocare. Abb. *in c. ad hæc cit. n. 4.* Fagnan. *ibid. n. 53.* Honor. *hic n. 2.* Schamb. *n. 14.* König *n. 9.* Wiest. *hic n. 22.* & teste Fagnano declaratum est à Cardd.

25 Dub. 4. an Ecclesiæ Regulares possint mutari in Ecclesias Sæculares, sive Monasteria in Collegia Clericorum Sæcularium? R. non posse ullius Prælati Pontifice inferioris potestate, nisi casu, quo reperiri non possunt Religiosi, quibus illa reformentur, & restauretur disciplina collapsa. Ita expressè *c. inter quatuor 5. h. tit.* Ratio est; quia in via DEI ascensus potiùs fieri debet, & non descensus. esset autem descensus, si Monasteria mutarentur in Collegia Canonicorum Sæcularium, cùm Regulares strictiorem vitam profiteantur. ergo &c.

26 Addidi, *si reperiri non possint Religiosi &c.* tunc enim authoritate Episcopi in Ecclesijs Regularibus Clerici Sæculares ordinari poterunt, ut habetur *c. cit.* Debet tamen, antequam ad hoc descendatur, ordo iste observari. 1. tentari debet reformatio per Religiosos ejusdem Monasterij. 2. in horum defectum evocandi sunt Religiosi strictioris observantiæ ex alijs Monasterijs ejusdem Ordinis. 3. si nec illi haberi possint, reformatio Monasterij fieri debet per Religiosos alterius Ordinis. 4. denique si per Regulares reformatio Monasterij institui non possit, tum demum Sæculares Clerici in locum eorum sufficiendi, & ibi collocandi sunt; quia necessitas non habet Legem. Gloss. *in c. inter quatuor cit. V. per Regulares*, Joann. Andr. *ibid. n. 2.* Abb. *n. 1.* Barbos. *n. 2.* Pirh. *hic n. 15.* König *n. 10.* Wiest. *n. 19.* & *duobus seqq.*

27 Papa tamen hunc ordinem non debet observare necessariò; sed causa justa suadente, vel exigente, non observato hoc ordine, Ecclesiam Regularem mutare in Sæcularem potest, & vicissim, ut notat Pirh. *l. cit.* Schambog. *n. 9.* Et hinc dispar est ratio Episcopi; quia iste Ecclesiæ statum mutare non potest, nisi in casibus expressis Jure.

Quæritur 5. quis valeat licentiam concedere ædificandi nova Monasteria? Dis- 28
sident inter se DD. Nam præter licentiam Episcopi ad hoc desiderari etiam licentiam Summi Pontificis contendunt Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 26. n. 4.* Tambur. *de Jur. Abb. tom. 3. D. 5. q. 1. n. 3.* Gonzal. *in c. fin. h. tit. n. 8.* Pignatell. *tom. 1. consult 179. n. 39.* Monacell. *p. 1. tit. 6. formul. 19. n. 12.* Matthæucc. *in Official. Eccl. c. 16. n. 1.* & allegant pro se. *1. c. un. §. confirmatos h. tit. in 6.* ubi Gregorius X. statuit, ne Prælati Regulares deinceps recipere valeant Conventum aliquem, vel Domum absque Sedis Apostolicæ speciali licentia. *2. c. un. de Excess. Prælator. in 6.* ubi Bonifacius VIII. idipsum statuit, & in licentia Sedis Apostolicæ ad hoc deinceps concedenda requirit, ut *plena, & expressa fiat de prohibitione hujusmodi mentio.* 3. *Constit. Urbani VIII.* incipit *Romanus editâ 28. Aug. 1624.* ubi revocantur quorumvis Ordinum Privilegia, quibus antea construere poterant nova Monasteria *de sola Ordinarij licentia.*

Contrà solam Episcopi licentiam sufficere ad construenda nova Monasteria Or- 29
dinum saltem non mendicantium existimant Sorb. *ad Compend. Mendicant. V. ædificare ¥. circa §. 20.* Rodriq. *tom 2. Regular. q. 49. art. 3. cum seqq.* Engl *hic n. 3.* König. *n. 5.* quod putant sumi ex *can. de Monachis 12. caus. 18. q. 2.* & Trid. *sess. 25. c. 3. de Regular.* ubi sola licentia Episcopi exposcitur. Ad Jura per sententiam contrariam allegata *l. cit.* respondet Engl, ibi sermonem esse non de quibuslibet Religiosis, sed de Mendicantibus tantùm, circa quos specialis est consideratio; tum quia plerique in toto suo Ordine exempti, & Summo Pontifici immediatè subjecti sunt; tum quia ex incertis Eleemosynis vivunt, atque talis Eleemosynarum quæstus alijs præjudicare, & gravis esse possit. Verba Bullæ Urbani VIII. *de sola Ordinarij licentia* idem Clarissimus Author intelligenda dicit in ordine ad alia requisita, ut sensus sit, non sufficere solam Ordinarij licentiam, sed etiam opus esse, ut alia requisita accedant.

Ego priori adhæreo sententiæ ob 30
Constit. Innoc. X. incipit *Instaurandæ editam Idibus Oct. 1652.* & reperitur in *Bullar. tom. 4.* estque inter laudati Summi Pontificis *vigesima septima*, ubi idem Pontifex statuit, *Ne deinceps aliquis Regularium Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium - - - Conventus, vel Collegia incipere, vel fundare præsumat absque Sedis Apostolicæ licentia speciali.* Estque sæpiùs declaratum à *S. Congreg.* ut testis est Pignatell. *tom. 1. consult. 179. n. 42.* Neque obstat *can. de Monachis* & *c. 3. Trid. citt.* quia generalitas istorum textuum restringitur per Constitutionem Innocentianam *cit.* quæ, cùm sit Jus posterius, explicat, vel limitat Jus textuum *citt.* prius.

31 Dub. *1.* quid præter licentiam Pontificis , & Ordinarij requiratur ulteriùs ad erectionem novi Monasterij ? ℟. de hoc puncto duplex maximè considerandum Decretum est : *unum* Clementis VIII. *in Bulla* incipit *Quoniam ad institutum editâ 23. Jul. 1603.* ubi idem Pontifex declaravit, *locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos Conventus cujusque etiam Mendicantium Ordinis in civitatibus, & locis eorum ordinariæ Jurisdictioni subjectis erigendos impertiri , nisi vocatis , & auditis aliorum in eisdem civitatibus, & locis existentium Conventuum Prioribus , seu Procuratoribus , & alijs interesse habentibus, & causâ , servatis servandis , cognitâ constiterit , in eisdem Civitatibus , & locis novos hujusmodi erigendos Conventus sine aliorum detrimento commodè sustentari posse : si verò ab eis in hujusmodi causis , & sententijs - - ad Apostolicam Sedem provocari, & appellari contigerit , ipsos Ordinarios tamdiu erectionem novorum Conventuum suspendere debere , quousque - - ab Apostolica Sede in eadem causa pronuntiatum extiterit &c.*

32 *Alterum* Gregorij XV. incipit *Cùm aliàs 17. Aug. 1622.* ubi idem Pontifex innovans *Const. Clem. VIII.* prohibuit, *ne deinceps Monasterium , Conventus , Domus , Congregatio vel Societas Religiosorum , seu Regularium ullibi recipiatur , nisi præter alia ad id requisita in singulis ejusmodi locis duodecim saltem Fratres aut Monachi , seu Religiosi degere , & ex reditibus , & consuetis Eleemosynis - - competenter sustentari valeant.* Quæ Decreta confirmavit , & approbavit , ac ab omnibus exactè & perpetuò servari voluit , & mandavit Innocentius XII. *Const.* incipit *Nuper §. 15.* Et ita habet etiam praxis *S. Congreg. Episc. & Regular.* quæ facultatem erigendi novi Conventûs nunquam concedit , quin priùs Ordinario loci committat , & sensum ipsius audiat tam quoad commodam sustentationem Religiosorum de novo introducendorum in numero duodeno , absque ullo præexistentium Regularium præjudicio , quàm quoad istorum consensum , ac Jurium Parochialium indemnitatem. Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 16. n. 2.*

33 Ex quo sequitur , quòd vi *citt.* Constitutionum ad hoc , ut Ordinarius in novi Monasterij erectionem consensum præstare possit , requiratur 1. ut vocentur, & audiantur aliorum ibi , & in vicinia existentium Conventuum Religiosi : & quidem , ut Pignatell. *tom. 1. Consult. 179. n. 51.* advertit , consensus ab istis præstari debet capitulariter , nec sufficit , si ostendatur subscriptio Religiosorum particularium , ex vulgata Regula , quòd aliud sit Conventus, aliud singuli Religiosi de Conventu.

34 2 Ut servetur distantia novi Monasterij à priùs erectis. Clemens IV. *Const.* incipit *Ad consequendum editâ Perusij 12. Cal. Decemb. 1265.* indulsit , quòd prope Ecclesias Ordinis FF. Minorum non valeat ab alijs Regularibus in paupertate fundatis , aut à Monialibus cujuscunque Ordinis novum Monasterium , Ecclesia , vel Oratorium constitui , vel acquiri intra spatium 300. cannarum. Idem privilegium , restrictum tamen ad 140. cannas ab eodem Clemente obtinuerunt FF. Prædicatores , & Ordo Eremitarum S. Augustini à Bonifacio VIII. Alexander VII. *Const.* incipit *Alias 142. tom. 6. Bullar.* prohibuit fundationes Conventuum familiæ Ultramontanæ Ordinis Minorum de Observantia intra spatium quatuor , vel quinque leucarum ab jam erectis, etiam aliorum Regularium absque licentia speciali Sedis Apostolicæ. Hodie, ut Vincent. Petra *tom. 3. comment. fol. 422. n. 10.* notat , privilegium 300. cannarum restrictum indefinite est ad 140 cannas , & gaudent eo Mendicantes omnes.

35 3. Ut accedat consensus Parochi, vel Capituli , penes quod residet cura animarum , & intra cujus Parochiæ limites Monasterium ædificandum est ; nam cùm in nova Ecclesia , sepeliri debeant fidelium corpora , ministrari Sacramenta , aliáque plura fieri , ex quibus potest generari præjudicium Parocho , merito ejus consensus requiritur : estque hic adeo necessarius , ut absque eo fundatio novi Monasterij non sustineatur. Pignatell. *tom. 1. consult. 179. n. 52.* & hoc teste decisum est à Rota in *Cæsaraugustana fundationis* , & *Polletana Manutentionis.*

36 4. Ut consentiant præterea etiam incolæ , & habitatores ejusdem loci , ut patet ex forma *Constitutionis Gregorij XV.* & *Urbani VIII.* estque teste Pignatell. *n. 70.* decisum à Rota. Ex quo sequitur , multò magis interrogandum Principem Territorij , intra quod erigendum est novum Monasterium ; nam juxta *Const. Clem. VIII. cit.* interrogari debent omnes , qui interesse in eo habent. atqui vel maximè in isto habet interesse Territorij Princeps. ergo &c.

37 Dub. 2. ubinam observandæ sint prædictæ Constitutiones Clementis VIII. Gregorij XV. & Urbani VIII. ℟. 1. servandæ sunt non tantùm in Italia , sed etiam in alijs Provincijs ultra Montes , ut declaravit *S. Congr. Propag. Fid. 1638.* teste Nicol. *in instosc. V. Conventus n. 1.* Monacell. *p. 1. tit. 6. form. 19. n. 3.* & iterum roboravit Innocentius X. *Const.* incipit *Instaurandæ §. 5.* 2. servandæ sunt in erectione Conventuum Religiosorum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium ; quia præjudicium , ob quod Regulares Monasteriorum priùs ibi erectorum interrogari debent , versatur non tantùm in quæstu Eleemosynarum, sed etiam in diminutione concursûs ad Divina &c. quæ ratio militat etiam in Ordinibus non mendicantibus. Pasqualig. *ad Franch. controv. int. Episc. & Regular. de Convent. nov. fundat. n. 480.* Pignatell. *tom. 1. consult. 179. n. 28.*

n. 22. & constat ex *Const.* Gregorij XV. *cit.* ibi *Etiam Mendicantium*, ubi particula *Etiam* significat præter Mendicantes etiam includi alios, sc. non Mendicantes.

38 *Difficultas est*, an dicta Decreta comprehendant etiam Monasteria Monialium? *Certum est*, non possem erigi nova Monasteria Monialium sine licentia Episcopi, ut patet ex Trid. *sess.* 25. *c.* 3. *in fin. de Regular.* Punctum difficultatis in eo situm est, an in concedenda licentia Episcopus servare debeat formam à Clem. VIII. & Greg. XV. præscriptam, & *n.* 33. *ac seqq.* descriptam? Affirmat Donat. *prax. Regul. tom.* 1. *p.* 2. *tr.* 1. *q.* 21. *n.* 2. ex ratione; quia in dictis Decretis præscribitur forma ad dandum consensum pro novo Monasterio, sive sit virorum, sive mulierum. Melius distinguitur, an Moniales, quibus novum Monasterium erigendum est, victum quærant ex Eleemosynis, an verò non. *Si primum*, juxta formam præscriptam in Decretis *citt.* audiendi sunt Religiosi cæteri; quia his præjudicium afferri potest per diminutionem Eleemosynarum.

39 *Si secundum*, in ijsdem Constitutiones prædictæ non. urgent. Ita Rebuff *prax. tit. de erect. in Colleg. n.* 1. Garc. *p.* 12. *de Benef. c.* 5. *n.* 4. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 7. *n.* 116. Barbos. *l.* 1. *Jur. Eccl. c.* 41. *n.* 217. Pasqualig. *ad Franch. de convent. nov. fundat. n.* 478. & 479. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 179. *n.* 73. Monacell. *p.* 1. *tit.* 6. *form.* 19. *n.* 17. & constat ex praxi S. Congr. quæ pro Monialibus requisita Constitutionum Apostolicarum non exigit, sed habita informatione, & consensu Episcopi Ordinarij, ac constito, fabricam Monasterij esse capacem, & in omnibus suis partibus absolutam, dotémque esse tutam, ac sufficientem saltem pro 12. Monialibus, concedit gratiam fundationis, nemine alio vocato, & sic decies, ac vigesies per spatium 14. annorum se vidisse testatur Monacell. *n.* 12. Ratio est, quia in Monasterijs Monialium, quæ certos reditus sibi assignatos habent, qui pro illarum manutentione sufficiant, cessat præjudicium, quod in erectione aliorum Monasteriorum in Constitutionibus Apostolicis consideratur.

40 Addit tamen Monacell. *l. cit. n.* 21. Episcopum, antequam ad erectionem novi Monasterij Monialium consensum præbeat, præ oculis habere debere sequentia. 1. ut bona, pro dote fundationis assignata, sint tuta, & sufficientia pro vita communi. 2. ut non erigatur in loco parvo, & in quo copia Confessariorum non adest, nisi Moniales ipsæ tantas habeant facultates, ut Confessarium externum sustentare valeant. *S. Congreg. Episc.* 13. *Sept.* 1583. 3. ut non erigatur prope Monasteria virorum juxta dispositionem *can. Monasteria puellarum* 23. *caus.* 18. *q.* 2. & Decretorum novissimorum *in Asculana* 5. *Maij* 1690. & *in Brundusina* 16. *Jan.* 1693. 4. ut novæ Moniales subjaceant Jurisdictioni Ordinarij, cujuscunque Ordinis, & Regulæ sint, prout declaravit *S. Congreg. in Salernitana* 13. *Febr.* 1692. *in Pampilonensi* 20. *Febr.* 1699. *in Ulyssiponensi Mense Majo anno eodem.* 5. quod ex Curiæ Romanæ Stylo addit Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 179. *in fin.* ut accedat licentia Sedis Apostolicæ, à qua hodie expediuntur Brevia in fundatione Monasteriorum pro Monialibus.

41 Dub. 3. an Constitutiones prædictæ servandæ sint in translatione Conventûs, hujus ampliatione, & destructi reædificatione? *Ad* 1. Affirmativam defendit Lauret. de Franch. *Controv. int. Episc. & Regul. De Convent. nov. fundat. n.* 403. *& seqq.* quia mutare, & de novo construere æquiparantur in hac materia ob identitatem rationis. Sed respondendum est negativè; quia hæc non dicitur nova fundatio; cons. oppositiones aliorum Regularium obstare non valent. Monacell. *p.* 1. *tit.* 6. *form.* 19. *n.* 4. itáque ipso teste respondit *S. Congr. Episc. in Gerundens.* 19. *Sept.* 1687. *Proceditque hoc*, etsi Monasterium transferatur ad locum propinquum alteri Monasterio, & hoc haberet privilegium, ut nova Monasteria non erigantur, nisi servatâ certâ distantiâ, ut monet Monacell. *l. cit. n.* 9. & constat ex praxi, docétque æquitas, juxta quam, quod tibi non nocet, & alteri prodest, concedere compelleris *l. in summa* 2. *§. item Varus* 5. *ff. de aqu. & aqu. pluv. arcend.* *Excipitur*, nisi præjudicium vicino Monasterio per hoc creetur, quòd novum ædificium officeret luminibus, inducatur intolerabilis servitus prospectûs &c. tunc enim Regulares præexistentes possunt se opponere translationi. Monacell. *n.* 10.

42 *Ad* 2. respondendum est negativè. Ita Gloss. *in can. de Monachis* 12. *caus.* 18. *q.* 2. Suar. *de Censur. D.* 23. *D.* 5. *n.* 33. Tamburin. *de Jur.* Abb. *tom.* 3. *D.* 5. *q.* 1. *n.* 9. Lauret. de Franch. *Contr. int. Episc. & Regul. de Convent. nov. fundat. n.* 411. & 412. Donat. *prax. Regul. tom.* 1. *p.* 2. *tr.* 1. *q.* 23. Ratio est; quia Jura requirentia solennitatem, & licentias, procedunt de erectione Ecclesiarum, & Monasteriorum, non autem de amplificatione jam erectorum. *Excipitur*, si ratione amplificationis inferretur alicui præjudicium; hoc enim per protestationem in contrarium propelli potest. Franch. *l. cit. n.* 413. Item, si Monasterium esset inceptum sine solennitate, per Constitutiones sæpiùs memoratas requisita; nam tale Monasterium ampliari non posset, nisi superveniente dicta solennitate, ut patet ex *Const. Urbani. VIII. cit.* ibi *Seu cœpta finire, & absolvere audeant.*

43 *Ad* 3. Donatus *cit. q.* 23. *n.* 1. putat interesse, an Monasterium sit totum destructum, an solùm ex parte; nam in primo casu, quòd novum sit ædificium, vult requiri so-

lennitates ad reædificandum : contrà negat illas requiri in casu secundo propter oppositam rationem. Sed meliùs distinguunt alij cum Pasqualig. *ad Franch. l. cit. n. 490.* qui censet videndum, an ex totali destructione Monasterij amiserint Religiosi sua Jura inhabitandi, ministrandi Sacramenta, & alias functiones exercendi : nam si amiserunt, non poterunt per reædificationem illa recuperare sine consensu Episcopi, & cæteris solennitatibus; quia erunt de novo acquirenda. Si verò non amiserunt, poterunt sine solennitatibus reædificare Monasterium suum; quia sicut retinent jus ad inhabitandum, ita etiam ad erigendum dirutum Monasterium.

44 Dub. 4. an exquirendus sit consensus aliorum Regularium, quando Religiosi inhabitaturi novum Monasterium, quòd aliunde ipsis de victu, & sustentatione provisum sufficienter sit, volunt cautionem præstare de non quærendis Eleemosynis ? Negat cum alijs Donat. *tom. 1. prax. p. 2. tr. 1. q. 27. n. 2.* & pro se adducit 1. vulgatam Juris Regulam desumptam ex *c. cessante 60. de Appellat.* quia cessante causa finali, cessat Legis dispositio. atqui causa finalis, ob quam consensus Regularium præexistentium requiritur, est, ne novi Monasterij erectio creet præjudicium Monasterijs præexistentibus, qui finis in casu præsentis quæstionis cessat. ergo &c. 2. *Decretum Gregorij XV. cit.* ubi Pontifex erectionem novorum Monasteriorum prohibuit, nisi Religiosi præexistentes *tali erectioni consenserint, vel aliàs Ordinarijs locorum constiterit, Religiosos Monasterij - - - erigendi absque detrimento Religiosorum in Monasterijs - - erectis degentium congruè, & commodè manuteneri, & ali posse.* 3 *Decisionem Rotæ 745. p. 2. recent.* Quæ censuit potuisse Ordinarium Cæsarauguitanum concedere licentiam erigendi novum Collegium; quia ipsi constabat, Collegialibus fore provisum de victu, & vestitu, & sic nullum præjudicium allaturos præexistentibus.

45 Sed quia præjudicium Regularium, in Monasterijs jam erectis existentium non tantùm situm est in quæstu Eleemosynarum, sed etiam in concursu, qui per erectionem Monasterij novi diminui posset, dilapsa ad istud à prioribus populi Ecclesias frequentantis parte, quo contingeret, ut etiam diminuerentur oblationes, & alia emolumenta ex hujusmodi concursu obvenientia : hinc ut Episcopus, non vocatis alijs Regularibus, novo Monasterio erigendo consensum præstare possit, non sufficit, istud instruendum reditibus sufficientibus, ut Eleemosynarum quæstu non egeat; sed insuper Religiosi de novo inducendi se obligare debebunt ad non exercenda ea ministeria, quæ concursum ab alijs Ecclesijs avertere possint, nec ad ea admittenda, quibus consueta emolumenta cæteris minuantur. Pasqualig. *ad Franch. l. cit. n. 487.* Imò ut idem Author *l. cit.* notat, neque tum præteriri, aut omitti Regularium cæterorum convocatio potest; quia etsi eo casu assensum præbere debeant, cùm tamen per accidens sit, quòd detrimentum passuri non sint, propterea omitti nequit præscripta forma, ex communi Regula, quòd forma non cesset obligare, licèt aliquando per accidens non sit necessaria. Plura de erectione novorum Conventuum vide apud Franch. & Pasqualig. *l. citt.*

Quæritur 6. quid Jure communi decretum sit circa institutionem novorum Ordinum ? 46 R. de his tria maximè constituuntur præsenti Titulo. Nam 1. *c. fin.* & *c. un. in 6.* statuitur, ut deinceps Religiosi Ordines, qui antea vel sine, vel cum tacita solùm Pontificis approbatione à solis Episcopis confirmabantur, sine expressa Pontificis approbatione non instituerentur. *Ratio* hoc decernendi multiplex fuit, nempe ut tolleretur confusio, quam Religionum nimia diversitas parit; ut evitarentur pericula errorum, & Hæresum, quæ sub prætextu Religionis, ut quondam Waldensium, & Fraticellorum, inferebantur; ut qui novæ Religioni se jungerent, tantò magis certi forent, se normam vivendi sequi talem, quæ ipsos ad Perfectionis Christianæ culmen perducat, cùm ut *Libr. 1. Tit. 31. n. 8.* dixi, Pontifex in approbatione, & confirmatione Religionum sit infallibilis. Estque Professio in tali Religione, quæ Pontificiam approbationem non habet, ut ex textibus *citt.* patet, omnino invalida. Ratio clara est, quia Professio emitti vera non potest, nisi in Religione vera, talis autem, quæ Summi Pontificis approbationem non habet, non est vera Religio, ut constat ex ijsdem textibus. ergo &c.

2. *Clem. 1. h. tit.* statuitur, mulieres illas, *Beguinas* dictas, quæ nulli obedientiam promittunt, nec proprijs renuntiant, nec aliquam Regulam approbatam profitentur, non esse verè Religiosas : quarum statum proinde Pontifex ibidem prohibet, & sub Excommunicatione latæ sententiæ vetat, ne ulla eundem imposterum sectetur, vel recipiat : quam Excommunicationem decernit incurrere etiam omnes Religiosos, qui ad hoc consilium, auxilium, aut favorem dederint. 47

3. *Extrav. un. Joan. XXII. hic* damnatur Religio Fraticellorum, seu Fratrum de paupere vita, sive Beguinorum, qui se dicebant esse de tertio Ordine S. Francisci, & pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ fertur tam in eos, qui hunc modum vivendi assumpserint, quàm in Episcopos, aliósque Prælatos, qui ijsdem faverint.

Dub. 1. an sub prædicta prohibitione, 48

ne, & irritatione novarum Religionum comprehendantur etiam Congregationes Virorum, vel mulierum, qui sub certa Regula, ritu, & habitu in communi sine Sedis Apostolicæ licentia, seu approbatione devotionis, & pietatis causâ vivunt, licèt tria Vota Substantialia Religionis non ediderint? ℟. affirmativè. Ita Abb. *in c. 2. n. 11. in fin. de for. compet.* Suar. *tom. 3. de Relig. l. 2. c. 16. n. 22.* Pirh. *hìc n. 33.* Schambog. *n. 18.* & constat 1. ex *c. un. h. tit. in 6. pr.* ubi universim prohibetur, ne quis novum Ordinem, aut Religionem adinveniat, sine Confirmatione Sedis Apostolicæ. atqui talis Congregatio, sub certo vivendi modo, regula, & habitu, licèt verè, ac propriè Status Religiosus non sit, Ordo tamen propriè dici potest, quippe qui latiùs patet, quàm Religio. igitur sub prohibitionem prædictam cadit. 2. Ex *Extrav. un. Joan. XXII.* ubi prohibitio *c. fin.* & *c. un. in 6.* refertur cum eadem extensione, & disjunctione novi Ordinis, aut Religionis, & declaratur Beguinas contra Legem illius Concilij deliquisse. supponitur ergo ibi talem modum vivendi in communi sine approbatione Papæ *citt.* Constitutionibus esse prohibitum. 3. Ex *Bulla Urbani VIII. anno 1630. editâ*, in quâ prohibuit, & abrogavit Congregationem quarundam mulierum in commune viventium, quæ vulgò *Jesuitissæ* vocabantur, quia Institutum Societatis JEsu sine licentia, seu approbatione Sedis Apostolicæ æmulari præsumebant. 4. Ex *ratione;* quia ex hujusmodi Congregationibus, si sine authoritate Sedis Apostolicæ erigantur, non minor confusio, & periculum sequitur: cons. eadem procedit ratio, propter quam prohibitæ sunt novæ Religiones sine approbatione Pontificis.

Dub. 2. an promissiones, & pacta,
49 quæ personæ hujusmodi nullis Votis Religiosis obstrictæ, sine Sedis Apostolicæ licentia simul in communi degentes, in ordine ad talem Congregationem erigendam, vel assumendam faciunt, valida sint? ℟. esse nulla, & irrita, ita, ut liberè resilire, & discedere possint. Pirh. *hìc n. 34.* *Ex quo sequitur* irritum, & nullum esse Votum obedientiæ ab illis editum; imò & Castitatis, si factum sit animo servandi illam solùm in tali Congregatione, & dependenter ab illa; quia tale Votum includit conditionem turpem, sive illicitam, quippe editum cum relatione ad talem Congregationem, & dependenter ab illa, quæ jure prohibita, & irrita est. Suar. *c. 16. cit. n. 24.* Prih. *l. cit.* *Sequitur ulteriùs*, ejusmodi personis consulendum quidem esse, ut vel Religionem approbatam ingrediantur, vel saltem in Sæculo Castitatem servent, si tamen hoc nolint, à Matrimonio contrahendo non prohiberi.

Dub. 3. an prohibita Constitutioni- 50
bus *citt.* sit etiam vita solitaria, & non in communi degentium? ℟. non esse prohibitam. Adeoque possunt 1. viri vitam solitariam separatim, & privatim agere, edito etiam Voto Castitatis, & Obedientiâ promissâ v.g. Episcopo. Pirh. *hìc n. 35.* Schambog. *n. 18.* *Ratio est*, quia ex privato modo vivendi separatim aliquarum personarum, etiamsi in exteriore habitu, & moribus sit varietas, non sequitur tamen confusio, vel periculum errandi, sicut ex modo vivendi in communi. 2. Possunt fœminæ, promissâ Continentiâ, vel eâ non promissâ, seorsim, & in privatis ædibus, servato certo vivendi modo, ac ritu, Deo servire, & pœnitentiam agere, prout habetur *in Clem. 1. in fin.* ob rationem priorem. 3. Imò *Extrav. un. int. comm. h. tit.* permissum fuit à Joanne XXII. ut mulieres honestæ, quæ non sunt culpabiles, nec suspectæ, in suis, vel parentum, vel conductitijs ædibus simul habitent sub habitu Beguinarum, obedientes locorum Ordinarijs, & Parochis,

TITULUS XXXVII.

De Capellis Monachorum, & aliorum Religiosorum.

SUMMARIUM.

1. *Etymologia Nominis* Capella.
2. *Hujus diversa significatio.*
3. *Quâ authoritate erigi Capella debeat?*
4. *Per quem sint peragenda Divina in Ecclesijs unitis alicui Monasterio?*
5. *De Jure recentiore distinguitur inter modos Unionis.*
6. 7. 8. *An Religiosus Ecclesiæ, extra Monasterium positæ, præfici solus sine Socio possit?*
9. *An Capellanus in Ecclesia plenissimo Jure unita subjectus sit Jurisdictioni Episcopi?*
10. 11. 12. 13. *An in unita pleno Jure?*
14. *An in ea, quæ solùm unita est quoad temporalia?*
15. *An, & qualiter una Ecclesia Parochialis non Cathedralis possit sibi vindicare jus in alias Ecclesias intra territorium sitas?*
16. *Respondetur negativè, nisi subjectionem probet.*
17. *Solvuntur Objectiones.*

NOn semper Monachi, vel Religiosi omnes habitant in Monasterijs, sed quidam ex illis sæpe Capellas, Parochias Plebanas, & Prioratus obtinent, dependentes à Monasterijs, quæ domus Religiosorum principales sunt. Quid de his Juris, præsenti Titulo explicatur.

1 Quæritur 1. quæ sit Etymologia nominis *Capella*? R. non est eadem apud omnes; nam aliqui cum Archidiac. *in can. concedimus 30. dist. 1. de consec.* id deducunt à Verbo *Capio*, quòd populum ad Divina confluentem capiat. Alij cum Gloss. *in can. cit.* à Pellibus caprinis, quibus olim Altaria tegebantur. Nonnulli à Cappa D. Martini, quæ ejus caput, & corpus cooperiebat. Verisimiliùs Tholosan. *Synt. Jur. univ. l. 15. c. 29. n. 1.* Barbos. *in Rubr. h. tit. n. 2.* Wagnereck *ibid. not. 1.* id deducunt à voce Gallica *Chapelle*, quæ tectum simplex significat, quo Oratoria campestria, lateribus undique patentibus, ut ijs suppositа Altaria omnibus essent conspicua, quondam tegebantur.

2 Quæritur 2. quæ sit nominis *Capellæ* significatio? R. diversam Jure, & usu moderno significationem habet, ut videre est apud Barbos. *l. cit. n. 2.* Wagn. *not. 1.* Vall. *hic n. 1.* Pirh. *ibid. in princ.* Schamb. *num. 1.* Wiest. *n. 2.* Nam 1. significatur hoc nomine aliquando Altare in Æde Sacra extructum. 2. Non rarò Oratorium, seu Sacra Ædicula à templo separata. 3. Interdum Oratorium intra Templum quidem positum, sed eidem Templo annexum, & adhærens. 4. Subinde locus Sacer in Templo, ferreis, aut ligneis cancellis clausus, & unum, vel plura Altaria continens. 5. Nonnunquam quælibet Ecclesia, etiam Parochialis, per se, & seorsim existens, modò non sit Collegiata.

3 Quæritur 3. qua authoritate erigi Capella debeat? R. quomodocunque ex relatis *n. præc.* modis Capella accipiatur, si Missæ in ea celebrentur, erigi sine Episcopi consensu nequit *can. nullus 25. dist. 1. de Consec.* Qui sine hujus permissione in Ecclesia consecrata novum Altare præsumpserit erigere, si Clericus sit, jubetur Gradu dejici, si Laicus, anathemati subjici, ut *can. cit.* Hormisda Papa decernit. *Ratio est*; quia talis Capella, vel Altare est locus Religiosus, & Sacer. atqui locum Religiosum de Jure Canonico facere, vel ex loco Religioso profanum reddere nemo privatus potest, sed ad id opus est authoritate Ecclesiastica: in quo Jus Canonicum deviat à Civili; nam Civili Jure, ut locus aliquis Religiosus fieret, non opus erat authoritate Ecclesiastica, quippe talis fiebat per tumulationem hominis mortui in tali loco, ut constat ex *l. locum 2. ff. de Relig. & sumpt. funer.* Eodem Jure etiam non erat opus authoritate Ecclesiastica, ut locus aliquis Sacer, vel Religiosus talis esse cessaret; per hoc ipsum enim, quòd locus Sacer captus esset ab hostibus, aut hominis mortui ibi tumulati reliquiæ aliò deportatæ, locus Sacer, & Religiosus esse cesabat *l. cùm loca 36. & l. cùm in diversis 44. ff. eod.*

4 Quæritur 4. per quem sint peragenda Missarum solennia, & cætera Officia Divina in Capellis, seu Ecclesijs Parochialibus ad Monasterium pertinentibus? R. olim tam in Ecclesijs hujusmodi unitis, quàm in Ecclesijs Monasteriorum proprijs fieri hoc universim debebat per Capellanum Sæcularem, de Monachorum consilio ab Episcopo institutum, prout constat ex *c. in Ecclesijs 1. h. tit.* & ratio est; quia eo tempore, quo Constitutio *cit.* fuit condita, Monachi Laicis Sacramenta non ministrabant, sed ea à Sæcularibus Clericis etiam ipsi, quia ad SS. Ordines promoveri non solebant, percipere consueverunt. Gonz. *in c. 1. h. tit. n. 3.* Nunc sublatâ causâ defectûs SS. Ordinum, in Ecclesijs proprijs Monasteriorum suorum Sacramenta sibi, & Laicis ad illas confluentibus administrant per seipsos. Quoad Ecclesias Parochiales unitas autem modus

Uniq-

Unionis considerari debet.

5 Potest enim Ecclesia Parochialis uniri Monasterio tripliciter. 1. Quoad temporalia tantùm, ut reditus illius percipiat. 2. Etiam quoad Spiritualia, seu pleno Jure, ut etiam Cura animarum translata sit in Monasterium. 3. Plenissimo Jure, ut in Populum Ecclesiæ unitæ Jurisdictionem quasi Episcopalem exerceat Monasterium. *Si primo modo* unita sit, præficiendus ei est Clericus, sive Sacerdos Sæcularis, ferè ad præsentationem Monasterij, cui Ecclesia talis unita est; quia tali casu Monasterium nihil Jurisdictionis, vel Juris Spiritualis acquirit in Populum unitæ Ecclesiæ. Laym. *in c. 8. de suppl. negl. Prælat. n. 7.* Gonzal. *in c. 1. cit. num. 4.* Honor. *hic num. 2.* Wiest. *n. 7.* *Si secundo modo*, non prohibetur Prælatus Monasterij, qui tunc est Ecclesiæ unitæ Rector principalis, in eâdem constituere Vicarium Regularem temporalem, nisi ibidem Episcopus constituat perpetuum Secularem; nam hoc ex Decreto Trid. *sess. 7. c. 7. de reform.* potest, nisi talis Ecclesia illa sit, ut per Vicarios Regulares hactenus administrari consueverit, prout excipit S. Pius V. *Const.* incipit *Ad exequendum editâ Cal. Nov. 1557.* *Si tertio modo*, & plenissimo Jure sit unita, cùm per hujusmodi unionem Prælatus Monasterij in Ecclesiam sic unitam, & populum illius acquirat omnimodam Jurisdictionem, se in administrationem ejus immiscere amplius nequibit Episcopus, sed ipse Prælatus in illa ponet Vicarium Secularem, vel Regularem juxta tenorem fundationis, vel receptam consuetudinem.

6 Quæritur 5. an Religiosus Capellæ, sive Ecclesiæ Parochiali, extra Monasterium positæ, præficiendus exponi solus, & sine Ordinis Socio possit? Quæ difficultas pendet ex intellectu textûs *c. Monachi 2. de Stat. Monach.* ubi decernitur, ne singuli Monachi per villas, & oppida quibuscunque Parochialibus præficiantur Ecclesijs, & *c. quod Dei timorem 5. eod.* ubi inter Monachos, & Canonicos Regulares id discriminis constitui videtur, ut illi Socium necessariò habere debeant, isti autem solùm, cùm commodè habere potuerint.

Variæ hac in re Sententiæ Doctorum sunt. Nam 1. aliqui cum Ancharan. *in c. quod Dei cit. n. 9.* Joan. Andr. *ibid. h. tit. n. 17.* & alijs apud Sanch. *l. 6. mor. c. 6. n. 39.* distinguunt inter Ecclesias, an sc. Religiosus tanquam Vicarius temporalis constituatur in Ecclesia Parochiali pleno Jure unita, an in alia non sic unita jure perpetuo. Si primum, ajunt ei addendum Ordinis Socium; secus, si secundum contingat: & rationem pro hoc posteriore dant; quia cùm Abbati non subjiciatur, non est, cur iste ei Socium dare debeat.

7 2. Alij cum Host. *in Summ. tit. de Stat. Monach. n. 7.* & *in c. quod DEI cit. n. 11. v. si commodè* cum alijs apud Sanch. *l. cit.* alia distinctione utuntur, & dicunt, quòd Socium habere debeant, quando commodè id fieri potest; secus, quando non potest commodè fieri, ut quia is nequit reperiri, aut Ecclesia, in qua ponendus est, non sufficit utrique alendo. Textum *c. quod Dei cit.* explicant, ut differentia inter Monachos, & Canonicos Regulares ibi asserta, sita in eo duntaxat sit, quòd facilius concedatur cura Parochiæ Canonicis Regularibus, quàm Monachis, quòd isti ex Instituto sequantur vitam Contemplativam, illi ex suo profiteantur functiones Clericales: imò Ordo Premonstratensium ex Instituto suo administrationem Parochiarum exercet, ut notat Wagnereck *in c. 1. h. tit. not. 1.*

8 3. Alij, & verisimilius cum Gloss. *in c. quod Dei cit. V. regimen*, Abb. *ibid. n. 9.* Sanch. *n. 39. cit.* Wiest. *hic n. 12.* putant differentiam faciendam inter Canonicos Regulares, & Monachos, & prioribus quidem adjungendum Socium ex Ordine tum solùm, quando fieri id commodè potest; secus, si ex posterioribus aliquis Ecclesiæ Parochiali præficiatur, prout patet ex *c. quod Dei cit.* ubi Pontifex discrimen facit inter Canonicos Regulares, & Monachos, & de Canonico quidem, si is exerceat Plebani officium, statuit, ut si commodè fieri poterit, *unum Canonicum Regularem secum habeat*; de Monachis verò eandem Exceptionem non format, cons. juxta Regulam, quòd inclusio unius sit exclusio alterius, eos relinquit sub Jure antiquiori *c. Monachi cit.* ubi non unus, sed plures Monacho exposito dicuntur jungendi: quæ Constitutio postea est confirmata ab Honorio III. *c. ex parte 3.* & *c. fin. h. tit.* & à S. Pio V. *Const. editâ 15. Nov. 1567.* ubi requirit, ut cum Vicario Regulari ad nutum amovibili alij saltem quatuor Monachi habitent. Verùm hæc Jura postea immutata fuêre, dum à Gregorio XIII. decretum, & à S. Congr. declaratum est unum sufficere, prout refert Garc. *de Benef. p. 11. c. 2. n. 13.* Quarant. *Summ. Bullar. V. Vicarius perpetuus prope fin.* Tambur. *de Jur. Abbat tom. 3. D. 9. q. 18. n. 3.* Engl *hic n. 5.* Pirh *n. 12. fin.* Schamb. *n. 9.* Wiest. *n. 12. fin.*

9 Quæritur 6. an, & in quibus Capellanus, sive Vicarius Secularis, vel Regularis, qui in Capella, seu Parochia Monasterio unita est constitutus, subjectus sit Jurisdictioni Episcopi? R. distinguendo secundùm gradus unionis diversos, quos *n. 5.* retuli. Nam 1. si Parochia Monasterio sit unita, seu incorporata Jure plenissimo, seu quoad omnia, ita, ut etiam populus ab Episcopi Jurisdictione exemptus, & Prælato Monasterij subjectus sit, tunc Episcopus Diœcesanus nihil Juris habet in tali loco, sed tota Jurisdictio ad Abbatem, seu Prælatum pertinet, quippe qui ibi loco Episcopi, se i

Or-

Ordinarij est, & omnem Jurisdictionem quasi Episcopalem exercet. Innoc. *in c. 1. h. tit.* Rodriq. *tom. 1. Regul. q. 36. art. 4.* Laym. *de Prælat. Eccl. Elect. q. 208. resp. 1.* Passerin. *in c. un. h. tit. in 6. n. 2.* Honor. *hic n. 9.* Engl *n. 6.* Pirh. *n. 4.* Schamb. *n. 3.* Wiest. *n. 10.*

10 2. Si Ecclesia talis sit unita Monasterio pleno duntaxat jure, h. e. quoad Spiritualia, & temporalia quidem, sed ita, ut populus Episcopo Diœcesano subjectus maneat, refert, an ponatur ibi Vicarius perpetuus, & intitulatus, an verò temporalis, & ad nutum amovibilis. *Si primum*, præsentatio quidem illius ad Monasterium spectat, examinatio autem personæ, approbatio, institutio, correctio, & visitatio, cons. etiam destitutio, sive depositio ad Episcopum loci pertinet, ut *loc. citt.* monent Passerin. Schamb. Engl *n. 5.* & statuitur *c. in Ecclesijs 1. h. tit.* & *c. un. in 6. eod.* Ratio est, quia talis Parochia quoad curam animarum, seu plebis manet Secularis, & subjecta Episcopo.

11 *Si secundum*, interest, an ibi ponatur Vicarius temporaneus Secularis, an Regularis. *Si Secularis*, tota Jurisdictio in talem Clericum, ut dictum est de Perpetuo, in Spiritualibus Episcopo competit ob rationem allatam, cum hoc tamen discrimine, quòd institutio, & destitutio illius, quia titulum nullum confert, eo casu fieri à Prælato debeat. *Si verò sit Vicarius Regularis*, jus visitandi, corrigendi, puniendi, cumulativè cum Episcopo habet Abbas talis Vicarij Regularis.

12 *Proceditque hoc*, etsi Monasterium, à quo talis Vicarius est expositus, sit exemptum ab Episcopo; nihilominus enim hujusmodi Vicarius respectivè, videlicet in ijs rebus, quæ ad curam Parochialem spectant, subest Episcopo: cons. ab isto visitari, corrigi, & puniri potest, si in officio suo deliquerit. Laym. *q. 208. cit. resp. 2.* Barbos. *in c. 1. h. tit. n. 5.* Wagn. *ibid. not. 2.* Honor. *n. 10. hic*, Pirh. *n. 5.* Schambog. *n. 2.* & constat ex *Bulla Leonis X. in Concil. Later. editâ*, quæ habetur apud Quarant. *Summ. Bullar. V. privilegia Regularium fol. 509.* item ex Trid. *sess. 25. c. 11. de Regul.* junctâ *Declar. Congr. Concil.* apud Joan. Gallemart. *ibid. n. 3.* & demum ex *Bulla Gregorij XV.* incipit *Immutabili ante medium edita 1622.*

13 Triplex tamen est facienda exceptio, in qua Episcopus Ecclesiam Parochialem sic unitam Monasterio visitare non potest, licèt populus ipsi subjectus maneat. Et 1. quidem excipitur Monasterium Cluniacense cum suis limitibus, quam exceptionem facit ipsum Trid. *l. cit.* 2. Parochia, quæ sita est in loco, ubi Abbates Generales, aut Capita Ordinum sedem Ordinariam principalem habent, Trid. *l. cit.* 3. Ecclesiæ, & Domus Conventuales, Prioratus, seu Residentiæ Ordinis Exempti, si collegialiter sub Priore ibi habitent Religiosi. Laym. *l. cit.*

14 3. Si demum Ecclesia solùm unita sit Monasterio quoad temporalia, pro his quidem, quatenus ad Monasterium pertinent, Clericus in ea constitutus subjectionem debitam exhibebit Abbati, quoad curam verò populi, & animarum rationem reddet Episcopo, cui quoad hanc, & personam suam subjacebit ex integro: & ratio est, quia per talem unionem Monasterium nullum jus Spirituale, excepto fortè Patronatûs, in Capellam acquirit, cùm jus ejusdem sit tantùm constitutum in fructibus. Engl *n. 4.* Quòd si pars tantùm Decimarum fuerit ex certa Parochia Monasterio data sine jure instituendi, etiam vel præsentandi, tunc potiùs dismembratio Beneficij, quàm unio censebitur, neque Prælato circa Parochialia quidquam Juris competet. Garc. *de benef p. 12 c. 2. n. 4.*

15 Quæritur 7. an, & qualiter una Ecclesia Parochialis non Cathedralis possit sibi vindicare jus in alias Ecclesias intra territorium sitas? Gloss. *in c. dilectus 2. h. tit.* & Wagnereck *ibid. in Exeges.* putant Rectorem, seu Parochum super Ecclesiarum intra fines Parochiæ suæ sitarum subjectione habere intentionem fundatam in Jure, ita, ut si Ecclesia aliqua, intra fines alterius Ecclesiæ Parochialis sita, se ab hac exemptam dicat, id ipsi probandum sit. *Fundantur 1.* textu *c. dilectus cit.* ubi in terminis dicitur ejusmodi Ecclesiam Jure communi subjectam esse Parochiæ, in qua sita est. *2. arg. c. constitutus 6.* & *c. cùm venerabilis 7. de Religios. Domib.* ubi statuitur, ut Ecclesiæ, quæ intra alicujus Diœcesis fines sunt constitutæ, istius Episcopo subjiciantur. *3. c. his, quæ 11. de major.* & *obed.* ubi Ecclesia Cathedrali inferior, agens pro subjectione Capellarum, sitarum intra suos fines, sententiam pro se obtinuit. *4. Ratione;* quia fideles, qui hujusmodi Capellas, & alias Ecclesias Parochialibus inferiores frequentant, ad has debent recurrere pro Baptismo, si Fonte Baptismali careant, & pro cæteris Sacramentis. igitur istis subjecti sunt, & cons. etiam Capellæ, quas frequentant.

16 Sed his non obstantibus, dicendum, Parochos, & horum Ecclesias non habere intentionem fundatam in Jure super subjectione ejusmodi Capellarum, & aliarum Ecclesiarum. Ita Innoc. *in c. dilectus cit. n. 4.* Abb. *ibid. n. 11.* Barbos. *n. 1.* Pirh. *hic n. 7. not. 2.* Wiest. *n. 14.* Sumitur ex *c. dilectus cit.* ubi Syndicus Parochiæ S. Cæciliæ, super subjectione Ecclesiæ intra fines illius sitæ agens, non plus obtinuit, quàm probavit, scilicet quoad scrutinium, & Baptismum, de quo ex confessione partis adversæ constabat. *Conf.* ex *c. fin. de Offic. Archidiac.* ubi iste prætendebat subjectionem Ecclesiæ intra fines Archidiaconatûs sui sitæ, sed

quòd

quòd in probatione subjectionis defecerit, succubuit. Ex quo utroque textu hoc ducitur Argumentum: Qui fundatam in Jure intentionem super re, vel Jure aliquo habet, relevatur à probandi onere, & istud rejicit in Adversarium. atqui nec Parochus, nec Archidiaconus in textibus *citt.* ab onere hoc relevabantur, sed probatio subjectionis ipsis injuncta est, & ideo cùm in hoc deficerent, succubuerunt, ergo nec Parocho, nec Archidiacono assistit jus circa subjectionem Ecclesiarum sitarum intra fines Parochiæ, vel Archidiaconatûs. Hinc, ut bene monet P. Wiest. *hic n. 15.* cavendum Parochis, ne, cùm possessionis auxilio destituuntur, super Ecclesiarum intra suos limites sitarum subjectione litem facilè moveant, nisi illam valeant probare v. g. quòd ex Parochiæ reditibus erecta, vel aliàs ei subjecta fuerit in fundatione, vel in eam jus postea privilegio, præscriptione, vel alio titulo sibi quæsitum sit.

17 Neque contrarium probant Argumenta allata *n. 15.* *Ad 1.* patet ex dictis *c. cit.* textum, & sententiam ibi latam potiùs favere nobis. *Ad 2.* textus illi loquuntur de Episcopo, & Ecclesia Cathedrali, quæ, ut *Tit. præc. n. 5.* dictum est, fundatam habet intentionem super subjectione Ecclesiarum intra fines Diœcesis suæ sitarum. Aliud est de Ecclesia Parochiali, Cathedrali inferiore; nam de hac nuspiam Jure expressum est aliquid, ex quo subjectio cæterarum Ecclesiarum, intra fines ejus sitarum, probetur. *Ad 3.* Argumentum ab Ecclesia Cathedrali ad Parochialem quoad hoc duci non potest; constat enim, quòd Parochiæ minorem potestatem respectu locorum sacrorum intra fines suos sitorum habeant, quàm Episcopus, cùm huic Jure communi subjiciantur Monasteria, & Hospitalia, intra fines Diœcesis Ecclesiastica authoritate erecta, quæ Parocho, intra cujus fines illa existunt, non subjiciuntur. *Ad 4.* imprimis pro Baptismo, & alijs Sacramentis recurrere debent etiam ij, qui frequentant Ecclesias exemptas: deinde esto, populus has Ecclesias frequentans teneatur pro Sacramentis accipiendis recurrere ad Ecclesiam Parochialem, non tamen tenentur ad illas pro his recurrere illarum Presbyteri. Denique etsi Clericus Ecclesiæ plenissimo Jure exemptæ pro Chrismate, & susceptione Ordinum recurrere teneatur ad viciniorem Episcopum, non tamen ex eo sequitur, quòd talis Ecclesia huic subjecta sit. ergo nec sequetur similis subjectio in nostro casu.

TITULUS XXXVIII.

De Jure Patronatûs.

ECclesiæ, & Capellæ, de quibus *Tit. præc.* sæpe non liberè, sed ad alterius nominationem, & præsentationem conferuntur: quod quia effectus „ & præcipuus quidem Juris Patronatûs est, ideo meritò *de Jure Patronatûs* subjungitur.

§. I.

De Natura, & Varietate Juris Patronatûs.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Jus Patronatûs?*
2. *An sit Jus Spirituale? Fundamenta sententiæ negantis.*
3. *Fundamenta sententiæ affirmantis.*
4. *Deciditur esse Spirituali annexum.*
5. *Solvuntur Argumenta contraria.*
6. *Aliud est Jus Patronatûs Ecclesiasticum.*
7. *Hujus Species.*
8. *Aliud Laicale.*
9. *Regula, quale sit censendum in dubio.*
10. *Aliud Mixtum.*
11. *Quod tamen quoad effectum censendum est Laicale.*
12. *Secundò Jus Patronatûs dividitur in Hæreditarium & Familiare.*
13. *In dubio præsumitur magis esse Hæreditarium.*
14. *Exceptio.*
15. *Tertiò in Personale, & Reale.*
16. *Quartò in Passivum, & Activum.*
17. *Quæ sit differentia inter Jus Patronatûs Ecclesiasticum, & Laicale?*
18. 19. 20. 21. *Cujus Patronatûs, Ecclesiastici, an Sæcularis, sit Beneficium, quod fundatum est a Clerico ex reditibus, Ecclesiæ intuitu acquisitis?*
22. 23. *An casu, quo Jus Patronatûs Ecclesiasticum transfertur in Laicos, perseveret esse Ecclesiasticum?*
24. 25. *An Ecclesiastici, vel Laicalis Juris Patronatûs sit Ecclesia, Capella, vel aliud Beneficium, ad quod Princeps, vel Magistratus Sæcularis Clericum nominat, qui deinde ab Ecclesia, vel Monasterio Episcopo est præsentandus?*

26. 27. *Quale sit, quod competit Laico cum consilio, vel consensu Clerici, aut vicissim?*

28. 29. *Item quod competit Clerico & Laico simul?*

1 QUæritur 1. quid sit *Jus Patronatûs?* ℣. nomen hoc multipliciter in Jure accipitur, ut Abb. *in Rubr. h. tit.* cum alijs notat; nam 1. Jus Patronatûs aliquando idem est, quod *Jus Advocatiæ:* & in hoc sensu *Patronus* idem sonat, quod *Advocatus*, qui Causarum forensium susscipit patrocinium. Ita accipitur *l. rem 14. § patroni 1. C. de Judic.*

2. Pro eo Jure, quod competit dominis in Libertos, sive Servos à se manumissos: de quo Patronatu *can. liberti 61. caus. 12. q. 2.* & *tot Tit. ff. de Jur. Patronat. C. de bon. Libertor.*

3. Et prout huc pertinet, pro Jure, seu potestate, à SS. Canonibus concessa, præsentandi aliquem ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticum Beneficium: quo modo sumptum definitur communiter, quòd sit *Jus, sive potestas nominandi, vel præsentandi Clericum instituendum ad Ecclesiam, vel Beneficium vacans:* Vel ut alijs placet, quòd sit *Jus honorificum, onerosum, & utile competens alicui in Ecclesia, quam de Ordinarij consensu fundavit, construxit, aut dotavit ipse, vel is, à quo causam accepit.* Ita Abb. *in Rubr. h. tit. n. 3.* Roch. de Curt. *de Jur. Patronat. princ. n. 4.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. pr.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 2. n. 1.* Vivian. *prax. Jurispatr. p. 1. l. 1. c. 2. n. 2.* Barbos. *l. 3. Jur. Eccl. c. 12. n. 2.* Pirh. *hic n. 2. fin.* Wiest. *n. 3.* Utraque definitio declarabitur *in seqq.*

2 Quæritur 2. quale Jus sit Jus Patronatûs, temporale, an Spirituale? Magna circa hoc est apud DD. contentio; nam 1. videtur esse Jus merè temporale; quia non apparet, unde Spiritualitatem suam accipiat: non enim eam accipit à *causa*, videlicet fundatione, dotatione, erectione, ex qua oritur; quia hæc nihil sunt Spirituale: non à præcedentia in Processionibus, Pensione in fundatione reservata, & Jure alimentorum præstandorum Patrono ad paupertatem redacto, qui sunt quasi *effectus Juris Patronatûs*; quia neque ista Spiritualitatem aliquam habent: non denique à *Jure præsentandi* ad vacantem Ecclesiam Clericum idoneum, & obligatione hanc defendendi, & reparandi; quia cùm Jura hæc cadant etiam in Laicum, Juris autem Ecclesiastici Laicus non sit capax, iterum non apparet, quomodo ratione istorum Jurium Jus Patronatûs dici possit Jus Spirituale.

3 Contrà merè Spirituale esse supponere videtur Gloss *in c. præterea 9. V. Simoniaca de transact.* ubi quòd super Jure præsentandi Transactio fieri nequeat, rationem dat, *cùm non liceat transigere de re Spirituali interventu pecuniæ.* Et videtur hoc etiam probari ex ratione; quia tam principium illius, ex quo oritur, Spirituale est, quàm etiam actus, objectum, & terminus, ad quem ordinatur: *Principium* enim, ex quo oritur, est Spiritualis, & Ecclesiastica potestas, quâ per SS. Canones jus istud inductum est, ut alij inducantur, & allicientur ad fundandas, & dotandas Ecclesias; *actus*, ad quem tendit, est Præsentatio, per quam præsentatus fit proximè capax Institutionis in Beneficio Ecclesiastico: *Objectum*, & *Terminus* est ipsum Beneficium, ad quod præsentatus beneficio Præsentationis Jus acquirit, ita, ut si idoneus sit, necessariò instituì debeat. *Conf. 1.* à paritate cum electione, Confirmatione, & Institutione ad Beneficium, quæ actus merè Spirituales sunt, igitur talis etiam Præsentatio, & conf. Jus Patronatûs, cujus illa effectus est, erit. *Conf. 2.* præsentatio est saltem aliquid præparatorium ad finem, & rem Spiritualem, ergo & ipsa Spiritualis erit.

Tenenda est tertia Sententia inter ut- 4
ramque priorem media, quam etiam defendunt S. Thom. *2. 2. q. 100 art. 4.* Gloss. *in c. quanto 3. V. connexa de Judic.* Abb. *ibid. n. 6.* Azor *p. 2. l. 6. c. 19 q. 2.* Lotter. *de re Benef. l. 2. c. 9.* Garc. *de Benef. p. 5. c. 9. n. 6.* Vivian. *prax. Jur. Patron. p. 1. l. 1. c. 2. n. 4.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 2. n. 1.* Barbos. *in c. quanto cit. n. 5.* Pirh. *hic n. 5.* Wiest. *n. 21.* & alij plerique Canonistæ, juxta quos Jus istud neque est merè temporale, neque omnino Spirituale, sed Spirituali annexum. Sumitur ex *c. quanto cit.* & *c. de Jure 16. h. tit.* ubi dicitur Jus Patronatûs esse *Spirituali annexum* quia videlicet, tanquam præambulum quoddam, ordinatur ad Jus Spirituale obtinendum, videlicet ad Institutionem in Beneficio, quam Præsentatio antecedere debet. *Conf.* nam ob similem connexionem rebus Spiritualibus accensentur Calices, Patenæ, & alia ejusmodi Paramenta, quæ tanquam præparatoria ad Divina Mysteria ordinantur *can. vestimenta 42. can. vasa 44. &c. de Consecr. dist. 1.*

Ex quo sequitur ad Argumentum 5
primæ Sententiæ. Nec plus, quàm quod concessimus, probat ratio allata per secunda. *Ad 1. Conf. Neg. Conf.* nam per Electionem acceptatam acquiritur jus ad rem in Beneficio; per Confirmationem, & Institutionem jus in re; per Præsentationem verò neutrum jus perfectè acquiritur, sed inchoativè tantùm, quatenus præsentatus, si idoneus sit, instituì debet ab Ordinario. Patet hoc ex eo; quia Patronus Laicus, etiam post Præsentationem factam, antequam acceptata illa sit ab Ordinario, retinere, & alium præsentare potest *c. cùm autem 24. h. tit.* quod fieri non posset, si præsentatus acqui-

quisiviſſet Jus propriè dictum. *Ad conf.* 2. non omnis præparatio, ſeu diſpoſitio ad finem, ſeu rem Spiritualem eſt ſimpliciter, & merè Spiritualis, niſi ſit proxima. talis autem non eſt præſentatio; quia remotè ſolùm, & inchoativè ad Jus Spirituale ordinatur.

6 Quæritur 3. quotuplex ſit Jus Patronatûs? R. quatuor præcipuè hujus diviſiones invenio. *Primò*, & *principaliter* dividitur in Eccleſiaſticum, Laicale, & Mixtum.

Eccleſiaſticum eſt, quod Collegio Eccleſiaſtico, aut perſonæ Eccleſiaſticæ ratione Eccleſiæ, aut Dignitatis, ſeu Beneficij Eccleſiaſtici, quod habet, competit. Ita Garc. *p. 5. de Benef. c. 1. n. 553.* Leſſ. *l. 2. de J. & J. c. 34. n. 18.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 4.* Vivian. *prax. Jur. Patr. p. 1. l. 1. c. 2. n. 9.* Barboſ. *de Offic. Epiſc. Alleg. 72. n. 128.* Vallenſ. *hic* §. *2. n. 1.* Zœſ. *n. 3.* Engl *n. 9.* Schamb. *n. 3.* König *n. 4.* *Proceditque hoc*, etſi originem habuerit ex patrimonio Laici, quòd hic Eccleſiam, vel Beneficium ex bonis ſuis patrimonialibus fundaverit, aut dotaverit; nam ſi hoc deinde donatione, teſtamento, aut alio quovis modo in Collegium, vel perſonam Eccleſiaſticam transferatur, eique competat ratione Eccleſiæ, Dignitatis, vel Beneficij, Jus Patronatûs Eccleſiaſticum fiet, ut cum *citt.* Roch. de Curte *de Jur. Patron. V. jus. q. 7. n. 14.* quia mutata conditione perſonæ, etiam bonorum conditio mutata videtur. Valaſc. *de Jur. Emphyt. q. 17. n. 15. col. 2.* & quando res non privilegiata pervenit ad privilegiatum, amittit naturam antiquam, & efficitur res privilegiata. Tiraquell. *de Jur. Primog. in præfat. n. 133.*

7 Hinc Eccleſiaſtici Juris cenſentur 1. quæ competunt Epiſcopo, vel Abbati ratione dominij temporalis, ad Eccleſiam, vel Monaſterium pertinentis. Garc. *p. 5. de Benef. c. 1. n. 555.* Barboſ. *l. 3. Jur. Eccl. c. 12. n. 8.* König *hic n. 4.* Wieſt. *ibid. n. 4.* 2. Quæ competunt Laicis utriuſque ſexûs Religiosè viventibus, & habitum Religioſorum deferentibus. Maſcard. *de probat. concl. 961. n. 2.* Garc. *l. cit. n. 556.* Barboſ. *num. 9.* Imò etiam non eſt neceſſarium, ut Religiosè vivant; nam etiam illud Jus Patronatûs, quod competit Collegijs Nobilium Virginum, ſub Abbatiſſa viventium, quas vulgò *Canonicſſas* vocant, ut ſunt in Germania noſtra duo Ratisbonenſia, Auguſtanum ad S. Stephanum, Lindavienſe, Edlſtettenſe &c. pro Eccleſiaſtico haberi debet. P. Wieſtner *hic n. 4. cit.* quia Collegia Eccleſiaſtica ſunt, & quæ in ijs degunt, Virgines privilegio Canonis, & fori gaudent. 3. Quæ competunt Magiſtris, & Equitibus S. Joannis Jeroſolymitani, S. Mariæ Teutonicorum &c. ratione ſuorum Magiſtratuum, & Commendarum; quia hi Equites verè Religioſi ſunt Maſcard. *l. cit. n. 4.* quod alij cum *eod.* Maſcardo, Garc. *n. 556.* Vivian. *c. 3. n. 5.* Barboſ. *n. 8.* extendunt etiam ad Equites S. Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ, & ſimiles, etiam conjugatos, & ita à *S. Congr.* deciſum refert Garc. *p. 9. de Benef. 6. 2. num. 263.* 4. Quæ competunt Præfectis fabricæ, aut Oeconomis Eccleſiarum, etiam Laicis, modò ab Epiſcopo deputati, vel approbati ſint, ut contra Felin. *tr. quand. Litter. Apoſtol. limit. 4.* tenent Hieron. Paul. *in practic. Cancell. ℣. in cauſa mea Majoric.* Lambertin. *p. 1. l. 1. q. 1. art. 10. n. 6.* Garc. *de Benef. p. 5. c. 1. n. 599.* quia jus iſtud Patronatûs eis competit ratione officij, & adminiſtrationis bonorum Eccleſiæ, & ſic non ex eorum perſonis, ſed ex ipſa Eccleſia provenit. 5. Quæ obtinent Rectores Hoſpitalium authoritate Epiſcopi erectorum; quia talia Hoſpitalia ſunt loca pia, & Religioſa, & gaudent privilegijs Eccleſiarum: ac propterea ſicut Eccleſiæ, ita etiam ipſa confugis Aſylum, & Immunitatem præbent. Garc. *n. 600. & 601.* qui *n. 602.* hoc etiam extendit ad Hoſpitalia cætera, licèt authoritate Epiſcopi non ſint erecta, vel approbata; quòd licèt loca Religioſa non ſint, ſint tamen Pia, & propterea & ipſa privilegijs Eccleſiæ gaudeant. 6. Quæ habent Confraternitates Laicorum, ſi iſtæ certæ alicui Eccleſiæ annexæ ſint: item quæ poſſidentur ab alijs Laicorum Collegijs, ſi ratione alicujus rei, quæ eſſet Eccleſiaſtica, vel locus pius, ut quia eiſdem commiſſa eſt cura Hoſpitalis, aut fabricæ Eccleſiæ, poſſideantur; quia ratione talis curæ Judici Eccleſiaſtico ſubſunt. Garc. *n. 600. cit.*

Laicale, ſeu *Sæculare* Jus Patronatûs 8
eſt, quod Univerſitati, aut Collegio non Sacro, vel perſonæ privatæ, ſive Laico, ſive Clerico, non ratione Eccleſiæ, vel Eccleſiaſtici Beneficij, ſed ratione proprij Patrimonij competit, vel quia ex hoc Eccleſiam, aut Beneficium fundavit, conſtruxit, dotavit, aut quia ejuſmodi fundatoribus ſucceſſit. Gloſſ. in Clem. *plures 2. V. præſentare b. tit.* Covar. *pract. c. 36. n. 2. fin.* Leſſ. *l. 2. de J. & J. c. 34. n. 19.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 4.* Vivian. *prax. Jur. Patr. p. 1. l. 1. c. 3. n. 11.* Vallenſ. §. *2. hic n. 2.* Zœſ. *n. 3.* Pirh. *n. 3.* Schamb. *n. 3.* Wieſt. *n. 5.* Hinc ut ſciatur, an Jus Patronatûs, quod alicui competit, ſit Eccleſiaſticum, vel Sæculare, non perſona, cui competit, ſed titulus, ex quo, & ratione cujus id competit, conſiderari debet; nam ut vidimus, Eccleſiaſticum competere etiam Laicis poteſt, ſi competat ratione Eccleſiæ, vel alterius loci pij, & Religioſi: & contrà competere Clericis poteſt etiam Jus Patronatûs Laicale, ſi id competat ratione Patrimonij.

In dubio, an ratione Patrimonij, 9
vel Eccleſiæ, aut Beneficij competat, attendi ſolet, an deferatur jure ſucceſſionis hæreditariæ; nam ſi ita deferatur, præſumitur

esse Laicale. Vall. *l. cit.* *Ratio est* ; quia Jura Ecclesiastica Jure successionis hæreditariæ non deferuntur, nec dantur *can. Moyses 6. caus. 8. q. 1. c. ut nullus 1. de Præbend. & c. ad decorem 5. de Instit.* Imò licèt personæ, quæ Jus Patronatûs obtinet, qualitas ut *n. præc.* dixi, non statim probet qualitatem Juris Patronatûs, in casu tamen, quo nec verè, nec præsumptivè constat, ex quibus bonis illud originem trahat, tale præsumitur, qualis est persona illud obtinens ; & hinc si Laici reperiantur in quasi possessione juris præsentandi, præsumitur istud esse Jus Patronatûs Laicale, ut notat Vivian. *c. 3. cit. n. 12.* & hoc teste fuit resolutum *in Valentina Beneficij 15. Dec. 1597.*

10 *Mixtum* Jus Patronatûs illud dicitur, quod partim ratione Ecclesiæ, partim ratione Patrimonij competit : quod duplici modo fieri potest. 1. Quando diversis competit, nempe simul Clerico ratione Ecclesiæ, vel Beneficij, & simul Laico ratione dotationis, fundationis, erectionis, vel privilegij. 2. Quando competit eidem personæ ex duplici titulo, quia hujusmodi Beneficium Clericus fundavit partim ex reditibus Beneficialibus, partim ex Patrimonialibus, ita, ut titulus secundus ad hæredes Clerici Patroni transire possit.

11 Quale autem hoc jus Patronatûs mixtum quoad effectus, & jura censeri debeat, dubium moveri potest ; nam Ecclesiasticum esse censendum videtur sumi ex generali principio, quòd magis dignum ad se trahat minùs dignum ; cons. Patronatus Ecclesiasticus Sęcularem. Sed communis doctrina est, quòd Jus Patronatûs mixtum quoad eos saltem effectus, qui præjudiciales Laico Patrono sunt, sequatur naturam Juris Patronatûs merè Laicalis. Et hinc in ijs casibus, in quibus Beneficia Juris Patronatûs Ecclesiastici sunt reservata, non censebuntur reservata, quæ subsunt Juri Patronatûs mixti, ut cum alijs à se *citt.* docet Barbos. *l. 3. Jur. Eccl. c. 12. n. 18.*

12 II. Dividitur Jus Patronatûs in Hereditarium, & Familiare. *Hæreditarium* est quod ad hæredes quoscunque etiam extraneos transit ; *Familiare*, seu *Gentilitium*, quod ad eos duntaxat transit, qui sunt de familia Fundatoris, vel alterius personæ ab eo nominatæ, sive ad illius, vel istius cognatos, aut agnatos solos. Lotter. *2. l. de Benef. q. 11. n. 13. & 19.* Barbos. *l. 3. Jur. Eccl. c. 12. n. 20. & duob. seqq.* Engl *hic n. 15.* König *n. 7.* Wiest. *n. 17.* Addi potest species tertia, nempe Jus Patronatûs ex hereditario, & familiari mixtum, quod tum datur teste Lotter. *l. cit. n. 41.* quando ex voluntate fundatoris in illo solùm succedunt, qui de familia simul, & hęredes sunt, ita, ut ad id nec admittantur, qui sunt de familia, nisi simul hęredes sint, nec extranei, etsi hęredes sint.

Ex quo sequitur, rem totam ex prima constitutione Juris Patronatûs pendere ; est enim in potestate fundatoris, an velit omnino remittere Jus Patronatûs, vel illud sibi tantùm, aut familiæ suæ, vel alijs etiam hęredibus reservare. Engl *n. 15. cit.* In dubio præsumendum est potiùs esse Hęreditarium, quàm Gentilitium, prout Innoc. *in Rubr. h. tit. num. 4.* Abb. *in c. cùm seculum 13. n. 5.* Ancharan. *in Clem. plures cit. n. 7.* Lotter. *l. cit. à n. 19.* Barbos. *n. 23.* Honor. *n. 69. hic*, Engl *n. 15.* König *n. 7. & 16.* Wiest. *n. 18.* notant, & teste Barbos. *l. cit.* dictum est *in Asculana Jurispatron. 24. Febr. 1616. coram Card. Verospio.* *Ratio est* ; quia in dubio præsumitur id, quod frequentiùs contingit *arg. c. ex parte 18. de Censib.* frequentiùs autem, & ordinariè Jus Patronatûs Hęreditarium potiùs, quàm Gentilitium est. ergo &c. 13

Excipitur, si in præsentationibus semper familiæ, aut descendentiæ, nunquam verò Hęreditariæ qualitatis mentio facta sit : Item quando per spatium 100. annorum nullus extraneus, sed semper descendentes præsentârunt ; tunc enim præsumptio allata cessat, & Jus Patronatûs Gentilitium esse præsumi debet, ut *Rotæ Decisione* allegatâ, observat Barbos. *n. 23. cit.* Engl *n. 15.* König *n. 7.* Wiest. *n. 18.* Et quando dubitatur, an sit Gentilitium, leviores sufficiunt probationes, cùm agitur non de illius substantia, sed de pertinentia. Rota *p. 1. recent. decis. 675. n. 3. in fin.* apud Barbos. *l. cit.* 14

III. Dividitur Jus Patronatûs in Personale, & Reale, sive, ut etiam vocant, Principale, & Accessorium. Engl *n. 17.* König *n. 8.* Wiestner *n. 19.* *Personale*, sive *Principale* dicunt, quod Patrono competit independenter à re aliqua temporali, vel hujusmodi rerum, ac Jurium universitate. *Reale*, sive *Accessorium*, quod annexum est, & accessoriè adhæret rei temporali, sive hujusmodi rerum, juriúmque universitati v. g. Castro, villæ, prædio, domui, & cum tali re in consequentiam in quemcunque tam Sæcularem, quàm Ecclesiasticum possessorem, Juris Patronatûs capacem, transit. Potest autem, ut ita cum re transeat, introduci vel ex prima fundatione, vel succedente consuetudine, aut præscriptione : & si non ita transeat, Personale censebitur. Engl *hic n. 23. not. 5. in fin.* 15

IV. Dividitur in Passivum, & Activum. *Passivum* est, per quod certi de aliqua familia (si idonei sint) exclusis extraneis, ad Beneficium sunt præsentandi. *Activum*, per quod fit, ne quis Beneficium conferat, nisi ad præsentationem ipsius fundatoris, aut illius, cui fundator jus Patronatûs pro tempore Beneficij vacaturi in ipsa Beneficij Fundatione reservavit. Monet. *de commut. ult. volunt. c. 10. num. 200. & 201.* Barbos. *l. 3. Jur. Eccl. c. 12. num. 25.* Engl *hic n. 16.* König. *n. 9.* 16

Quæ-

Quæritur 4. quænam sit differentia inter Jus Patronatûs Ecclesiasticum, & Laicale? R. quadraginta octo omnino differentias enumerat Vivian. *prax. Jur. Patron. p. 1. l. 1. c. 3. à n. 20.* pauciores alij. Præcipuæ sunt. 1. Jus Patronatûs Ecclesiastici competit ratione Ecclesiæ, vel Beneficij; Laicale ortum habet ex Patrimonio, ex quo fundatio, dotatio, vel constructio Ecclesiæ patronatæ facta est. 2. Patronus Laicus habet quatuor menses ad præsentandum; Ecclesiasticus verò sex *c. un. §. verùm h. tit. in 6.* 3. Quando Beneficium Curatum est juris Patronatûs Ecclesiastici, observari debet forma præscripta à Trid. *sess. 24. c. 18. de reform.* & juxta §. *si verò ibidem* initui concursus, illéque, qui ab Examinatoribus inventus fuerit dignior, præsentari à Patrono; quæ forma non debet necessariò observari in Beneficijs Patronatûs Laici. Matthæucc. *in Official. Eccl. c. 28. n. 14.*

18 Dub. 1. cujus Patronatûs, Ecclesiastici, an Sæcularis, sit Beneficium quod fundatum est à Clerico ex reditibus Ecclesiæ intuitu acquisitis? *Certum est*, esse Juris Patronatûs Ecclesiastici, si fundatum est ex reditibus ipsius Ecclesiæ, v. g. de feudo per obitum Vasalli, sine hæredibus decedentis, ad Ecclesiam reverso, licèt illud huic necdum incorporatum fuerit. Felin. *in c. ex litteris 11. de Constit. n. 3.* Roch. de Curte *de Jur. Patron. V. jus n. 18.* Lambertin. *p. 1. l. 1. q. 8. art. 7.* Wiestner *hic n. 6.* Ratio est; quia indubitatè Juris Patronatus Ecclesiastici est Beneficium, quod fundatum est ex bonis, subjectis dominio ipsius Ecclesiæ. atqui tale est Beneficium, de quo fermo est; nam tale feudum, ita reversum ad Ecclesiam, pleno Jure ad eandem spectat.

19 *Dubium* ergo solùm procedit casu, quo Ecclesia, Capella, vel Beneficium fundatum est ex bonis Beneficialibus, seu intuitu Beneficij acquisitis à Clerico? quæ difficultas ope distinctionis resolvi potest: Vel enim Clericus de hujusmodi bonis liberam disponendi facultatem ex privilegio Apostolico, aut consuetudine immemoriali habet, vel non. *Si hoc secundum*; Ecclesia, Capella, Beneficium ex his fundatum est Juris Patronatûs Ecclesiastici, & ad Successores Fundatoris in Beneficio, non verò ad hæredes ejusdem transmittitur, ut rectè Abb. *in c. ad audientiam 3. de Eccl. ædif. n. 12.* Lambertin. *art. 7. cit.* Garc. *p. 5. de Benef. c. 1. n. 594.* Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 18. à n. 107.* Pirh. *hic n. 14.* Wiest. *ibid. n. 7.* Ratio est; quia privilegio, alióque Jure speciali cessante, bona Beneficialia, & quæ ex his comparantur, cedunt Ecclesiæ, cui servivit Clericus, ut dictum est *suprà Tit. 27. n. 56.*

20 *Si primum*, ejusmodi Ecclesia, Capella, vel Beneficium est Juris Patronatûs Laicalis, & ad hæredes fundatoris, ex testamento succedentes, transit. Lotter *l. 2 de Benef. q. 10. n. 2.* Garc. *l. cit. n. 594. cit. in fin.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 4.* Wiest. *hic n. 8.* Ratio est; quia Bona Beneficialia Clerici vigore talis privilegij, vel consuetudinis evadunt quasi Patrimonialia, ejusdem. ex his autem fundata, erecta, vel dotata Ecclesia, Capella, vel Beneficium est Juris Patronatûs Laicalis. ergo &c. *Conf.* ex praxi Hispaniæ, in qua præsentandi jus ad Beneficia ita fundata à Clericis ad hæredes eorum transmitti non rarò solet, quòd ibidem Clerici passim disponant liberè inter vivos, & mortis causâ de bonis Beneficialibus, teste Garc. *l. cit.*

Dixi, *Ex reditibus Ecclesiæ intuitu ac-* 21
quisitis; nam si à Clerico fundatum sit Beneficium ex Bonis ejus patrimonialibus, secundum dicta *n. 8.* Jus Patronatûs Laicale erit, cùm, ut ibi est explicatum, ad cognoscendam qualitatem Juris Patronatûs non tam persona, quæ Beneficium fundavit, quàm bona, ex quibus fundavit, spectanda sint. *Ex quo sequitur*, casu, quo Clericus ex bonis Patrimonialibus in fundo Ecclesiæ, vel contrà in fundo proprio ex reditibus Beneficij sui Ecclesiam ædificet, vel Beneficium fundet, eo vivente, quidem Jus Patronatûs ad ipsum in solidum pertinere; post mortem verò ipsius partim ad hæredes ejusdem, partim ad Successorem in Beneficio transiturum, cùm eo casu Jus istud eidem partim intuitu Ecclesiæ, partim ratione proprij Patrimonij competat. Canis. *in c. quoniam 3. h. tit. n. 6.* Pirh. *hic n. 14.*

Dub. 2. an casu, quo Jus Patronatûs 22
Ecclesiasticum transfertur in Laicos, perseveret esse Ecclesiasticum? Videtur respondendum affirmativè; quia translatio hujusmodi non facit, quo minùs talis Capella, vel Beneficium fundatum, dotatum, erectum sit ex redditibus, & bonis Ecclesiæ. ergo etiam non faciet, ut Jus Patronatûs, tale Beneficium, vel Capellam respiciens, Ecclesiasticum esse desinat.

Sed dicendum, cessare esse Juris Patronatûs Ecclesiastici, & incipere esse Juris Patronatûs Laicalis, saltem casu, quo titulo oneroso permutationis ad Laicum transijt. Ita Barbos. *l. 3. Jur. Eccl. c. 12. n. 16.* Zoes. *hic n. 52.* Engl *n. 12.* Pirh. *n. 4.* Wiest. *n. 10.* *Ratio est*; quia si etiam hoc casu maneret Juris Ecclesiastici, in valde exorbitante lucro versaretur Ecclesia, cùm hoc modo loco Juris Patronatûs ad unum Beneficium acciperet Jus Patronatûs ad duo, retinendo, quod habuit, & accipiendo aliud, quod non habuit: contrà Laicus esset in detrimento; quia daret Jus Patronatûs, & nullum aliud loco dati reciperet.

An verò hoc etiam procedat, quan- 23
do Jus Patronatûs ad Laicum translatum est titulo lucrativo, e. g. donationis, diffident

inter se DD. Negat Barbos. *n. 16. cit.* cum alijs. Sed probabilius etiam hoc casu cessat esse Juris Ecclesiastici, ut cum alijs notat P. Wiest. *hic n. 11.* *Ratio est* 1. quia res, & bona Ecclesiastica cætera, si ex justa causa, & cum debita solennitate transferantur in Laicos, quocunque titulo transferantur, qualitatem bonorum Ecclesiasticorum exuunt, & bonorum Laicalium naturam, & qualitates induunt. igitur cùm de Jure Patronatûs aliud Jure statutum non inveniatur, simili cum cæteris bonis Ecclesiasticis sorte censebitur. 2. post ejusmodi translationem quocunque ex titulo factam præsentatio, quæ antea ratione Ecclesiæ, vel Monasterij competebat, competit ratione proprij Patrimonij, & ipsum Jus Patronatûs Jure successionis hæreditariæ deinceps transfertur. atqui Jus Patronatûs ita competens est Laicale. ergo &c. 3. Jus Patronatûs, etsi origine fuerit Laicale, quòd Ecclesia, Capella, vel Beneficium à Laico ex bonis patrimonialibus fundatum sit, si tamen illud in Ecclesiam, Monasterium &c. transferatur, ipsa translatione naturam Juris Patronatûs Laicalis exuit, & evadit Ecclesiasticum. ergo etiam exuit naturam Juris Patronatûs Ecclesiastici, & Laicale efficietur, si transferatur in Laicum, ita, ut huic Jure successionis hæreditariæ deferatur.

Ex quo sequitur ad Argumentum contrarium *n. præc.* allatum; dicendum enim titulum illum extingui, quando Jus Patronatûs non ampliùs ratione Ecclesiæ, sed proprij Patrimonij competit.

24 Dub. 3. an Ecclesiastici, vel Laicalis Juris Patronatûs sit Ecclesia, Capella, vel aliud Beneficium, ad quod Princeps, vel Magistratus Sæcularis Clericum nominat, qui deinde ab Ecclesia, vel Monasterio Episcopo est præsentandus? Joan. Andr. & Franc. *in c. cùm in illis 16. §. si verò n. 4. de Præb. in 6.* putant esse Juris Patronatûs Ecclesiastici: & videtur istud probari etiam ex ratione; quia Jus Patronatûs est jus præsentandi Clericum ad Ecclesiam, vel Beneficium vacans. atqui tali casu jus præsentandi Ecclesiæ, vel Monasterio competit. ergo hoc casu Jus Patronatûs Ecclesiasticum erit.

25 Sed dicendum, hoc casu ejusmodi Ecclesiam, Capellam, vel Beneficium esse potiùs Juris Patronatûs Laicalis, quàm Ecclesiastici. Ita Gambar. *l. 3. de Offic. Legat. n. 398.* Azor *p. 2. l. 5. c. 28. q. 2. ℣. dubiæ etiam quæstionis*, Garc. *p. 5. de Benef. c. 1. n. 616.* Wiest. *hic n. 12.* *Ratio est*; quia vero Patrono competere debet jus Episcopo præsentandi Clericum idoneum, quem ipse elegerit *can. decernimus 32. in fin. caus. 16. q. 7.* ibi, *Quos - - - fundatores condignos elegerint*; & *c. quoniam 3. h. tit.* ibi, *Qui - - - plurimorum* compatronorum *eligitur, & approbatur assensu.* atqui hoc casu jus eligendi idoneos Clericos Principi, Magistratui, vel alteri personæ Sæculari competit, non verò Ecclesiæ, vel Monasterio; nam istud eum, qui à Principe &c. electus, & nominatus est, non liberè, sed necessariò præsentat, ita, ut potiùs Ministri, vel Procuratoris, quàm veri præsentatoris fungatur munere: & propterea, si ita nominatum intra legitimum tempus Episcopo præsentare nollet, sic nominatus pro in tempore præsentato haberi debet, ut notat Garc. *l. cit. in fin.* & probat tritum illud, *Pro facto habetur, quod fieri debuit, si per eum, à quo fieri debuit, non stetit, quo minùs factum sit.*

Ex quo cadit Argumentum oppositum; dicendum enim, quòd præsentatio nominationem subsequens hoc casu potiùs sit executio nominationis, & hanc solam propriè præsentationem esse.

Dub. 4. quale sit Jus Patronatûs, Laicum, an Ecclesiasticum, quo datur Clerico jus præsentandi cum consilio, aut consensu Laici, aut vicissim Laico cum consilio, aut consensu Clerici? *Certum satis est*, quòd Ecclesiasticum maneat, si ad præsentationem solùm requiratur consilium Laici, Laicum verò, si Laico competat, & solùm requiratur consilium Clerici. Azor *q. 2. cit. ℣. quando verò*, Garc. *n. 616. cit. in fin.* Honor, *hic n. 15.* *Ratio est*; quia qualitas Juris Patronatûs à qualitate præsentantis, vel ejus, cujus nomine præsentatio fit, desumenda est, non verò à qualitate ejus, cujus est requirendum consilium, quippe quod præsentator sequi non tenetur. 26

Difficultas aliqua fieri potest, si facienda sit præsentatio cum consensu alterius: quo casu Garc. *l. cit.* putat habendum pro Ecclesiastico, sive Ecclesiasticus præsentet cum consensu Laici, sive Laicus cum consensu Ecclesiastici. Sed meliùs Gambar. *l. cit. n. 409.* Azor *℣. quando ait.* Wiest. *hic n. 14.* censent etiam hoc casu qualitatem Juris Patronatûs desumendam à qualitate personæ præsentantis, ita, ut Ecclesiasticum dici debeat, si præsentans sit persona Ecclesiastica, etiamsi præsentare debeat cum consensu Laici, Laicum verò, si Laicus, etiamsi præsentare debeat cum consensu Ecclesiastici. *Ratio est*; quia Patronus propriè secundùm probata *n. 25.* ille dicitur, qui Clericum pro Ecclesia, vel Beneficio vacante eligendi, & Episcopo offerendi jus habet. atqui jus ejusmodi eligendi, & Episcopo præsentandi habet hoc casu solus præsentans, non consentiens; quia hic solùm habet jus personam præsentatam approbandi, non verò eligendi, vel obtrudendi præsentanti personam, quam ipse vellet. ergo &c. 27

Dub. 5. quale sit Jus Patronatûs, quod partim Clerico, vel Clericis, partim Laico, vel Laicis competit? *R.* distinguendo: Vel enim ita utrisque competit, ut præsentatio fiat ab Ecclesiasticis, & Laicis simul ad plu- 28

pluralitatem Votorum, vel alternis vicibus, modò ab Ecclesiasticis, modò à Laicis. *Si primum*, est Jus Patronatûs mixtum, ut dictum est *suprà n. 10.* hoc tamen speciale habet, ut si præsentatio à non minore Laicorum, quàm Clericorum numero fiat, Beneficium, ad quod hujusmodi Jus Patronatûs datur, sub Sedis Apostolicæ reservationem non cadat, ut dictum est *suprà Tit. 5. de Præbend. n. 220.* *Si secundum*, in Turno Ecclesiastici Jus Patronatûs totum erit Ecclesiasticum, in Turno Laici merè Laicale. Joan. Andr. *in c. cùm in illis 16 §. fin. in fin. de Præb. in 6.* Roch. de Curte *V. jus q. 6.* Garc. *p. 5. de Benef. c. 1. n. 64.* Barbos. *l. 3 Jur. Eccl. c. 12. n. 17.* König *hic n. 6.* Wiest. *ibidem n. 15.* videtur enim tunc mixtorum natura per hanc alternativam pro illis vicibus reducta ad sua simplicia.

29 *Ex quo sequitur*, quòd si hujusmodi Benficium Mense Papali vacet in Turno Ecclesiastici, illud reservatum sit Papæ, ita tamen, ut istius provisione Turnus Ecclesiastici Patroni consumatur, ne tali reservatione præjudicium Laico Patrono fiat: quod discrimen est inter casum præsentem, & inter casum, quo jus præsentandi alternativum habent duo Patroni Ecclesiastici v. g. Episcopus, & Capitulum; nam tali casu Provisiones factæ à Pontifice non computantur, sed ita se habent, tanquam si nulla vacatio, vel provisio facta esset: cons. si Beneficium incepit vacare in mense Papali, quando Turnus erat penes Episcopum, hic per provisionem Papalem non consumitur, sed manet, dum Episcopus Beneficium, quod per Turnum conferri debet, conferre potuerit. Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 45. §. 1. n. 30. & 31.* estque ipso teste decisum à Rota *in Salmantina Canonicatûs, seu Alternativæ 27. Nov. 1581.* & in alia *Salmantina Portionis 16. Maij 1603.*

§. II.

De Origine, & Causis Juris Patronatûs.

SUMMARIUM.

30. *Origo Juris Patronatûs.*
31. *Laicis competit ex sola gratia Sedis Apostolicæ.*
32. *Oritur ex fundatione.*
33. *Constructione, & Dotatione Ecclesiæ, vel Capellæ.*
34. 35. *Requisita, ut ex his capitibus acquiratur.*
36. *Debet fundatio, constructio, dotatio fieri authoritate Ordinarij interveniente.*
37. *Quisnam hic veniat nomine Ordinarij?*
38. *An consensum istum dare etiam possit Vicarius Generalis?*
39. *Quid si Ordinarius requisitus sine justa causa consensum deneget?*
40. *Quid observandum huic, antequam consensum præstet?*
41. 42. 43. *An, ut acquiratur Jus Patronatûs, necessarium sit id reservari in fundatione &c.*
44. *An fundatione, dotatione, constructione acquiratur Jus Patronatûs etiam in Ecclesijs Collegiatis, & Conventualibus?*
45. *An amittatur conversione Ecclesiæ non Collegiatæ in Collegiatam?*
46. *An Fundator Ecclesiæ Collegiatæ possit sibi reservare Jus præstandi assensum ad Electionem Prælati?*
47. 48. *Et si reservavit, quando ille præstandus sit?*
49. *Et an sit de necessitate Electionis in eo casu?*
50. 51. *Ad acquirendum Jus Patronatûs concurrere simul debet fundatio, constructio, & dotatio.*
52. *Non tamen est necessarium, ut omnia præstentur ab eodem.*
53. 54. *Si à pluribus præstentur, omnes Patroni sunt.*
55. *Si unus fundet simul, & construat, alter dotet, ille duplicem habet vocem, hic unam.*
56. *Nec attenditur, quantum quisque contulerit.*
57. *Ut dotatione acquiratur Jus Patronatûs, requiritur, ut dos sit sufficiens.*
58. *Acquiritur dotatione etiam post consecrationem Ecclesiæ facta.*
59. *Si antea non sit dotata.*
60. *Non verò, si augeatur duntaxat dos.*
61. 62. *Casu, quo Ecclesia omnino diruta restauratur, aut amissa omnino priori dote, dotatur denuo, Jus Patronatûs competit non primo, sed secundo ædificanti, & dotanti.*
63. 64. *Cui acquiratur Jus Patronatûs, quando aliquis Ecclesiam construxit in alieno fundo, inscio, vel invito istius domino?*

30 QUæritur 1. quando Jus Patronatûs in Ecclesia dari cœperit? R. Primis Ecclesiæ temporibus usque ad quintum Sæculum in Ecclesijs aut nulla, aut rarissima fuerunt exempla Patronatûs, præsertim Laici; nam in Ecclesijs, etiam per Laicos ædificatis, vel fundatis, Episcopi liberè constituebant Clericos *can. decretum 3. can. noverint 6. &c. caus. 10. q. 1. can. omnes Basilicæ 10. caus. 16. q. 7.* Primum, quantum constat, hujus Juris vestigium invenitur in Concilio Arausicano, ubi *can. 10.* Episcopis

scopis, qui in terris, fundisque, ad se, vel Ecclesiam suam pertinentibus, sed extra Diœcesis suæ fines constitutis, Ecclesias ædificant, conceditur, ut arbitratu suo deligere possent Clericos, ab eo Episcopo, in cujus territorio Ecclesia ædificata est, instituendos, ut Ecclesijs ejusmodi ministrarent. Quod successu temporis etiam ad Laicos porrectum est quoad illas Ecclesias, quas hi ex suis bonis, & patrimonio erexerunt, fundaverunt, vel dotaverunt *can. piæ mentis 26. can. Frigentius 27. can. filijs 31. can. decernimus 32 &c. caus. 16. q. 7.* & *c. nobis 25. h. tit.* ut hac ratione Laici inducerentur ad fundandas, & dotandas Ecclesias, vel Capellas, & Beneficia Ecclesiastica: quod non obscurè significat Trid. *sess. 25. c. 9. de reform.* ubi decernit, æquum non esse veris Patronis suum Jus Patronatûs non servare, ne tali via fideles ab operibus pijs retrahantur.

81 *Ex quo sequitur*, quòd quidquid Juris habet Patronus Laicus in Ecclesia, totum ex gratia, & privilegio Apostolico procedat, quo præciso, Jus Patronatûs non acquireret, ut rectè advertit Matthæucc. *in Offic. Eccl. c. 28. n 1.* *Ratio est*; quia Jus Patronatûs, ut *n. 4.* ostensum est, ob connexionem, & ordinem, quem ad collationem Beneficij Ecclesiastici habet, inter Spiritualia Jura censetur, quorum cum Laicus absque dispensatione, & privilegio Apostolico incapax sit, consectaneum est, quod quando Laicus Jus Patronatûs in Ecclesia quadam obtinet, illud ex gratia Ecclesiæ obtineat, per quam in potestate ejusmodi sustinetur.

82 Quæritur 2. ex quibus causis hodie oriatur Jus Patronatûs? R. oritur ex tribus causis, fundatione, constructione, & dotatione Ecclesiæ, vel Beneficij juxta illud vulgatum Gloss. *in can. piæ mentis 26. caus. 16 q. 7.*

Patronum faciunt Dos, Ædificatio, Fundus.

Porro *Ecclesiam fundare*, si strictè vox ista accipiatur, dicitur, qui dat fundum, sive solum, in quo illa est construenda *can piæ mentis cit. can. decernimus 32. caus. 16. q. 7. can. Abbatem 4. caus. 18. q 2. c. nobis 25. h. tit.*

83 *Construere* is, cujus nomine, & sumptibus ædificatur, vel collapsa restituitur *can. Monasterium 33.* junct. Gloss. *V. eod. caus. 16. q 7. c. nobis cit.* ibi, *Si quis Ecclesiam cum assensu Diœcesani construxit, ex eo Jus Patronatûs acquirit.* Dixi *cujus nomine*, & *sumptibus*, ut excludantur fabri murarij, & similes, qui eidem construendæ pro mercede dant operam; nam hi, etsi physicè Ecclesiam construant, Jus Patronatûs tamen non consequuntur, quia non suis, sed alienis sumptibus, ex quibus ipsi stipendium capiunt, eandem construunt.

Dotare denique ille, qui assignat Ecclesiæ construendæ, vel constructæ reditus annuos sufficientes pro necessarijs ejusdem usibus, & sustentatione Ministrorum congrua *can. filijs 31. caus. 16. q. 7.*

Quæritur 3. quid requiratur, ut ex memoratis capitibus aliquis acquirat Jus Patronatûs; R. 1. requiritur, ut quod dat, expresè, vel tacitè animo fundandi, construendi, aut dotandi Ecclesiam faciat; nam si donet, vel leget aliquid solùm animo donandi, aut benefaciendi, non acquirit Jus Patronatûs, cùm potiùs Benefactor, quàm Patronus censeatur, & SS. Canones Jus Patronatûs non benefactori, sed dotanti indulgeant *can. filijs cit.* Roch. de Curte *V. & dotavit q. 6.* Lambertin. *p. 1. l. 1. q. 6. art. 1. & 2.* Garc. *p. 5. de Benef. c. 9. n. 60.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 3.* Honor. *hic n. 10.* Pirh. *ibid. n. 10. not. 6.* & teste Garc. *l. cit.* est sæpiùs decisum à Rota. 84

2. Ut reditus, quos dotare volens, Ecclesiæ affert, sint sufficientes pro necessarijs ejusdem usibus, & sustentatione Ministrorum: nam si in sufficientia solum bona dederit, non acquirit Jus Patronatûs; quia itrum Benefactor potiùs, quàm dotator dicetur. Gloss. *in can. quicunque 30. V. aliquid caus. 16. q. 7.* Roch. de Curte *V. & dotavit q. 8. & 9.* Lambertin. *l. 1. cit. q. 5. art. 12.* Garc. *c. 9. cit. n. 52.* Azor *p. 2. l. 6. c. 19. q. 6. fin.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 2. n. 6.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 70. n. 11.* Engl *hic n. 21.* Pirh. *n. 6.* Schamb. *n. 11.* Clericat. *de Benefic. discord. 4 n. 16.* *Excipitur*, si plures ad dotationem concurrant; nam hoc casu, si omnes simul dotem sufficientem, & competentem dederint, licèt singuli insufficientem, quilibet ex ita concurrentibus Patronus efficitur, quòd quilibet ratione communionis, & societatis dotem sufficientem censeatur præstitisse, ut cum *citt.* notat Pal. *n. 6. cit.* 85

3. Ut interveniat authoritas Ordinarij in eam fundationem, dotationem, constructionem, vel erectionem Ecclesiæ, aut Beneficij consentientis. Ita Ant. de Butr. *in c. nobis 25. h. tit. n. 15.* Roch. de Curte *V. pro eo quod de Diœcesani consensu* Lambertin. *l. 1. cit. q. 2. art. 3. cum seq.* Garc. *c. 9. cit. n. 71.* Azor *q. 7.* Barbos. *n. 20.* Pal. *n. 8.* Vallens. *hic §. 8. n. 3.* Pirh. *n. 11. not. 7.* Schamb. *n. 13.* Wiest. *n. 37.* Clericat. *l. cit. n. 10.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de reb. Eccl. c. 3. n. 92.* & sumitur ex *c. nobis cit.* ibi *Cum assensu Diœcesani.* Ratio est manifesta; quia absque Superioris potestate neque Ecclesia ædificari potest, neque servituti Patroni subjici. Accedit; quia Ecclesiæ interest, ac proinde Ordinarius, cujus Jurisdictioni ea subest, nòsse debet, quem Patronum illa habeat. Sufficit autem, si consensus iste ex pòst facto interveniat, ut si templum, sine consensu Episcopi ædificatum, is postea accepiet, & consecrari jubeat; tunc enim Jus Patronatûs acquiritur ei, qui ædificavit. Garc. *n. 72.* Barbos. *n. 21.* Pal. *n. 8. cit.* & hoc teste est 86

est decisum à Rota. Præsumitur interveniſſe ex diuturnitate temporis, saltem 30. annorum. Menoch. *l. 3. præsumpt. 90. n. 17. & 18. & l. 6. præsumpt. 79. n. 3. & 4.* ubi ait, quando Ecclesia diu habet campanam, Altaria, & his similia, præsumi authoritate Episcopi constructam, & ædificatam.

37 Quæritur 4. quisnam hic veniat nomine Ordinarij, ut consensus ejusdem sit requirendus? R. nomine Ordinarij hic venit Episcopus, & quilibet Prælatus, Jurisdictionem quasi Episcopalem obtinens in loco construendæ Ecclesiæ, vel Capellæ, aut Beneficij erigendi; quia hic consensus est actus Jurisdictionis. Lambertin. *p. 1. l. 1. q. 2. art. 8.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 70. n. 30.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 2. n. 9.* Ex quo fit, quòd consensum ædificandi Ecclesiam possit dare etiam Capitulum Sede Vacante, & quivis alius Prælatus habens Jurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum, & populum: & hac authoritate præstita, eo ipso ab ædificante, fundante, dotante acquiri Jus Patronatûs; quia hoc ædificationem, fundationem, & dotationem subsequitur. Garc. *p. 5. de Benef. c. 9. n. 71.* Barbos. *n. 31.* Pal. *n. 8. cit.* & his testibus est decisum à Rota.

38 Quoad Vicarium Generalem distinguendum est: nam Vicarius Generalis Capituli sede vacante potest; quia in hunc omnis Jurisdictio Capituli refunditur, qui propterea etiam ea potest, quæ aliàs speciali mandato indiget, ut dictum est *Libr. 1. Tit. 28. n. 30.* Vicarius Generalis Episcopi sine speciali mandato consensum istum præstare nequit; quia Jus Patronatûs est quædam servitus, quam Vicarius Generalis Episcopi sine hujus speciali commissione Ecclesiæ, vel Beneficio nequit imponere. Zerol. *p. 1. §. Vicarius n. 13.* Garc. *p. 5. de Benef. c. 9. n. 75.* Barbos. *alleg. 70. cit. n. 33.* Clericat. *de Benef. discord. 26. n. 4.* Vall. *hic §. 1. n. 3.* Pirh. *n. 11.* Wiest. *n. 38.*

39 Si Ordinarius requisitus consensum præstare sine justa causa recusat, adeundus est ipsius Superior, v. g. Metropolitanus, vel Primas, aut si exemptus sit, Papa, ut compellatur ad consensum præstandum; quia hoc generale est, ut quando inferior gratiam aliquam, & favorem sine justa causa denegat, peti à Superiore ejusdem possit, ut eundem ad consensum præstandum compellat. Selva. *p. 1. de Benef. q. 6. n. 15.* Lambertin. *p. 1. l. 1. q. 2. art. 16. & 17.* Vivian. *p. 1. l. 2. c. 1. n. 22.* Barbos. *alleg. 70. cit. n. 26.* Wiest. *n. 38. cit.* *Neque obstat textus c. nullus 17. b. tit.* ubi Alexander III. Episcopo Adonensi rescribens, statuit, ut *siquis Episcopus improbitatis, vel avaritiæ causâ consentire noluerit, Romano Pontifici nuntietur*; hoc enim intelligendum est de casu, quo Episcopus recusans præstare consensum, est exemptus à Metropolitano, & immediatè subjectus Summo Pontifici, ut dictum est paulò antea, vel si intelligendum sit etiam de non exemptis, ibidem significatur, in potestate querelantis esse, utrum querelam suam coram Metropolitano, vel coram Summo Pontifice, qui cumulativam cum omnibus Episcopis potestatem habet, velit proponere.

Dixi, *Si Ordinarius sine justa causa recuset præstare consensum*; nam ex justa causa consensum ad novam Ecclesiam erigendam negare potest: & talis est, si eidem non sit provisum de sufficienti dote. 40 Hinc antequam Ordinarius hunc suum consensum præstet, inquirere diligenter debet, an Ecclesia, vel Beneficium, de cujus Patronatu acquirendo agitur, congruam, sufficientem, & stabilem dotem habeat; nam si temere consentiat in constructionem Ecclesiæ, vel Beneficij erectionem sine congrua dote, casu, quo fundator defectum supplere nequeat, aut non velit, Ordinarius de suo supplere tenebitur *c. cùm sicut 8. de consecr. Eccl. vel Alar.* Lambertin. *p. 1. l. 1. q. 5. art. 10.* Barbos. *alleg. cit. n. 29.* Wiest. *n. 29. hic.* Addidi *casu, quo fundator defectum supplere nequeat, aut non velit*; nam in dubio, si iste contrarium non expresserit, & alius non adsit, qui Ecclesiam erectam dotet, ad eam dotandam videtur se obligâsse, qui illam construxit, siquidem Ecclesia sine dote consecrari non debet *c. cùm sicut cit.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 1.*

Quæritur 5. an, ut acquiratur Jus Patronatûs, necessaria sit ejus reservatio in fundatione &c. 41 Affirmant Paul. de Cittadin *p. 3. §. secunda n. 13.* Zœs. *hic n. 4.* Schamb. *n. 13.* & videtur istud probari ex praxi Fundatorum, qui sibi jus istud in fundatione, & erectione Ecclesiarum, ac Beneficiorum Ecclesiasticorum expressè reservare solent: quod frustra fieret, si sine expressa reservatione jus hoc acquiri posset; nam quod tacitè inest, frustra exprimitur *l. verba 12. ff. de condit. instit.* *Conf.* sic enim sine expressa reservatione in fundationis limine etiam non acquiritur fundatori, & ejus successoribus jus percipiendi pensionem ab Ecclesia à se fundata,

Sed dicendum, Jus Patronatûs fidelibus, Ecclesias cum consensu Ordinarij construentibus, fundantibus, aut dotantibus acquiri, etiamsi illud sibi expressè non reservent, modò illud actu contrario non remittant. 42 Ita Azor *p. 2. l. 6. c. 19. q. 9.* Garc. *p. 5. de Benef. c. 9. n. 62.* Vivian. *p. 1. l. 2. c. 1. n. 9.* Barbos. *l. 3. Jur. Eccl. c. 12. n. 35.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 2. n. 4.* Clericat. *de Benef. Discord. 4. n. 9.* Engl *hic n. 20.* Pirh. *n. 10. not. 4. fin.* König *n. 15.* Wiest. *n. 40.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de reb. Eccl. c. 3. n. 92.* *Ratio est*; quia hoc Jus fundantibus, construentibus, & dotantibus Ecclesias acquiritur ex dispositione Juris: unde non est necesse illud deduci in pactum, vel reservari expresse. Dixi, *Modò illud actu contrario non remittant*; nam fundans Ecclesiam,

vel Capellam remittere Jus Patronatûs potest in totum, vel pro parte, & limitatè illud inducere, prout sibi placuerit. Roch. de Curte *V. ipse, vel is n. 18.* Lambertin. *p. 2. l. 1. q. 2. art. 2. & 4.* Garc. *l. cit. n. 63.* & hoc teste Rota *in Cremonensi Juris Patronatûs 18. & 21. Maij 1578.*

43 *Ad Rationem dubitandi* etiam, quæ tacitè insunt, ad majorem cautelam sæpe exprimi solent. Patet in evictione, de qua etsi venditor emptori teneatur exindubitata dispositione Juris *l. non dubitatur 6. C. de Eviction.* id tamen Instrumentis Venditionum inseri passim solet. *Ad Conf.* negatur paritas; nam explorati Juris est, Ecclesias, & Beneficia pensionibus, & aliis similibus oneribus gravari non posse, nisi in limine fundationis cum consensu Episcopi expressè reserventur.

44 Quæritur 6. an quarumcunque Ecclesiarum fundatione, constructione, dotatione acquiratur Jus Patronatûs? R. distinguendum esse inter *Ecclesias Collegiatas*, sive *Conventuales*, & inter *non Collegiatas*, sive *non Conventuales.* In *posterioribus* fundatione, constructione, dotatione acquiritur Jus Patronatûs plenum, & quoad omnes ejusdem effectus, ut patet ex textibus *n. 30. suprà citt.* In *prioribus* verò Ecclesijs acquiritur quidem illud quoad honorem, & alios similes effectus §. *seq.* declarandos, non tamen quoad Jus præsentandi, vel nominandi Prælatum ad vacantem talem Ecclesiam, nisi istud obtentum sit Indulto Pontificio, ut clarè habetur decisum *c. nobis 25 h. tit.* & tradunt *ibidem* Host. *n. 2.* Abb. *n. 9.* Barbos *n. 3.* Fagnan. *n. 14.* Engl *hic n. 4.* Pirh. *n. 31.* Schamb. *n. 2. & 24.* König *n. 25.* Wiest. *n. 28.*

45 Et extenditur hoc etiam ad casum, quo Ecclesia non Collegiata cum Patroni consensu convertitur in Collegiatam; nam ipsa conversione, si hæc cum Patroni consensu sit facta, iste jus præsentandi, quod antea titulo fundarionis, constructionis, dotationis obtinuit, perdit. Host. *l. cit.* Lambertin. *p. 1. l. 2. q. 5. n. 8.* Engl *hic n. 4.* Wiest. *n. 28. cit.* cum alijs. Dixi *cum Patroni consensu*; nam eo invito non potest Episcopus ordinariè loquendo Capellam, vel Ecclesiam Parochialem Patronatam commutare in Collegiatam; quia id cederet in præjudicium Patroni *arg. can. Monasterium 33. & seq. caus. 16. q. 7.* Si verò ob aliquam necessitatem talis Ecclesia convertatur in Collegiatam, non poterit quidem Patronus, utpote qui majus bonum Ecclesiæ non impedire, sed magis promovere debet, contradicere huic conversioni, jus nominandi tamen, seu præsentandi ad Prælaturam in eadem Ecclesia retinebit, nisi, ut Collegiata fieret, tempore fundationis, vel postea consenserit sine protestatione, seu reservatione Juris sui; tunc enim electio Prælati, seu Rectoris ad Collegium Clericorum pertineret tantùm. Gloss. *in c. nobis 25. V. in Capella h. tit.* Abb. *ibid. n. 10.* Pirh. *hic n. 35.*

Proceditque responsio *n. 44.* data, ut 46
Fundator talis Ecclesiæ Collegiatæ Laicus ne quidem in limine fundationis reservare sibi, & successoribus jus præsentandi, vel coëligendi Prælatum pro tali Ecclesia possit *can. nullus 1. dist. 63.* & *c. Sacrosancta 51. de Elect.* Dixi 1. *Fundator Laicus*; nam fundator Ecclesiasticus jus istud sibi, & successoribus reservare in limine fundationis potest; quia non omnino incapax est Juris eligendi. Dixi 2. *Prælatum*; nam Jus præsentandi ad Præbendas, sive Canonicatus, & Capellas, aliáque Beneficia Simplicia, quæ existunt in ea Ecclesia Conventuali, sibi reservare potest, cùm Jura solùm excludant Patronum ab electione, & præsentatione Prælati in Ecclesia Conventuali. Abb. *in c. nobis cit. n. 6. fin.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 8.* Pirh. *hic n. 34.* Dixi 3. *Jus præsentandi vel coëligendi*; nam etiam Fundator Laicus, interveniente Episcopi authoritate, reservare sibi, & successoribus potest Jus præstandi assensum Electioni Prælati sibi intimatæ, ut *arg. c. nobis cit.* infert P. Wiestner *hic n. 29.* Sed hinc oritur dubium, & ulteriùs

Quæritur 7. quando tali casu, quo Pat- 47
ronus Laicus sibi reservavit jus præstandi assensum, hic ab ipso requiri, & præstari debeat? *Certum satis est*, eum requirendum, & præstandum post factam electionem; ita enim clarè sumitur ex *c. nobis 25. h. t.* ibi, *In Conventuali Ecclesia non Electioni Prælati faciendæ, sed jam factæ honestiùs Patroni postulatur assensus:* item *c. cùm terra 14. in fin. de Election.* ibi, *Quo facto, non prohibemus, quin Regis - - - requiratur assensus:* & denique *c. Sacrosancta 51. in fin. tit. eod.* ubi Gregorius IX. *Ordinationem* Prioris, per Conventûs Electionem factam *denuntiari* jubet *Patrono, ut suum, si voluerit, honestum impertiatur assensum.*

Controversia solùm est, quando Elec- 48
tio intelligatur facta, ut ea Patrono insinuari, ejúsque assensus requiri possit, & debeat? Nam ut ex *Libr. 1. Tit. 6. n. 49.* constat, duplex est Electio, una quasi singularis, quæ facta censetur tum, quando publicato scrutinio, & collatione facta, apparet omnium, vel majoris partis Capituli suffragia in unum collata esse; Altera communis, quæ tum fit, quando publicato scrutinio, & collatione facta, unus Electorum personam, in quam ejusmodi Vota collata sunt, omnium, vel majoris partis nomine eligit. *Dicendum*, de Jure communi consensum Patroni, ubi iste est requirendus, perendum, atque præstandum esse primùm post communem Electionem peractam, sed tamen ante solennem ejus publicationem, confirmationem, & possessionis apprehensionem; nam Electio non inte-

intelligitur facta, antequam posita sint omnia constitutiva illius. sed Electio communis est substantiale constitutivum Canonicæ Electionis Prælati *c. quia propter 42. & c. Ecclesia 48. de Elect.* ergo &c. Dixii *de Jure communi;* nam privilegio Apostolico, sicut Laicus potestatem eligendi, ita etiam partes suas Electioni tractandæ interponendi acquirere potest, quod innuit *c. nobis 25. cit.* ibi *Nisi aliter de sua Jurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeat electioni tractandæ.*

49 *Sequitur* ex hactenus dictis, consensum istum Patroni, & approbationem Electionis magis de honestate, & in obsequium, ac reverentiam Patroni, & quasi in recognitionem fundationis, quàm de necessitate requiri, ad eum principaliter effectum, ut si Patronus rationabilem contradicendi causam habeat, eam proponere possit. De cætero autem, si nihil aliud obstet Electioni, quò minùs Canonica censeri debeat, etiam invito Patrono facta, valida, & per Superiorem confirmanda erit; videtur enim inconveniens, ut Confirmatio Prælati potiùs à voluntate Patroni, præsertim Laici, quàm ab Electione Capituli, vel judicio Superioris dependeat, & frustra daretur Electio libera Capitularibus, si res tota in arbitrio Patroni consisteret. Abb. *in c. Sacrosancta cit. n. 6.* Barbos. *in c. nobis n. 5.* Engl *hic n. 4.* & colligitur ex voce *Honestiùs* in eodem *cap.* Neque huic resolutioni obstat *can. Abbatem 4. caus. 18. q. 2.* ubi Pelagius Papa dicit, *Abbatem in Monasterio illum ordinandum quem sibi de sua congregatione & Monachorum electio, & possessionis dominus - - - poposcerit ordinari;* nam ut locum hunc explicat Barbos. *l. cit.* id intelligendum est, quòd Dominus loci certiorandus sit de electione Prælati in Monasterio, non verò, quòd ejus consensus præcisè requiratur, ita ut secus si fiat, electioni jam factæ officiat.

Quæritur 8. an ex sola fundatione
50 Ecclesiæ, vel Capellæ acquiratur Jus Patronatûs, seu jus præsentandi Rectorem, an verò requiratur etiam constructio, & dotatio? *Certum est 1.* ut quis acquirat Jus Patronatûs non sufficere, ut fundum assignet pro ædificanda Ecclesia, si nec ipse, nec alius Ecclesiam ædificet; quia Patronus nemo dicitur, nisi respectu Ecclesiæ jam in esse perfectè deductæ, ut Rectorem in ea Divina celebrantem habere possit, ut notat Fagnan. *in c. quoniam 3. h. tit. n. 26.* atqui talis non est Ecclesia, nisi cum fundatione concurrat constructio. ergo &c.

Certum est 2. idem Jus Patronatûs etiam non acquiri sola constructione, si nemo alius dotet, nec sola dotatione, nisi alius fundet, & construat Ecclesiam ita dotatam: conf. fundationem, constructionem, dotationem ad producendum Jus Patronatûs debere concurrere copulativè? quia quocunque horum deficiente, Ecclesia dici nequit de non esse producta ad esse. Matthæucc. *in Official. Eccl. c. 28. n. 6.*

Certum est 3. ad acquirendum Jus Pat- 51
ronatûs non esse necessarium, ut Ecclesia actu constructa sit; nam etsi ædificium illius primùm inchoatum sit, is, qui fundum dedit, vel dotem, aut sumptus pro ea construenda, Patronus, quamvis sine exercitio, donec perficiatur, dici potest, & esse incipit, quippe cùm ab eo tempore, quo inchoatum est Ecclesiæ ædificium, Locus Religiosus jam esse cœperit: imò neque opus est, ut ædificium ejusdem sit cœptum, sed sufficit, si Episcopali authoritate accedente, is, qui Jus Patronatûs sibi reservavit, firmam obligationem in se susceperit ad Ecclesiam fundandam, construendam, vel dotandam. Lambertin. *l. 1. de Jur. Patron. p. 1. q. 4. art. 10. n. 4.* Lotter. *de Benef. l. 2. q. 14. n. 1.* Garc. *p. 5. de Benef. c. 9. n. 1.* Wiest. *hic n. 34.* & ratio est; quia ipsa fundi, & sumptuum promissio, susceptáque ejusmodi obligatio pro actu perfecto, & consummato haberi in fundatore potest.

Dubium duntaxat est, an necesse sit, 52
ut omnia hæc præstentur ab uno simul, & eadem persona debeat fundare, construere, & dotare? Rationem dubitandi facit textus Trid. *sess. 14. c. 12. de reform.* ubi Jus istud conceditur ei, qui *Ecclesiam, Beneficium, aut Capellam de novo fundaverit, & construxerit* copulativè. Sed dicendum est sufficere, si fecerit unum ex illis disjunctivè, & Ecclesiam vel fundaverit, vel dotaverit, ut cum communi docent Laym. *l. 4. tr 2. c. 13. n. 2.* Pignatell. *tom. 9. consult. 82. n. 86.* Matthæucc. *c. 28. cit. n. 6. v. sed petitur*, Valiens. *hic §. 1. n. 4.* Zœs. *n. 5.* Engl *n. 19.* Pirh. *n. 7.* Schamb. *n. 11.* König *n. 11.* Wiest. *n. 35.* & sumitur ex *can. filijs 31. caus. 16. q. 7. c. nobis 25. h. tit.* & præcipuè ex Trid. *sess. 25. c. 9. de reform.* ubi Jus Patronatûs dicitur acquiri *fundatione, vel dotatione* disjunctivè. Hinc in *c. 12.* pro ratione dubitandi allato dictio *Et*, ut Jura Juribus concordentur, etiam ipsa sensum disjunctivum, non copulativum habere debet, ut cum alijs notat Barbos. *ibid. n. 3. & 6.* Et hinc solvitur, quod

Quæritur 9. an uni tantùm, vel eti- 53
am pluribus competere Jus Patronatûs respectu ejusdem Ecclesiæ possit? Responsio pendet ex eo, an unus tantùm ad Ecclesiam fundandam, construendam, & dotandam concurrerit, an verò plures. Nam 1. si unus, idémque Ecclesiam fundavit, extruxit, & sufficienter dotavit, tunc ipse unus Jus Patronatûs acquirit, sed tribus ex causis. Pirh. *hic n. 7.* Si verò unus fundet, alter dotet, tertius construat, his tribus Jus istud in solidum competit, ita, ut tres Patroni sint respectu ejusdem Ecclesiæ. Wiestner *hic n. 35.* Et hinc, si Capella, vel Altare ædificetur in aliqua Ecclesia, at-

que in perpetuum titulum Beneficium ibidem erigatur, in Jure præsentandi Ecclesia de Jure concurrit cum dotante, & ædificante; quia scilicet fundum contulit. Abb. *in c. 3. de Eccl. ædific. n. 11. De Jure*, inquam; nam praxis subinde contrarium ostendit, & ordinariè Capellarum, ac Beneficiorum erectores jus præsentandi sibi usurpant, quod per inadvertentiam, & ignorantiam Rectorum Ecclesiæ contingere putat *ibidem* Abbas, alij refundunt in consuetudinem locorum, quam rationabilem esse, & valere testatur König *hic n. 12.*

§4 2. Casu, quo plures simul ad Ecclesiam fundandam, construendam, & dotandam concurrunt, videndum est, an singuli ex diversis, an aliqui ex eodem capite ad hoc concurrant. *Si singuli ex diversis*, ita, ut v. g. Titius dederit fundum, Cajus dotem, Sempronius sumptus pro ea construenda, singuli singulas habent voces. *Si aliqui ex eodem*, interest, an æquali ubique numero, an inæquali. *Si æquali ubique numero*, e. g. duo ad fundationem, duo ad constructionem, duo ad dotationem, ad præsentationem Clerici iterum omnes concurrent æqualiter. Host. *in Summ. hic n. 7.* Roch. de Curte *V. dotavit q. 11. n. 9.* Pirh. *hic n. 48.* Wiest. *n. 9.* *Si verò inæquali*, e. g. unus fundavit, duo dotârunt, tres construxerunt, tria habebunt Vota, quorum unum fundanti, alterum dotantibus, tertium construentibus competet.

§5 3. Casu, quo unus Ecclesiam simul fundat, & construit, alter solummodo dotat, utrique quidem Jus Patronatûs competit, ita tamen, ut primus duas habeat voces ad præsentandum Clericum, alter duntaxat unam. Quod eriam dicendum, si unus fundet, & dotet, duo, vel tres, aut plures alij construant; nam eo casu prior solus duas habebit voces, reliqui unam duntaxat. Lambertin. *l. 1. de Jur. Patron. p. 1. q. 3. art. 8. n. 10. & 33.* Engl *hic n. 19. fin.* Wiest. *n. 36.* Rationem dant; quia his casibus in unum concurrunt duæ causæ, si duo Jura, quorum quodlibet, producit jus dandæ vocis, in altero verò, vel reliquis una solùm datur causa, & titulus. atqui juxta communem, & passim receptam Juris Maximam, quando duæ causæ, seu Jura ejusmodi concurrunt in una persona, tunc duæ voces eidem competunt; quando una in pluribus, una etiam vox pluribus competit. ergo &c.

4. Quando plures simul concurrunt §6 ex eodem capite, non attenditur, quantum quisque contulerit, modò omnes tantùm contulerint, quantum sufficit ad fundandam, construendam, & dotandam Ecclesiam. Et hinc æquales habent voces ex capite constructionis, quorum unus construxit tres Ecclesiæ angulos, alter unum duntaxat. Item ex capite dotationis, quorum unus duas, alter tertiam solummodo partem contulit, modò uterque simul dotem sufficientem, & competentem dederit. Et hinc disparitas est inter eum, qui fundat, & construit, & inter eum, qui majorem partem expensarum ad constructionem, vel dotationem confert; nam, ut paulò antea dictum est, in fundante, & construente duo concurrunt diversi tituli fundationis, & constructionis; at in conferente majorem partem expensarum ad constructionem cum reliquis simul construentibus unus, idémque titulus repetitur: hinc una solùm vox utrique construenti competet, etsi plus conferenti competat pinguior, & saltem casu, quo gratificationi locus est, voci minus conferentis sit præferenda. Gloss. *in can. quicunque 30. V. aliquid caus. 16. q. 7.* Abb. *ad Rubr. h. tit. num. 6.* Azor *p. 2. l. 6. c. 19. q. 6.* Lambertin. *art. 8. cit. n. 11. & 13.* Garc. *p. 5. de Benef. c. 9. n. 52. & 54.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 2.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 2. n. 6.* Clericat. *de Benef. discord. 4. n. 16.* Engl *hic n. 21.* Pirh. *n. 6.* Schamb. *n. 11.* Wiest. *n. 36.*

§7 5. Si unus tantùm dotet Ecclesiam, non tamen sufficienter ad alendos Ministros Ecclesiæ, & luminaria &c. Benefactor solùm dicetur, non Patronus; quia ut titulo dotationis acquiratur Jus Patronatûs, requiritur, ut illa sit sufficiens. Imò etiam fundantis, & construentis Jus Patronatûs suspendetur, nec consecrari Ecclesia talis poterit, nisi competenter dotata fuerit per *c. cùm sicut 8. de consecr. Eccl. vel Altar.* Monacell. *formul. p. 1. form. 10. n. 4. tit. 6.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 28. n. 7.* & hoc teste respondit *S. Congr. Concil. Nullius Galeatæ 27. Nov. 1694.* *Neque obstat*, quòd Ecclesia ex sola fundatione, & constructione de non esse ad esse deducta sit, adeoque videatur hoc casu saltem fundans, & construens esse Patronus; quia ut *l. cit.* advertit Matthæuccius, dote nondum assignata, quoad effectum acquirendi Jus Patronatûs de non esse ad esse solùm deducitur incompletè, & contra Juris prohibitionem.

§8 Quæritur 10. an Jus Patronatûs acquiri, vel constitui possit etiam post consecrationem Ecclesiæ? Negat Gloss. *in can. piæ mentis 26. V. eod. caus. 16. q. 7.* tum quia Patronus est quasi Pater dictus, qui rem à non esse ad esse perducit; tum quia Jus Patronatûs est quasi servitus, seu onus quoddam, quod rei Sacræ imponi non potest *l. caveri 4. ff. commun. prædior.*

Sed distinguendum est, an Ecclesia talis jam sit sufficienter dotata, an non. *Si primum*, is, qui post primam dotationem agros, & quæcunque bona Ecclesiæ donat, etiamsi ea conditione donet, ut fundi dotales fiant, Benefactor duntaxat Ecclesiæ, non Patronus censetur, quanquam id, quod donatum est, plus sit, quàm quod primitus in dotem datum

tum est, cùm dotantes non propter quantitatem rei donatæ Patroni dicantur, sed quia ipsam Ecclesiam quodammodo à non esse ad esse perducunt, quod non facit, qui dotem Ecclesiæ jam sufficienter dotatæ auget. König *hìc n. 14.*

59 *Si secundum*, iterum distinguendum est, an talis Ecclesia omnino non sit dotata, an verò dotata quidem, sed non sufficienter. *Si prius*, is, qui Ecclesiæ constructæ, sed necdum dotatæ post ejus consecrationem dotem assignat, fit Patronus ejusdem, modò cum consensu Episcopi hoc fiat; quia favore Ecclesiæ dotatio retrotrahitur ad tempus constructionis, & Ecclesia fingitur dotata ante consecrationem, sicut subsequens Matrimonium retrotrahitur ad effectum legitimandi liberos illegitimos *c. tanta 6. qui fil. legit.* Abb. *in c. quoniam 3. h. tit. n. 9.* Azor *p. 2. l. 6. c. 19. q. 8.* Garc. *p. 5. de Benef. c. 9. n. 55.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 3.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 2. n. 7.* Pirh. *hìc n. 10.* König *n. 14.* Matthæucc. *c. 28. cit. n. 8.* Procedit autem hoc solùm casu, quo is, qui Ecclesiam fundavit, vel construxit sine dote, mortuus est, vel ad eum commodè accessus non patet; nam si hic desuper consultus velit Patronus esse, simul cum dotante Patronus fiet. Azor, Pirhing. *l. citt.*

60 *Si posterius* contingat, & dos solummodo augeatur, cum Matthæuccio *l. cit. n. 11.* considerandum, in qua quantitate, & qua mente augmentum hoc fiat; nam siquis modicum daret, non acquireret Jus Patronatûs, ut notat Gloss. *in can. quicunque caus. 16. q. 7.* Similiter siquis conferat aliquid in notabili quantitate, non tamen in dotem, sed in vim donationis, non dotator, sed ditator, & benefactor dicetur. Abb. *in c. quoniam cit. n. 10.* Quare ut ex augmento dotis acquiratur Jus Patronatûs, debet conferri expressè de scientia Ordinarij in dotis augmentum, & in summa excedente medietatem dotis juxta sensum *Rotæ coram Ninoto decis. 73. n. 5.* & *coram Cerro decis. 526. n. 3.* & *4.* apud Matthæucc. *n. 11.*

Ex quo sequitur *ad 1. Argumentum n. 58.* propositum; dicendum enim, antequã Ecclesia sufficienter dotata sit, in ordine ad acquirendum Jus Patronatûs eam nondum perfectè deductam de non esse ad esse. *Ad 2.* onus hoc, quo premitur Ecclesia occasione Juris Patronatûs, exsurgere ex dispositione Juris, hoc Jus concedentis omnibus, qui Ecclesiam fundaverint, construxerint, vel dotaverint.

61 Quæritur 11. an casu, quo Ecclesia omnino diruta restauratur, aut amissa omnino priore dote, dotatur denuo, Jus Patronatûs in illa habeat is, qui prior illam construxit, vel dotavit, an verò, qui restauravit, vel redotavit? 2. illud competere posteriori, non priori. Ita Host. *in c. quoniam 3. h. tit. n. 3.* Joan. Andr. *ibid. n. 12.* Garc. *p. 5. de Benef. c. 9. n. 51.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 3.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 2. n. 5.* Clericat. *de Benef. Discord. 4. n. 8.* Matthæucc. *in Offic. Eccl. c. 28. n. 10.* Vallens. *hic §. 1. n. 3.* Zœs. *n. 6.* Honor. *n. 4.* Engl *n. 26.* Pirh. *n. 8. not. 3.* König *n. 13.* Wiest *n. 25.*

Ratio de primo ædificante, vel *dotante* est; quia per omnimodam destructionem Ecclesiæ, & dotis interitum Jus Patronatûs amissum, extinctúmque est, atqui obligatio, & jus semel extinctum in perpetuum non revivisci *l. qui res 98. §. aream 8. ff. de solution.* Et hoc verum est, etiamsi restauretur Ecclesia ab alio ex eadem materia; adhuc enim primus ædificator amittit Jus Patronatûs, ut *l. citt.* notant Vallens. Pirh. & alij. Quod tamen intelligendum est, quatenus hoc Jus illi competierat ex constructione; nam si præterea Ecclesiam ipse etiam fundavit, vel dotavit, quamdiu fundus, aut dos salva manet, prior Patronus in Ecclesia reædificata Jus Patronatûs retinet, & concurret tunc cum reparante, ut bene Abb. *in c. quoniam 3. h. tit. n. 11.* Fagnan. *ibid. n. 59. & 60.* Zœs. *hic num. 6.* Pirh. *n. 9.* Rationem dat Abb. *l. cit.* quia si duæ, vel plures causæ concurrunt ad aliquem effectum, quarum quælibet per se sufficit, non extinguitur effectus propter defectum alterius causæ tantùm.

Ratio de secundo construente, & 62
dotante est; quia Ecclesiam omnino dirutam restaurare, & eam nova dote instruere non minus est, quàm eam construere, & dotare ab initio. Igitur ita restaurans, & dotans pro ejusdem Patrono habetur. Ut tamen huic acquiratur eo casu Jus Patronatûs, tria omnino requiruntur. 1. Ut reædificatio, & novæ dotis constitutio fiat de licentia Diœcesani cum conditione acquirendi Jus Patronatûs; nam si sine consensu ejusdem fiat, sicut primò ædificans sine eo consensu non acquirit Jus Patronatûs, ita neque reædificans. Matthæucc. *in Offic. Eccl. c. 28. n. 10.* 2. Ut prior Patronus de hac re monitus, in reædificationem, & dotationem novam ab alio faciendam consentiat; tunc enim censetur renuntiâsse Juri suo. Æquum proinde erit, ut Episcopus, priusquam consensum det in ædificationem ab alio faciendam, ea de re moneat antiquum Ecclesiæ Patronum, eumque id facere volentem admittat præ quovis extraneo. Garc. *p. 5. de Benef. c. 5. n. 51.* Schamb. *hic n. 12.* König. *n. 13.* 3. ut Ecclesia sit omnino diruta, vel prior dos omnino amissa; nam is, qui non omnino dirutam suis sumptibus reparat, aut dotis augmento eidem assignato ditat, per hoc Jus Patronatûs non consequitur. Zerol. *prax. Episc. p. 2. v. Jus Patronatûs §. 2.* Gonzal. *ad Reg. 8. gloss. 28. n. 53.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 3.* Vallens. *hic §. 1. n. 3.* Zœs. *n. 7.* Honor. *n.*

11. Pirh. *n. 8. not. 3.* Schambog. *n. 12.* Engl *n. 21.* Wieſt. *n. 26.* juxta quos ad acquirendum Jus Patronatûs ex cauſa reædificationis, requiritur, ut ædificium Eccleſiæ, & ex cauſa novæ dotis conſtitutæ, dos antiqua redacta ſit de eſſe ad non eſſe. *Proeditque hoc*, etſi Eccleſia per partes ita ſit reædificata, ut denique tota nova ſit facta; non enim propterea primus extructor deſinit Patronus eſſe, cùm eadem adhuc moraliter cenſeatur eſſe Eccleſia *arg. l. quid tamen 10. §. non tantùm 1. ff. planè ff. quib. mod. Uſusfr. amitt.*

63 Quæritur 12. an ſiquis in fundo alieno, inſcio, aut invito domino, extruat Eccleſiam, Jus Patronatûs acquiratur ædificanti, an verò domino fundi? Videtur acquiri domino fundi; *quia omne, quod inædificatur, ſolo cedit*, ut ait Cajus *l. adeo 7. §. cùm in ſuo 10. ff. de acquir. rer. domin.*

Sed dicendum, Jus Patronatûs Eccleſiæ ædificatæ in alieno ſolo acquiri conſtructori, non domino fundi, qui tamen poteſt Eccleſiam, in ſuo fundo ædificatam ipſo inſcio, & invito, propria authoritate deſtruere, vel occupare, ſi nondum conſecrata ſit *arg. c. intelleximus 1. & c. ſeq. de nov. oper. nunt. l. quemadmodum 29. §. ſi protectum meum 1. ¶. aliud eſt ff. ad Leg. Aquil. l. ſed ſi 27. pr. ff. de ſervit. præd. urb.* neque enim per ædificationem Eccleſiæ domino invito, vel inſcio auferri debet dominium fundi ſui; id enim, quod noſtrûm eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt.

Dixi *inſcio, aut invito domino fundi*; 64
nam ſi ædificationem ita factam dominus fundi poſtea ratam habeat, tam ipſe, quàm conſtructor erunt Patroni, ipſe quidem ratione fundi, conſtructor ratione conſtructionis. Vivian. *de Jur. Patron. p. 1. l. 2. c. 2. n. 12.* Addidi, *poſſe dominum fundi Eccleſiam, ſe inſcio, aut invito in fundo ſuo ædificatam, propria authoritate occupare, vel deſtruere, ſi nondum ſit conſecrata.* nam ſi conſecrata jam ſit, iſtud non poteſt, licèt æſtimatio fundi à conſtruente ſolvenda ſit domino *arg. can. comperimus 2. cauſ. 14. q. 6.* Abb. *in c. 1. n. ult. de nov. oper. nunt.* Vivian. *l. cit. n. 13.* Pirh. *n. 13.*

Ad Rationem in contrarium allatam dico, Jura non acquiri invitis; conſ. nec Jus Patronatûs.

§. III.

De Perſonis, quibus competit Jus Patronatûs.

SUMMARIUM.

65. *Juris Patronatûs capaces ſunt omnes, qui Jure non prohibentur.*
66. *Excipiuntur Judæi, & Infideles.*
67. *Item Hæretici.*
68. *Defacto tamen in Germania admittuntur præſentationes iſtorum.*
69. *Excommunicatus Jus præſentandi retinet.*
70. *Eſtque præſentatio ab eo facta probabiliùs valida, licèt eam Epiſcopus non teneatur admittere.*
71. *Solvitur ratio dubitandi.*
72. *Ejusdem capaces ſunt Laici.*
73. *Etiam Illegitimi, & Spurij.*
74. *Item Pupilli, & Minores.*
75. *Valet præſentatio à Pupillo facta etiam ſine authoritate Tutoris. Curator non poteſt ſe immiſcere in præſentatione, quæ Minori competit.*
76. *Nec Pater in ea, quæ competit filio, niſi quando Jus Patronatûs annexum eſt bonis adventitijs.*
77. 78. 79. *An fœminæ Juris Patronatûs capaces ſint?*
80. 81. 82. 83. 84. *An Jus Patronatûs competens fœminæ, ſi illa nubat, ad maritum tranſeat?*
85. *An fieri præſentatio validè poſſit etiam à mero poſſeſſore iſtius Juris?*
86. *Quid ſi lis mota ei ſit ſuper proprietate hujus Juris? Ratio dubitandi.*
87. *Reſolvitur affirmativa.*
88. *Reſpondetur ad Argumenta contraria.*
89. *An Jus Patronatûs, vel exercitium ejus competat etiam Conductori Villæ, aut Caſtri, cui annexum eſt Jus Patronatûs?*
90. *Quid ſi Locatio ſolum facta ſit ad tempus modicum?*
91. *Utrum Jus iſtud competat Creditori, habenti Caſtrum tale in Pignus?*
92. *Reſpondetur ad Replicam.*

65 EDictum de Jure Patronatûs prohibitorium eſt; conſ. pro Regula ponitur, quòd ex fundatione, dotatione, conſtructione omnes illud poſſint acquirere, qui non ſunt à Jure ſpecificè prohibiti. Dubium moveri de varijs generibus perſonarum poteſt. Et hinc.

Quæritur 1. an Juris Patronatûs capaces ſint Infideles, & Judæi? *Ratio dubitandi eſt*, quia poſſunt & ipſi fundare, conſtruere, dotare Eccleſias; item poſſunt acquirere caſtra, & alia loca, quibus Jus Patronatûs annexum eſt.

Verùm tenenda eſt negativa ſen- 66
tentia; cum Gloſſ. *in can. Frigentius 27. V. qui Chriſtianis cauſ. 16. q. 7.* Lambertin. *de Jur. Patron. l. 1. p. 1. q. 5. art. 8. n. 1. & 2.* Azor *p. 2. l. 6. c. 21. q. 7.* Vivian. *prax. Jur.*

Jur. Patr. l. 2. c. 6. n. 11. Pal. *tr. 13. D. 2. p. 4. n. 19.* Fagnan. *in c. nobis 25. h. tit. n. 9.* Vallenſ. *hic §. 1. n. 4. fin.* Pirh. *hic n. 20.* Schamb. *n. 20.* König *n. 24.* Wieſt. *n. 43.* Ratio eſt; quia, ut ſuprà inſinuatum eſt, Jus Patronatûs Eccleſiæ favore competit, atqui ab iſta capaces illius facti ſunt ſoli Chriſtiani *can. piæ 26.* ibi, *Qui omni Chriſtiano debetur, can. Frigentius 27.* junct. Gloſſ. *V. Qui Chriſtianis, can. quicunque fidelium 30. &c. cauſ. 16. q. 7.* ergo &c. Si tamen Infidelis, vel Judæus fundet Eccleſiam, tenetur illam dotare. Fagnan. Pirh. *l. citt.*

Ex quo cadit Ratio dubitandi, & ſequitur, caſu, quo infidelis, vel Judæus Eccleſiam, aut Capellam aliquam fundat, dotat, conſtruit, Eccleſiam illam, vel Capellam fore liberam: qualis etiam ſit, ſi Caſtrum, vel alium locum acquirat, cui annexum eſt Jus Patronatûs.

67 Quæritur 2. an hujus Juris capaces ſint Hæretici? Videntur capaces eſſe; quia ſunt Chriſtiani, & baptizati. Et *confirmatur* à pari cum Cognatione Spirituali, quam baptizando infantem, aut ex Baptiſmo levando & ipſi contrahunt.

Sed dicendum, de Jure Jus Patronatûs Hæreticis non competere. Ita Joan. Andr. *in c. nobis 25. h. tit. n. 3* Abb. *ibid. n. 3.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 21. q. 8.* Vivian. *prax. Jur. Patron. c. 6. n. 12.* Vallenſ. §. *1. h. tit. n. 4. fin.* Pirh. *n. 20.* Schamb. *n. 20.* König *n. 24.* Wieſt. *n. 44. Ratio eſt*; quia Jus Patronatûs eſt poteſtas, & honor Eccleſiaſticus, conceſſus ſpeciali gratiâ, & favore Eccleſiæ: quo cùm indigni vel maximè ſint Hæretici, tanquam ejus contemptores, & impugnatores, credibile non eſt Juris Patronatûs conceſſionem etiam ad ipſos pertinere. Accedit; quia omnia bona Hæretici ipſo Jure confiſcantur *c. cùm ſecundùm 19. de Hæret. in 6.* & conſ. etiam Jus Patronatûs ad fiſcum tranſit. Quare ſi Patronus in Hæreſim lapſus præſentavit, alia præſentatio fieri debet: ſi tamen poſtea ad Catholicam Fidem reverſus fuerit, recuperat Jus Patronatûs, niſi per ſententiam ſit privatus, ac damnatus ob Hæreſim. Gloſſ. *in can. maximum 19. V. dignitate cauſ. 1. q. 7.*

68 Dixi *de Jure*; nam defacto ex Summi Pontificis, & Prælatorum Eccleſiaſticorum conniventia in Germania noſtra admittuntur etiam præſentationes ab Hæreticis factæ, modò Clericus ab ipſis præſentatus idoneus ſit.

Ad Rationem dubitandi. Hæretici Chriſtiani quidem ſunt, ſed non propriè fideles; quia, ut cum S. Thom. *2. 2. q. 10. art. 5. in Corp.* notant TT. etiam Hæreſis peccatum, & ſpecies Infidelitatis eſt. *Ad Conf.* negatur paritas; quia Cognatio Spiritualis ex Baptiſmo ſpecialis gratiæ, & favoris rationem non habet.

Quæritur 3. an Patronus excommu- 69
nicatus Jus Patronatûs retineat, & exercere illud præſentando Clericum ad Eccleſiam vacantem poſſit? *Certum eſt* ipſo Patronatu, ante Excommunicationem, ratione fundationis, conſtructionis, dotationis ſibi quæſito, per Excommunicationem non privari; quia privatio hæc nullo Jure ſtatuta eſt. Vivian. *prax. Jur. Patron. l. 2. c. 6. n. 20.*

Dubium eſt, an præſentatio ab eodem facta ſit valida? Negant valere, etiam à Laico Patrono factam, Lambertin. *de Jure Patron. p. 1. l. 2. q. 2. art. 2.* Covar. *in c. Alma p. 1. §. 7. n. 9.* Pirh. *hic n. 21.* Schambog. *n. 20. ibid. ℣. 12. Effectus.* Rationem dant; quia ejusmodi præſentatione Superiori oblatâ præſentato acquiritur Jus ad Beneficium. atqui Excommunicatus Jus Eccleſiaſticum concedendi facultatem non habet, ut cum *citt.* tradit Pal. *tr. 29. D. 2. p. 13. n. 15.* ergo &c. Contrà Rochus de Curte *V. competens q. 8. n. 22.* & ex hoc Zœſ. *n. 59. hic* diſtinguunt inter Patronum Laicum, & Clericum, & dicunt illius præſentationem valere, hujus non valere. Rationem diſparitatis afferunt; quia Patroni Eccleſiaſtici præſentatio vim Electionis habet, ut notat Fagnan. *in c. cùm autem 24. h. tit. n. 18.* electio autem ab Excommunicato vitando facta eſt irrita *c. un. ne Sed. vacant. in 6.* ergo &c.

Sed dicendum, probabiliùs utriusque 70
præſentationem eſſe validam, quamvis eam Epiſcopus non teneatur admittere. Ita Ugolin. *de Cenſur. tab. 2. c. 13. §. 2. n. 13.* Garc. *de Benef. p. 5. c. 4. n. 317.* Wieſt. *hic n. 46.* Ratio eſt; quia pariter nullo Juris textu præſentatio talis valore ſuo privatur, debent autem actus pronuntiari validi, qui non conſtant eſſe invalidi, ergo &c. Addidi, *Epiſcopum non teneri, præſentationem ab Excommunicato factam admittere*: ubi diſtinguendum eſt inter caſum, quo Patronus præſentans eſt Excommunicatus toleratus, & inter caſum, quo eſt vitandus. In *primo caſu* poteſt, ſed non debet: in *ſecundo* nec poteſt licitè admittere præſentationem; quia communicaret cum Excommunicato, cum quo, ſi toleratus ſit, communicatio eſt licita, ſi vitandus illicita. Hinc utroque caſu differri admiſſio præſentationis poteſt, & meliùs differtur etiam ipſa præſentatio, dum Patronus abſolvatur ab Excommunicatione, quod usque dum fiat, niſi in mora petendæ abſolutionis ſit, tempus non currit, ut *infrà §. 6.* dicetur. *Excipitur*, niſi urgeat neceſſitas: cujusmodi in caſu propoſito foret, ſi non admiſſa præſentatione, diuturna, & Eccleſiæ damnoſa vacatio induceretur.

Ad Argumentum primæ Sententiæ di- 71
co, per ejusmodi præſentationem non tribui Jus firmum, cùm eâ factâ, ſit locus variatio-

riationi, si à Patrono Laico facta sit *c. quod autem 5.* & *c. cùm autem 24. h. tit.* *Ad Argumentum secundæ* negatur paritas; imprimis enim per Electionem acquiritur electo jus firmum: deinde talis præsentatio non est actus Jurisdictionis, vel Officij Ecclesiastici, à quo solo per Excommunicationem Excommunicatus suspenditur.

72 Quæritur 4. an Laici sint capaces Juris Patronatûs? *Ratio dubitandi est*; quia non sunt capaces Juris eligendi. Sed tenenda est affirmativa sententia, prout patet ex *c. fin. de conceſſ Præbend.* & *c. ex litteris 7. h. tit.*

Estque id verum, etsi illegitimi illi sint, vel etiam Spurij; quia etiam hi à Jure excepti non reperiuntur, & possidere possunt castra, villas, & alia loca habentia annexum Jus Patronatûs: item possunt fundare, erigere, dotare Ecclesias, & Beneficia Ecclesiastica: quod facientibus generaliter, & indistinctè SS. Canones Jus Patronatûs indulgent. Roch. de Curte *de Jur. Patron. V. competens q. 2.* Lambertin. *de Jur. Patron. l. 1. p. 1. q. 7. art. 13.* Azor *p. 2. l. 6. c. 21. q. 15.* Vivian. *prax. Jur. Patron. l. 2. c. 6. n. 28.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 18.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 4. n. 23.* Engl *hic n. 10.* Pirh. *n. 19.* König *n. 23.* Wiest. *n. 42.*

Neque obstat, quòd illegitimus & spurius sit incapax honorum, Beneficiorum, & Officiorum publicorum; nam hoc solummodo verum est de officijs, & honoribus verè publicis, maximè illis, quæ per electionem, & optionem publicam acquiruntur, non verò de impropriè dictis, & in aliquam remunerationem, & compensationem primordialiter concessis.

73 *Ad Rationem dubitandi* negatur paritas; nam 1. Jus eligendi est simpliciter Spirituali annexum, ut dictum est *suprà n. 4.* 2. vi Electionis electo acquiritur Jus absolutum ad Prælaturam, vel Beneficium; tale Jus non acquiritur præsentato per præsentationem, cùm recedi ab ea valeat. 3. Juris eligendi ad Beneficia Ecclesiastica Laici sine dispensatione Apostolica absolutè sunt incapaces; at verò ad Jus Patronatûs obtinendum generaliter habilitati sunt à Jure Canonico.

74 Quæritur 5. an Juris Patronatûs capaces sint Pupilli, & Minores? *Ratio dubitandi est*; quia non videntur habere ad illud sufficientem usum rationis, & maturitatem Judicij. Sed distinguendum est inter Jus Patronatûs, & exercitium illius. Juris Patronatûs certò capaces sunt, sicut capaces sunt Legati, & hæreditatis, quibus Jus Patronatûs annexum est. Ita Abb. *in c. 1. h. tit. n. 4.* Joan. Andr. *in c. cùm ex eo 34. de Elect. in 6.* Azor *p. 2. l. 6. c. 21. q. 14.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. q. 7. n. 18.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 4. n. 20.* Vivian. *de Jur. Patron. l. 2. c. 6. n. 29.* Pirh. *hic n. 17. & 18.* Schambog. *n. 15.* König *n. 22.*

Quoad exercitium illius adhibenda est secunda distinctio, & videndum, an is, qui Jus Patronatûs habet, sit adhuc infans, seu septenni minor, an hac ætate major. *Si primum* (quod etiam dicendum de furioso) præsentatio non ab ipso, sed à Tutore est facienda. Roch. de Curte *V. competens q. 3. n. 12.* Garc. *p. 5. de Benef. c. 9. n. 193.* Azor *q. 14. cit.* Pal. *n. 21.* Vall. *hic §. 5. n. 4.* Zœs. *n. 40.* Pirh. *n. 18.* Schamb. *n. 17.* König *n. 22.* Wiest. *n. 48.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de reb. Eccl. c. 3. n. 99.* & probat Ratio dubitandi allata. *Si secundum*, utendum est tertia distinctione, an scilicet adhuc intra annos impubertatis sit constitutus, an verò jam pubertatem adeptus.

Si constitutus est adhuc intra annos impubertatis, conveniret quidem præsentationem ab eo fieri, interveniente authoritate Tutoris; si tamen sine hac Pupillus præsentaverit dignum, præsentatio valet, cùm nullo Jure sit cautum, quòd authoritas Tutoris requiratur ad præsentationem validam: imò si Tutor præsentaverit alium, huic, quamvis digniori, præsentatus à pupillo, modò sit dignus, præfertur; tum quia Pupillus est quasi dominus hujus Juris, & constitutus in hac ætate etiam Sponsalia de futuro per se contrahere potest *tot. tit. de Desponſ. impub.* tum verò, quia sicut patria, ita nec tutoria potestas in Spiritualibus locum habet per ea, quæ notantur *in c. fin. de Judic. in 6.* Quodsi tamen Tutor aliquem præsentet: & Pupillus septennio major non contradicat expressè, vel tacitè alium præsentando, præsentatio ab eo facta valebit. Schambog. *n. 18.* 75

Si verò jam pubertatem adeptus sit, nequaquam se immiscere in præsentatione Curator potest, etsi Patronus adhuc sit minor; quia hic non ad regendam personam, sed ad bona temporalia solum administranda Minori datur: imò præsentatio ab eo facta, sine mandato Patroni, invalida est. Gutier. *de Tutel. p. 3. c. 20. n. 14.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 18.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de reb. Eccl. c. 3. n. 99.* cum *citt.*

Idem, quod dictum est de Curatore, & Tutore, dicendum est de Patre respectu filij, dum sub ejus est potestate; nam dum impubes est filius, potest præsentare Pater ad Beneficia Juris Patronatûs competentis filio, quòd toto eo tempore personæ filij administrationem habeat. Secus verò post pubertatem; quia tunc cessat administratio personæ filij, & solùm patri conceditur in ejus bonis, & quidem temporalibus tantùm: nam ad Spiritualia potestas Patria non extenditur, cùm in his Filiusfamilias sit sui Juris. Garc. *c. 9. cit. n. 198.* Pal. *p. 4. cit. n. 22.* Schamb. *hic n. 19.* Sed neque potest Pa- 76

ter

ter præsentare pro filio, tanquam persona conjuncta, etiam cum cautione de rato; tum quia ad præsentandum requiritur speciale mandatum; tum quia in causa Spirituali, qualis est ista, etiam pater, vel alia persona conjuncta non admittitur sine mandato, quamvis cautionem de rato dederint, nisi fieret ratificatio intra tempus datum ad præsentandum. Pirh. *hic n. 20. Excipitur*, si jus Patronatûs sit annexum bonis filij adventitijs; horum enim sicut Ususfructus, sic etiam annexi Juris Patronatûs exercitium ad Patrem spectat. Pal. *l. cit.*

77 Quæritur 6. an Juris Patronatûs capaces sint etiam fœminæ? *Ratio dubitandi est*; quia Patrono ex officio suo incumbit cura, & tuitio Ecclesiæ *can. filijs 31.* & *can. seq. caus. 16. q. 7* hæc autem non cadit in fœminam; quia aliena defensio est officium virile *l. alienam 18. C. de Procur* & publicum officium *pr. Inst. de excusat. Tutor.* à quo fœminæ removentur *l. fœminæ 2 ff. de R. I. Conf.* nam ut viribus, ita etiam judicio, consilióque sunt tenui, & imbecilli, adeo, ut *adversus commoda propria* earum plerumque *inveniatur laborare consilium*, ut *l si pater 4. C. de Sponsal.* testantur Honorius, & Arcadius Impp. ergo multo minùs aptæ sunt, ut tueantur, & defendant res, & Jura aliena.

78 Sed tenenda est affirmativa Sententia, quam cum communi defendunt Abb. *in c. fin. de concess. præbend. n. 2.* & *in c. 1. h. tit. n. 3.* Azor *p. 2. l. 6. c. 21. q. 10.* Garc. *p. 5. de Benef. c. 9. n. 142.* Vivian. *in prax. Jur. Patron. l. 2. c. 6. n. 2.* Barbos. *in c. ex litteris 7. h. tit. n. 12.* Engl *hic n. 10.* Pirh. *n. 16.* Schamb. *n. 15.* König *n. 20.* Wiest. *n. 52.* Patet de fœminis Regularibus *c. ex litteris cit.* de Sæcularibus *c. fin. cit.* Ratio est; quia SS. Canones honorant Patronatu Christianos fideles omnes sine ullo sexûs discrimine *can. piæ 26. can. Frigentius 27.* & *can. quicunque 30. caus. 16. q. 7.* igitur cùm fœminæ administrationis, & curæ Ecclesiasticæ nullo Jure factæ sint incapaces, etiam ipsæ sub generalitate hac comprehendentur. Hinc si Jus Patronatûs sit Hæreditarium, imò etiam Gentilitium, fœmina quoque in eo succedet; quia, ut Riccius *prax. p. 1. resol. 169.* notat, Jus quæsitum sub hac forma, *Mihi, & fratribus, ac eorum hæredibus* etiam Sorores complectitur *l. tres fratres 25.* & *ibi* Gloss. *ff. de pact.* König *n. 20.*

79 *Ad Rationem dubitandi* dico illam in præsenti casu non habere locum; quia contrarium satis constat ex Lege Canonica: & esto, per seipsas exercere curam, tuitionémque non possent, poterunt saltem per alios. *Ad Conf.* id probat nimium; probat enim, quòd universim ab administratione publica removendæ sint fœminæ, cùm tamen ad eandem Reginas admittant Jura Civilia, Abbatissas SS. Canones.

80 Quæritur 7. an casu, quo fœminæ Jus Patronatûs competit, illud penes eandem maneat, si nubat, an verò ad virum ipsius transeat? *Certum est*, ad virum non transire, si Jus illud sit merè personale, vel annexum Paraphernalibus. Gutier. *de Tutel. p. 3. c. 29. n. 4.* Garc. *p. 5. de Benef. c. 9. n. 185.* Vivian. *prax. Jur. Patron. l. 2. c. 6. n. 8.* Schamb. *n. 16. hic.* Wiest. *n. 53.* & ratio de personali Jure est; quia adhæret personæ: de annexo paraphernalibus; quia ista ad maritum non transeunt, conf. nec Jus Patronatûs ijs annexum.

81 *Controversia* inter DD. est de Jure Patronatûs annexo bonis, v. g. villæ, aut castro, marito in dotem datis; nam tres sunt sententiæ. *Prima* cum Felin. *in c. cùm olim 14. de major. n. 2.* Abb. *in c. fin. de concess. Præb. n. 8.* Jason. *in l. divortio §. si vir in fundo n. 7. ff. solut. matr.* Azor *p. 2. l. 6. c. 21. q. 16.* König *hic n. 21.* Jus Patronatûs eo casu adstruit uxori, ex ratione; quia verum dominium naturale dotis penes uxorem remanet *l. in rebus 30. C. de Jur. dot.* ibi, *Cùm eædem res & ab initio uxoris fuerint*, & *naturaliter in ejus permanserint dominio*, & *l. quamvis 75. ff. eod.* ubi Tryphoninus, *Quamvis*, inquit, *in bonis mariti dos sit, mulieris tamen est.* Neque obstare debet, quòd præsentare sit quidam fructus, & emolumentum Juris Patronatûs; fructus autem, & emolumenta rerum dotalium ad maritum spectent. Nam hoc intelligendum dicunt de fructibus, & commoditatibus, quæ ad sustinenda Matrimonij onera deservire possunt, cùm ad finem istum dos concedatur. talis autem fructus non est Jus Patronatûs, cùm non sit pecuniâ æstimabilis, sed quidam honor, igitur mirum esse non debet, si hujusmodi fructus cum dote ad maritum non transeat.

82 *Secunda sententia* cum Covar. *pract. qq. c. 38. per totum*, & Pal. *tr. 13. D. 2 p. 4. n. 29.* distinguit: Vel enim, inquiunt, bona in dotem à marito data sunt æstimata æstimatione, quæ facit emptionem, vel nullâ, aut eâ tantùm æstimatione, quæ emptionem non facit. *Si prius*, concedunt Jus Patronatûs, ejúsque exercitium non uxori, sed marito competere; quia hic bonorum ita datorum fit dominus, ideoque soluto Matrimonio, restituere tenetur non dotem, sed dotis duntaxat æstimationem. *Si posterius*, contendunt, præsentationem competere soli uxori; quia per *l. in rebus*, & *l. quamvis citt.* ad maritum transit sola administratio bonorum dotalium ita acceptorum, & ex his ij duntaxat fructus, qui faciunt ad facilius supportanda onera Matrimonij, cujusmodi fructus non est præsentatio.

83 *Tertia*, & meo judicio verior cum Tiraquell. *ad LL. connub. gloss. ult. à n. 5.* Gutier. *de Tutel. p. 3. c. 29. n. 3.* Garc. *p. 5. de Benef. c. 9. n. 177.* Riccio *prax. for. Eccl. decis. 123.* Paul. de Cittadin. *p. 6. art. 5. n.*

70. Petr. Barbos. *in l. divortio 7. §. si vir 13. ff solut. matr. n. 57.* August. Barbos. *l. 3. Jur. Eccl. c. 12. n. 223.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. q. 7. n. 18.* Vivian. *prax. Jur. Patron. l. 2. c. 6. n. 7.* Zoes. *hic n. 36.* Engl *n. 23. not. 6.* Pirh. *n. 17.* Jus Patronatûs hoc casu dicit transire ad maritum, & huic soli competere, stante Matrimonio. *Ratio est 1.* quia rerum dotalium non solùm fructus, sed fictione Juris etiam ipsum dominium, saltem Civile, penes maritum est quoad omnes effectus Jure non exceptos *arg. l dote 9. C. de R. V.* ut cum Gloss *in l. in rebus cit. V. naturali* docent *ibid.* Bartol. *n. 3.* & Bald. *n. 6.* 2. accessorium sequitur principale, nisi fiat exceptio, atqui Jus Patronatûs accessoriè se habet ad rem dotalem, cui annexum est, ergo hac in maritum translata, ad eundem etiam Jus Patronatûs transfertur. 3. rei dotalis fructus, & emolumenta ad maritum spectant *c. per vestras 7. de Donat. int. vir. & uxor* & *c. salubriter 16. de Usur.* est autem Jus Patronatûs, annexum rei dotali, quasi fructus, & emolumentum rei dotalis. ergo &c.

84 Neque urgent Argumenta allata pro prima, & secunda sententia. *Ad Argumentum primæ sententiæ* eo solùm probatur, quòd jus hoc ab uxore ad maritum non transferatur stabiliter, sed soluto Matrimonio ob retentionem dominij naturalis ad eandem sit reversurum. *Ad Conf.* qui dominium rei alicujus habet, omnes ex ea fructus percipit, nisi expresè excepti sint. habet autem Maritus dominium rei dotalis, ut *n. præc.* ostensum est. *Neque refert*, quòd Jus istud non sit pretio æstimabile; quia nihilominus est valde oprabile marito posse sibi per præsentationem devincire Clericum. *Ad Argumentum secundæ*, Juris Patronatûs executionem Maritus habet, non quasi deberet conferre aliquid ad Matrimonij onera supportanda, sed quia, translato principali, etiam accessorium transfertur.

85 Quæritur 8. an fieri præsentatio validè possit etiam à mero possessore istius Juris? R. distinguendo inter bonæ, & malæ fidei possessorem. Hic præsentare non potest, ut exploratum est apud omnes. Ille potest, prout constat ex *c. consultationibus 19. h. t.* *Neque refert*, etsi postea detegatur vitium possessionis; nam etiam isto detecto, ab hoc præsentatus, & institutus in suo Beneficio est sustinendus, ut *ibidem* statuitur. *Et ratio est*; quia præsentatio est Juris Patronatûs quidam fructus; fructus autem bonæ fidei possessori debentur, & absumpti non restituuntur, nisi possessor ex illis factus sit locupletior.

86 *Dubium est*, an id procedat etiam, quando super proprietate Juris Patronatûs lis mota est? Gloss. *fin. in c. ex litteris 7. h. tit.* Abb. *ibid. n. 8.* Azor *p. 2. l. 6. c. 21. q. 18.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 19.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 4. n. 26. v. cæterum*, Zoes. *hic n. 43.* putant possessorem quidem etiam tum facere præsentationem posse, ex ratione, quòd bonæ fidei possessor, quamdiu causâ non cadit, commodo possessionis suæ privandus non sit *c. laudabilem 2. ut lit. pendent.* addunt tamen eo casu præsentati institutionem differendam usque ad litis finem; videturque hoc sumi posse ex *c. ex litteris cit.* vi cujus institui potest præsentatus, *antequam de Jure Patronatûs - - - controversia esset suborta* igitur per argumentum à sensu contrario, postquam controversia de eo orta est, non potest institui. *Conf.* quia possessor bonæ fidei post litis contestationem fructus percipit cum onere, & obligatione eos, si causâ cadat, restituendi victori, non potest autem in casu nostro, si Clericus, ab ipso præsentatus ad Beneficium, in hoc institutus jam est; quia legitimè factum irritari non debet, licèt ad casum devenerit, quo fieri, & incipere non potuit *l. nec enim 2. ff. de itin. actuq. privat.* igitur ut restitui possit, institutio præsentati ad litis finem est differenda.

Sed dicendum, etiam lite pendente super proprietate Juris Patronatûs, præsentationem à bonæ fidei possessore fieri, & ab eo præsentatum instituì posse. Ita Innoc. *in c. 7. cit. V. suborta*, Host. *in Summ. hic n. 9.* Roch. de Curt. *V. competens n. 43.* Vivian. *in c. 7. cit. in ration.* Honor. *hic n. 58.* Schamb. *n. 55.* Wiest. *n. 57.* *Ratio est*; quia favor Ecclesiæ, & si Beneficium Curatum sit, etiam animarum exigit, ne rite præsentati Institutio differatur. Accedit; quia in præsentando solùm attenditur possessio Juris Patronatûs *c. cùm Ecclesia. 3. de caus. possess. & propr.* atqui per litis pendentiam possessio non tollitur. ergo &c. 87

Neque contrarium probatur ex *c. ex litteris* allegato in contrarium; nam miles, cujus ibi fit mentio, non fuit in pacifica possessione Juris Patronatûs: imò ut *l. cit.* advertunt P. Engl, & P. Wiestner, verisimiliter satis Jure hoc per actum præsentationis prima vice uti cœpit. *Ad Conf.* re evicta illi tantùm fructus restituendi sunt, qui restitui possunt, salvo Jure possessionis, & qui sunt pretio æstimabiles; non verò illi, qui dominum locupletiorem non reddunt, quale est Jus Patronatûs. 88

Quæritur 9. an Jus Patronatûs, vel exercitium ejus competat etiam conductori Villæ, aut Castri, cui Jus istud annexum est? Satis convenit inter DD. eidem Exercitium Juris Patronatûs competere, si Villa ipsi locata sit ad longum tempus; quia hujusmodi locatione dominium utile transfertur in Conductorem. 89

Diffi-

Difficultas est, si Locatio sit ad modicum tempus. Abb. *in c. ex litteris 7. h. tit. n. 5.* Roch. de Curte *V. ipse, vel is q. 26. n. 54.* Lambertin. *l. 1. p. 2. q. 8. art. 2.* Azor *p. 2. l. 6. c. 20. q. 11.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 20. ¥. porrò*, Fagnan. *in c. ex litteris cit. n. 12.* & alij satis communiter putant, eo casu præsentationem non à Conductore, sed à Locatore faciendam esse, ex ratione; quia hujusmodi locatione non transfertur in Conductorem ullum dominium *l. non solet 39. ff. locati*: imò neque possessio naturalis, sed mera detentio, cùm Jure percipiendi fructus, ut notari solet *ad l. si ut certò 5. § fin. ff. Commodat.* & *l. malè 2. C. de præscript. 30. vel 40. annor.*

Sed probabilius exercitium Juris
90 Patronatûs etiam hoc casu penes Conductorem est. Ita Host. *in c. ex litteris cit. col. ult.* Zabarell. *ibid. q. 1. fin.* Campanill. *Diversor. Jur. Rubr. 11. c. 13. n. 358.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 4. n. 13.* Barbos. *in c. ex litteris cit. n. 4. prop. fin.* Zœs. *hic n. 39.* Wiest. *n. 59. Ratio est 1.* quia Locatio Villæ in casu *c. ex litteris cit.* verisimiliùs facta fuit ad tempus modicum, ut colligitur tum ex ejusdem *cap.* verbis *ad firmam*, seu ad censum annuum, quibus regulariter tempus modicum denotatur; tum verò ex circumstantijs, quia sine solennitatibus facta est, quod tamen fieri ad tempus longum non poterat. 2. Si Beneficium etiam ad breve tempus locetur, Jus decimandi ad Conductorem transit, ergo etiam ad hunc transibit Jus Patronatûs, vel potiùs exercitium illius, si ipsi, quamvis ad breve tempus, locata sit res temporalis, cui annexum est Jus Patronatûs. 3. Ad Conductorem transfertur Jus percipiendi fructus ex villa conducta. ergo etiam ad eundem transferri debet exercitium Juris Patronatûs, quippe quod est accessorium fructibus.

Ex quo patet ad Argumentum oppositum.

Quæritur 10. utrum Jus Patronatûs,
91 annexum Castro, aut Villæ, à debitore in creditorem transeat, casu, quo ille huic Castrum, aut Villam oppignoravit? R. negativè. Ita Gloss. *fin. in c. Cùm Bertholdus 18. de sent. & re judic.* Abb. *in c. 7. h. tit. n. 5.* Azor *p. 2. l. 6. c. 20. q. 13.* Lambertin. *l. 1. p. 2. q. 9. art. 2. n. 3.* Roch. de Curte *V. ipse, vel is n. 6.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 4. n. 14.* Barbos. *l. 3. Jur. Eccl. c. 12. n. 237.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 28. n. 49.* Vallens. *hic §. 4. n. 2.* Engl *ibid. n. 24. not. 7.* Pirh. *n. 82.* Wiest. *n. 168. Ratio est*; quia oppignoratio rei nec dominium, nec possessionem, neque etiam regulariter loquendo jus re oppignorata utendi fruendi transfert, sed solam detentionem pro securitate crediti cum obligatione restituendi fructus interea provenientes ex pignore, vel eosdem computandi in sortem. atqui præsentatio est quidam fructus Juris Patronatûs, & quidem talis, qui nec restitui potest, cum semel ita institutus à Beneficio removeri nequeat; neque computari in sortem, quia Spirituali annexum est, quod pretio temporali æstimari non potest. Supereſt igitur, ut competat præsentatio debitori, & non creditori, Hypothecam, aut pignus possidenti.

Neque obstat, quòd ex generali Re-
92 gula concedens pignus illo uti non possit, cùm ex pignoratitia actione privetur potestate utendi re in pignus data; cons. nec debitor Jure patronatûs, cujus quidam usus est præsentatio. Dicendum enim, debitori solùm illum rei oppignoratæ usum esse prohibitum, qui crediti securitati obest; qui verò non obest, eidem conceditur. atqui usus Juris Patronatûs nequaquam obest securitati crediti, cùm non sit pretio æstimabilis, igitur penes debitorem manebit.

Dixi autem *Regulariter loquendo*; possunt enim etiam Creditori addici fructus pignoris, ut fit, quando res feudalis oppignoratur domino directo, fundus pro dote marito, prædium Beneficiale injustè possessum Clerico Beneficiato. His enim casibus etiam Jus Patronatûs talibus rebus annexum, & præsentatio creditori est adstruenda, ut rectè notat P. Wiestner *hic n. 169.* & ratio est; quia præsentatio est accessoria fructibus, & cons. cum his transit ad eum, cui fructus debentur.

An exercitium Juris Patronatûs etiam competat sequestro, dictum est *Libr. 2. tit. 17. à n. 30.* ubi tenetur Sententia affirmativa.

§. IV.

De Juribus, & Obligatione Patronorum.

SUMMARIUM.

93. *Effectus Juris Patronatûs sunt quatuor.*
94. *Primò* Honor.
95. *Quæ circa hoc observanda?*
96. *An Rector Ecclesiæ indigeat veniâ, quando Patronum vult convenire in Judicio?*
97. *Tenetur Sententia negans.*
98. *Solvuntur opposita.*
99. *Secundò* Onus.
100. *Quid sit Advocatia Ecclesiæ, & quibus competat?*
101. 102. 103. *An Patronus Laicus ratione Juris Patronatûs usurpare possit aliquam Jurisdictionem in Ecclesiam Patronatam?*
104. *Quid dicendum de Patrono Ecclesiastico?*
105. *Tertiò* Utilitas.
106. 107. 108. 109. *Quid requiratur, ut Patronus ab Ecclesia petere alimenta Jure possit?*
110. 111. *An Patronus ratione Juris Patronatûs capere pensionem aliquam ab Ecclesia possit?*
112. *Quartò* Præsentatio.
113. *Quis hujus effectus?*
114. *An requiratur præsentia Patroni?*
115. *Et præsentati?*
116. *Respondetur negativè.*
117. *Solvuntur Argumenta opposita.*
118. 119. 120. *An Collatio Beneficij Patrono contradicente, vel ignorante facta, sit valida?*
121. 122. *Quid Juris, si plures sint Patroni, habentes Jus præsentandi ad idem Beneficium?*

93 PAtronorum Jura, & effectus Juris Patronatûs maximè sunt quatuor, Honor, Onus, Utilitas, Præsentatio: & hinc Jus istud ab Abb. *ad Rubr. hic n. 3.* dicitur Jus honorificum, onerosum, & utile. Gloss. *in c. nobis 25. V. modestè h. tit.* hæc Jura duobus versiculis comprehendit:

Patrono debetur honos, onus utilitásque:
Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.

94 Quæritur 1. qualis *Honor* debeatur Patrono? R. 1. ratione Patronatûs debetur ipsi præ alijs Laicis dignior sedes in Ecclesia, & honoratior locus in Processionibus, suscipienda Pace, & thurificatione, oblatione Palmarum, candelarum &c. ut satis colligitur ex *can. piæ 26. caus. 16. q. 7.* & *c. nobis 25. h. tit.* *Excipitur* dominus temporalis territorij, qui Jurisdictionem contentiosam fori externi ibidem habet; nam hic etiam in Ecclesia Patronata debet præcedere Patronum, præsertim si Jurisdictionem habeat in ipsum patronum. Fagnan. *in c. nobis cit. n. 21. & seqq.* 2. Ei venienti ad Ecclesiam Clerici debent obviare processionaliter, illúmque excipere, dummodo ratione statûs personæ id ei conveniat, ut quia Rex est, aut magnus princeps. Gloss. *magn. in c. un. in notat. h. tit. in 6.* Pirh. *hic n. 36.* 3. potest in Ecclesia patronata, quam dotavit, fundavit, vel construxit suis sumptibus, ponere Arma, & Insignia suæ Familiæ, ut sic Posteri eorum aspectu admoniti, ad similia opera pietatis, alij verò ad orandum pro animis Fundatorum commoveantur. Matthæucc. *in Offic. Eccl. c. 28. n. 5.*

95 Dub. 1. quid circa locum, thurificationem, & pacem patrono dandam sit observandum? R. 1. Sedes patronorum non intra, sed extra Chorum, in digniori tamen loco sunt collocandæ, prout resolvit *S. Congr. Conc. 21. Aug. 1587.* apud Pignatell. *tom. 4. consult. 16. n. 3* & iterum *25. Aug. ejusdem anni in Seguntina* apud eundem *tom. 1. consult. 7. n. 37.* Sed sine Baldachino, etiamsi Dominus temporalis sit, ut patet ex Decreto ejusdem *Congr. edito 22. April. 1690.* ubi injunxit Ordinarijs Regni Neapolitani, ut facerent ea removere ab Ecclesijs suarum Diœcesium tam Sæcularium, quàm Regularium, & quoad Ecclesias Regularium procederent ad Interdicta, & contra inobedientes ad Censuras, authoritate S. Congreg. Monacell. *p. 2. form. 1. tit. 13. n. 6.* 2. In thurificatione, an post, vel ante Dignitates, & Canonicos facienda sit, recurrendum est ad consuetudinem: ad quam etiam recurrendum est circa modum; nam licèt per Regulas ceremoniales Episcoporum triplici ductu debeatur soli Episcopo, vel celebranti, ubi tamen adest immemorabilis consuetudo, alij pariter triplici ductu thurificari possunt, prout declaravit *S. Congr. Rit. in Casertana 18. Sept. 1632.* apud Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 28. n. 3. V. quo verò.* 3. pax Laico patrono, etiamsi Dominus loci sit, primùm est danda post datam pacem omnibus de Choro, & quidem non à Beneficiato, sed ab aliquo Ministro Cotta induto, nec cum osculo, sed cum Instrumento, ut resolvit *S. Congr. in Calaguritana 5. Jul. 1614.* & *in Pacensi 21. Mart. 1609.* apud Pignatell. *consult. 7. cit. n. 30.*

96 Dub. 2. qualis honor debeatur patrono extra Ecclesiam? R. extra Ecclesiam, sicut parentes à liberis, patronus à Liberto, ita ipse ab Ecclesiæ Rectore, vel Ad-

Administratore secundùm DD. est venerandus. Ex quo cum Paul. Cittadin. *de Jur. patron. p. 6. q. 2.* aliqui inferunt, quòd sicut parentes à liberis, & patronus à Liberto, ita & patronus Ecclesiæ ab istius Rectore, vel Administratore absque venia in Jus vocari nequeat. Et probari videtur ex eo; quia sine venia in Jus vocandæ non sunt personæ, quibus præstanda est reverentia *l. generaliter 13. ff. de in Jus vocand.* Quod confirmatur a pari cum Vasallo, qui, ut Jason. *in l. cit. n. 4.* Wesenbec. *ff. eod.* Mynsing. *in §. pœnales 12. Inst. de Action.* & alij docent, in Jus vocare nequit Dominum Feudi, quòd ex istius liberalitate feudum possideat. Atqui non minor est liberalitas patroni Ecclesiæ in Ecclesiam, quàm illius in Vasallum. ergo &c.

97 Sed dicendum, ad hoc, ut patronus Ecclesiæ nomine Ecclesiæ in Jus vocari possit, Rectori ejus veniâ opus non esse, licèt decens sit, ut venia obtineatur. Ita Alex. *in l. cit.* Roch de Curt. *V. honorificum q. 56. num. 88.* Zoes. *hic n. 27.* Engl *n 2.* Pirh. *n. 36.* Schambog. *n. 25.* Wiest. *n 63. Ratio est* partim, quia nusquam Jure Canonico cautum est, quod veniâ Rectoris hoc casu opus sit; partim, quia hujus petendæ necessitas est præjudiciosa Ecclesijs, quippe quibus casu, quo patroni, vel horum Successores, ut sæpe contingit, illarum Jura violarent, non ita expeditum foret, adversùs injurias illorum se defendere.

98 Neque contrarium probatur ex *l. generaliter cit.* tum quia Lex merè Civilis est, quæ in Ecclesiasticis merè causis attendi non debet; tum quia pœnalis est §. *pœnales cit.* conf. a liberis, & libertis ad Ecclesiæ Rectorem, vel Administratorem extendi non debet. *Ad Conf.* multi cum Gloss. *l. 2. feud tit. 22. V. salvâ reverentiâ*, Clar. §. *Feudum q. 25. n. 1.* Everhard. *leg. arg. loc. 25. n. 15.* Rosenthal. *de feud. c. 10. concl. 23. n. 19.* Mynsing. *cent. 4. obs 92 n. 3* negant veniâ opus esse ad Dominum Feudi in Jus vocandum. Deinde esto, opus illâ veniâ habeat, aliud tamen de patronis Ecclesiarum evincit ratio.

99 Quæritur 2. quale *Onus* incumbat patrono Ecclesiæ? R. onus hoc est cura, & defensio Ecclesiæ, quâ providere debet, ne à potentioribus opprimatur *can. constitutum 60. caus. 16. q. 1.* & ne dos, vel ejus bona malè alienentur, dilapidentur, & in alios, quàm à Fundatore destinati sint, usus convertantur *can. hijs 31.* & *can. seq. caus. cit. q. 7.* Hinc etiam *Ecclesiæ Advocatus* dicitur *c. præterea 23.* & *c. seq h. tit.* plerumque enim Jus Advocatiæ cum Jure patronatûs conjunctum est.

Dixi *plerumque*, non semper; nam 100 in quibusdam Europæ partibus, præsertim in Germania, & Gallia, ut bene advertit Engl *hic n. 28.* receptum est, ut quidam Advocati Ecclesiæ (Germanicè Vogthern) dicantur, qui patroni non sunt, neque ex hoc solo titulo Clericum ad Ecclesiam vacantem præsentare possunt, nisi aliunde, puta ex fundatione &c. id ipsis competat. Munus igitur istorum Advocatorum præcipuum est, Ecclesias contra violentas oppressiones defendere, curam, & inspectionem habere, ne bona Ecclesiæ malè dissipentur, aut alienentur &c. & propterea etiam illis nonnunquam cum consensu Episcopi ex fructibus Ecclesiæ, in qua jus Advocatiæ habent, constituitur pensio in remunerationem curæ. Advocatia, & ea suprema comperit Imperatori in suo Imperio respectu omnium Ecclesiarum tam majorum, quàm minorum. Item principibus, & Dominis Territoriorum circa Ecclesias in suis territorijs sitas. Inferiores quoque Domini, ut Comites, Barones, & Nobiles hoc Jus Advocatiæ vel ex antiqua consuetudine, vel ex speciali contractu cum certis Ecclesijs authoritate Superioris inito sibi vendicant. 101

Dub. 1. an ratione hujus curæ, & defensionis patronus Laicus aliquam Jurisdictionem in Ecclesiæ patronatæ Beneficiatum usurpare, ejus bonorum custodiam, vel administrationem sibi vendicare, aut visitare Ecclesiam, vel Beneficiatum, & ab hoc rationes gestæ administrationis possit petere? *Rationem dubitandi* facit duplex Juris Canonici textus: unus *can. quicunque 30. §. si ergo caus. 16. q. 7.* ubi patrono adstruitur *Jus providendi* Ecclesiæ; alter *c. generali 13. de Elect. in 6.* ubi patronis conceditur Ecclesiæ *Custodia.* 102

Sed dicendum, vi Juris patronatûs patrono Laico de Jure communi nullam competere Jurisdictionem, vel administrationem bonorum Ecclesiæ. Ita Abb. *in c. præterea 4. h. tit. n. 1.* Laym. *l. 4. tr. 2 c. 13. n. 11.* Vallens. *hic §. 1. n. 2.* Honor. *n. 42.* Engl *n. 5.* Pirh. *n. 23.* Schambog. *n. 21.* König *n. 30.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de reb. Eccl. c. 3. n. 125.* & patet ex *can. nullus 18. can. non placuit 23. can. siquis Principum 25. caus. 16. q. 7. c. in quibus 12. de pœn. c. præterea 4. h. t.* & Trid. *sess. 24. c. 3. de reform.* & *sess. 25. c. 9. ibid.* Estque hoc verum non tantùm quoad bona stabilia ipsarum Ecclesiarum, & Beneficiales reditus, sed etiam quoad cætera, quæ per Oblationes fidelium Ecclesiæ obveniunt, vel in Gazophylacium ejus immittuntur; nam hujus cura, & administratio ad solum Prælatum, aut Ministrum Ecclesiæ spectat, ita, ut ejus administrati rationes patronus Laicus nequaquam possit exigere, ut bene advertit Laym. *l. cit.*

Dixi autem *de Jure communi*; nam 103 in Bavaria per Concordata specialia 1583. §. **Wann die** Prælaten Serenissimus Elector potestatem habet exigendi rationem administrationis à Prælatis Religionum non Mendi-

dicantium, & inferiorum Ecclesiarum Rectoribus, si in earum rebus malè versentur, vel de eo suspecti sint.

Neque obstant textus in contractum allegati, & alij eisdem similes; quia ex his pro patronis, saltem Laicis, plus non evincitur, quàm inspectio, sollicitudo, & cura, ne ejusmodi bona, à se, vel majoribus suis collata Ecclesijs, malè dissipentur: quod totum sine Jurisdictionis usurpatione ulla præstare possunt vel commonendo officij sui Beneficiatos ipsos, vel eosdem Episcopo, aut alij Ecclesiæ Superiori, qui Jurisdictionem habeat, denuntiando.

104 Dub. 2. quod Jus, & prorogativa respectu Administrationis Bonorum Ecclesiæ patronatæ competat patrono Ecclesiastico? ℟. isti hæc saltem prærogativa competit, ut rationes de administratione in temporalibus possit petere tum à Beneficiato, tum à cæteris bonorum Ecclesiasticorum Administratoribus *can. sanè 6. caus. 16. q. 2. c. ex litteris 7. h. tit. c. cùm & plantare 3. §. in Ecclesijs de Privileg.* Abb. *in c. ex litteris cit. num. 3.* Barbos. *ibid. n. 12.* Engl *hic num. 5.* Magnif. P. Schmier *c. 3. cit. n. 127.* Imò per *c. bonæ 51. de Apellat.* si Ecclesia vacaverit, potest patronus Ecclesiasticus eandem per semetipsum administrare: quod tamen à Trid. *sess. 24. c. 18. de reform.* est immutatum, & præscriptum, ut interea Ecclesiæ Parochiali vacanti *constituatur ab Episcopo Vicarius cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur.*

105 Quæritur 3. quæ *Utilitas* in patronum redundet ex Ecclesia patronatui ipsius subjecta? ℟. si ad inopiam perveniat, Ecclesia juxta facultates suas, & conditionem personæ ipsius patroni debet eidem subministrare alimenta, & quidem abundantiùs, quàm alijs pauperibus *can. quicunque 30.* junct. Gloss. *V. ad inopiam caus. 16. q. 7. c. nobis 25. in fin.* Host. *in Summ. h. tit. §. quid competat Patrono n. 3.* Lambertin. *l. 3. q. 3. art. 3. n. 2.* Roch. de Curte *V. Et utile in princ.* Abb. *in c. nobis cit. n. 6.* Barbos. *ibid. n. 5.* Vivian. *prax. Jur. Patron. l. 1. c. 2. n. 20.* Pirh. *hic n. 37.* Wiest. *n. 69. ibid.* Et præfertur in hoc casu patronus pauper pensionario, qui pensionem constitutam habet in Beneficio patronato, ut decisum refert Riccius *resol. 283. p. 3. n. 4.* Clericat. *de Pension. Discord. 11. n. 13.* ex ratione; quia patrono egenti debentur alimenta ab Ecclesia Jure naturæ. Aliud est, si patronus in petitione alimentorum concurrat cum Parocho Ecclesiam possidente; tunc enim patrono præfertur Parochus, ut notat Gloss. *in can. quicunque cit. V. ad inopiam*, Paul. de Cittadin. *p. 6. art. 4. n. 158.* Roch. de Curte *V. & utile n. 252.* Surd. *de aliment. tit. 7. q. 32. n. 2.* Ricc. *p. 3. cit. resol. 236. n. 2.* Clericat. *l. cit.*

Dub. 1. quid requiratur, ut patronus 106
ab Ecclesia petere alimenta Jure possit? ℟. 1. requiritur, ut Ecclesia, à qua petuntur, habeat superflua; si enim ultra Ministrorum sustentationem, & impensas ad cultum Divinum necessarias nihil haberet, alimenta ab ea petere patronus Jure non posset. Abb. *in c. nobis cit. n. 6.* Lambertin. *q. 8. cit. art. 2. n. 2.* Gratian. *Discept. for. tom. 3. c. 552. n. 11.* Engl *hic n. 7.* Pirh. *n. 37.* Wiest. *n. 69. Neque dicas*, hoc modo nullum fore privilegium singulare patroni, cùm de superfluis Ecclesia teneatur alere etiam cæteros pauperes *can. aurum 70. caus. 12. q. 2. can. quod autem 3. caus. 23. q. 7.* Nam imprimis Ecclesia, ut *n. præc.* dixi, abundantiùs debet alere patronum, quàm alios pauperes, habendo rationem, Statûs, & familiæ ejus domesticæ, uxoris, & liberorum, moderatè tamen & non ad luxum, vel superbam ostentationem. Deinde pauperibus cæteris Ecclesia subvenit ex lege Charitatis, patrono ex lege Justitiæ, qui & propterea actionem contra Ecclesiam instituere potest, nisi ingratus fuerit *c. nobis cit.* & *ibi* Abb. *n. 6. cit.*

2. Ut Patronus petens alimenta pro- 107
bet, à se, vel majoribus suis fundatam, dotatam, vel constructam fuisse Ecclesiam illam. Vivian. *c. 2. cit. n. 20.* Gratian. *n. 31.* & fuit decisum *in Neapolitana alimentorum 3. Maij 1613.* ubi resolutum, quòd Monasterium Montis Oliveti Neapolitan. non teneatur ad alimenta præstanda Equiti Januario Olitiæ, quia non probavit descendentiam à fundatore dicti Monasterij. Dicetur autem Descendentia sufficienter esse probata, si qui alimenta petit, singulis annis juxta tenorem Fundationis recepisset cereum in die Purificationis, & in dicta perceptione habuisset mandatum de manutenendo; hoc enim sufficeret in hujusmodi materia ad hoc, ut Patronus relevaretur ab onere probandi Descendentiam, ut notat Gratian. *l. cit.* & hoc teste sæpe resolvit Rota, ut *in causa Placentina Capellaniæ 14. Maij 1614. Firmana Juris Patronatûs 15. Maij 1611.* & *Neapolitana alimentorum 11. Jan. 1616.*

3. Ut simul etiam probet egestatem 108
suam. Qualis hæc necessitas esse debeat, dissident inter se DD. Aliqui cum Gloss. *in can. quicunque 30. V. ad inopiam caus. 16. q. 7.* & Azor *p. 2. l. 6. c. 20. q. 3.* putant non deberi alimenta Patrono, nisi ad summam egestatem pervenerit. Sed verior est opinio Covar. *l. 2. var. c. 6. n. 8.* Menoch. *de arbitr. cas. 65. n. 5.* Surd. *de alim. tit. 7. q. 32. n. 29.* Cittadin. *de Jur. Patron. p. 6. art. 4. n. 158.* Gratian. *n. 26.* Vivian. *n. 22.* Barbos. *in c. nobis cit. n. 7.* Pirh. *hic n. 27.* juxta quos sufficit, si Patronus solùm ad inopiam

piam vergat, licèt non sit in summa egestate. Censebitur autem ad inopiam vergere, si Patronus se, uxorem, filios, & familiam suam ex bonis proprijs, vel aliunde v. g. ex officio, vel opere suo, quod licitè, & honestè exercere possit, commodè, & pro statu suo sustentare non possit *arg. l. fiquis 5. §. sed si filius 5. ff. de agnoscend. liber.*

109 4. Ut probet, se non habere alium, puta fratrem &c. à quo ali possit; nam si fratrem divitem, vel alias personas conjunctas, & ad præstanda sibi alimenta necessaria obligatas habeat, non potest dici pauper; cons. alimenta petere ab Ecclesia nequit. Gratian. *n. 17. & seqq.* Vivian. *n. 20. cit.* & ita decidit Rota *in Neapolitana alimentorum 31. Maij 1606.* & *in eadem causa coram D. Pirouano 11. Jan. 1616.* ubi etiam extenditur ad Patronum Equitem Jerosolymitanum, qui, si ad inopiam vergat, non ab Ecclesia Patronatui ipsius subjecta, sed à suo Ordine alendus est; quia Equites hi verè Religiosi sunt, & Religiosus petere alimenta à Monasterio suo debet.

110 Dub. 2. an Patronus ratione Juris Patronatûs capere Pensionem aliquam ab Ecclesia possit? R. distinguendo, an velit in limine fundationis ejusmodi pensionem, sibi, & successoribus suis annuatim exhibendam, constituere, an post fundationem jam factam eâ gravare Ecclesiam, vel illam, quâ gravata jam est, augere. *Hoc secundum* non potest, ut clarè patet ex *c. præterea 23. h. tit. c. prohibemus 7.* & *c. seq. de Cenjib.* quia ex intervallo non potest novam Legem, vel conditionem apponere juxta illud *l. perfecta 4. C. de Donat. quæ sub mod.* ubi Imperatores, *Perfecta*, inquiunt, *donatio conditiones postea non capit.* Ratio est; quia tunc Ecclesiæ jam est jus quæsitum. Estque hoc verum, etiamsi Patronus esset persona Ecclesiastica, ut notat Vivian. *prax. Jur. Patron. l. 2. c. 9. n. 6.* & etiamsi concurrat consensus Episcopi, quando conditio est contra Juris dispositionem; secus, si juxta, vel præter Jus, e. g. ut Beneficium conferatur alicui de gremio; nam hæc cum Episcopi consensu etiam ex intervallo apponi potest. Vivian. *l. cit. n. 10.* & hoc teste fuit dictum *in Ulyssiponensi Prioratûs 28. Oct.* & *14. Dec. 1601.*

111 *Primum* fieri potest *c. præterea cit.* & Gloss. *ibid. V. institutos*, Abb. *n. 6.* Barbos. *n. 4.* Vivian. *l. 1. c. 2. n. 23.* Engl *hic n. 7.* Pirh. *n. 39.* Schamb. *n. 27.* Wiest. *n. 70.* Ratio est; quia cum quilibet rerum suarum sit moderator, & arbiter, sicut quisque potest fundationem facere, vel omittere, ita etiam potest eidem conditionem apponere, quam vult, modò honesta, & licita sit. Duo tamen in reservatione Pensionis, ipsi Fundatori solvendæ, observari debent. *Unum* est, ut reservatio hæc fiat cum consensu Episcopi; quia Fundator, cùm sit persona privata, non potest sua voluntate, aut authoritate propria Canones immutare, prout habetur *c. requisisti 15. ante med. de Testam.* Pirh. *hic n. 43.* *Alterum*, ut pensio sit moderata, spectata fundationis, & redituum Ecclesiasticorum quantitate, ita, ut dos Ecclesiæ nequaquam minuatur. Quodsi tempore fundationis cum consensu Episcopi imposita sit pensio immoderata, vel quæ ex post facto fiat multùm onerosa Ecclesiæ, illa ad debitam moderationem reducenda erit. Pirh. *l. cit. n. 42.*

112 Quæritur 4. quid sit *Præsentatio*, & quis ejus effectus? R. præsentatio est exhibitio personæ idoneæ ad Ecclesiam, vel Beneficium vacans Episcopo, vel alteri, ad quem Institutio pertinet, legitimè facta. Ita Abb. *in c. ea noscitur n. 3. de his, quæ à Prælat.* Rochus de Curte *de Jur. Patron. pr. q. 3.* Garc. *p. 4. de Benef. c. 1. n. 15.* Riccius *prax. for. Eccl. decis. 156. n. 58.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 72. n. 13.* Vivian. *prax. Jur. Patron. l. 5. c. 1. n. 1.* Vallens. *hic §. 5. n. 1.* Wiest. *ibid. n. 74.* Magnif. P. Schmier. *p. 2. de reb. Eccl. c. 3. n. 81.*

113 Si ab eo, qui legitimè præsentatus est, intra tempus à Jure præscriptum sit acceptata, tribuit Jus ad rem, & actionem pro Institutione sua in Ecclesia, vel Beneficio. Zerol. *prax. Episc. V. jus ad rem n. 2.* Garc. *p. 4. cit. c. 3. n. 11.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 1. n. 8.* Wiest. *hic n. 74. cit.* Quo differt præsentatio à Collatione libera; nam per hanc acquiritur Collatario Jus in re. *Ex quo sequitur*, aliud esse Jus præsentandi, aliud Jus conferendi: prius Patrono competit, non posterius. & hinc Episcopus, vel alius, cuj jus instituendi competit, non debet admittere Litteras præsentationis, in quibus Patronus se vocat Collatorem Ecclesiæ, vel Beneficij, aut dicit Collationem, vel Concessionem Beneficij sibi competere; qualis mos in quibusdam Germaniæ Diœcesibus obtinet; sed, ut Pirh. *hic n. 28.* notat, aboleri deberet, quòd ex abusu vocabulorum facilè consequatur etiam abusus potestatis, maximèita in Laicis, ita, ut hac occasione multæ Simoniæ committantur, & Ecclesiastica Immunitas violetur.

114 Dub. 1. utrum ad hoc, ut valeat præsentatio, requiratur præsentia Patroni, & præsentati? *Certum est 1.* non requiri præsentiam Patroni, sed posse eandem fieri per Litteras, prout colligitur ex *c. ea noscitur 6. de his, quæ à Prælat. &c.* ibi, *Per se, aut Litteras, personas idoneas Episcopis Diœcesanis præsentent.* *Certum est 2.* eandem præsentationem fieri posse per procuratorem, ut argumento à pari ex modò dictis deducit P. Wiest. *hic n. 75.* & colligitur ex *c. fin. de concess. Præb.* ubi prohibetur procuratorem constitui ad præsentandum in Beneficio, antequam vacet, ergo supponitur, quòd vacante Bene-

Beneficio, procurator constitui ad præsentandum possit.

115 *Difficultas est*, utrum ad præsentationis valorem requiratur præsentia præsentati? Affirmant Abb. *in c. ea noscitur cit. n. 3.* Card. Tusch. *tom. 6. Lit. P. concl. 191.* Roch. de Curt. *de Jur. Patron. pr. q. 3.* Rebuff. *prax. tit. de præsentat. n. 3.* Garc. *p. 4. de Benef. c. 1. n. 16.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 72 à n. 110. Moventur 1.* textu *c. cùm & plantare 3. §. in Ecclesijs 2. de Privileg.* ubi Exemptis præcipitur, ut *in Ecclesijs, quæ ad eos pleno Jure non pertinent, instituendos Presbyteros Episcopis repræsentent*, atqui verbo *Repræsentare* corporalis præsentia denotatur ex *l. contentaneum 8. C. quom. & quando Judex &.* 2 authoritate Concilij Trid. quod *sess. 24. c. 18. ỳ. cùm verò de reform.* statuit, præsentatum à Patrono non admittendum, nisi ab Ordinario examinatus, & idoneus repertus fuerit: quod intelligendum non de solis Beneficijs parochialibus, sed etiam de Simplicibus, ut patet ex *sess. 7. c. 13. de reform.* sed hoc Examen subire præsentatus per procuratorem non potest, ergo nec præsentatio ipsius per procuratorem fieri.

116 Sed tenendum, validam esse præsentationem illius, qui se per litteras, aut procuratorem instituenti repræsentat. Ita Azor *p. 2 l. 6. c. 21. q. 6.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 1. n. 6. ỳ. nihilominus*; Wiest. *hic n. 78.* Ratio est; quia nullus est textus, ex quo hæc obligatio corporalis præsentiæ colligitur. ergo imponenda non est, præsertim cùm sit contraria Regula Juris, *Qui facit per alium, est perinde, acsi faciat per seipsum*, quæ est *72. in 6. Conf.* ex praxi; nam Reges, ut *l. cit.* Azor notat, solent aliquos nominare, & Romano Pontifici offerre ut creentur Episcopi, qui tamen à Curia Romana, & etiam Regia absunt, & eos absentes Pontifex instituit Episcopos.

117 Neque contrarium probant textus allegati. *Ad 1.* verbo *repræsentent* denotatur præsentia corporalis, non tamen ipsius præsentati, sed saltem procuratoris à præsentato deputati: aliàs si ipsius præsentati præsentia requireretur ad præsentationis valorem, non posset Ordinarius præsentationem absentis admittere; quia esset contra naturam præsentationis, atqui admissio talis præsentationis etiam juxta Adversarios valida est, licèt juxta illos Ordinarius sic factam non teneatur admittere. ergo &c. *Ad 2.* etsi præsentia præsentati requiratur, non tamen requiritur necessitate præsentationis, sed Examinis: & hinc, si personæ aptitudo vel per Examen, vel aliunde ante præsentationem illius innotescat, præsentia præsentandi omnino non requiretur, ut fatetur Abb. *n. 3. cit.* licèt aliàs, ut vidimus, Sententiæ adversæ Patronus.

118 Dub. 2. an collatio Beneficij Patronati, Patrono contradicente, vel ignorante, ab Episcopo liberè facta, sit valida? *Ratio dubij* sumitur ex *c. illud 8. h. tit.* ubi hujusmodi collatio, vel Institutio *irritanda* dicitur, quâ phrasi aliàs infirmitas actûs, non nullitas ipsius Jure ipso inducta denotatur. Sed quia aliàs non infrequenter hoc loquendi modo significatur declaratio nullitatis, idcirco textus iste à sententia negativa absterrere non debet.

119 *Dicendum* igitur, Collationem, & institutionem Clerici, reclamante Patrono factam, ipso Jure esse irritam, ita, ut post illam non secus, ac re omnino integra, Patroni præsentatio locum habeat. Ita Abb. *in c. illud cit. n 2.* Felin. *in c. cùm Bertholdus 18 de sent. & re judic. n. 8.* Roch. de Curte *V. honorificum n 2.* Gonzal. *in Reg. 8. Cancell. glos. 56. n. 78.* Azor *p. 2. l. 6. c. 22. q. 4.* Vallens. *l. 1. de Benef tit. 4. n. 23.* & *Paratit. hic §. 6. n. 2.* Engl *ibid. n. 2. ỳ. ex præsentatione*, Schambog. *n. 63.* König *n. 32.* Wiest. *n. 72. Ratio est*; quia Episcopus caret potestate ejusmodi Ecclesias, vel Beneficia liberè conferendi. *Excipitur*, si hujusmodi collationem faciat Pontifex de plenitudine potestatis papalis; nam hic etiam Patronatui Laicali derogare potest, quamvis non soleat.

120 Addidi *reclamante*; quia si Patronus intra tempus, pro præsentatione sibi concessum, non contradiceret, censeretur eam collationem, vel institutionem absque se factam tacitè approbâsse, & sic ejus nullitas, utpote in favorem Patroni præcisè inducta, sanaretur, ut notat P. Wiest, *l. cit. n. 73.* cum *supra* allegatis.

121 Dub. 3. quid Juris, si plures sint Patroni, habentes Jus præsentandi ad idem Beneficium? ỳ. tunc distinguendum, an Jus Patronatûs spectet ad eos, ut singulos, an ut universos, seu Jure Collegij. *Si primum*, possunt singuli seperatim præsentare alijs non vocatis, vel requisitis; quia eo casu non requiritur simultaneus omnium consensus, nisi fortè vigore Statuti, vel consuetudinis alicujus soliti sint simul convenire. Et tunc præsentatio, Simoniacè facta per unum, non præjudicat præsentationi aliorum; quia tot sunt præsentationes, quot Patroni. *Si secundum*, omnes vocari debent; quia tunc requiritur consensus simultaneus: & ideo præsentatio per unum Simoniacè facta præjudicat alijs; quia tunc est unica præsentatio. Pirh. *hic n. 49. not. 2. & 3.*

122 Si plures Patroni ejusdem Ecclesiæ, vel Beneficij discordent in præsentatione, alijs hunc, alijs alium præsentantibus, ille præficietur Ecclesiæ, qui majoribus juvatur meritis, & plurium approbatur assensu, modò hoc fieri sine scandalo possit; alioquin ipse Episcopus liberè absque præsentatione aliquem instituet *c. quoniam 3.* & *ibi* Gloss. *h. tit.* Quodsi neque hoc absque scandalo, vel

vel turba fieri possit, Episcopus Ecclesiam claudet, & tollet inde Reliquias, donec inter Patronos conveniat *c. perlatum 1. & c. seq. h. tit.* In paritate vocum, & meritorum est locus gratificationi *c. cùm autem 24. eod.* nec ab ea gratificatione appellare licet. Vallens. *hic §. 5. n. 5.* Honor. *ibid. n. 58.* Pirh. *n. 48. & seqq.*

§. V.

De Translatione Juris Patronatûs.

SUMMARIUM.

123. *Jus Patronatûs primò transfertur per* Successionem Hæreditariam.
124. *Ad quos? an etiam ad hæredes extraneos?*
125. *Corollaria.*
126. *An in eo succedat etiam, qui institutus est in re certa?*
127. *Quomodo Jus Patronatûs cum hæreditate transeat?*
128. *An illud hæredes inter se possint dividere?*
129. *Quomodo succedant hæredes hæredum, in stirpes, an in capita?*
130. *Quot consentire debeant ad præsentationem Clerici, si plures Patroni sint?*
131. *An Jus Patronatûs Gentilitium, extinctâ familiâ, transeat ad hæredes extraneos.*
132. 133. *Respondetur distinguendo.*
134. *Solvuntur Argumenta opposita.*
135. *An Jus Patronatûs transeat ad Usufructuarium universalem?*
136. *Aut Fideicommissarium? Rationes negandi.*
137. *Rationes affirmandi.*
138. *Difficultas solvitur distinctione.*
139. *Solvuntur argumenenta sententiæ negantis.*
140. *Respondetur ad Argumenta sententiæ affirmantis.*
141. *An in divisione hæreditatis Jus Patronatûs adjudicari possit uni ex cohæredibus?*
142. *An si ex tribus, qui Jus præsentandi habent, unus alteri succecedat, iste acquirat duplex Votum?*
143. *An Jus Patronatûs per Successionem hæreditariam possit etiam transire in Monasterium?*
144. *An publicatis ob crimen Patroni bonis ejusdem omnibus, & fisco addictis, ad hunc etiam Jus Patronatûs transeat?*
145. *Secundò Jus Patronatûs transferri potest* Donatione, & Legato.
146. 147. *&c. An ut ita transferatur, sit opus consensu Episcopi?*
151. 152. *Quid dicendum, si Patronus illud donet ipsi Ecclesiæ, in qua Jus Patronatûs habet?*
153. 154. 155. *An Patronus illud donare possit, cui voluerit?*
156. *Utrum Episcopus Jus Patronatûs extinctum donare Laico de novo possit?*
157. *Tertiò transferri Jus Patronatûs potest* Venditione, *sed accessoriè tantùm cum Castro &c. cui annexum est.*
158. *An vendita Universitate ad Emptorem transferatur etiam Jus Patronatûs adhærens Personæ?*
159. *Utrum ob Jus Patronatûs annexum, Castrum &c. cui annexum est, vendi majori pretio possit?*
160. *An in Venditione Castri mentio fieri possit etiam Juris Patronatûs annexi?*
161. *Quartò transferri Jus Patronatûs potest* Permutatione. *Ubi quale Jus Patronatûs, & pro qua re permutari possit?*
162. *Et an cum immunitate ab obligatione solvendi Decimas, vel cum Jure illas percipiendi?*
163. *Quintò* Infeudatione, & Emphyteuticatione.
164. *Sextò* Locatione.
165. *Septimò* Privilegio Apostolico.
166. *Octavò* Consuetudine, *seu potiùs* Præscriptione.

OCto præcipuè enumerantur modi, quibus Jus Patronatûs transferri potest: inter hos

123 *Primus* est per *Successionem Hæreditariam*, prout sumitur ex *can. considerandum 35. caus. 16. q. 7. c. perlatum 1. & c. quomam 3. h. tit.*

Dub. 1. ad quos cum hæreditate transeat Jus Patronatûs. 2. transit ad hæredes fundatorum quoscunque, nisi Familiare sit, aut aliquis eorum sit hæres in re aliqua certa; quia transit cum hæreditate: cons. qui in hac succedit, eo ipso Patronatum consequitur. Abb. *in c. 1. h. tit. n. 2.* Azor *p. 2. l. 6. c. 20. q. 19. in med.* Riccius *p. 4. collect. 1025.* Leo *Thes. for. Eccl. p. 2. c. 6. n. 25.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 71. n. 5.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 4. n. 2.*

Neque refert 1. an sit Hæres suus, an 124
extraneus; nam etiam ad extraneos cum universitate bonorum, quibus annexum est, transit. Palao cum *citt.* cum discrimine tamen, quòd extraneis incipiat competere à die aditæ hæreditatis; suis autem hæredibus à die, quo hæreditati se immiscuerunt. Paul. de Cittadin. *de Jur. Patron. p. 9. n. 9.* Schambog. *hic n. 29.* Wiest. *ibid. n. 147.* *Non refert 2.* sive hæres sit vir, sive fœmina, ut colligitur ex *c. fin. de conces. Præb. c. ex litteris 7. h. tit.* & cum *citt.* advertit

Garc. p. 5. de Benef. c. 9. n. 142. Et hoc verum est, etsi Jus Patronatûs annexum sit Majoratui ; nam si succedit in Majoratu, etiam succedit in Jure Patronatûs annexo. Molin. tr. 2. de J. & J. D. 627. n. 13. *Non refert* 3. quo modo deferatur hæreditas, an per Testamentum, an ab intestato ; nam utroque modo cum hæreditate etiam Jus Patronatûs transit. Pirh. *hic n. 44.*

125 *Ex quo sequitur* 1. si filia cum fratre sit hæres Patris, æquè illam, ac istum in Jus Patronatûs succedere. *Sequitur* 2. si filius non sit hæres Patris sui, quia repudiavit hæreditatem, eum non succedere in Jus Patronatûs hæreditarium, secus in Gentilitium ; nam hoc Jure Sanguinis competit, quem hæreditatem repudiando non exuit : illud verò Jure hæreditatis ; cons. hac in aliam translata, Jus succedendi in Patronatu cessat. *Sequitur* 3. si solus Primogenitus succedat in hæreditate Patris, cæteros filios à Jure Patronatûs excludi : quod etiam dicendum de filia, quæ renuntiavit hæreditati, sola dote contenta. Pirh. *n. 44. cit.*

126 Addidi in Responsione *n. 123.* data, *Nisi aliquis eorum sit hæres in re aliqua certa* ; ad hunc enim, nisi res, in qua succedit, accessoriè sibi annexum Jus Patronatûs habeat, Jus istud non transit, sed ad reliquos duntaxat hæredes, qui universales sunt Abb. *in c. perlatum h. tit. n. 2.* Sylv. *V. Jus Patronatûs q. 4. dict. 3.* Azor *p. 2. l. 6. c. 20. q. 9. §. quæres*, Lambertin. *de Jur. Patron. l. 1. p. 2. q. 2. art. 16. n. 6.* Vivian. *prax. Jur. Patr. l. 4. c. 2. n. 9.* Pirh. *n. 44. cit.* Wiest. *n. 148. ibid. Ratio est* ; quia institutus in re certa habetur loco Legatarij *l. quoties 13. C. de hæred. instit.* ad Legatarios autem Jus Patronatûs non transit, nisi quatenus accessoriè venit ad rem legatam ; tunc enim etiam cum ipsa transit, sicut transit per donationem rei, cui annexum est Jus Patronatûs, ergo &c.

127 Dub. 2. quomodo Jus Patronatûs cum hæreditate transeat ? R. circa modum succedendi in Jus Patronatûs sequentia sunt notanda. 1. si plures Patrono hæredes succedant, Jus Patronatûs inter se dividere non possunt, ita, ut unus in una parte, alius in alia presbyterum collocet, sive nominet, sed quamdiu in communione hæreditatis persistunt, ad quemlibet illorum Jus Patronatûs in solidum transit : quod verum manet, licèt non omnes succedant in portiones æquales ; nihilominus enim voces æquales habent, quamvis ille, qui succedit in portionem majorem, vocem habeat pinguiorem, ita, ut vox ejus, quando gratificationi locus est, cæterorum vocibus sit præferenda. Gloss. *in c. perlatum. 1. V. non debeat h. tit.* ubi rationem dat ; quia Jus Patronatûs est incorporale ; cons. simplex, & indivisibile quoad substantiam, sicut servitutes *l. via 17. ff. de servit.*

Dixi, *Hæredes inter se Jus Patronatûs non posse dividere*, sc. quoad substantiam ; 128
nam ratione temporis, & loci, ut constat ex *Clem. plures 2. v. & ut facilius h. t.* dividere patroni Jus Patronatûs inter se possunt, & convenire, ut præsentent alternis, unus prima vice, quâ Ecclesia aliqua vacat, alter secundâ, tertius tertiâ. Vel ut unus ex duobus præsentet mensibus paribus, alter imparibus. Item ut unus præsentationem faciat in hac Ecclesia, alter in alia : idque, prout in textu habetur, *ut facilius provideatur Ecclesijs*, & evitentur, quæ facilè oriri possent, discordiæ. Addidi, *quam diu in communione hæreditatis persistunt* : nam si aut ipsa Institutio à Testatore sic facta sit, ut in ea hæredum uni hoc, alteri aliud dominium assignaverit, aut hæreditatis indivisim relictæ sit facta divisio, tunc Jus Patronatûs acquiret ille, qui acquirit dominium, cui Jus Patronatûs annexum est : & sic Legatarius acquirit Jus Patronatûs annexum rei Legatæ. Schambog. *n. 29.*

2. Si hæredes patroni mortui fuerint, 129
hæredes hæredum quidem & ipsi succedunt, non tamen in capita, sed in stirpes, adeo, ut si duo hæredes fuerint, & unus unum, alter decem hæredes reliquerit, ille solus unam, alteram verò vocem habeant isti decem ; vel si Patronatus sit alternativus, ille solus cum his omnibus simul sumptis præsentet alternis vicibus juxta *Clem. plures cit. pr.* & notat *ibid.* Gloss. *V. plures*, Abb. *in c. 1. h. tit. n. 5.* Sylv. *V. Jus Patronatûs q. 4. dict. 4.* Azor *p. 2. l. 6. c. 20. q. 9. fin.* Roch. de Curte *V. ipse, vel is q. 2. n. 4.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 20.* Vallens. *hic §. 4. n. 5.* Zœs. *n. 11.* Engl *n. 15. v. præterea*, Pirh. *hic n. 47.* Schambog. *n. 30.* König *n. 16.* Wiest. *n. 150.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de reb. Eccl. c. 3. n. 97. Ratio est*, quia omnes illi decem nominant, non ut suas, sed ut parentis personam repræsentant, qui non potuit plus Juris in hæredes transmittere, quàm quod ipse habuit, sc. Jus unicæ vocis.

Idem dicendum, si ex tribus hæredibus supersint hæredes inæquali numero, nempe ex primo unus, ex secundo tres, ex tertio sex ; cùm enim isti omnes tres tantùm repræsentent Authores, sex ultimi non plus Juris ad præsentandum habebunt, quàm duo relicti ab altero, & hi duo non plus, quàm unus relictus à primo. Gloss. *cit. V. plures*, Stephan. Gratian. *discept. forens. c. 521. n. 18.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg 72. n. 90.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 4. n. 3.* Wiest. *hic n. 151. & 152.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 28. n. 51.* & reliquorum communis doctrina.

3. Si plures patroni unam vocem, 130
habeant, non est necesse, ut omnes consentiant, sed sufficit, & requiritur, ut eorum consentiat pars major. An verò requiratur pars major absolutè, an respectivè, distinguendum est, an vox illa pertineat ad illos, ut

ut singulos, an ut universos. *Si primum*, sufficit, ut consentiat major pars respectu cæterarum minorum partium, prout sumitur ex *c. quoniam 3. h. tit.* *Si secundum*, consentire debet major pars respectu totius numeri habentium unam vocem. Et idem dicendum, quandocunque Jus patronatûs competit pluribus conjunctim, sive collectivè, seu prout Collegium, vel Universitatem constituunt: cons. casu, quo in Collegio sunt 12. requiritur, ut septem consentiant in unum, nec sufficiet, si sex præsentent unum, quatuor alium, duo tertium; quia non est præsentatio facta à majori parte Collegij, vel Universitatis. Abb. *in c. quoniam. cit. n. 13.* Sylv. *V. Jus Patronatûs q. 13.* Azor *p. 2. l. 6. c. 21. q. 20* Vasq. *Opusc. de Benef. c. 2. §. 1. dub. 7. n. 20.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 4. n. 4.* Pirh. *hic n. 48.*

131 Dub. 3. an Jus patronatûs Gentilitium, seu reservatum illis, qui sunt de familia, seu agnatione Fundatoris, extinctâ familiâ, transeat ad hæredes extraneos? Negativam defendit Lambertin. *p. 2. l. 1. q. 10. art. 5. quæst. princ. 2.* & probari videtur ex eo; quia concessum ijs, qui sunt de familia, videtur denegatum extraneis, ea qualitate carentibus. Et *confirmatur* duplici paritate: unâ, quando Jus patronatûs concessum est filijs, alterâ, quando concessum est masculis; nam in primo casu non succedunt extranei, in secundo successio negatur fœminis, quòd concessio in illo casu censeatur limitata ad filios, in altero ad masculos.

132 Sed respondendum est distinguendo: Vel enim Fundator expressè voluit, ut Jus patronatûs tantùm pertineat ad illos, qui sunt de familia, non verò ad extraneos, vel tantùm dixit, ut pertineat ad eos, qui sunt de familia, non additâ particulâ taxativâ *tantùm.* *Si primum*, extinctâ familiâ, etiam Jus patronatûs extinguitur, & Ecclesia fit libera. Vivian. *prax. Jur. Patr. l. 4 c. 2. n. 14.* Fagnan. *in c. perlatum 1. h. tit. n. 22. & 23.* Matthæucc. *in Offic. Eccl. c. 28. n. 57.* Pirh. *hic n. 52.* Potest enim fundator in fundatione Jus patronatûs inducere in præjudicium descendentium, vel extraneorum hæredum, prout ei libuerit *arg. c. un. h. tit. in 6.*

133 *Si secundum*, extinctâ familiâ, transit ad hæredes extraneos, non ex provisione hominis, sed ex provisione Legis, quæ regulariter non tollitur per provisionem hominis: cùm ergo Jus patronatûs ex provisione Juris communis transeat ad hæredes etiam extraneos, ut dictum est *n. 124.* sequitur, quòd provisio hominis concedentis Jus patronatûs illis, qui sunt de familia, non obstet, quin istis deficientibus, ex provisione Legis ad extraneos transeat. Censebitur ergo reservatio familiæ facta, non taxativè, seu exclusivè, sed demonstrativè tantùm: vel ad summum facta esse intelligetur cum ea restrictione, ut Jus patronatûs ad extraneos non transeat, durante familiâ; secus verò illa deficiente, quòd tunc casus omissus à Fundatore, relinquatur dispositioni Juris communis. Ita *l. citt.* Vivian. *n. 15.* Fagnan. *n. 25. & 26.* Matthæucc. *n. 58.* Pirh. *n. 53.* & ita decisum est teste Fagnano à *Rota 6. Jun. 1578.*

Ad Rationem dubitandi dico, id verum 134 esse, quando Fundator Jus patronatûs voluit transire ad illos, qui sunt de familia, taxativè, & exclusivè ad alios; nam tunc, quia expressè loquitur homo, lex silet: contrà verò in casu, quo simpliciter Jus patronatûs concessum est illis de familia, hac deficiente, silet dispositio hominis, & loqui incipit dispositio Legis. *Ad Conf.* Transmisso *Ant.* negatur *Cons.* nam dum filijs præcisè relictum est, jam sufficienter indicatur, quòd excludantur extranei; & dum pro masculis reservatum est, satis innuitur non porrigi ad fœminas.

Dub. 4. an Jus patronatûs transeat ad 135 Fideicommissarium, vel ad Usufructuarium universalem? Satis convenit apud DD. quòd Jus patronatûs, saltem reale, ad Usufructuarium universalem transeat, quamvis finito Usufructu, ad Hæredem proprietatis redeat. Lambertin. *de Jur. Patron. p. 2. l. 1. q. 10. pr. art. 3.* cons. casu, quo Titius instituit Cajum hæredem suorum bonorum, inter quæ habet Jus patronatûs ad Beneficium, & horum bonorum suorum Usufructuariam relinquit uxorem suam, jus præsentandi ad uxorem pertinebit; quia præsentatio, & cætera spectantia ad Jus patronatûs computantur inter fructus hæreditatis. Matthæuccius *c. 28. cit. n. 54.*

Difficultas est de Fideicommissario. 136 *Negant* ad hunc transire Jus patronatûs Covar. *in c. Raynutius 16. de testam. §. 9. n. 8.* & *l. 2. var. c. 18. n. 8.* Roch. de Curte *V. is, vel ipse q. 9. n. 21.* Gomez *tom. 1. var. c. 5. n. 29.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg 71. n. 9.* Canis. *in c. 1. h. tit. n. 6.* & videtur hoc etiam probari triplici Argumento. 1. Quia ad Fideicommissarium solùm transeunt Jura spectantia commodum pecuniarium, cujusmodi non est Jus patronatûs. 2. Ad eum etiam non transeunt Jura sepulchri *l. quia perinde 42 § restituta 1. ff. ad S. C. Trebell* ubi Paulus, *Restituta*, inquit, *hæreditate, Jura sepulchrorum apud hæredem remanent.* 3. Similiter etiam penes Hæredem fiduciarium remanet Jus patronatûs competens respectu libertorum *l. si patroni 55. pr. ff eod.*

Affirmativam contrà defendunt Gu 137 tier. *p. 3. de Tutel. c. 29 n. 15.* Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 188. in fin.* Zœs. *hic n. 12* & inclinat Pirh. *ibid. n. 55.* quod pariter triplici ratione ostendunt. 1. In Fideicommissarium transit hæreditas, ergo transire debet Jus patronatûs hæreditati annexum. 2. Fideicommissario conceduntur

tur omnia Jura realia, & personalia utilia *l. explicito 1. & alijs ff. ad S. C. Trebell.* ergo concedi debet Jus patronatûs. 3. Jus patronatûs alienari potest inter vivos titulo universali *c. ex litteris 7. h. tit.* ergo etiam alienari potest ex Testamento.

138 Utrique sententiæ aliquid tribuendum, & adhibenda distinctio, quâ utuntur Garc. *p. 5. de Benef. c. 9. à n. 17.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 4. n. 5.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 28. num. 54. fin.* Schambog. *hic n. 33.* Wiest. *ibidem n. 153.* Vel enim Jus patronatûs, de cujus translatione quæritur, est personale, vel reale. *Si personale*, quale est, quod Titio hæredi, & ejus Successoribus relictum, & nulli Universitati annexum est, id ad Fideicommissarium non transit: & ratio est manifesta; quia transferri nequit contra dispositionem instituentis. voluit autem instituens Jus istud ijs solùm competere, quibus sanguis, & successio communicatur. ergo &c. *Si reale*, Jus patronatûs habebit ille, qui habebit fundum, cui illud annexum est: unde si Hæres Fiduciarius loco Trebellianicæ sibi competentis fundum illum retinuerit, etiam Jus patronatûs erit penes ipsum; si vero illud restituerit Fideicommissario, hic Jus patronatûs habebit. *Ratio est;* quia tali casu est accessorium Villæ, aut Castro; ac proinde locus est Regulæ *accessorium 42. in 6.*

139 Neque contrarium probant Argumenta *primæ Sententiæ;* quia sumpta sunt ex Jure Civili, & in proposito casu agitur de Jure Spirituali, vel saltem Spirituali annexo, in quo præ oculis habenda est dispositio Juris Canonici; atqui secundùm hujus Juris dispositionem Jus patronatûs, quando annexum est Universitati, cum hac transfertur, neque distinguitur, ex quo capite transferatur, ut patet ex *c. litteris 7. h. tit.* ergo transferetur etiam ad Fideicommissarium, nisi aliud ex Testatoris voluntate constet. *Ad 1.* dico sufficere, quòd accessorium sit rei, quæ commodum pecuniarium affert. Accedit; quia Jus patronatûs, licèt non sit pretio æstimabile, utile tamen esse patrono potest, si ad inopiam vergat. *Ad 2.* negatur paritas; nam Jura sepulchri tantùm sequuntur hæredes; Jus patronatûs Ecclesiæ autem etiam ad non hæredes transire potest, ut patet in venditione Castri, cum quo etiam ipsum Jus patronatûs ipsi annexum ad Emptorem transfertur. *Ad 3.* iterum negatur paritas; quia patronatûs Civilis ad hæredes suos, sive liberos in potestate patris constitutos transit §. *nec tantùm 2. Inst. de assign. libert.* neque eripitur liberis, etiamsi pater perduellionis damnetur *l. Jura 4. ff. de Jur. Patron.* contrà patronatûs Ecclesiæ, publicato Castro ob delictum patroni, accessoriè etiam ipse publicatur.

140 Sed neque obstant Argumenta *Sententiæ secundæ. Ad 1.* Hæres fiduciarius fideicommissario non propriè hæreditatem, sed bona per hæreditatem accepta restituit; neque enim Fideicommissarium hæredem facit. sicut ergo prior hæres manet, ita Jus patronatûs personale, quod hæreditatem formaliter sequitur, ipse retinet. *Ad 2.* Fideicommissario competunt omnia Jura realia, & personalia, quæ hæredi competunt ob bona, quæ tenetur restituere, non tamen ea Jura, quæ illi competunt jure Sanguinis, vel successionis. *Ad 3.* nego, quòd Jus patronatûs personale alienatum censeatur ex eo præcisè, quòd Testator hæreditatem jusserit restituere; nam Fideicomissimum ad bona solùm, non ad Jus patronatûs extenditur, nisi istud accessorium rei sit.

141 Dub. 5. an in divisione hæreditatis Jus patronatûs adjudicari possit uni ex cohæredibus? Videtur respondendum affirmativè ob textum *c. ex insinuatione 14. h. tit.* juxta quem à plurium Compatronorum uno remitti, & alteri cedi potest: idque bono Ecclesiæ, cui utilius est patronum, Laicum præsertim, unum, quàm plures habere.

Sed tenenda est negativa sententia, quam etiam defendunt Abb. *in c. 9. h. tit. n. 3.* Roch. de Curte *V. is vel ipse q. 13. n. 26.* Zœs. *hic n. 13.* Pirh. *n. 56.* Schambog. *n. 35.* Wiest. *n. 155.* ex ratione; quia non apparet, cui ex ipsis adjudicari possit, vel debeat; vel enim bona hæreditaria æqualiter dividuntur, vel inæqualiter. *Si æqualiter*, non est ratio, cur id uni potiùs, quàm alteri assignetur. *Si inæqualiter*, & tunc, si assignaretur ei, qui assequitur portionem minorem, huic in compensationem, cons. Simoniacè adjudicatum videretur *arg. c. de jure 16. h. tit.* Restat igitur, ut dicatur penes omnes in solidum permanere juxta dispositionem *c. perlatum 1. eod.* quo Ecclesiæ inter hæredes prohibetur divisio. *Excipitur* casus, quo Jus patronatûs annexum est Universitati v. g. villæ, aut Castro, & hoc adjudicatum fuisset uni duntaxat hæredum.

Ad textum in contrarium allegatum dico ibi agi de cessione merè liberali, prout ex verbo *Liberaliter* ibi posito patet, non de ea, quæ fit in compensationem, & sapit Simoniam.

142 Dub. 6. an si ex tribus, qui Jus præsentandi habent, unus alteri succedat, iste habeat duplex Votum, unum jure proprio, alterum jure successionis? Videtur tantùm unum habere Votum. 1. Quia jus istud individuum est, in solidum singulis competens, ut augeri non possit. 2. Quia sic alteri Compatrono generaretur præjudicium, qui semper ab altero habente duplex Votum superaretur.

Sed dicendum habere duplex Votum. Ita Abb. *in Clem. 2. h. tit. n. 1.* Roch.

Roch. de Curte *V. is, vel ipse n. 12.* Zœs. *hic n. 54.* & videtur probari ex *Clem. cit.* quæ dat Successoribus id Juris, quod defunctus habuit. *Conf.* ex *c. cùm olim 12. de re judic.* ubi ratione duplicis Beneficij duplex Vox est concessa.

Neque urgent Argumenta contraria. *Ad 1.* id nimium probat; probat enim, quòd neque cùm unus fundat, & construit Ecclesiam, alter dotat, priori duplex Vox in presentatione competat. igitur indivisibilitas Juris patronatûs solùm facit, ne pro parte competat uni, pro alia parte alteri. *Ad 2.* prejudicium nemini generatur per id, quod Jure fit.

143 Dub. 7. an Jus patronatûs per Successionem hæreditariam possit etiam transire ad Monasterium, seu Religionem? R. affirmativè: quod duplici modo potest contingere. *Unus* est, si Monasterium, vel Religio bonorum in communi capax instituatur hæres à Laico; tunc enim cum universitate bonorum hæreditatis accessoriè transibit etiam Jus patronatûs. *Alter*, quando patronus Laicus fit Religiosus; nam cùm eo casu per talem ingressum omnia ipsius bona acquirantur Monasterio, cons. etiam acquireretur eidem Jus patronatûs. Si tamen Jure sanguinis ad patronum talem delatum sit, Monasterium jus presentandi habebit solùm durante Vita Religiosi sui, quo mortuo Jus istud deferetur ad consanguineos, qui aliàs ordine agnationis ad successionem vocarentur. Garc. *p. 5. de Benef. c. 1. n. 555.* Tambur. *de Jur. Abb. tom. 3. D. 9. q. 28. n. 1. & 2.* Vivian. *prax. Jur. Patr. l. 4. c. 2. n. 61.* Pirh. *n. 59.*

Dub. 8. an publicatis ob crimen
144 patroni bonis ejusdem omnibus, & fisco addictis, ad hunc etiam Jus patronatûs transeat? R. distinguendo: Vel enim Jus patronatûs est reale, & annexum castro &c. vel contrà est personale, seu per se consistens, & nullis alijs bonis annexum. *Si primum*, accessoriè ad fiscum transit. *Neque obstat*, quòd Princeps Sæcularis non possit privare patronum Jure patronatûs ob delictum ab eo commissum; quia hoc solùm non potest directè, indirectè autem potest, privando scilicet bonis, quibus annexum est, & quorum privationem etiam privatio Juris patronatûs consequitur. *Si secundum*, interest, an per Judicem Ecclesiasticum Jure patronatûs per sententiam privatus sit, vel non. *Si hoc posterius*, sub confiscatione omnium bonorum temporalium non continetur Jus patronatûs, adeoque manebit penes delinquentem, donec eo privetur tanquam indignus, & si, antequam privetur, decedat, & hæreditarium sit, transibit ad hæredem ex Testamento, vel ab intestato ipsius defuncti. *Si prius*, refert, an sit familiare, an hæreditarium. *Si familiare*, juxta dispositionem Fundatoris ad consanguineos transit. *Si hæreditarium*, extinguitur, & Ecclesia fit libera. Abb. *in c. cùm Laici 10. h. tit. n. 3.* Sylv. *V. Jus patronatûs q. 5. dict. 6.* Azor *p. 2. l. 6. c. 20. q. 14.* Garc. *p. 5. de Benef. c. 9. n. 26.* Barbos. *in c. 7. h. t. n. 9.* Zœs. *hic n. 26.* Pirh. *n. 57.* Engl *n. 25.*

II. Jus patronatûs transferri potest 145
Donatione. Patet ex *c. illud 8. h. tit.* & *c. un. pr. eod. in 6.* Et quia Legatum est quædam donatio à testatore facta *pr. Inst. de Legat.* similiter dicendum, quòd transferri possit per Legatum in Testamento relictum, etiam per se, & solitariè. Joan. Andr. *in c. cùm sæculum 13. num. 2. h. tit.* Abb. *ibid. n. 6.* Sylv. *V. Jus Patronatûs q. 4. dict. 6.* Azor *p. 2. l. 6. c. 20. q. 10.* Pirh. *hic n. 58.*

Dub. 1. an, ut donatione, vel legato 146
Jus patronatûs in alium transferatur, opus sit consensu Episcopi? R. interesse, an Jus patronatûs, de cujus alienatione agitur, competat Ecclesiæ, aut Monasterio, an verò Laico, aut alteri personæ privatæ. *Si primum*, ut donare illud Ecclesia, vel Monasterium alteri, etiam Ecclesiæ possit, intervenire debent solennitates ad alienationem rei immobilis Ecclesiasticæ requisitæ; quia Jura ista incorporalia immobilibus accensentur, ut dictum est *Tit. 13. de reb. Eccl. non alien. n. 28.*

Si secundum, altera distinctio est adhibenda, & videndum, an Jus patronatûs reale, an personale sit. *Si reale* est, & annexum Universitati, istâ donatâ, vel legatâ, in donatarium, vel legatarium etiam ipsum transfertur, quamvis Episcopi consensus non interveniat *arg. c. cùm sæculum cit.* Schambog. *hic n. 39.* König *n. 17.*

Si personale, tertiò distinguendum: 147
Vel enim donatur, aut legatur Ecclesiæ, Monasterio, vel etiam Clerico alicui nomine Ecclesiæ, vel Dignitatis, quam obtinet; vel contrà donatur alicui Laico, aut Clerico tanquam personæ privatæ. *Si prius*, donatio, vel Legatum, etiam Episcopi consensu non interveniente, valet, ut clarè decisum est *c. illud 8. h. tit. c. un. eod. in 6.* & notat Laym. *l. 4 tr. 2. c. 13. n. 20.* Passerin. *in c. un. cit. n. 7.* Matthæucc. *in Offic. Eccl. c. 28. n. 48.* Vallens. *hic §. 4. n. 3.* Zœs. *n. 14.* Engl *n. 22.* Pirh. *n. 58. & 60.* Schamb. *n. 42.* Ratio est; quia hujusmodi donatione Ecclesiæ patronatæ conditio efficitur melior, utpote quâ ab Ecclesiastico Patrono minus gravaminis, quàm à Laico timendum habet.

Si posterius, quarta distinctio est ap 148
plicanda, & considerandum, an unus patronus Jus sibi competens remittat alteri Compatrono suo, an illud cedat, & donet, vel legèt extraneo, aut pluribus extraneis. *Primum* fieri liberè, & Episcopo etiam non requisito, potest, ut rectè advertit Gloss. *in c. ex insinuatione 14. V. contulisset h. tit.* Azor *p. 2. l. 6. c. 20. q. 6.* Gonzal. *ad Reg. 8.*

Cancell. gloss. 45. §. 1. n. 58. Laym. *n. 20.* Honor. *hic n. 74.* König *n. 17.* Wiest. *n. 159.* cum alijs *suprà* allegatis, *arg. Clem. plures 2. h. tit.* ubi pluribus patronis permittuntur Conventiones liberæ de præsentationibus alternativè faciendis. igitur etiam cessiones, cùm per eas conditio Ecclesiæ non fiat deterior, sed potius melior, cùm loco duorum Compatronorum acquirat unum.

849 *Secundum* ut licitè, & rectè fiat, opus est, ut fiat accedente consensu Episcopi, qui antequam eum det, discutere debet, an patroni mutatio Ecclesiæ expediat, vel damnosa sit. Ita Abb. *in c. 8. h. tit. n. 5.* Franc. *in 6. un. cit. n. 2.* Roch. de Curte *V. ipse, vel is q. 17. n. 31.* Azor *p. 2. l. 6. c. 20. q. 5.* Laym. *n. 20. cit.* Barbos. *l. 3. Jur. Eccl. c. 12. n. 246.* Matthæucc. *n. 28. cit.* Zœs. *hic n. 15.* Pirh. *n. 61.* cum alijs *suprà*, & sumitur *arg. c. un. cit.* à sensu contrario. *Ratio est*: quia Episcopi ratione curæ universalis, quam habet in Ecclesias suæ Diœcesis, interest, ut sciat, quem quævis Ecclesia patronum habeat, ne fortè Jus patronatûs concedatur Tyranno, aut valde potenti, qui vexet Ecclesiam, & an non fortè interveniat fraus, & non liberalis donatio, sed venditio fiat.

850 Quodsi tamen consensus Episcopi, initio intermissus, post factum accesserit, convalesceret Donatio, vel Legatum perinde, acsi ab initio fuisset valida, ut notant Abb. *cons. 89. n. 2.* Vivian. *l. 4. prax. Jur. Patr. c. 4. n. 3.* Zœs. *hic n. 16.* Pirh. *n. 61. ỳ. porro.* Wiest. *n. 158. arg. c. quoties 2. de pact.* & *c. cùm nos 3. de his, quæ à Prælat.* ne quod in favorem Ecclesiæ introductum est, in odium ejusdem detorqueatur, quod fieret, si mutatio patroni, sine consensu Episcopi facta, maneret invalida, etiamsi postea Episcopus videret eam expedire. Et sufficit probabiliùs consensus tacitus, præsumptus ex taciturnitate Episcopi, scientis mutationem factã, & non contradicentis, ut contra Pirh. *ỳ. porro cit.* advertit Zœs. *n. 19.* & constat ex *Reg. qui tacet, consentire videtur*, ubi deberet loqui, deberet autem Episcopus contradicere, si mutatio esset præjudicios Ecclesiæ. ergo &c.

Dub. 2. quid si patronus Jus patro-851 natûs donet ipsi Ecclesiæ, in qua Jus patronatûs habet? *R.* distinguendo: Vel enim unicum in ea Ecclesia Beneficium est, vel plura donantis præsentationi subjecta.

Si primum, per eam donationem Jus patronatûs extinguitur, & Ecclesia fit liberæ collationis; quia Jus patronatûs est quædam servitus, nulla autem res servitutem habere erga seipsam potest *l. fiquis ædes 30. ff. de Servit. præd. urb.* ubi Paulus, *siquis*, inquit, *ædes, quæ suis ædibus servirent, cùm emisset, traditas sibi accepit, confusa, sublatáque servitus est, & si rursus vendere vult, nominatim imponenda servitus est; alioquin liberæ veniunt.* Gloss. *in 6. un. V. eidem h. tit. in 6.* Franc. *ibid. n. 4.* Pirh. *hìc n. 62.* Idem dicendum, si Laicus Jus patronatûs donet Episcopo ratione Dignitatis suæ in aliqua Ecclesia, vel Beneficio: nam si ad eum spectet jus instituendi, Ecclesia post factam donationem, seu remissionem Juris patronatûs fiet liberæ collationis; alioquin enim Episcopus deberet præsentare sib ipsi, & postea præsentatum instituere, quod est inconveniens. *Excipitur*, nisi donans haberet Compatronum; nam hoc casu Episcopus tanquam patronus præsentabit Rectorem cum Compatrono, & postea tanquam Ordinarius, seu Diœcesanus eum instituet. Lap. *in c. un. cit. n. 5.* Pirh. *l. cit.*

Si secundum, Ecclesia erit Patrona 852 suijpsius, ut ait Gloss. *V. eidem cit.* ita, ut respectu sui quidem, & respectu Rectoris ipsius sit libera, respectu Beneficiorum autem, quæ in ea dantur, & patronatui donantis subjecta erant, serviant sibiipsi; nam per talem donationem Ecclesiæ, vel ejus Rector, aut Capitulum, si Collegiata sit, jus præsentandi ad illa Beneficia obtinebit. Pirh. *hìc n. 62. cit.*

Dub. 3. an patronus Jus patronatûs 853 donare possit, cui placuerit? *R.* distinguendo, an Jus istud eidem competat ex privilegio, an ex fundatione, dotatione &c. *Si primum*, videndum est, quâ formâ concessum sit privilegium. nam si concessum est primo acquirenti & suis liberis, non potest illud transferre extraistos; quia hi non à Patre, sed à Pontifice, privilegium istud concedente, patronatum immediatè acquirunt. Secus verò esset, si concederetur alicui cum potestate transferendi absque Personæ determinatione. Pal. *tr. 13. D. 2. p. 4. n. 8.*

Si secundum, iterum distinguendum, 854 an qui donare vult, sit ipse Institutor primus, an alius, qui ab ipso instituente patronatum accepit. *Si prius*, videndum ex quibus bonis fundaverit Ecclesiam, vel Beneficium patronatum; nam si fundavit illud ex talibus bonis, de quibus extra filios disponere potuit, potest donare Jus patronatûs cuicunque, etiam extraneo: secus, si ex talibus, de quibus extra filios nequivit disponere liberè; quia talis dispositio inofficiosa esset filijs, & retractanda. Pal. *l. cit.*

Si posterius, & primus Institutor pat- 855 ronatum reliquit Titio, ejusque filijs, nepotibus &c. Lambertin. *de Jur. Patron. l. 1. p. 2. q. 2. art. 6. & 8.* putat hoc casu Titium, ejúsque filium &c. transferre Jus patronatûs posse, in quem placuerit, etiam in præjudicium eorum, qui ab Institutore vocati sunt: *ex ratione*; quia vivente Titio nullum Jus habent in patronatu successores illius. ergo absque præjudicio illorum transferre poterit patronatum Titius. *Sed contrarium* omnino tenendum est cum Co-

Covar. *l. 2. var. c. 18. n. 9. ℣. sed quæritur*, Garc. *p. 5. de Benef. c. 9. n. 9. & 70.* Pal. *l. cit. ℣. sed quid.* quia ratione institutionis omnes successores habent jus succedendi in patronatu, quo Jure privari non possunt ex cujusque voluntate; privarentur autem, si patronatus transferri posset pro libitu possidentis.

Dub. 4. utrum Episcopus valeat Jus
156 patronatûs extinctum de novo donare alicui Laico? ℟. negativè cum Ricc. *prax. aur. p. 3. resol. 483.* quia certis tantùm modis constituitur Jus patronatûs, & Episcopus non potest Ecclesijs novum onus imponere. Non tamen videtur negandum, quin aliquando Laico, præsertim minorenni, si v. g. ob non usum Jus patronatûs amiserit, Episcopus per in integrum restitutionem possit succurrere, ut bene Engl *hic n. 27.* quia tali casu non donat Jus patronatûs, sed facit, ut non usui vi adempta, ex Juris dispositione redeat.

III. Potest transferri Jus patronatûs
157 *Venditione* rei, e. g. hæreditatis, Castri &c. cui Jus patronatûs accessoriè est annexum *c. cùm sæculum 13.* junct. Gloss. *V. emptorum*, & *c. ex litteris 7. h. tit.*

Dub. 1. quomodo Jus patronatûs acquiri possit venditione? ℟. Certum est ipsum Jus patronatûs per se, & solitariè nec vendi, nec emi sine labe Simoniæ posse, cùm Jus Spirituale sit, vel spirituali annexum. Estque ejusmodi venditio ipso Jure irrita, ut patet ex *c. de Jure 16.* junct. Gloss. *ibid. V. irritum h. tit.* & qui vendere illud attentat, à Trid. *sess. 25. c. 9. de reform.* si personæ singulares sint, Excommunicationis, si Communitates, Interdicti pœnis jubentur subjici: atque insuper Venditor ipso facto amittit Jus Patronatûs, & Ecclesia evadit libera. Joan. Andr. *in c. 6. h. tit. n. 5.* Vivian. *l. 4. prax. Jur. Patr. c. 5. n. 9. & seq.* Barbos. *de Trid. c. 9. cit. n. 81.* Engl *hic n. 23.* Pirh. *n. 21.* Wiest. *n. 163.* Pretium quoque occasione Venditionis hujusmodi acceptum neque venditori, qui vendere Jus Patronatûs non potuit, neque emptori, qui in mala fide fuit Simoniacè emendo, sed potiùs Ecclesiæ, quæ per talem venditionem injuriam passa est, applicandum erit. Abb. *in c. 16. cit. n. 3.* Vivian. *l. cit. n. 15.* Barbos. *in c. cit. n. 5.* cum alijs *suprà.*

158 Supereſt igitur, ut per venditionem transferatur solùm accessoriè, sc. venditâ Villâ, castro &c. cui annexum est. Vivian. *c. 5. cit. n. 2.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 20. ℣. denique.* Vallens. *hic §. 4. n. 1.* Pirh. *n. 40.* Schamb. *n. 47.* König *n. 19.* Dixi, *cui annexum est*; nam si non Universitati bonorum, sed personæ Venditoris cohæreat, adeoque sit personale, & personæ primariò competens, vendita Universitate, non transit Jus Patronatûs ad Emptorem, ut ex probabiliore sententia docet Suar. *l. 4. de Simon. c. 28. n. 19.* Garc. *p. 5. de Benef. c. 9. n. 16.* Zœs. *hic n. 23.* Pirh. *n. 74.* Ratio est; quia si tali casu ex vi venditionis omnium bonorum etiam ipsum transiret, transiret, quia censeretur tanquam pars universitatis bonorum, & per se vendita partialiter, quod Simoniam saperet. Aliud verò est de hæreditate, cum qua transit etiam Jus Patronatûs, non quidem ex vi bonorum, quæ relinquuntur in hæreditate, sed ex vi Juris hæreditarij, ex vi cujus universum Jus defuncti in hæredem transmittitur: quod non fit in Emptione Venditone.

Dub. 2. utrum casu, quo Villa, vel
159 Castrum annexum habet Jus Patronatûs, ob hunc annexum pluris vendi possit, quàm si annexum illum non haberet? Affirmat Garc. *p. 5. de Benef. c. 9. n. 35.* & favet Molin. *tom. 3. de J. & J. D. 620. n. 6. ad fin.* moti ea ratione; quia res eo pluris æstimatur, quo excellentioribus qualitatibus ornata est, atqui qualitas Patronatûs est valde excellens. ergo ratione illius res pluris æstimari debet. *Conf.* si res ob Patronum annexum pluris æstimari non posset, ideo non posset, quia Patronatus est qualitas Spiritualis. atqui non est purè Spiritualis, sed habet temporalitatem annexam v. g. honorificentiorem locum in Ecclesia, jus alimentorum petendorum in egestate &c. ergo ob has rationes res pluris æstimari potest.

Sed dicendum, non posse villam, aut Castrum pluris vendi ob Patronatum annexum, quàm si illo careret. Ita Azor *p. 2. l. 6. c. 20. q. 8.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 4. n. 10.* Laym. *n. 20. cit. ℣. nota.* Passerin. *in c. un. h. tit. in 6. n. 4.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 28. n. 47.* Vallens. *hic §. 4. n. 1.* Zœs. *n. 24.* Engl *n. 23. not. 5.* Pirh. *n. 74.* König *n. 19.* Wiest. *n. 162.* & aliorum communis doctrina. *Ratio est*; quia si hoc intuitu pluris venderetur, censeretur tacitè vendi ipsum Jus Patronatûs, quod fieri non potest, cùm sit Spirituale, vel Spirituali annexum. *Conf.* à paritate cum Calice consecrato, qui ob consecrationem pluris vendi non potest, quàm venderetur, si consecratus non esset.

Ad Rationem dubitandi, & *Conf.* adjectam dico, qualitates has temporales annexas patronatui non constituere Villam, vel Castrum pluris vendibile; quia non ipsis qualitatibus per se, sed Juri Spirituali, ex quo nascitur, attenditur: unde cùm hoc invendibile sit, ea de causa non reddit villam, aut Castrum, cui annectitur, majori pretio dignum.

Dub. 3. an valeat Venditio hac for-
160 mâ, *Vendo tibi Universitatem cum Jure Patronatûs*? Ratio dubitandi est, quòd hac formâ videatur Jus Patronatûs non venire accessoriè, sed per se vendi propter expressionem. Sed dicendum est, non esse vitiosum talem contractum, & Jus istud adhuc transire accessoriè, quòd dictio *Cum* denotet

notet acceſſionem, ut adeo procedat Regula, quòd expreſſio ejus, quod tacitè ineſt, non vitiet *arg. l. hæc verba 3. ff. de Legat. 1.* Zœſ. *hic n. 21.*

Majus dubium eſt, ſi Venditor dicat, *Vendo tibi univerſitatem*, & *Jus Patronatûs*? nam ratione dictionis copulativæ *Et* videtur utrumque venire principaliter, ut adeò videatur etiam vendi Jus Patronatûs. Sed ſi bona ſit intentio Venditoris, & pretium non excedat valorem rei, venditio iſta etiam in foro exteriori pro vitioſa haberi non debet, cùm non referat, quibus verbis contractus ſit conceptus, poſitque expreſſio iſta habere ſenſum, qui culpam excuſet, quòd ſcilicèt eo fine ſit facta, ut non putetur Jus iſtud reſervatum, & ſeparatum à re: qui ſenſus, cùm delictum excludat, potiùs accipiendus eſt, quàm contrarius, qui delictum ponit. Azor *p. 2. l. 6. c. 20. q. 8. fin.* Zœſ. *hic n. 22.* Pirh. *n. 75. ibid.*

161 IV. Jus Patronatûs transferri poteſt *permutatione*, prout patet ex *can. nemini 40. cauſ. 16. q. 7.*

Dub. 1. quale Jus Patronatûs, & pro qua re permutari poſſit? R. diſtinguendo; nam *Jus Patronatûs reale*, & annexum Caſtro &c. acceſſoriè permutari cum re quacunque etiam temporali poteſt, modò ratione ipſius non petatur aliquid plus, quàm valeat Caſtrum, cui annexum eſt. *Perſonale* permutari quidem poteſt, non tamen pro re, vel Jure aliquo temporali (ſic enim apertè committeretur Simonia) ſed pro Spirituali, aut etiam alio Jure Patronatûs, interveniente tamen conſenſu Epiſcopi, ſaltem ſi permutatione transferatur in Laicum. Sylv. *V. Jus Patronatûs q. 5. dict. 2.* Roch. de Curte *V. ipſe, vel is q. 16. n. 18.* Azor *p. 2. l. 6. c. 20. q. 7.* Vivian. *l. 4. prax. Jur. Patron. c. 3. n. 1. & ſeqq.* Laym *l. 4. tr. 2. c. 20. §. permutatione*, Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg. 71. n. 31.* Pal. *tr. 15 D. 2 p. 4. n. 9.* Zœſ. *hic n. 25.* Pirh. *n. 79.* Schamb. *n. 51.* König *n. 18.* Wieſt. *n. 160.*

162 Dub. 2. an Jus Patronatûs permutari poſſit à Laico cum immunitate ab obligatione ſolvendi Decimas, vel cum jure percipiendi Decimas, quod alicui Monaſterio ex fundis alienis competit? R. ad utrumque negativè. *Ad 1.* quidem; quia Immunitas ab obligatione ſolvendi Decimas eſt aliquid merè temporale, cùm inſtar aliorum Jurium temporalium ſine privilegio Apoſtolico verè, ac juridicè poſſideri, & præſcribi à Laico poſſit: conſ. permutando Jus Patronatûs cum immunitate ab obligatione ſolvendi Decimas daretur Spirituale, vel Spirituali annexum pro temporali. *Ad 2.* autem; quia etſi eo caſu periculum Simoniæ non foret, cùm etiam Jus percipiendi Decimas Spirituale ſit, Laicus tamen, ſecluſo privilegio Apoſtolico, eſt incapax poſſidendi hoc Jus, ut *Tit. 30. à. n. 45.* latiùs dixi.

V. Transferri Jus Patronatûs poteſt 163 *Infeudatione*, & *Emphyteuticatione* Caſtri, Villæ, Prædij &c. cui Jus Patronatûs annexum eſt *c. ex litteris 7.* & *cùm ſæculum 13. h. tit.* In quo iterum adhibenda eſt diſtinctio, quæ *ſuprà n. 157.* de Venditione; nam per ſe Jus Patronatûs infeudari, aut Emphyteuticari non poteſt, niſi à ſolo Papa. Lambertin. *de Jur. Patron. l. 1. p. 2. q. 7. art. 1.* Vivian. *prax. Jur. Patron. l. 4. c. 6. n. 1.* Pirh. *hic n. 81.* etiamſi allegaretur conſuetudo immemorialis. Vivian. *l. cit.* acceſſoriè autem cum feudo continente Univerſitatem, & ſic cum ipſa Univerſitate tranſit Jus Patronatûs. Sylv. *V. Jus Patronatûs q. 5. dict. 5.* Azor *p. 2. l. 6. c. 20. q. 12.* Vivian. *l. cit. n. 2.* Pirh. *n. 81. cit.* Ratio eſt; quia Jus Patronatûs eſt quidam quaſi fructus, & commodum rei, quod acceſſoriè, & in conſequentiam ad feudatarium transfertur.

VI. *Locatione* talis villæ, prædij &c. 164 quod habet annexum Jus Patronatûs. Interpp. *in c. ex litteris cit.* nam ipſum Jus Patronatûs, ſicut infeudari, & Emphyteuticari, ita neque locari per ſe, & ſolitariè poteſt. Vivian. *c. 6. cit. n. 4.* Quoad fructus, & commoda temporalia, quæ Patronus juſtè percipere poteſt, diſtinguendum eſt: Vel enim ij reditus, aut commoda ſunt certa, & determinata v. g. certa pars fructuum, vel certa penſio annua, vel ſunt incerta. *Si primum*, vendi, & locari alteri perſonæ poſſunt, quæ illas commoditates percipiat nomine, & authoritate patroni, ita, ut titulus, ſeu Jus Patronatûs maneat penes ipſum venditorem, vel locatorem *arg. c. fin. ne Prælati vices ſuas &c.* ſicut etiam commoditas Uſusfructûs vendi poteſt alteri, jure Uſusfructûs remanente penes Uſufructuarium *l. neceſſariò 8. §. fin. ff. de peric. & commod. re vendit. Si ſecundum*, vendi poſſunt, ſicut vendi poteſt jactus retis, partus ancillæ, & fructus naſcituri *l. ſi jactum 12. ff. de act. empt.* *Excipiendum* tamen videtur, niſi ſint operæ, vel præſtationes non abſolutè reales, ſed perſonales debitæ perſonæ patroni v. g. ut alimenta ei præſtentur, velut ipſo adveniente, aut tranſeunte Eccleſia; aut ſubditi Eccleſiæ vecturas, vel angarias præſtent; hæc enim non poſſunt vendi alij: quia inhærent perſonæ patroni, cui talia obſequia debentur. Pirh. *hic n. 41.*

VII. *Privilegio Apoſtolico* propter 165 ſummam, & liberam, quam Papa habet, de Beneficijs, & Juribus, iſtorum collationem ſpectantibus, diſponendi poteſtatem *c. licet 2. de Præbend in 6.* & *Clem. un. ut lit. pend.* Ubi tria ſunt obſervanda. 1. privilegium iſtud concedi nequit ab alio, quàm à Summo Pont. ut conſtat ex *6. hoc conſultiſſimo 2. de reb. Eccl. non alien. in 6.* Azor *p. 2. l. 6. c. 19. q. ult.* Pirh. *hic n. 12.* nam hujusmodi privilegia per Trid. *ſeſſ. 25. c. 9 de reform.* ſublata ſunt, ut notat Garc. *p. 5. de Benef. c. 9 n.*

9. n. 115. 2. concessum esse debet ex causa onerosa : nam laudata Synodus *l. cit.* abrogavit omnes Patronatus competentes ex privilegio merè gratuito, præterquam illos, qui Imperatori, Regibus, aliisque Summis principibus, aut in favorem Studiorum Generalium concessi sunt. Wiest. *hic n. 170.* Unde ut tale privilegium, post dictum Trid. Decretum concessum, ratum, ac firmum sit, necesse est, ut in eo addatur clausula derogatoria istius Decreti. Pirh. *l. cit. ℣. Quare.* 3. si tanquam Laicale alicui ex fundatione, constructione, dotatione ante competijt, ut ab hoc ad alium censeatur translatum per privilegium, hujus fieri debet expressa mentio ; quia Juri Patronatûs Laicalis per privilegium suum Pontifex nunquam derogare censetur, nisi hoc exprimat. Pal. *tr. 13. D. 2. p. 10. n. 3.*

161 VIII. *Consuetudine*, vel potiùs *Præscriptione* : ubi distinguendum est inter Ecclesiam liberam, & inter eam, quæ jam antè Patronatui subjecta erat. *Si libera fuit*, ut in ea præscriptum dicatur Jus Patronatûs, opus est possessione 40. annorum cum titulo, aut sine hoc temporis immemorialis, ut rectè advertunt Frid. de Senis *Cons. 274.* Roland. à Valle *l. 1. cons. 47. n. 4.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 70. n. 19.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 2. n. 12.* Wiest. *hic. n. 173. Excipitur*, si præscribens sit Laicus ; nam huic, ut patet ex Trid. *sess. 25. c. 9. de reform.* non prodest præscriptio, nisi ea sit temporis immemorialis. *Si Patronata jam fuit antea*, videndum, an Jus Patronatûs præscribatur adversùs Laicum, sive cui illud ratione proprij Patrimonij competit, an verò contra Ecclesiasticum, sive qui illud ratione Dignitatis, Beneficij, officij, vel administrationis Ecclesiasticæ obtinet. *Si prius*, adversùs præsentem 10. adversùs absentem 20. annis cum titulo ; cum titulo annis 30. præscribitur, eo prorsus modo, ut alia bona, & Jura. *Si posterius*, tertia distinctione opus est, & dicendum ab Ecclesiasticis præscribi annis 40. à Laicis nunc post Trid. ut dictum est, tempore immemoriali.

§. III.

De Actu Præsentationis.

SUMMARIUM.

167. *Præsentari ad Beneficium Ecclesiasticum vacans à Patrono potest tantùm Clericus.*
168. *Qui persona digna sit.*
169. *Non potest Patronus præsentare seipsum.*
170. 171. 172. *Casus, quibus Patronus consequi Beneficium Patronatum potest.*
173. 174. 175. *An possit Patronus præsentare filium suum ?*
176. 177. *An valida sit præsentatio non instructi ea qualitate, quæ ex mente Fundatoris requiritur ?*
178. 179. 180. *An quando Fundator voluit, ut ad Beneficium præsentetur aliquis de consanguineis, eligi debeat propinquior ?*
181. 182. 183. *Quæ computatio Graduum, Canonica, an Civilis, hoc casu servanda sit ?*
184. *An ex duobus æquè propinquis præferendus sit descendens ex linea masculina præ descendente ex fœminina ?*
185. *Et consanguineus mariti præ consanguineo uxoris in Beneficio erecto pro Consanguineis utriusque ?*
186. *An Legitimatus per rescriptum Papæ sit capax Beneficij Familiaris ?*
187. *Quid in hoc operetur Rescriptum Principis Sæcularis ?*
188. *Quid dicendum de non legitimatis, habilitatis tamen ad Beneficia ?*
189. *Quæ sit obligatio præsentandi dignum ?*
190. *Quando minùs dignus præferendus sit digniori ?*
191. *An Patronus Laicus satisfaciat præsentando dignum ?*
192. *Quid dicendum de Ecclesiastico ?*
193. *Quid in foro conscientiæ ?*
194. *Patronus potest duos præsentare simul.*
195. *Laicus etiam variare.*
196. *Manente tamen Jure priùs præsentati.*
197. *Potestas hæc variandi etiam transit ad hæredem, & successorem Patroni Laici.*
198. *An Patrono Ecclesiastico non saltem permissa sit variatio in Patronatu mixto ?*
199. 200. *An tum variare possit etiam Laicus ?*
201. *Quoties hic variare possit ?*
202. *Respondetur posse non una vice tantùm, sed sæpiùs.*
203. *Solvuntur Argumenta opposita.*
204. *An variare possit, non obstante Juramento, quo promisit se non variaturum ?*
205. 206. *An tum præsentatio digni facta contra Juramentum valeat ?*
207. 208. *An variare possit, pendente lite ?*
209. 210. *Quis ex duobus, vel pluribus successive, aut simul præsentatis instituendus sit, quando ij præsentati sunt ab eodem ?*
211. *Quis, si plures à diversis numero impari ?*
212. *Quis, si pari numero ?*
213. *An casu, quo ex pluribus præsentatis neuter apparet dignior, institui possit tertius ?*
214. *Resolvitur negativa.*
215. *Respondetur ad Argumenta opposita.*
216. *Quid dicendum, si Ordinarius dignum à Patrono præsentatum malitiosè rejecit, & instituit secundò præsentatum ?*
217. *Intra quod tempus præsentatio fieri debeat ?*
218. *An tempus istud continuum sit ?*

219. *An lapso illo, locus adhuc sit præsentationi?*
220. 221. 222. 223. *Quibus casibus?*
224. 225. 226. 227. *An tempus hoc currat, etiam pendente lite inter Patronos?*
228. *An prorogari illud possit ab Ordinario?*
229. 230. 231. *Vel ipso Fundatore?*
232. *Quid Juris, si præsentatio in tempore facta effectum non est sortita?*

167 QUæritur 1. quis præsentari ad Beneficium Ecclesiasticum vacans à Patrono possit, & debeat? R. 1. debet esse persona Institutionis capax. Et hinc præsentari nequeunt Illegitimus, Neophytus, Servus, Excommunicatus, Irregularis; quia non possunt institui. Item Laicus, qui nullo Ordine, & ne quidem primâ Tonsurâ insignitus est: neque sufficit, si ante Institutionem ordinetur, sed debet præsentandus tempore præsentationis esse capax Institutionis; quia per Præsentationem datur alicui Jus ad rem, sive actio ad Beneficium, quod Laicis non videtur competere. Flam. *l. 4. de resign. q. 2. n. 5.* Lambertin. *l. 2. p. 3. q. 2. art. 3.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 7. n. 1.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 72. n. 73. & 78.* Pirh. *hic n. 95.* qui cum Rota *in Imolensi Juris Patronatûs coram D. Orano 19. Novembr. 1584.* excipiunt, nisi Laicus post breve temporis intervallum Clericali Ordine insigniretur; nam tunc præsentatus non est penitus inhabilis, si ante Institutionem Clericalem Tonsuram acciperet.

168 2. Debet esse persona digna, h. e. omnibus qualitatibus in Beneficiato, spectatâ tam naturâ Beneficij, quàm mente Fundatoris requisitis instructa, prout convenit inter omnes. Et hinc si Beneficium à Fundatore fundatum sit pro descendentibus, ejus consanguineis, aut hæredibus ex certa familia, loco, vel Provincia oriundis, Gradu Litterario insignitis, aut alia qualitate præditis, tales ad illud præsentari debent, & aliter facta præsentatio vel rescissioni obnoxia, vel irrita est. Lambertin. *l. 2. p. 3. q. 5. art. 4. n. 8.* Roch. de Curte *V. Honorificum q. 18. in fin.* Gutier. *l. 2. qq. can. c. 11. n. 37.* Wiest. *hic n. 120.*

169 3. Debet esse persona distincta ab ipso Patrono: ac proinde iste, etsi aliàs Beneficio dignus præ alijs sit, præsentare seipsum nequit per textum, & Gloss. *c. per nostras 26. h. tit.* & *c. fin. de Instit.* quibus locis inter præsentantem, & præsentatum exigitur distinctio personarum. *Proceditque hoc* etiamsi præsentatio ejus fieret per Procuratorem à se constitutum; quia adhuc Patronus præsentari censeretur à seipso *arg. Reg. qui facit 72. in 6.* Imò, ut probabiliùs Lambertin. *l. 2. p. 1. q. 8. art. 11.* Roch. de Curte *V. ipse, vel is q. 20. n. 37.* Vivian. *prax. Jur. Patr. l. 6. c. 9. n. 22.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 72. n. 95.* Zoes. *hic n. 34.* Pirh. *n. 90.* & *extenditur secundò.* Schambog. *n. 56.* Wiest. *n. 116.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de reb. Eccl. c. 3. n. 112.* docent, ipse Patronus præsentari etiam non potest ab eo, cui Jus Patronatûs non perpetuò, sed pro ea tantùm vice donavit; quia donatio hæc præsumitur facta in fraudem, ut à donatario præsentetur ipse Patronatus.

Dub. 1. an nunquam Patronus consequi Beneficium Patronatûs sui possit? 170
R. potest in sequentibus tribus casibus. 1. Si Episcopus, vel alius Prælatus, ad quem Institutio spectat, ei ad se vocato Beneficium, in quo ipse Jus Patronatûs habet, proprio motu conferat, & Patronatus conferenti consentiat; quia tunc dictus Patronus non se ingerit, nec se præsentat contra prohibitionem *c. per nostras cit.* sed vocatur à DEO tanquam Aaron. Abb. *in c. per nostras cit. n. 3.* Sylv. *V. Jus Patronatûs q. 7.* Stephan. Gratian. *Discept. for. c. 430. n. 5.* Vasq. *Opusc. de Benef. c. 2. §. 1. dub. 4.* Less. *l. 2. de I. & I. c. 34. n. 28.* Vivian. *l. 6. c. 9. n. 6.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 7. n. 2.* Vallens. *hic §. 5. n. 3.* Zoes. *n. 34.* Honor. *n. 50.* Pirh. *n. 91.* Schambog. *n. 56.* Wiest. *n. 118.*

2. Si, ut sibi conferatur, oblatis pre 171
cibus supplicet Episcopo, vel alteri Collatori, & iste deferat supplicanti. Abb. *in c. 26. h. tit. n. 4.* Lambertin. *l. 2. p. 1. q. 8. art. 3.* Zerol. *prax. Episc. p. 1. V. Jus Patronatûs § 21.* Barbos. *in c. 26. h. tit. n. 5.* Engl *hic n. 3.* Pirh. *n. 91.* Schambog. *n. 56.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Reb. Eccl. c. 3. n. 117.* nam Patronus procedere per viam deprecationis, & supplicare Episcopo potest, ut sibi conferat Beneficium, & illo casu potest Episcopus illum gratificando admittere, prout censuit Rota *in Regiensi Juris Patronatûs 15. Jan. 1624.* & *in eadem 5 Mart. 1625.* & *in Bareinonensi Beneficij 2. Maij 1625.*

3. Si habeat unum, vel plures Com- 172
patronos, & ipse præsentationi sui ab ipsis factæ consentiat. Gloss. *fin. in c. consuluit 15. h. tit.* Abb. *ibid. n. 4.* Lambertin. *l. 2. p. 1. q. 8. art. 5.* Roch. de Curte *V. honorificum q. 4. n. 20.* Azor *p. 2. l. 6. c. 21. q. 3.* Vivian. *prax. Jur. Patr. l. 6. c. 9. n. 10.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 72. n. 91.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 7. n. 3.* Vallens. *hic §. 6. n. 3.* Zoes. *n. 34.* & *35.* Honor. *n. 50.* Pirh. *n. 94.* Engl *n. 3.* Wiest. *n. 119.* & colligitur *arg. c. cùm in Jure 33. de Elect.* ubi Compromissarij permittuntur unum eligere ex seipsis, & hic sui ipsius electioni consentire potest: & ratio est; quia sic facta Patroni præsentatio originem ducit non ab ipso Patrono sed ab alijs eam inchoantibus.

Dub. 2. an Pater præsentare etiam 178
nequeat suum filium? *Videtur* non posse; quia filius, & pater una, eadémque persona à Jure censentur *l. fin. C. de Impub. substit.* &

& hinc quidquid filius, præsertim à Patre acquirit, non sibi, sed patri acquirit §. *igitur 1. Inst. per quas personas* &c. cons. Pater præsentando filium in effectu præsentare videretur se ipsum. *Conf.* ex *c. consuluit 15. h. tit.* ubi prohibetur, ne Patronus vel sibi ipsi reservet, vel filio concedat Beneficium.

174 Sed tenenda est affirmativa Sententia, quam etiam defendit Gloss. *in c. consuluit cit. V. authoritate*, Abb. *ibid. n. 3.* Paul. de Cittadin. *de Jur. Patron. p. 6. n. 3.* Lambertin. *l. 2. p. 1. q. 8. art. 12.* Azor *p. 2. l. 6. c. 21. q. 2.* Less. *l. 2. de I. & I. c. 34. n. 28. fin.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 72. n. 94.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 7. n. 4.* Vivian. *prax. Jur. Patron. l. 6. c. 9. n. 23.* Vall. *hic* §. *5. n. 3.* Zœs. *n. 35.* Honor. *n. 50.* Engl *hic n. 3. V. filios*, Pirh. *n. 92.* Schambog. *n. 56.* König *n. 32.* Wiest. *n. 117.* & isto teste cæteri magno consensu. Colligitur ex *c. consuluit cit.* ubi Laicis solùm prohibetur, ne filijs suis propria Authoritate Ecclesias concedant. hoc non faciunt, si eosdem ad has præsentant; quia illas, admissa præsentatione, consequuntur ab Episcopo. ergo &c. *Conf 1.* quia Pater Electionis suffragium permittitur conferre in filium, & vicissim ille in Patrem *arg. l. illius 5. ff. quod cujusque Univers. nom.* ergo multo magis præsentare, *Conf 2.* quia aliàs filius Patroni esset deterioris conditionis, quàm alij extranei, qui per Patronum præsentari possunt.

175 *Neque obstat Ratio dubitandi*; quia imprimis filius patri non acquirit in Spiritualibus, sed tantùm in temporalibus, sc. bonis profectitijs, & adventitijs quoad Usumfructum. Deinde filius, & pater pro una, eadémque persona censentur tantùm in casibus à Jure expressis, qualis non est Electio, Collatio, & Præsentatio: unde *arg. c. cùm apud 23. de Sponsal.* hoc ipso, quia præsentatio filij non invenitur Patri in Jure prohibita, concessa censebitur. *Ad Conf.* textus ille intelligi debet non de præsentatione, sed de ipsa concessione, sive usurpatione Beneficiorum, quæ fit sine authoritate Episcopi, ut ex textu satis apparet.

176 Dub. 3. an casu, quo ex Fundatoris voluntate certa qualitas requiritur in præsentato, valida sit præsentatio alterius tali qualitate non instructi, quando illorum, qui ex mente Fundatoris præsentandi essent, nemo contradicit? R. cum Gutier. *l. 2. can. qq. c. 11. n. 37.* Garc. *p. 7. de Benef. c. 15. à n. 1.* Pal. *tr. 13. D. 4. p. 9. n. 4.* Wiestner *hic n. 121.* distinguendo, an certa qualitas in Clerico præsentando exposcatur favore personarum, præditarum tali qualitate, e.g. consanguineorum Fundatoris, aut oriundorum ex certa familia, loco, Provincia; an contrà qualitas certa e. g. Gradus litterarius, aut certum tempus Studiorum Theologici, aut Juridici exigatur favore ipsius Ecclesiæ, vel Beneficij, ut scilicet isti de persona magis idonea provideatur, vel illius obligationibus melius satisfiat.

177 *Si primum*, præsentatio hujusmodi, non ignorantibus, & non contradicentibus illis, qui præsentari debuissent, facta, est valida; quia quilibet favori, pro se principaliter introducto, renuntiare potest, & in tali casu eidem actu censentur renuntiare, qui ita tacent *arg. Reg. qui tacet 43 in 6.*

Si secundum, præsentatio personæ ea qualitate non præditæ irrita est, tametsi nullus ex ijs, qui illa qualitate sunt præditi, contradicat; quia favori publico nemo privatorum renuntiare potest *c. si diligenti 12. de for. compet.* & *l. Jus publicum 38. ff. de pact.* Poterit igitur ejusmodi præsentatio, nemine petente, ab Institutore ordinario rejici.

178 Dub. 4. an quando Fundator voluit, ut ad Beneficium à se fundatum præsentetur aliquis de consanguineis, vel de progenie sua, ipsius in Jure Patronatûs Successor possit præsentare ex consanguineis, quem maluerit, an verò teneatur eligere propinquiorem? Satis convenit inter DD. casu, quo in Fundationis Instrumento expressum est, ut consanguineus proximior præsentetur, standum esse voluntate Fundatoris, & præferendum proximiorem, qui talis sit respectu ipsius Fundatoris, non ultimi possessoris Beneficij; quia Fundator, cùm propinquiorem præfert, præferre semper præsumitur sibi propinquiorem. Lambertin. *l. 2. p. 3. q. 5. art. 4. n. 12. & 15.* Garc. *p. 7. de Benef. c. 15. à n. 20.* Vasq. *de testam. c. 8.* §. *3. dub. 2. n. 48.* Pal. *tr. 13. D. 4. p. 9. n. 6.* Card. de Luca *de Jur. Patron. Disc. 45. n. 6.* Wiest. *hic n. 26.*

179 *Major Controversia est*, si genericè sólùm statutum sit, ut præsentetur consanguineus. Lambertinus *n. 12. cit.* Garc. *n. 17.* Gutier. *l. 15. qq. can. c. 11. n. 38.* & *conf. 26. n. 11.* volunt etiam hoc casu ex obligatione præsentandum propinquiorem Fundatori; quia hic censetur voluisse præsentari illum, quem prædilexisse præsumitur. præsumitur autem prædilexisse propinquiorem sibi, ergo &c. *Conf.* ex *Novell. 118. c. 3. pr.* & *l. 2. feud. tit. 50. ad fin.* ubi in feudorum, & intestatorum successionibus præfertur propinquior, & remotior excluditur.

180 Sed verisimiliùs etiam remotior præsentari à patrono potest, prout existimat Rodriq. *Summ. tom. 1. c. 106.* Pal. *p. 9. cit. n. 5.* Card. de Luca *n. 3.* Wiest. *n. 124. Ratio est*, quia in dubio mens Fundatoris ita explicanda est, quò magis id utile est Ecclesiæ, & minùs receditur à Jure communi. utrumque obtinetur, si relinquatur in arbitrio successoris, ut ex consanguineis præsentet, quem velit: primum quidem; quia sic sperari potest præsentandum magis idoneum: alterum autem; quia sic conservatur Patrono Laico potestas variandi eidem à Jure communi concessa.

Ex quo corruunt Argumenta adversæ sententiæ.

181 Dub. 5. an casu, quo ex Fundatoris voluntate præsentandus est propinquior consanguineus, præsentari debeat consanguineus propinquior secundùm computationem Canonicam, an Civilem? Canonicam computationem attendendam volunt Cævall. *comm. contr. comm. q. 398. n. 29.* & Stephan. Gratian. *Discept. for. c. 77. à n. 10.* ex ratione; quia Beneficia Ecclesiastica non deferuntur Jure hæreditariæ successionis, eorúmque causæ sunt Ecclesiasticæ, & secundùm Sanctiones Canonicas decidendæ: consequenter Graduum computatio Canonica in casu proposito est præferenda Civili.

182 Sed probabiliùs præsentandus est is, qui secundùm computationem Civilem propinquior est. Ita Felin. *in c. ex litteris 11. de Constit. n. 4.* Benedictus *in c. Raynutius 16. de Testam. v. & uxorem n. 85.* Garc. *p. 7. de Benef. c. 15. n. 25.* Pal. *tr. 13 D. 4. p. 9. n. 10.* Wiest. *hic n. 128. Ratio est*; quia licèt Beneficium Ecclesiasticum non per successionem hæreditariam, sed collatione Ordinarij acquiratur, tamen si Patrimoniale sit, ad successionis hæreditariæ modum, & sicut alia Jura, proximiori consanguineo assignata, defertur. atqui in his etiam in foro Canonico attendenda est computatio Graduum Legalis, non Canonica, quæ ex communi DD. locum duntaxat habet in Matrimonijs. ergo &c. Ex quo cadit Argumentum adversæ Sententiæ.

183 Excipit Pal. *l. cit.* nisi Fundator consanguineos intra quartum gradum determinaret; quia ratione hujus determinationis, & designationis Canonicam computationem videtur attendisse, in qua solùm consanguinitas usque ad quartum Graduum extenditur.

184 Dub. 6. an si duo sint æquè propinqui, alius descendens per lineam masculinam, alius per fœmininam, patronus obligatus sit descendentem per lineam masculinam præferre descendenti per lineam fœmininam? Negat Garc. *p. 7. de Benef. c. 15. n. 21.* quia in Capellanijs non tractatur de conservanda agnatione, ac proinde non videtur sufficiens ratio præferendi descendentem per lineam masculinam illi, qui descendit per fœmininam. Sed Pal. *p. 9. cit. n. 7.* verius putat hunc præferendum, eò quòd descendens per lineam masculinam semper præsumatur magis dilectus fundatori, utpote qui ejus agnationem excellentiori viâ conservat.

185 Ex quo contrà Garc. *l. cit. n. 22.* idem Pal. *n. 8.* cum Cævall. *opin. comm. contr. comm. q. 265. à n. 13.* infert, casu, quo uxor, & maritus ex bonis communibus Capellaniam fundarent conferendam utriusque consanguineis, & adessent gradu æquales, unus uxoris, alter mariti consanguineus, posteriorem præferendum priori; quia sicut maritus in fundatione videtur esse persona præcipua, ita etiam in electione ejus consanguinei præferri debent. *Excipitur*, nisi consanguinei uxoris priùs nominati essent; nam ex scripturæ nominatione prævia colligitur mens mariti fuisse illos præferre, ut latè Felin. *in c. dilecta v. ordo Scripturæ de Rescript. n. 4. & seqq.* Gomez *tom. 1. var. c. 2. n. 4. & 5.* Gutier. *cons. 26. n. 10.*

186 Dub. 7. an casu, quo Beneficium fundatum est pro consanguineis, vel descendentibus, præsentari ad illud valeat illegitimus, vel spurius, ad Beneficia obtinenda habilitatus dispensatione Apostolica? Satìs convenit inter DD. posse, imò casu, quo propinquior consanguineus ex fundatione præsentandus est, remotiori consanguineo legitimo præferri, si ille legitimatus sit rescripto Papæ. Navar. *h. tit. cons. 4.* Garc. *p. 7. de Benef. c. 15. n. 46.* Pal. *tr. 13. D. 4 p. 9. n. 11.* Wiest. *hic n. 129. Ratio est*; quia per hujusmodi legitimationem illegitimus quoad Ecclesiastica natalibus plenè restituitur.

187 *Difficultas est*, an idem dicendum sit de legitimato per rescriptum Principis Sæcularis? *Et ratio dubitandi est*; quia legitimatio Principis Sæcularis ultra successiones, & alios temporales effectus vim suam non porrigit *arg. c. decernimus 2. & c. seq. de Judic.*

Sed probabiliùs etiam talis legitimatio ei proficit, modò ad Beneficia sit dispensatus. Garc. *l. cit. n. 47.* Pal. *n. 11.* Wiest. *n. 130. Ratio est*; quia facit, ut sit de familia, & parentela fundatoris. igitur modò Beneficij capax sit redditus, illegitimi natales eundem amplius non impedient, quo minùs præsentetur ad Beneficium erectum pro ijs, qui sunt de familia.

Ad Rationem dubitandi legitimatio Principis directè se non debet extendere ad ipsum Beneficium, sed tantùm debet facere, ut legitimatus sit de familia fundatoris, qui aliàs est Patris incerti: quo facto Beneficium eidem conferetur vi dispensationis Papalis.

188 *Gravior dubitatio est*, an illegitimi, per dispensationem quidem habilitati ad Beneficia, non tamen legitimati, præsentari possint ad Beneficium institutum à fundatore pro suis cognatis, & consanguineis? R. distinguendo inter illegitimos ex parte matris, & illegitimos ex parte patris. *Illegitimi ex parte matris* præsentari ad Beneficium ab ipsa pro suis cognatis relictum possunt; quia respectu ipsius nulla est incertitudo, ac proinde sunt de ejus genere, & familia. *Circa Illegitimos ex parte Patris* spectanda sunt verba instituentis: si enim in fundationis Instrumento dixit præsentandum aliquem de familia, genere, cognatione sua, cùm de hac ex parte Patris non sit illegitimus, donec legitimetur, in

in ea provisione illegitimus non habet locum; secus, si voluit præsentari aliquem ex suis descendentibus, & consanguineis; nam tunc præsentari potest etiam illegitimus, non tamen, si adsint legitimi, etsi remotiores hi sint, quòd propinquitas ex legitimatione, quantumvis remota, vincat quamlibet propinquitatem illegitimi. Pal. *n. 12. & 13.*

189 Dub. 8. an Patronus ex ijs, quos dignos cognoscit, teneatur eligere, & præsentare digniorem? *Certum est 1.* Patronum quemcunque, etiam Laicum, graviter obligari ad præsentandum dignum, prout liquet ex Trid. *sess. 24. c. 18. de reform.* cum hoc tamen discrimine, quòd Patronus Laicus inidoneum nominans, ac præsentans jubendus sit intra tempus sibi concessum præsentare alium idoneum; aliàs lapso eo termino, & nulla idonei facta præsentatione, potest is, ad quem spectat institutio, Beneficium liberè, i. e. absque præsentatione idoneo conferre, sicut potest, cùm intra tempus Patrono Laico datum hic nullum omnino præsentavit; nam præsentare indignum in effectu est idem, ac præsentare nullum. Pal. *tr. 13. D. 2. p. 7. n. 8.* Si verò Clericus, vel Monasterium, vel Capitulum inidoneum præsentaverit, videndum, an scienter, an ignoranter hoc fecerit. Nam *si scienter*, ipso facto, vel ut Less. *l. 2. de J. & J. c. 34. n. 29.* putat, per sententiam pro ea vice Jure præsentandi privatur, & is, ad quem pertinet Institutio, liberè Beneficium conferre potest *c. nulla 2. de concess. Præb. & Clem. un. de suppl. negl. Prælat.* *Si ignoranter*, intra semestre præsentare alium potest, non tamen antea, quàm contigerit præsentatum repelli ab institutionem habente. Less. *n. 29. cit.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 7.* Pal. *p. 7. cit. n. 8.* Vallens. *hic §. 5. n. 2.*

190 *Certum est 2.* digniorem præ digno ex obligatione à quovis Patrono præsentandum, quando id expressè cautum est à fundatore; quia voluntas rationabilis Fundatoris implenda est. Pal. *l. cit. n. 6.* Et ob eandem causam, si Beneficium ex Fundatoris voluntate conferendum sit Clerico ex certa familia, vel patria orto, dignus ex ea oriundus præferendus est extraneo etiam digniori. Garc. *p. 7. de Benef. c. 15. n. 12.* Azor *p. 2. c. 21. q. 5.* Zœs. *hic n. 32.* Pirh. *n. 95.* Wiest. *n. 134.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de reb. Eccl. c. 3. n. 109.* imò dignior extraneus tali casu, & respectivè ad hoc Beneficium omnino dignus, & capax non est; quia, ut *n. 168.* dictum est, dignitas personæ non tantùm à qualitatibus Jure communi requisitis, sed etiam ab ijs, quæ ex mente Fundatoris requiruntur, desumitur.

191 *Difficultas est* casu, quo specialis qualitas in fundatione non exigitur: quæ solvi distinctione potest inter Patronum Ecclesiasticum, & Laicum. *Patronus Laicus* satisfacit obligationi suæ saltem pro foro externo, si ad Beneficia, quæ præsentationi ejusdem subsunt, etiam Curata, præsentet dignum, prout colligitur ex *can. Monasterium 33. caus. 16. q. 7. c. quod autem 5. c. eam te 22. c. cùm autem 24. c. Pastoralis 29. h. tit.* quibus textibus mentio fit tantùm idonei præsentandi: & confirmatur ex Trid. *sess. 24. c. 18. ℣. quodsi Jus de reform.* ubi statuitur, *Quodsi Jus Patronatûs Laicorum fuerit, debeat, qui à Patrono præsentatus erit, - - - examinari, & non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti*: unde cùm in hac præsentatione concursum non expostulet Trid. tacitè insinuavit sufficere, si dignus præsentetur, & eligatur.

192 *De Patrono Ecclesiastico* iterum distinguendum est, an Beneficium sit Curatum, vel Simplex. *Si Curatum* secundùm communem DD. sententiam, instar Electorum, obligatur sub gravi ad præferendum digniorem, & Ecclesiæ magìs utilem. Sumitur ex Trid. *sess. 24 c. 1. ℣. itaque de reform.* ubi hortatur, & monet *omnes, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcunque Jus quacunque ratione à Sede Apostolica habent, - - - eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, - - præfici diligenter curaverint.* Quod iterum insinuat *c. 18. cit. ℣. si verò*, ubi statuit, ut *si* Beneficium *Juris Patronatûs Ecclesiastici sit, & institutio ad Episcopum, non ad alium pertineat, is, quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit, Episcopo præsentari teneatur, ut ab eo constituatur.* *Si verò sit simplex*, satisfaciet etiam ipse, saltem pro foro externo, si præsentet dignum secundùm idem Concilium *sess. 7. c. 13. de reform.* ubi solùm exprimit obligationem conferendi ea dignis, & habilibus. Garc. *p. 7. de Benef. c. 16. n. 17.* Lambertin. *l. 2. p. 2. q. 10. art. 3. n. 17.* Navar. *l. 2. de restit. c. 2. n. 150.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 7. n. 6.* contra Azor *p. 2. l. 6. c. 21. q. 5. ℣. quæstio.*

193 Addidi *in foro externo*; plures enim, & quidem magni nominis DD. putant à Patronis omnibus ad Curata, ad Simplicia autem Beneficia saltem ab Ecclesiasticis præsentandos digniores sub obligatione peccati; quòd ex munere suo rem Ecclesiæ utiliter gerere teneantur: quod non faciunt, qui præsentant dignos, præteritis alijs saltem multò dignioribus. In quo tamen ipso plerique eorum discrimen faciunt inter Patronos, & Beneficia; nam Patronum Laicum solùm obligant sub peccato veniali, Ecclesiasticum autem tum solùm graviter peccare docent, quando minùs dignum præsentavit ad Beneficium curatum, vel Dignitatem Ecclesiasticam, secus, si ad Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, & alia Benefi-

cia Simplicia. Pirh. *hìc n. 95. V. præterea.*

194 Quæritur 2. an Patronus ſolummodo unum, an verò etiam duos, vel plures præſentare ad unum, idémque Beneficium poſſit? ℟. diſtinguendo, an præſentatio duorum, vel plurium fiat ſimul, an ſucceſſivè, & oblata præſentatione unius alius præſententur. *Primum* conceditur Patrono non tantùm Laico, ſed etiam Eccleſiaſtico, ut contra Gloſſ. *in Clem. 2. V. præſentare h. tit.* Abb. *ibid. n. 4.* Selvam *de Benef. p. 3. q. 20. n. 5.* Lambertin. *l. 2. p. 2. q. 3. art. 8.* probabiliùs docent Bertachin. *in Repert. V. præſentatio Verſ. ult.* Roch. de Curte *V. honorificum q. 9. n. 34.* Garc. *p. 5 de Benef. c. 9. n. 216.* Vivian *prax. Jur. Patron. l. 10. c. 4. n. 4.* Wieſt. *hìc n. 104.* ex ratione; quia Patrono Eccleſiaſtico, ut mox dicam, interdicitur ſola variatio, qualis non eſt duorum, vel plurium ſimultanea præſentatio. *Neque obſtat*, quòd plures ab uno eligi etiam ſimul nequeant *c. in electionibus 2.* junct. Gloſſ. *V. alternativa de Elect. in 6.* quia præſentatio Patroni non æquiparatur Electioni quoad omnia, ſed tantùm quoad effectum, quòd ſicut poſt publicationem ſcrutinii, ita etiam poſt præſentationem Superiori oblatam variationi ampliùs non ſit locus.

195 *Quoad ſecundum* diſtinguendum eſt inter Patronum Laicum, & Eccleſiaſticum. *Eccleſiaſtico* non conceditur variatio, ſeu unius poſt alterum præſentatio; conceditur autem *Patrono Laico*, ut rectè Abb. *in c. cùm autem 24. h. tit. n. 2 & 3.* Lambertin. *l. 2. p. 2. q. 7. per totam*, Flamin. *de reſign. l. 2. q. 23. n. 13.* Azor *p. 2. l. 6. c. 21. q. 13.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 6.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 6. n. 1.* Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg. 72. n. 154. & in c. cùm autem cit. n. 2. & 6.* Fagnan. *ibid. n. 19.* Valenſ. *hìc §. 3. n. 4.* Zœſ. *n. 45.* Engl *n. 11.* Honor. *n. 23.* Pirh. *n. 96. & ſeqq.* Schambog. *n. 59.* Wieſt. *n. 103.* & ſumitur ex *c. quod autem 5 c. cùm autem 24. c. paſtoralis 29. h. tit. Rationes* differentiæ hujus inter Patronum Laicum, & Eccleſiaſticum à Jure factæ diverſas DD. aſſignant: verior ex illis videtur, quòd Patronus Eccleſiaſticus, cùm ſex menſes ad præſentandum habeat, & inter Clericos vivat, præſumatur idoneum nôſſe, & invenire faciliùs, quàm Laicus, qui tantùm quadrimeſtre ad præſentandum habet. Lambertin. *q. 7. cit. art. 1.* Barboſ. *alleg. cit. n. 155.* Gonzal. *in c. quod autem cit. num. 4.* Wieſt. *hìc n. 103.*

196 Porro variatio hæc, quam Laico Patrono permiſſam dixi, ſita in eo eſt, ut facta præſentatione poſſit nominare alium, non privativè, ſive priùs à ſe nominatum excludendo (nam ſi primum præſentatum excluderet, nulla eſſet talis ſecunda præſentatio) ſed cumulativè, ſeu priùs præſentato Clerico alium etiam idoneum ſuperaddendo, ut patet ex *c. cùm autem cit.* ibi, *Cùm poſtulaveris eo non refutato, alium æquè idoneum admitti.* Et hæc cumulativa præſentatio intelligitur, quoties ſecundus præſentatur, & non excluditur expreſsè primus; quia intelligendum eſt de variatione permiſſa. Pal. *p. 6. cit. n. 2.* Barboſ. *in c. cùm autem cit. n. 2. fin.* Pirh. *hìc n. 99.*

Extenditur poteſtas hæc variandi etiam ad hæredem, vel ſucceſſorem Patroni 197
Laici; cùm enim ad illum Jura defuncti tranſeant, tranſibit etiam ad illum Jus Clerico, quem fortè defunctus jam præſentavit, ſuperaddendi alium, modò prior in Beneficio nondum ſit inſtitutus. Vivian. *l. 12. prax. Jur. Patr. c. 5. n. 36.* Addidi, *modò prior nondum ſit inſtitutus*; nam ſi Inſtitutio jam ſit facta, non ampliùs præſentare alium licet, cùm inſtitutus plenum jus in Eccleſia, vel Beneficio jam conſecutus ſit. Et hoc verum eſt, etiamſi realis inſtitutio, ſive poſſeſſionis traditio non ſit facta; quia in rebus, & Juribus Spiritualibus per ſolam verbalem Inſtitutionem, ſeu Collationem Jus in re acquiritur, tametſi actualis immiſſio in poſſeſſionem nondum ſit facta juxta *c. ſi tibi 17. de Præb. in 6.* Pirh. *hìc n. 98.*

Dub. 1. an Patrono Eccleſiaſtico non 198
ſaltem permiſſa ſit variatio, ſive ſucceſſiva duorum præſentatio in Patronatu mixto, ſive quando Laicum Compatronum habet? *Ratio dubitandi eſt*; quia cùm tali caſu Patronus Laicus propter ſocietatem Compatroni Eccleſiaſtici ſex menſes ad præſentandum habeat, ut *infrà n. 217.* dicetur, æquum eſt, ut viciſſim Eccleſiaſticus participet jus variandi; quia privilegiatus ad ſe trahit non privilegiatum.

Sed dicendum, etiam tali caſu Patronum Eccleſiaſticum variare non poſſe; quia variatio Patrono Eccleſiaſtico generaliter prohibetur, & caſus Patronatûs mixti non eſt exceptus. Abb. *in c. 24. cit. n. 4.* Leſſ. *l. 2. de I. & I. c. 34. n. 30.* Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg. 72. n. 166.* Vivian. *prax. Jur. Patr. l. 10. c. 1. n. 26.* Zœſ. *hìc n. 47.* Engl *n. 12. ℣. quia autem*, Schamb. *n. 59.* Wieſt. *n. 105.*

Atque hinc corruit Argumentum pro 199
Ratione dubitandi allatum; nam Regula ibi allegata locum duntaxat habet in privilegiato digniore, qualis reſpectu Socij Laici eſt Eccleſiaſticus: & hinc ex eo, quòd illum ad ſe trahat, non rectè infertur, quòd etiam ille ad ſe trahere iſtum debeat.

An verò hoc caſu variatio permiſſa ſit etiam Patrono Laico, expediendum eſt ope diſtinctionis: nam caſu, quo unus, idémque eſt à Patrono Eccleſiaſtico, & Laico præſentatus, nec Laicus recedere, & alium præſentare poteſt. Abb. *in c. 24. h. tit. n. 4.* Leſſ. *l. 2. de I. & I. c. 34. n. 30.* Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg. 72. n. 166.* Vivian. *prax. Jur. Patr. l. 10. c. 1. n. 26.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 6. n. 7.* Zœſ. *hìc n. 47.* Engl *n. 12. ℣. quid autem*, Pirh.

Pirh. *n. 100. fin.* Schamb. *n. 59.* Wieſt. *n. 105. Ratio eſt ;* quia Patronus Laicus in concordem unius præſentationem conſentiendo tacitè ad perſeverantiam ſe obligâſſe cenſetur. Accedit, quia variatio hæc fruſtra fieret ; cùm enim alterius præſentatio à Patrono Laico non privativè, ſed cumulativè fiat, prior præſentatus, utpote habens duo pro ſe vota, præferetur poſteriùs præſentato, utpote habenti unum duntaxat votum.

200 Aliud foret, ſi Laicus, & Eccleſiaſticus Compatroni præſentâſſent diverſos ; tunc enim Laicus variare poſſet, & alium à ſe præſentato addere, ut rectè Lambertin. *de Jur. Patron. l. 2. p. 2 q. 7. art. 13. n. 4.* Barboſ. *alleg. cit. n. 167.* Pal. *n. 7. cit.* Zœſ. *n. 47.* Wieſt. *n. 106.* quia æquum non eſt, ut is privilegio ſuo privetur propter adjunctionem Compatroni Eccleſiaſtici. *Neque refert*, quòd tali caſu Eccleſiaſtici inſtar reputetur à Gloſſ. *fin. in c. un. h. tit. in 6.* quia ut Zœſ. & P. Wieſtner *l citt.* notant, talis cenſetur ſolùm quoad Socij commoda, non autem quoad privationem favoris ſibi per Jus conceſſi.

201 Dub. 2. quoties variare Patronus Laicus poſſit ? Semel tantùm poſſe exiſtimant Roch. de Curte *de Jur. Patron. V. honorificum q. 10.* Lambertin. *l. 2. p. 2. q. 7. art. 23.* Gutier. *p. 3. de Juram. confirm. c. 13.* Garc. *p. 5. de Benef. c. 9. n. 214.* Vivian. *prax. Jur. Patron. l. 10. c. 4. n. 1.* Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg. 72. n. 172.* & *in c. cùm autem 24. h. tit. n. 2.* Fagnan. *ibid. n. 8.* Gonzal. *in c. 5. eod. n. 6.* Pirh. *hic n. 99. not. 3.* & videtur hoc colligi 1. ex *c. quod autem 5. c. cùm autem 24. c. cùm dilectus 28.* & *c. ſeq. h. tit.* qui textus de *alio* tantùm, & de *ſecundo* præſentato loquuntur. 2. Quia variatio eſt odioſa juxta *clem. un. de renunt.* ac proinde ſine expreſſo textu, & manifeſta ratione multiplicari non debet. 3. Quia facultas ſimpliciter data primo actu finitur juxta *l. dotis promiſſio 68. ff. de Jur. dot.* & *l. boves 89. §. hoc ſermone 1. ff. de V. S.*

202 Sed probabilior ſpectata ratione eſt ſententia, quæ cum Gloſſ. *in Clem. 2. V. plures*, & *V. præſentare h. tit.* Decio *in c. quanto de Judic. à n. 31.* Abb. *ibid. col. 2.* Berojo *in c. quod autem cit. n. 19.* Azor *p. 2. l. 6. c. 21. q. 13.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 6. n. 3.* Zœſ. *hic n. 48.* Schambog. *n. 59.* Wieſt. *n. 110.* & alijs docet variare Patronum Laicum etiam ſæpiùs poſſe, & præſentare tertium, quartum &c. Colligitur ex *Clem. 2. cit.* ubi eodem modo, & ſenſu dicuntur plures præſentari poſſe, quo dicuntur plures poſſe eſſe Patroni ; poſſunt autē eſſe Patroni non tantùm duo, ſed tres, vel quatuor. ergo &c. *Ratio eſt ;* quia præſentatio plurium permiſſa eſt Laicis propter utilitatem Eccleſiarum, *ut* his *facilius provideatur*, prout dicitur *Clem. cit.* utilius autem Eccleſijs eſt, ſi à Laicis præſententur tres, vel quatuor, quàm ſi duo tantùm ; ſic enim Eccleſiæ facilius providebitur de idoneo, cùm ex pluribus præſentatis Epiſcopus inſtituere debeat digniorem. ergo &c. Hinc tamen non ſequitur variationem etiam Eccleſiaſticis fuiſſe permittendam ; quia cùm hi qualitates Clerici melius perſpectas habeant, & plerumque digniorem præſentare teneantur, ab ipſis primò præſentatus præſumitur etiam eſſe dignior.

Neque obſtant allata in contrarium. 203 *Ad 1.* imprimis textus *citt.* de *ſecundo*, & *alio* loquuntur ſolùm narrativè, de numero nihil diſponendo : deinde *Clem. cit.* plurium præſentatio diſertè permittitur : quod Jus, cùm recentius ſit, præ textibus in contrarium allegatis eſt obſervandum. *Ad 2.* id procedit de variatione excluſiva, non de cumulativa, qualem Laico Patrono duntaxat conceſſam dixi *n. 196. Ad 3.* eadem eſt reſponſio ; conſumitur facultas primo actu, niſi conceſſio ſit favorabilis, prout favorabilis Eccleſiæ eſt variatio conceſſa Patrono Laico.

Dub. 3. an variare Patronus Laicus 204 poſſit, non obſtante Juramento, quo Clerico priùs præſentato promiſit, ſe non variaturum ? *R.* negativè ; ſed ſtare Juramento tam Patronus præſentans, quàm Ordinarius inſtituens debet. Ita Roch. de Curte *V. honorificum q. 12. n. 37.* Lambertin. *l. 2. p. 1. q. 4. pr. art. 13. & l. 2. p. 2. q. 7. pr. art. 16.* Covar. *in c. quamvis de pact. in 6. p. 2. §. 2. n. 7. v. his tamen*, Gutier. *p. 3. de Juram. confir. c. 13. n. 13.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 6. n. 8.* Zœſ. *hic n. 49.* Pirh. *n. 100.* Wieſt. *n. 112. & 113. Ratio de Patrono* eſt ; quia tale Juramentum à Jure nuſpiam eſt improbatum, neque præjudicium affert tertio, aut in ſalutis diſpendium vergit, igitur ſecundùm Regulam traditam *c. quamvis 2. de pact. in 6.* & *c. cùm contingat 28. de Jurejur.* eſt obſervandum. *Ratio de Ordinario ;* quia ſi non primò præſentatum, ſed alium à Patrono ſubrogatum tali caſu inſtitueret, videretur perjurium Patroni approbare, & cooperari ejus peccato *arg. c. mulieri 34. de Jurejur.* Vivian. *prax Jur. Patr. l. 10. c. 2. n. 6.* & apud hunc *Rota in Pampilon. Beneficij de Huartæ 13. Febr. 1595. Procedit* autem hoc regulariter ; nam caſu, quo primus præſentatus non eſſet idoneus, vel Patronus ad Beneficium, præſertim Curatum, vellet præſentare alium multò digniorem, propter utilitatem Eccleſiæ, relaxato Juramento, idonei ; aut multò dignioris ſecunda præſentatio admittenda foret. Zœſ. *n. 49. cit.* Wieſt. *n. 114.*

An verò ſecunda præſentatio, ſeclu- 205 ſo caſu, quo idoneus præ indigno, & dignior præ minùs digno præſentaretur, contra Juramentum facta, ſit valida, Doctores diſputant. Negat Pal. *n. 8. cit.* ex duplici ratione. 1. quia Juramentum accedens actui requirenti ad ſui valorem authoritatem

tem Judicis, seu præsentiam, ita illum firmat, ut irrevocabilem reddat *arg. c. licèt mulieres 2. de Jurejur. in 6.* sed præsentatio est actus, qui absque Judicis authoritate fieri non potest, ut ex dictis constat. ergo si Juramentum accedat de non variando, Patronus variare non ampliùs poterit. 2. Vel nominans secundum post Juramentum de non variando, hoc Juramentum suum manifestat Ordinario, vel illi occultat. *Si primum*, Ordinarius non admittet, nec potest admittere præsentationem, ne, ut *n. præc.* dictum est, videatur approbare perjurium. *Si secundum*, admissio præsentationis secundæ erit subreptitia, ac proinde nulla, & irrita.

206 Verùm hæc Argumenta, ut ipse Pal. *l. cit.* agnoscit, non sunt convincentia. *Primum* quidem; quia solùm probat, quòd sine perjurio non possit nominari alius: quod non impedit, quin possit alius nominari validè. Patet à paritate cum Matrimonio, quod valet initum contra Sponsalia Juramento firmata, & cum alia inita *c. ficut 32. de Sponsal.* *Neque obstat*, quòd ad valorem præsentationis requiratur præsentia Judicis, seu quòd illa fieri debeat Ordinario, ut præsentatum instituat; quia per hoc præsentatus non plus Juris acquirit, & si acquireret, nondum tamen probaretur secunda præsentatio esse invalida, sicut non est invalida secunda venditio cum traditione, licèt facta sit contra jus primi Emptoris. *Secundum Argumentum*, ut probet, quòd admissio secundæ præsentationis, non manifestato Juramento, facta sit subreptitia, necesse est, ut probet, quòd Juramentum hoc casu sit qualitas necessariò manifestanda, quòd difficulter probabitur. Hinc cum Greg. Lopez, Covarruvia, Matienzo, & alijs apud Pal. *l. cit.* censeo secundam præsentationem esse validam, si expresè, vel tacitè eam Ordinarius approbaverit.

207 Dub. 4. an variare Patronus Laicus possit etiam lite pendente inter præsentatum à se, & alterum ab altero Compatrono suo præsentatum? *Certum est*, non posse casu, quo unus collitigantium jam est institutus, ut patet ex *c. fin. ut lit. pend. in 6.*

Controversia est, quando neuter adhuc est institutus? Et hoc casu variationi locum concedunt Card. *in c. Pastoralis 29. q. ult. h. tit.* Joan. Andr. *in c. 1. ut lit. pend. in 6.* Lambertin. *l. 2. p. 1. q. 6. art. 12.* ex ratione; quia Jus Patrono Laico potestatem variandi absolutè, & indistinctè, quadrimestri durante, concedit, quæ potestas per litis pendentiam eidem non tollitur.

Sed meliùs adhibetur distinctio, quâ utuntur Roch. de Curte *de Jur. Patr. V. honorificum q. 23. n. 53.* Covar. *pract. qq. c. 36. n. 7. v. tertiò* Lancellot. *de attentat. p. 2. c. 3. in præfat. n. 688.* Garc. *p. 5. de Benef. c. 9. à n. 217.* Pal. *tr. 18. D. 2. p. 6. n. 5. & 6.* Wiest. *hic n. 110.* ex quorum sententia Patronus Laicus pendente lite non potest quidem variare ita, ut duobus collitigantibus valeat superaddere tertium; potest tamen variando ei, quem ipse præsentavit, superaddere eum, qui cum ipso collitigat.

Ratio primi membri est; ne lites, novorum Adversario per ejusmodi præsentationem litigantibus addito, cum Ecclesiæ dispendio multiplicentur, & prorogentur. *Ratio secundi*, quia pluribus Votis in eundem collatis, lis potiùs tollitur, & abbreviatur, quàm augeatur, & protrahatur: ut proinde eadem ratio, quæ in casu primi membri variationem prohibet, in casu secundi permittat. *Conf.* sententia hæc authoritate Rotæ, à qua ita pluries decisum est teste Garc. *n. 120. cit.* 208

Dub. 5. quis ex duobus, vel pluribus 209 successivè, aut simul præsentatis instituendus sit ab Ordinario, vel alio jus instituendi habente? *R.* distinguendo, an omnes ab uno, eodémque Patrono sint præsentati, an à diversis. *Si primum*, videndum, an omnium merita, & habilitas sint æqualia, an contrà unus cæteris notabiliter judicetur dignior. *Si æqualia sint eorundem merita*, locus est gratificationi, ut quem vult: cæteris præferre, & instituere possit, ut expressè deciditur *c. cùm autem 24. h. tit.* & notat *ibid.* Gloss. *V. judicio*, Abb. *n. 1.* Barbos. *n. 8.* & *de Offic Episc. alleg. 72. n. 199.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 9. n. 1.* Pirh. *hic n. 99. & 100.* Wiest. *n. 139.* & alij ab his *citt.*

Si verò inæqualia sint præsentatorum merita, & unus cæteris notabiliter dignior, 210 non conveniunt DD. Joan. Andr. Host. & alij apud Pal. *l. cit. n. 2.* volunt sufficere, si dignum ex illis eligat Ordinarius, & instituat. Sed meliùs Abb. *in c. cùm autem cit. n. 2.* Roch. de Curte *V. honorificum q. 15.* Covar. *Reg. peccatum 4. p. 2. §. 7. n. 4.* Azor *p. 2. l. 6. c. 22. q. 14.* Barbos. *de Offic. Episcop. alleg. cit. n. 200.* Pal. *p. 9. cit. n. 4.* Fagnan. *in c. cùm autem cit. n. 23.* Pirh. *hic n. 100.* Wiest. *n. 140.* docent stante plurium præsentatione æquali, præferendum cæteris, qui notabiliter dignior est; quia Jura, sicut in Electione, ita etiam in Institutione præferendum asserunt eum, qui majoribus juvatur meritis: licèt si dignioribus prælatus sit dignus, sustineatur factum ad amputandas occasiones litium, ut ex Lambertin. *l. 2. p. 2. q. 7. art. 26. n. 4.* notat P. Wiestner *n. 140. cit.*

Si secundum contingat, & à diversis 211 duo, vel plures sunt præsentati, considerandum, an pari numero plurium Patronorum sint præsentati, an impari, & unus à pluribus, alter à paucioribus. *Si impari numero*, ille, qui pluribus votis præsentatus est, præferendus est digniori, paucioribus votis præsentato, modò ille sit dignus. Gloss. *in c. quoniam 3. V. qui majoribus h. tit.* Abb. *ibid. n. 4.* Lotter. *tr. de re Benef. l. 2. q. 1. n. 132.* Garc. *p. 9. de Benef. c. 2. n. 57.* Barbos. *alleg.*

leg. 72. cit. n. 197. Pirh. *hìc n. 100.* Wieſt. *n. 141.* Dixi *modò ille ſit dignus*; nam ſi plurium votis præſentatus ſit indignus, huic præferendus foret dignus, etſi paucioribus Votis præſentatus. Roch. de Curte *V. honorificum q. 16. n. 43.* Vivian. *l. 12. prax. Jur. Patr. c. 8. n. 12.* Wieſt. *l. cit.* Quod ſaltem verum eſt, poſtquam tempus, ad præſentandum à Jure conceſſum, tranſijt; nam antequam tranſierit, ſaltem ſi, qui indignum præſentârunt, ſint Laici, præſentare alium dignum poſſunt, & ſic digno, qui paucioribus votis præſentatus eſt, nondum quæſitum eſt jus abſolutum ad petendam Inſtitutionem.

212 *Si pari numero omnes ſunt præſentati*, P. Wieſt. *hic n. 143.* cum alijs à ſe *citt.* diſtinguit, an unus eorum ſit dignior cæteris, an omnes æquales; nam in primo caſu dicit præferendum digniorem, in ſecundo putat eſſe locum gratificationi. Quod verum eſt ſaltem caſu, quo tempus ſemeſtre lapſum jam eſt. Si lapſum nondum ſit, Pirh. *hic n. 100. cit.* utrumque negat. *Rationem* dat, quia non poteſt Epiſcopus auferre Patrono jus præſentandi, quamdiu id ipſi indulget jus. ſed quamdiu tempus legitimum præfixum ad præſentandum nondum elapſum eſt, Patrono Laico Jus indulget, ut præſentare alium poſſit, ut dictum eſt *n. 195.* ergo hoc Jus ipſi adimere non poteſt Epiſcopus, adimeret autem, ſi inter præſentatos in diſcordia, Patronis non interrogatis, inſtitueret, quem ipſe vellet. ergo &c. *Excipitur 1.* niſi Patronus Juramento promiſerit ſe non variaturum; tunc enim poterit Epiſcopus ex duobus præſentatis eligere, quem voluerit, etiamſi tempus præſcriptum præſentationi elapſum non ſit. *Excipitur 2.* niſi conſuetudine aliter inductum ſit. Sic *Tit. 7. n. 27.* dixi, praxi plurium Germaniæ Diœceſium inductum eſſe, ut non exſpectato lapſu temporis, præſentati inſtituantur. Poterit ergo tunc etiam currente illo tempore, Ordinarius ex duobus in diſcordia præſentatis inſtituere digniorem, vel ſi æquales ſint, illum, quem vult.

213 Dub. 6. an, quando ex duobus, ad idem Beneficium præſentatis, neuter altero apparet dignior, tertius aliquis ab Epiſcopo inſtitui poſſit? Affirmant Sylv. *V. Jus Patron. q. 8.* Vaſq. *Opuſc. de Benef. c. 2. §. 1. n. 16.* Azor *p. 2. l. 6. c. 21. q. 19. fin.* & probabile putat Leſſ. *l. 2. de I. & I. c. 34. n. 33.* Rationem dant; quia tali Inſtitutione nec Patronis, nec præſentatis fit ulla injuria: non Patronis; quia in tali diſcordia neuter jus habet petendi inſtitutionem ejus, quem ipſe præſentavit: non præſentatis; quia nec ipſorum alicui Jus competit, ut petere ſui Inſtitutionem poſſint. *Conf.* ex *c. quoniam 3. h. tit.* ubi ad valorem præſentationis requiritur, ut, quando Patroni diſcordes ſunt, unus præſentatorum *majoribus adjuvetur meritis, & plurimorum eligatur, & approbetur aſſenſu.* igitur caſu, quo unus Patronus unum, alter alterum præſentavit, præſentatio erit invalida. ſi autem invalida eſt, prohiberi Ordinarius non poteſt, quin alteri Beneficium vacans conferat. ergo &c.

Sed tenenda eſt ſententia negativa, 214
quam etiam defendit Gloſſ. *in can. ſi plures 36. V. auferri cauſ. 16. q. 7.* Abb. *in c. 24. h. tit. n. 8.* Pal. *p. 9. cit. n. 4.* Pirh. *n. 100. hic*, Wieſt. *ibid. n. 145.* Eſtque ſententia hæc conformior Juri *can. decernimus 32. cauſ. 16. q. 7. c. illud 8.* & *c. ex inſinuatione 14. h. tit.* ex quibus à DD. aſſumitur univerſalis Regula, quòd idonei à Patronis præſentati præferendi ſint quibuscunque extraneis: quæ Regula proinde etiam in caſu præſentis dubij, cùm exceptus non ſit, vim obtinebit. *Excipitur* triplex caſus. 1. ſi Compatroni Laici à quibus præſentati ſunt, in tertij ab Epiſcopo eligendi inſtitutionem conſentirent. 2. ſi ex inſtitutione alterutrius præſentatorum timeretur grave ſcandalum, aliáque incommoda, quæ inſtitutione tertij evitari poſſent. 3. quando Patroni Juramento promiſerunt ſe non variaturos.

Neque contrarium probat Argumen- 215
tum adverſæ ſententiæ; licèt enim nec Patroni, nec præſentati hoc caſu exigere poſſint, ut unus ipſorum inſtituatur præ altero, jus tamen habent, ne ipſis ab Epiſcopo quoad Inſtitutionem præferatur extraneus; conſ. jam fit utrique parti injuria. *Ad Conf.* majora merita, & major numerus Votorum tantùm requiritur, ut unus præſentatorum inſtitutionem exigere, & excludere cæteros ſimul ſecum præſentatos poſſit; non verò, ut excludatur extraneus. Quare caſu, quo duo æquali Votorum numero præſentati à diverſis ſunt, Ordinarius, antequam unum illorum inſtituat, exſpectare debet, an non fortè Patroni, de diſcordia præſentationis moniti, varient; ſi autem variare nolint, inſtituet alterutrum, utpote quorum quilibet jure præſentationis extraneo quovis eſt potior.

Dub. 7. an caſu, quo primus præ- 216
ſentatus per Laicum revera fuit dignus ſed quòd per Epiſcopum iniquè, & malitiose rejectus ſit, ad præſentationem ejuſdem patroni alius eſt inſtitutus, ſi rejectus dein, appellatione coram Superiore interpoſita, demonſtraverit injuriam ſibi factam, & evicerit, petere Beneficium, ad quod præſentatus eſt, poſſit, & excludere inſtitutum poſteriùs præſentatum? R. hanc quæſtionem eſſe deciſam *in c. quod autem 5.* & *c. Paſtoralis 29. h. tit.* ubi Pontifices reſcripſerunt, meliorem eſſe poſſidentis conditionem, adeoque facto inſtitutum in Beneficio relinquendum, ita tamen, ut priori præſentato, & per malitiam rejecto Epiſcopus aliâ viâ teneatur providere.

Quæritur 3. intra quod tempus ad 217
Beneficium vacans præſentare Clericum Pa-

ronus debeat? ℟. tempus ad præsentandum non idem à Jure indultum est omnibus Patronis; Laicus enim per *c. quoniam 3.* & *c. cùm propter 27. h. tit.* tantùm quatuor, Ecclesiasticus verò juxta *c. eam te 22.* & *c. un.* §. *verùm eod. in 6.* sex menses habet. *Ratio*, cur huic longius tempus concedatur, est, quia Patronus Laicus, ut *suprà n. 195.* dixi, variare potest, & si indignum præsentârit, præsentare alium dignum, modò intra tempus à Jure constitutum hoc fiat; quorum neutrum facere Patronus Ecclesiasticus potest: ut ergo iste gravatus in uno, in alio relevetur, æquitas deposcebat eidem longius tempus concedi. Vivian. *in Ration. c. un. cit.* §. *verùm*, Zœs. *hic n. 45.* Pirh. *n. 105.* Wiest. *n. 84.*

218 Porro tempus istud, cessante legitimo impedimento, continuum est; quia fieri quocunque tempore, & loco præsentatio potest. Roch. de Curte *de Jur. Patron. V. honorificum q. 34. n. 65.* Conrad. *prax. Benef. l. 4. c. 2. n. 80.* Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 62. n. 8.* Garc. *p. 10. de Benef. c. 2. n. 42.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 72. n. 127.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 5. n. 4.* Wiest. *hic n. 91. & 92.* Est enim præsentatio actus extrajudicialis, & voluntarius: ac proinde validè, & licitè diebus feriatis fit. Item hoc semestre, vel quadrimestre computandum est à die Vacationis notæ usque ad similem horam, ita, ut si vacatio nota contigit prima die mensis Januarij horâ 8. finiatur semestre prima die Junij horâ 8. etiamsi annus bissextilis sit. Garc. *l. cit. n. 43.* Pal. *n. 4. cit.*

219 Quodsi Patronus quicunque intra tempus à Jure statutum ad Beneficium vacans non præsentaverit Clericum idoneum Episcopo, vel alteri habenti jus instituendi, pro ea vice potestatem præsentandi amittit, ita, ut Ecclesia, vel Beneficium ab isto dein liberè conferri pro ea vice possit per textus *c. quoniam &c. citt.* Procedítque hoc, etsi Institutio isti non Jure ordinario, sed speciali per privilegium, consuetudinem, vel præscriptionem competat, ut notant Gloss. *in Clem. un. V. dispositionem de renunt.* Abb. *in c. 7.* §. *fin. de Elect. n. 6.* Vallens. *l. 2. de Benef. tit. 20. n. 8.* & ratio est; quia culpa, vel negligentia unius aliis nocere non debet *l. sive hæreditaria 22. ff de negot. gest.* & *l. rem hæreditariam 65. fin. ff. de Evict.* noceret autem ei, qui jus instituendi habet, si Patrono propter lapsum temporis præsentare non ampliùs valente, Beneficium liberè conferre non posset. ergo &c.

220 Dub. 1. quibus casibus, etiam lapso quadrimestri, vel semestri à die, quâ Beneficium vacare cœpit, potestas præsentandi penes Patronum maneat? ℟. 1. si ignorantiam habuit de vacatione Ecclesiæ, vel Beneficij inducta *c. quia diversitatem 5. de concess. præb.* Abb. *in c. 27. h. tit. n. 3.* Sylv. *V. Jus Patronatûs q. 6. dict. 1.* Azor *p. 2. l. 6. c. 21. q. 11.* Less. *l. 2. de J. & J. c. 34. n. 27.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 72. n. 134.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 5. n. 3.* Matthæucc. *in Offic. Eccl. c. 28. n. 15.* Vallens. *hic* §. *3. n. 2.* Zœs. *n. 57.* Engl *n. 13.* Pirh. *n. 106.* Estque hoc adeo verum, ut si plures Patroni fuerint, unius eorum scientia tantùm ipsi scienti, non cæteris noceat, ut Rotæ decisione probat Garc. *p. 10. de Benef. c. 2. n. 41. Ratio est*, quia privatio potestatis præsentandi inducta est in odium, & pœnam negligentiæ, ut patet ex *c. cit.* ibi *Contra negligentes*, is autem, qui vacationis notitiam non habet, negligens dici non potest. ergo &c. Præsumitur autem Patronus habuisse ignorantiam vacationis, nisi concurrentes circumstantiæ, ut vicinitas loci, Patroni præsentia &c. aliud suadeant. Hinc quòd ejus notitiam Patronus habuerit, probare debet is, qui beneficium ob Patroni negligentiam ad se devolutum affirmat, cùm non sit verisimile Patronos neglecturos fuisse jus suum, si vacationis habuissent notitiam. Garc. *l. cit. n. 34.* Barbos. *n. 136.* Matthæucc. *n. 15.* Ad removendam tamen omnem disputationem (quod in quibusdam Diœcesibus receptum est) optimum est, ut Patroni de obitu Beneficiati ab Episcopo certiorentur, & ad præsentandum moneantur, ut idem Matthæucc. *l. cit.* notat.

221 2. Si Patronus Reip. vel aliâ justâ causâ absens, excommunicatus, incarceratus, vel alio legitimo Juris, aut facti impedimento detentus sit *c. quia diversitatem cit.* ob eandem rationem, quam attuli de ignorantia: cum hoc tamen discrimine, quòd onus probandi ferè incumbat illi, qui Impedimentum pro se allegat, ut bene advertit Pal. *p. 5. cit. n. 5.* & meritò; quia talia ferè consistunt in facto, quod non præsumitur, sed probandum est, nisi persona, & hujus negotia præsumptionem faciant, ut fit in supremis Principibus; hi enim, quia multitudine occupationum, bellíque, & pacis negotijs impediti præsumuntur, si intra quadrimestre præsentationem non fecerint, non propterea potestate præsentandi privantur. Garc. *n. 34. fin.* Barbos. *n. 137.* Pal. *n. 5. cit.*

222 3. Post quadrimestre jus præsentandi probabiliùs non amittit Laicus, quando est Compatronus Ecclesiastici; nam ut huic, ita etiam illi eo casu indulgentur sex menses propter communionem cum Ecclesiastico, ut contra Pal. *p. 5. cit. n. 2.* communior sententia habet cum Garc. *p. 5. de Benef. c. 9. n. 210.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 4. ỳ. inter*, Less. *l. 2. de J. & J. c. 34. n. 26.* Vallens. *hic* §. *3. n. 1.* Zœs. *n. 46.* Engl *n. 12. ỳ. quid autem.* Pirh. *n. 108.* Wiest. *n. 85. Ratio est*; quia cùm res communis omnino individua, aut non facilè dividua est, æquum est, ut socius quoad eam rem privilegiatus (saltem dignior *arg. c. quod in dubijs 3. de consecr. Eccl.*) ad se trahat non privilegiatum, &

& hic commodum consequatur à communione cum illo *arg. l. quemadmodum 10. ff. quemadm. servit. amitt.* *Neque obstat*, quòd Laicus ad se Ecclesiasticum non trahat quoad variationem, quæ illi, etiam quando Compatronus est Ecclesiastici, ut *n. 200.* dictum est, salva manet; nam potestas variandi ex speciali favore Juris data Patrono Laico est, cui per consortium cum Patrono Ecclesiastico non censetur derogatum.

223 4. Potest Episcopus, & alius quivis, qui jus instituendi habet, præsentationem Patroni ex gratia admittere etiam post lapsum tempus *arg. c. sicut 2. de suppl. negl. Præl. V. liceat*, quod importat arbitrium, & *c. litteras 4. eod.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 7.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 72. n. 170.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 28. n. 19.* Nisi propter præsentationem indigni inciderit pro ea vice in pœnam privationis Juris præsentandi, fueritque Patronus Ecclesiasticus; nam si Laicus fuerit, juxta dicta *n. 189.* non privatur pro illa vice jure præsentandi: cons. admitti iste etiam hoc casu ab Episcopo poterit post tempus ad præsentandum.

224 Dub. 2. an lite inter Patronos pendente, tempus currat, ita, ut eâ intra quatuor, vel sex menses non finitâ, ab Episcopo Beneficium liberè conferri possit? *Certum est* tempus, lite pendente, currere, quando aliquis ex litigantibus est in possessione Juris Patronatûs; quia is, qui in possessione Juris illius est, præsentare ad Ecclesiam, vel Beneficium debet: & hinc, si iste, cessante legitimo impedimento, statuto tempore præsentationem non faciat, post illud tempus jus præsentandi pro illa vice amittet, & Beneficium vacans ab Episcopo liberè conferri poterit. Honor. *hic n. 58.* Engl *n. 13 ¶. quodsi unus*, Wiest. *n. 93.*

225 *Difficultas moveri* potest, quando neuter litigantium est in possessione. Videtur hoc casu tempus non currere, sed præsentatio Patronis competere etiam post semestre, vel quadrimestre ex ratione; quia tempus Jure indultum non currit, nisi negligentibus *c. quia diversitatem 5. de concess. præb.* & *c. ne pro defectu 42. de Elect.* atqui negligens non potest dici is, qui agit *arg. l. contra majores 16.* junct. Gloss. *c. de inoffic. testam.* ergo &c.

Sed dicendum, eo casu perinde, ut ob negligentiam devolutum, ad liberam collationem Episcopi pertinere. Ita Azor *p. 2. l. 6. c. 21. q. 12.* Zerol. *prax. Episc. V. Patronatûs* §. 5. Pal. *tr. 13. D. 2. p. 5. n. 6.* Vallens. *hic* § *3. n. 3.* Honor. *n. 58.* Engl *n. 13. ¶. si Patroni*, Pirh. *n. 111.* Schambog. *n. 61.* & patet ex claris textibus *c. quoniam 3 in fin. c. si verò 12. c. eam te 22.* & *c. cùm propter 27. h. tit.* Et meritò, ne, ut sæpe contingit, si protrahantur lites, nimis diu Ecclesiæ, & Beneficia cum magno rerum temporalium; animarúmque periculo vacare debeant.

Excipi debet 1. si Patroni intra tem 226
pus, ad præsentandum sibi concessum, sua Jura deduxerunt, & Episcopum requisiverunt, ut controversiam definiret; hic autem moram in ea definienda traheret: tali enim casu tempus Patronis non curreret, sed litis eventus exspectandus foret, ut rectè monet Mareschott. *var. resol. l. 1. c. 84.* quem citat, & sequitur P. Wiest. *hic n. 94.* & ratio est; quia aliàs Episcopus malitiosâ sententiæ dilatione consequi posset jus liberè conferendi, quod pugnat cum notissima Juris Regula, quâ prohibetur delinquens favorem consequi ex delicto suo. 2. si lis vertatur inter Patronum, & Episcopum, quia nimirum Episcopus prætendit Beneficium esse liberæ collationis, & Patronus sustinet esse Patronatum; tunc enim Episcopus non confert Beneficium, aut Ecclesiam, sed ponit ibi Oeconomum, quousque quæstio fuerit terminata, ut expressè notatur *c. cùm vos 4. de Offic. Ord.* & advertit *ibid.* Abb. *n. 7.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 72. n. 140. fin.* Vivian. *prax. Jur. Patron. l. 7. c. 3. n. 6.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 5. n. 7.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 28. n. 17.* Honor. *hic n. 58.* Pirh. *n. 113. & 116.* Schamb. *n. 61.* Wiest. *n. 94.* ob similem rationem; quia aliàs Episcopus frivola litis protelatione vincere Adversarium absque sententia posset. 3. quando lis est inter duos, vel plures præsentatos, & quivis eorum contendit se alteri, vel alijs præferendum esse; tali enim casu de utriusque Jure cognoscendum, & pro eo, qui potiori gaudet, pronuntiandum est. Matthæucc. *l. cit. n. 18.* Pirh. *n. 116.* & resolvit Rota *decis. 586. n. 7.* apud Farin. *in collect. 1. novissimar.* 4. si lis sit non de jure præsentandi, sed eligendi, conferendi, aut alio simili; nam etsi ob ejusmodi litem necesse sit Electionem, Collationem &c. protrahi ultra tempus à Jure præscriptum, propterea tamen litigantibus Jus eligendi, conferendi &c. non subtrahitur. Joan. Andr. *in c. quoniam cit. n. 7.* Abb. *ibid. n. 6.* Fagnan. *n. 21.* Wiest. *n. 95.* Ratio est; quia dispositio *c. quoniam*, & aliorum *citt.* est exorbitans à Jure communi, cons. tanquam odiosa, & ad alios casus trahi non debet.

Ad Rationem dubitandi, dico casum 227
hunc esse specialem, & contingere id tantùm per accidens, ne Ecclesia diu viduata relinquatur. Debet tamen eo casu Clericus sine præsentatione institutus, postea finita lite, præsentari Episcopo à Patrono, qui Jus patronatûs in Judicio obtinuit, non quòd per talem præsentationem de novo acquiratur Jus aliquod ipsi præsentato, sed ut eum tanquam patronum judicialiter pronuntiatum agnoscat, adeoque tali agnitione constituatur iste in quasi possessione ipsius Juris patrona-

ronatûs. Gloss. *fin. in c. si verò 12. h. tit.* Abb. *ibid. n. 4.* Piasec. *prax. Episc. p. 2. c. 5. art. 2. n. 27.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 28. n. 16.* Pirh. *hic n. 112.* ubi addit, si verus patronus, qui obtinuit causam in Judicio, non velit præsentare jam priùs institutum ab Episcopo, id ipsi non nociturum; quia jam plenum Jus acquisivit ex institutione Episcopi, Juris authoritate facta.

228 Dub. 3. an tempus ad præsentandum à Jure indultum litigantibus super Jure patronatûs prorogari ab Ordinario valeat? R. posse, si fiat intra tempus patronis à Jure concessum, non posse eo lapso. Flamin. *l. 7. de resign. q. 29. fin.* Riccius *prax. for. Eccl. Resol. 195.* Ugolin. *de potest. Episc. c. 51. §. 1. n. 4. v. tertiò in fin.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 72. n. 143.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 5. n. 8.* Honor. *hic n. 21.* Wiest. *ibid. n. 97.* *Ratio primi membri* est; quia *c. sicut 2. de suppl. negl.* dicitur solùm, quòd patronis præsentationem negligentibus, Episcopo *liceat ordinare Rectores*; verbum *Licet* autem non necessitatem, sed facultatem duntaxat importat. *Ratio secundi*; quia lapso eo tempore, jus conferendi ad Superiorem ipso Jure devolvitur: conf. concessio facultatis præsentandi tunc non prorogatio, sed nova concessio foret, quod facere Episcopus nequit.

229 *Major difficultas est*, an tempus hoc coarctari, vel prorogari possit ab ipsis Fundatoribus? Et *ratio dubitandi* est; quia tempus hoc præfixum est à SS. Canonibus *c. quoniam 3. c. eam te 22. c. cùm propter 27.* & §. *verùm citt.* atqui ea, quæ contra Leges, & SS. Canones fiunt, pro infectis habenda sunt *can. Imperiali 13. caus. 25. q. 2. c. quæ contra 64. de R. J. in 6.* & *l. non dubium 5. C. de LL.* ergo &c. *Conf.* ipsi Ecclesiarum inferiorum Prælati statuere aliquid contra SS. Canones nequeunt *can. institutionis 7. caus.* & *q. cit.* & *c. quod super 9. de major.* & *obed.* ibi, *Dummodo non ducas aliquid statuendum, quod Canonicis obviet institutis.* ergo multo minùs id poterit persona privata patroni, cùm generaliter inferior potestas superiori prævalere nequeat *can. inferior 4. dist. 21. c. cùm inferior 16. de major.* & *obed.* & *Clem. ne Romani 2. pr. de Elect.* ergo &c.

230 Sed respondendum est distinguendo an Fundator in ipso fundationis limine tempus istud contrahere, vel prorogare velit, an post fundationem jam perfectam. *Hoc secundum* non potest; quia Legibus in fundationis limine appositis adjici aliæ de Jure nequeunt *l. perfecta 4. C. de Donat. quæ sub. mod.* ibi, *Perfecta Donatio conditiones postea non capit.* *Primum* fieri, accedente Episcopi consensu, potest, ut rectè observant Marc. Anton. *l. 1. var. resolut. 112. cas. 15.* Vivian. *prax. Jur. Patron. l. 7. c. 1. n. 16.* & *17.* Pirh. *hic n. 43.* Wiest. *ibid. n. 98.* Ratio est; quia cùm Fundator rerum suarum sit moderator, & arbiter, earum traditioni apponere potest conditiones, quas vult, dummodo honestæ, & à Jure reprobatæ non sint.

231 *Ad Rationem dubitandi* Jus certum tempus præsentationi præscripsit pro iis solùm casibus, quibus nullum tempus certum præscripsit Fundator. *Ad Conf.* nego paritatem; nam Patrono, dum ipsi Jus Patronatûs concesserunt, SS. Canones voluerunt favere: & hinc sicut alias conditiones apponere fundationi non prohibetur, ita etiam non vetatur facere contractionem, vel prorogationem temporis ad præsentandum à Jure constituti.

232 Dub. 4. quid Juris, si præsentatio in tempore facta effectum sortita non est vel ex acto Ordinarij, vel quòd præsentatus eam non acceptârit, aut acceptatæ renuntiârit, vel ante Institutionem sit mortuus, vel ipsa præsentatio propter defectum occultum fuerit nulla &c. R. hoc casu Patrono conceditur novum quadrimestre, vel semestre ad faciendam novam præsentationem: numerarique hoc tempus debebit à tempore recusationis, renuntiationis, mortis, vel alterius defectûs cogniti *arg. c. si electio 26. de Elect. in 6.* nisi in prædictis fraus aliqua interceSSisset. Roch. de Curte *de Jur. Patron. V. honorificum q. 42.* Puteus *decis. 200. aliàs 194. in correct. l. 1.* Barbos. *in c. si electio cit. n. 2.* Honor. *hic n. 48.* König *n. 27.* Wiestner *n. 96.* estque teste Barbos. *l. cit.* decisum à Rota *decis. 269. aliàs 8. de Jure Patr. in novis.*

§. VII.

§. VII.

De Patronatûs Probatione, Derogatione, & Amissione.

SUMMARIUM.

233. *An, & quomodo Jus Patronatûs probari debeat?*
234. 235. 236. 237. *Quomodo probari possit à privatis?*
238. 239. *Quomodo debeat probari à Magnatibus, & Universitatibus?*
240. *An casu, quo Scripturæ Authenticæ sunt amissæ, possint in probationem admitti testes?*
241. 242. 243. *Quibus casibus probatio tam exacta non requiratur?*
244. 245. 246. *Quis sit Judex competens in causis Juris Patronatûs?*
247. &c. *An, & quando Summus Pontifex derogare censeatur Juri Patronatûs?*
254. 255. 256. *An, & cui Patronatui derogare possit Sedis Apostolicæ Legatus?*
257. 258. 259. *Qualem potestatem circa Beneficia Patronata habeat Episcopus?*
260. 261. *Quot modis amittatur Jus Patronatûs sine delicto?*
262. *Quibus criminibus amissio illius sit ipso Jure annexa?*

233 QUæritur 1. an, & quomodo Jus patronatûs probari debeat? *Certum est*, quod Jus patronatûs probari debeat, si patronus præsentationem suam ad Beneficium vacans admitti velit: *Ratio est;* quia Beneficia Ecclesiastica in dubio præsumuntur potiùs esse Collativa, quàm Juri Patronatûs obnoxia. Modum, quo Jus Patronatûs probari debeat, Trid. *sess. 25. c. 9. de reform.* præscribit duplicem, unum observandum privatis, alterum Magistratibus, & Communitatibus, in quibus Juris illius usurpatio præsumitur. Et hinc

234 Dub. 1. quomodo privati probare possint Jus Patronatûs sibi competens? R. possunt id probare novem maximè modis, 1. Per Instrumentum Authenticum: quale est non solùm Instrumentum publicum, sed aliud qualecunque, modò Scripturæ Authenticæ mereatur nomen: de quibus dictum est *Libr. 2. Tit. 22. à n. 36.*

2. Ex multiplicatis, & sine interruptione continuatis præsentationibus per antiquissimum temporis curSum, qui hominum memoriam excedat, ut *l. cit.* Trid. loquitur: & hinc cùm tanto tempore contingere non soleat, imò vix possit, ut intra illud præsentatio semel tantùm repetatur, ex probabiliore sententia Pal. *tr. 13. D. 2. p. 3. n. 4.* & aliorum à Concilio exposcentur tres saltem factæ, & continuatæ præsentationes.

235 3. Præscriptione quadragenaria cum titulo colorato, aut isto deficiente, tanti temporis, cujus initij non extat memoria *c. Episcopum 1.* junct. Gloss. *V. legitimè de præscript. in 6.* Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 18. n. 57.* Pal. *p. 3. cit. n. 6.* Wiest. *hic n. 180.*

4. Per Famam, si cum ea concurrant alia adminicula, præsertim longissima quadraginta, vel plurium annorum possessio, etiam unico actu inducta. Gonzal. *l. cit. n. 56.* Pal. *n. 6. cit.* Wiest. *n. 181.* & fuit resolutum *in Aretina Capellaniæ 16. Dec. 1598. coram Seraphino*, & alias sæpe teste Gonzal. *l. cit.*

5. Ex pluribus v. g. duabus litteris, quibus Ordinarius fatetur Jus præsentandi competere alicui; cùm enim Ordinarij in admittendis præsentationibus non sint faciles, ille, ad cujus præsentationem factam fuisse Institutionem patet ex Litteris Episcopalibus, justum titulum habere præsumitur. Flamin. *de resign. l. 8. q. 11. n. 38.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 72. n. 47.* Pal. *n. 6. cit. & quinto.* Wiestner *n. 181.*

236 6. Ex Libris Visitationum, si ijs asseratur Beneficium visitatum patronatui subjectum esse; neque enim verisimile est Visitatores expressuros istud fuisse, si non habuissent de illius qualitate notitiam. Lotter. *de re Benef. l. 2. q. 13. n. 151.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 28. n. 35.*

7 Ex sententia, quâ Jus patronatûs patrono contra eum, qui pro Ecclesiæ libertate egit, adjudicatum est, si illa in rem judicatam transijt. *arg. l. res judicata 207. ff. de R. J.* Stephan. Gratian. *Discept. for. c. 310. per tot.* Ricc. *de novissim. Jurispatr. probat. resol. 145. pr.* Barbos. *alleg. 72. cit. n. 49.* Wiestner *n. 183.*

237 8. Ex Monumentis antiquis, ut præter alia sunt Insignia Familiæ, aræ, columnæ, parieti Ecclesiæ, vel Capellæ, in qua erectum est Beneficium, affixa; quia cùm hujusmodi Insignia non soleant apponi rei omnino alienæ, si de alia appositionis causa non constet, præsumptio est Ecclesiam, vel Capellam à familia fundatam, vel dotatam. Lambertin. *l. 3. de Jur. Patron. q. 5. art. 4. n. 2.* Garc. *p. 5. de Benef. c. 9. n. 91.* Barbos. *alleg. cit. à n. 50.* Matthæucc. *n. 35.* Wiest. *n. 184.*

9. Ex honoratiore, & patronis concedi solito loco, ex pensione certis temporibus alicui ab Ecclesia, vel Beneficij in ea erecti possessore præstita: quæ tamen cùm aliquando ex alijs causis competant, quantam vim

vim probandi Jus patronatûs habeant, Judex ex circumstantijs loci, personarum, rerúmque arbitrabitur. Card. de Luca *in summ. de Jur. Patron. n. 50.*

238 Dub. 2. quomodo Jus patronatûs debeant probare Magnates, & Universitates? R. his, quia Juris istius usurpatio in ipsis præsumitur, magis stricta, exactáque illud probandi forma à memorata Synodo *c. 9. cit. §. in ijs verò personis* præscribitur. Tales autem Personæ ex Declaratione Card. Trid. Interpp. sunt Duces, Marchiones, Comites, Barones, & alij Domini Civitatum, Castrorum &c. perpetuam Jurisdictionem temporalem obtinentes in ijs locis, in quibus Beneficia sunt erecta, licèt Superiorem in temporalibus recognoscant: imò etiam, quæ in talibus locis sine Jurisdictione propter Familiarum splendorem, & magnam parentelam valde potentes sunt: uti & Universitates, seu Communitates Sæcularium etiam parvæ v. g. alicujus populi, oppidi, vel pagi, in his Jurisdictionem temporalem exercentes. Joan. Gallemart. *ad c. 9. Trid. cit. n. 3.* Clericat. *de Benef. discord. 4. n. 20.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 28. n. 38.* Zœs. *hìc n. 8.* Honor. *n. 64.* Wiestner. *n. 187.*

239 In his ergo Personis, & Communitatibus, si Jus patronatûs ex fundatione, constructione, dotatione sibi competens non per Scripturam Authenticam, sed allegato tempore immemoriali, probare velint, hæc probatio ex Synodi memoratæ Decreto aliter non admittitur, *quàm si præter reliqua ad eam necessaria* (verba sunt Trid.) *præsentationes, etiam continuatæ, non minori saltem, quàm quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur.* Adeoque requiritur 1. ut probentur præsentationes continuatæ ab immemoriali tempore: neque sufficit, si probes præsentationes primas, & postremas illius temporis, si aliquam intermediam omittas; nam licèt probatis extremis, præsumantur probata etiam media, at non est probata continuatio, nisi solùm præsumptivè, cùm tamen Concilium requirat veram probationem. Pal. *tr. 13. D. 2. p. 3. n. 8.* 2. Ut eæ, quæ à 50. annis usque ad litis motæ diem factæ sunt, omnes per præsentatorum institutiones, & institutorum in possessionem inductiones effectum sortitæ sint. Quam effectuationem Garc. *p. 5. de Benef. c. 9. n. 105.* putat probatam hoc ipso, si per scripturas authenticas probata fuerit præsentationum à 50. annis continuatio. Sed melius Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. glos. 18. n. 82.* Barbos. *alleg. 72. n. 60.* Pal. *p. 3. cit. n. 9.* requirunt insuper, ut expressè probetur, quòd effectum sortitæ sint, quòd utrumque Tridentini PP. videantur requirere copulativè. 3. Ut continuatio hæc præsentationum, & ipsa illarum à 50. annis effectuatio probetur Scripturis authenticis, ut adeo non sufficiat eam solùm probari per testes, cùm propter potentiam partis in eis de facili possit cadere præsumptio subornationis, & falsitatis. Matthæucc. *c. 28. cit. n. 38.* cum allegatis *suprà*.

An verò casu, quo Scripturæ authen- 240
ticæ fuissent deperditæ, testes de ijs aliquando super præsentatione continuata confectis admitti possint, controversia est inter DD. In negativam inclinat Gonzal. *l. cit. n. 82.* quòd Trid. *l. cit.* in personis, in quibus Jus patronatûs plerumque ex usurpatione quæsitum præsumi solet, ultra probationem temporis immemorialis pro forma requirat, ut præsentationes per 50. annos continuatæ authenticis Scripturis probentur; forma autem ad unguem servari debeat, nec per æquipollens adimpleatur. Sed probabiliùs affirmativam defendunt Garc. *p. 5. de Benef. c. 9. n. 113. in med.* Pal. *tr. 19. D. 1. p. 3. num. 11.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 28. n. 42.* ex ratione generali; quia generaliter, quando Scriptura requiritur ad probationis formam, locus est probationi per testes deponentes de amissione, & tenore illius, prout expressè deciditur *c. cùm olim 12. de privil.* non videtur autem Concilium Trid. in memorato suo Decreto ab hac Regula voluisse recedere, & in dispositione sua comprehendere casum ita extraordinarium, cùm aliàs Regula sit, quòd Lex non consideret, neque aptetur ijs, quæ rarò accidunt *l. nam ad ea 5. ff. de LL.*

Dub 3. an semper opus sit hac tam ex- 241
acta Juris patronatûs probatione? R. negativè; nam 1. opus illâ non est, si semel juxta Trid. præscriptum facta sit, & post illam à patrono præsentatus ab Ordinario est institutus: nam hoc si factum est, etsi in sequentibus dein vacationibus dubitetur de validitate Juris patronatûs, non debet patronus repelli à sua quasi possessione Juris præsentandi, neque adstringendus est ante præsentationem de novo probare titulum; esset enim patronis nimis grave, si in singulis præsentationibus hæc authentica tituli probatio requireretur: hinc, quem ejusmodi patronus præsentaverit, sine nova probatione debebit instituì. Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. glos. 18. n. 25. & 26.* Barbos. *in Remission. Concil. sess. 25. c. 9 p. concl. 15.* Pal. *tr. 13 D. 2. p. 3. n. 12.* Wiest. *hìc n. 192.* & teste Barbos. *l. cit.* decisum est à *S. Congr. Concil.* Ratio est, quia tunc patronus in Judicio possessorio fundatam intentionem habet, & cons. ratione possessionis facere præsentationes potest, donec Ecclesiam, vel Beneficium liberum esse in Judicio petitorio evincatur.

2. Quando Jus patronatûs proban- 242
dum est, non adversùs Ecclesiam, sed adversùs alium, qui contendit sibi Jus patronatûs competere; quia Tridentinum eam adeo strictam probationem solùm exigit casu, quo Jus patronatûs probandum est adversùs illum, qui contendit Ecclesiam, vel Beneficium

ficium esse liberum. Gonzal. *gloss. 18. cit. n. 59.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 72. n. 67.* Pal. *n. 12. cit.* Wiest. *n. 193.* & teste Gonzal. *l. cit.* est resolutum *in Pampilonensi Beneficij de Janzi 10. April. 1595.* & *20. Nov. ejusdem anni coram Mantica.*

3. Quando cum persona, ob potentiam de usurpatione suspecta, Beneficium patronatui suo subjectum contendit persona privata, aut Ecclesiastica, in quam usurpationis illius præsumptio non cadit; nam si Universitas, vel potentes acquisivissent Jus patronatûs usurpatione, non permisissent, ut alij Compatroni una id Jus acquirerent, nec eos admisissent, sed ipsi totum usurpassent. Et hinc sequitur, quòd vel Jus patronatûs non usurpaverint, sed justo titulo acquisiverint una cum privatis personis, vel saltem quòd illud non usurpaverint Ecclesiæ, sed potiùs præscripserint contra privatos. Gonzal. *l. cit. n. 69.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 28. n. 43.* Wiestner *n. 194.* éstque teste Matthæuccio decisum à *S. Congr. Conc. in Fesulana Juris Patronatûs.*

243 4. Quando Jus patronatûs sibi competere contendit Persona, vel Communitas Ecclesiastica; quia in his tanquam Episcoporum Jurisdictioni, & Visitationi subjectis, præsumptio usurpationis cessat. Mohedan. *decis. 340.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 72. n. 64.* & hoc teste Rota *in Laudensi Juris Patronatûs 28. Jun. 1630. coram D. Pirouano*, ubi fuit resolutum, præsumptionem usurpationis non cadere in Ecclesiam, vel Monasterium Dominam Castri, cùm sit Justitiæ cultrix.

5. Quando Beneficiorum collator est æque, vel magis potens, ut Juris patronatûs usurpationi, suisque Juris diminutioni facilè possit resistere. Corrad. *l. 4. prax. Benef. c. 4. a n. 40.* Barbos. *l. cit. n. 62.* Pal. *n. 7.* Wiestner *n. 187.* & ita resolvit Rota apud Farin. *decis. 578. n. 2.* quia ratione æqualis potentiæ non foret permissurus Juri sibi debito derogari.

244 Dub. 4. quis sit Judex Competens in causis Juris patronatûs? Affirmant aliqui, Judicem competentem in his causis etiam esse Judicem Sęcularem. 1. Quia Jus patronatûs potest competere Laico. ergo etiam cognitio causarum Juris patronatûs. 2. Quia *c. significavit 41. de Testib. & Attest.* de Juris patronatûs causa cognovit Judex Sabinensis, utique Sęcularis. 3. Quia *can. filijs 31. caus. 16. q. 7.* in ejusmodi causa adeundus asseritur Rex, non obscuro indicio, hunc respectu ipsius Judicem competentem esse.

245 Sed distinguendum est inter causas Juris Patronatûs, ubi est quæstio merè facti, & inter causas, ubi est quæstio Juris. *Si sit quæstio merè facti*, cognoscere de ea etiam Judex Sęcularis potest, ut multorum DD. authoritate, & celeberrimarum Europæ Curiarum praxi allegata, concedit Barbos. *l. 1. Jur. Eccl. c. 39. § 2. à n. 161.* quem cum communi sequitur P. Wiestner *hic n. 205.* & *l. 2. Tit. 2. n. 58.* *Si* agatur de quæstione Juris, cognitio illius, & definitio Judicis Ecclesiastici propria est. Lambertin. *l. 2. p. 2. q 3. art. 7. n. 4.* Petr. Barbos. *l. divortio 7. §. si vir 13. ff. solut. matr.* Augustin. Barbos. *in c 3 de Judic. n. 1.* Gonzal. *ibid. à n. 4.* Wiestner *hic n. 204.* Ratio est; quia Jus Patronatûs vel Spirituale est, vel Spirituali annexum, atqui causæ de rebus Spiritualibus, & his annexis, quando de Jure est quæstio, ad Judicium Ecclesiasticum pertinent, ut expressè deciditur *c. quanto 3. de Judic.* ergo &c.

Neque contrarium probatur per 246
Argumenta opposita. *Ad 1.* negatur paritas; nam Laici ad Jus Patronatûs obtinendum speciali privilegio habilitati sunt ab Ecclesia: non verò habilitatus est Judex Laicus ad cognitionem causarum, super eo in Judicium deductarum. *Ad 2.* Judex ille Sabinensis non fuit Sęcularis, sed Ecclesiasticus, scilicet Vicarius ad causarum Ecclesiasticarum cognitionem constitutus ab Episcopo Sabinensi, qui, quòd S. R. E. Cardinalis esset, ratione sui Tituli residebat Romæ, ut cum Cu acio notat Gonzal. *l. cit. n. 9.* *Ad 3.* recursus ad Regem *can. cit.* permittitur, non tanquam ad Judicem, sed Advocatum, & Patronum Ecclesiæ, ut extrajudicialiter caveat, ne damnum patiatur: vel si intelligi velis de recursu tanquam ad Judicem, dic id obtentum per privilegium speciale.

Quæritur 2. an, & à quo deroga 247
ri Juri Patronatûs possit? *Et 1. quidem dubitatur*, an Summus Pontifex citra Patroni consensum Beneficia conferre, & derogare Juri Patronatûs possit? R. posse de plenitudine potestatis, & quidem cuivis Patronatui, sive Ecclesiastico, sive Laico; quia ab ipso concessus est. Covar. *pract. qq. c. 36. n. 1.* Azor *p. 2. l. 6. c. 23. q. 1.* Less. *l. 2. de I. & I. c. 34. n. 35.* Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. gloss. 18. n. 1.* Vasq. *Opusc. de Benef. c. 2. §. 1. dub. 8.* Pal. *tr. 13. D. 2. p. 10. n. 1.* Pirh. *hic n. 133.* Circa quod tamen sequentia sunt advertenda.

1. Ut licita sit derogatio, requiritur 248
causa rationabilis, justa, & Ecclesiæ utilitatem respiciens: quia Juri alterius quæsito non est justum absque causa derogare. Quod maximè procedit in Patronatu acquisito per fundationem, constructionem, dotationem; quia tacitè ob illius acquisitionem hæc facta sunt. Pal. *n. 1. cit. v. requiritur.* Addidi, *Ut licita sit derogatio*; nam ut valida sit, nulla requiritur causa: & ratio est; quia ea, quæ ex voluntate Pontificis conceduntur, ipso contradicente, cessant. Semper tamen debet præsumi in tali derogatione adesse legitimam causam.

2. Pat-

249 2. Patronatui Ecclesiastico faciliùs derogatur, quàm Laico, si causâ fundationis, dotationis, & constructionis acquisitus sit; quia in derogatione Patronatûs Laici derogatur privilegio oneroso, seu remuneratorio, cùm in remunerationem fundationis, constructionis &c. concessus sit: at in derogatione Patronatûs Ecclesiastici derogatur privilegio gratioso, cùm non ex aliquo quasi contractu, sed totus ex gratia Sedis Apostolicæ ortum habeat. atqui ad derogationem privilegij onerosi, & remuneratorij efficacior causa requiritur, quàm ad derogationem gratuiti. ergo &c. Pal. *n.* 2. Et hinc

250 3. Licèt per clausulam generalem, quâ Pontifex reservat sibi omnia Beneficia, censeatur derogatum Patronatui Ecclesiastico, nunquam tamen censetur derogatum Patronatui Laico ex causa fundationis &c. acquisito, nisi eidem derogetur in specie, & expressè. Covar. *c. 36. cit. n.* 2. *& seqq.* Pal. *n.* 3. & communiter cæteri. *Ratio est*, ne Principes, & Domini Seculares à pijs fundationibus retrahantur, videntes prærogativas, & privilegia sibi concessa, in quorum consecutionem proprias divitias consumpserunt, passim, & absque urgente causa tolli. Neque sufficit, si Pontifex, dum Beneficia aliqua sibi reservat, dicat cum clausula, se reservata velle, *ad cujuscunque præsentationem pertineant*; quia derogatio hæc odiosa est, cons. explicanda, ut minùs, quàm fieri possit, lædat, quod fiet, si dicatur sensum habere, *Ad cujuscunque sive Episcopi, sive illo inferioris Ecclesiasticæ personæ, vel Universitatis præsentationem pertineat.* Ita *l. citt.* Azor *q.* 2. Less. *n.* 36. Gonz. *n.* 2. Vasq. *n* 24. Pal. *n.* 4.

251 4. Excipitur, si Jus Patronatûs secundùm suam originem Ecclesiasticum sit, sed Laico competat ex speciali privilegio, aut consuetudine legitimè præscripta; nam huic censetur derogatum à Papa per clausulam etiam generalem ut ex communi docet Covar. *l. cit. n.* 5. §. *quantò*. Azor *q.* 4. Less. *n.* 4. Gonz. *n.* 18. Pal. *n.* 8. Pirh. *n.* 134. quia tunc ratio cessat, ob quam Jus Canonicum prohibuit derogari Ecclesijs, & Beneficijs Patronatis Laicorum, cùm Laici nihil contulerint ad illas Ecclesias, vel Beneficia.

252 5. Similiter clausula speciali opus est, ut derogetur Patronatui mixto, seu qui simul ad Clericum ratione Ecclesiæ, & Laicum pertinet, saltem si par sit utrimque numerus Patronorum; quia etiamsi ejusmodi Patronatus quoad commoda, & privilegia Ecclesiasticus censeatur; quòd dignius trahat ad se minùs dignum: quoad damna verò: odia, & pœnas, & cons. quoad derogationes, & reservationes perinde habetur, acsi simpliciter Laicus Patronatus esset. Covar. *n.* 5. *v. opportunè*, Azor *q.* 5. Less. *n.* 40. Gonz. *n.* 12. Vasq. *n.* 24. Pal. *n.* 6. Pirh. *n.* 134.

6. Imò si Patronatus spectet ad alium quem Principem, Ducem, Comitem, Marchionem, etiam non sufficit, si Pontifex dicat se reservare Beneficium, ad cujuscunque præsentationem pertineat, etiam Laici, sed necesse est, ut ipsius Principis, Ducis &c. expressam mentionem faciat; horum enim Jus fortius est, utpote qui bene meriti censentur de Ecclesia: ac proinde sub nomine illo generali *Laici* non comprehenduntur. Azor *q.* 3. Vasq. *n.* 24. Pal. *n.* 4. & *alij suprà*. 253

Dub. 2. an, & cui Patronatui derogare possit Legatus Sedis Apostolicæ à Latere? R. potest derogare Patronatui Ecclesiastico, & reservare collationi suæ Beneficium sic Patronatum, illúdque conferre alicui, irrequisito, & invito Patrono *c. cùm dilectus 28. h. tit.* Secus est in Patronatu sæculari; nam huic derogare non potest, Abb. *in c. cùm dilectus cit. n.* 3. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 28. *q.* 12. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 29. *n.* 169. Pirh. *hic n.* 135. *&* 136. quia cùm Prælati Ecclesiarum plus Juris habeant in Bona Ecclesiastica, quàm in bona Sæcularium, & Laicorum, æquum est, ut etiam plus Juris habeant in Patronatum, qui ex Bonis Ecclesiasticis, quàm qui ex Sæcularibus, & Patrimonialibus bonis originem trahit. 254

Proceditque hoc etiam in Patronatu mixto, qui partim Sæcularis, partim Ecclesiasticus est; nam neque huic Legatus Papæ, etiàm à Latere derogare potest, idque ob favorem Patroni Laici, ne hujusmodi Patroni à fundandis, & dotandis Ecclesijs avocentur. Pirh. *n.* 136. *coroll.* 4. Imò si Clericus ex patrimonio suo fundavit, construxit, vel dotavit Ecclesiam, vel Capellam, Jus Patronatûs ratione istorum ipsi competens sub reservationem Legati nec ipsum cadet, ut notat Gloss. *in c. cùm dilectus cit. V. Clericus*; quia Jus Patronatûs, quod ortum habet ex bonis patrimonialibus Clerici, ut Laicum reputatur, & ijsdem Juribus, & privilegijs fruitur, quibus quodcunque aliud Laicale. Pirh. *n.* 136. *coroll.* 2. 255

Excipitur hìc iterum, si Jus Patronatûs competat Laico non titulo fundationis, constructionis, dotationis, sed ex privilegio solùm, vel consuetudine legitimè præscripta; nam huic derogare Legatus à Latere potest Azor *c.* 28. *cit. q.* 12. Sanch. *n.* 169. *cit.* Barbos. *in c. cùm dilectus cit. n.* 3. Pirh. *hic n.* 136. *coroll.* 4. Sed hæ derogationes, seu reservationes Beneficiorum, sive Patronis Laicis, sive Ecclesiasticis subjectæ sint, per Concil. Trid. *sess.* 24. *c.* 19. *de reform.* prohibentur, neque earum in Germania ob Concordata illius est usus aliquis. 256

Dub. 3. qualem potestatem circa Beneficia Patronata habeat Episcopus? R. huic potestas derogandi Juri Patronatûs, præsertim Laici omnino negatur, cùm ea de- 257

defacto negetur per Trid. *c. 19. cit.* Legatis Sedis Apostolicæ. Atque hinc. 1. Si præsentetur ipsi ad Beneficium vacans Clericus idoneus, non potest illum recusare, sed instituere illum debet in Beneficio, ad quod præsentatus est; aliàs institutio alterius erit irrita, vel saltem irritanda *can. decernimus 32. caus. 16. q. 7. c. illud 8. fin.* & *c. ex insinuatione 14. h. tit.*

258 2. Non potest Ecclesiam, vel Beneficium, quod est Juris Patronatûs, concedere, vel unire alteri Ecclesiæ, vel Beneficio sine consensu Patroni, sive Ecclesiastici, sive Laici *c. expositi 33. de Præbend. c. suggestum 20. h. tit.* quia Patronus per talem unionem amittit jus præsentandi, ideoque cum cedat in præjudicium ipsius, sine ejus consensu talis unio fieri non potest.

259 3. Non potest qualitates, seu conditiones Beneficij in prima fundatione appositas, etiam cum consensu Patroni Successoris mutare *clem. 2. pr. de Relig. Dom.* Intellige, in totum, & in perpetuum, ac sine rationabili causa; nam ex causa justa cum consensu Successoris Patroni voluntatem Fundatoris per Epikiam interpretari, & interdum etiam pro una, vel altera vice dispensare, & sic facere mutationem aliquam quoad unam, vel alteram conditionem, in prima fundatione appositam, potest, ut contra Garc. *p. 7. de Benef. c. 1. n. 107.* & *seq.* probabiliter docet. Laym. *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 17.* cum alijs.

260 Quæritur 3. quot modis amittatur Jus Patronatûs? ℟. duplex est caput, ex quo Jus Patronatûs amitti potest, ex delicto, & sine delicto. Hinc

Dub. 1. quot modis amittatur Jus Patronatûs sine delicto Patroni? ℟. sex maximè modos referunt Barbos. *l. 3. Jur. Eccl. c. 13. n. 254.* & *seqq.* Vallens. *hic §. 7.* Zœs. *n. 68.* Pirh. *n. 138.* Schamb. *n. 71.* Engl. *n. 26.* König *n. 33.* Wiestner *n. 196.* & alij passim.

1. Voluntaria ejus *Cessione* facta Episcopo, vel Ecclesiæ, ita, ut hæc libera evadat *c. un. h. tit. in 6.* *Proceditque hoc*, sive cessio ista sit facta expressè, sive tacitè, prout contingit, saltem quoad Jus præsentandi, quando Patronus Ecclesiam Patronatui suo subjectam patitur converti in Collegiatam, ut dictum est *suprà n. 45.* *Ratio est*; quia Patronatus in favorem Patroni principaliter est constitutus, favori autem pro se principaliter constituto quivis renuntiare potest.

261 2. *Unione* Ecclesiæ, vel Beneficij Patronati cum alia Ecclesia, Beneficio, vel Monasterio, si hæc facta sit permittente, aut patiente Patrono, sine reservatione Juris Patronatûs *c. cùm accessissent 8. de Constit.*

3. *Non usu*, si Patronus, cessante legitimo impedimento, longissimo, aut etiam longo tempore nullum Rectorem ad Ecclesiam vacantem præsentavit, & interea saltem duabus vicibus Rector sine præsentatione est institutus; tunc enim Ecclesia fit liberæ collationis.

4. *Destructione* Ecclesiæ totali, aut *interitu dotis*; nam his Jus Patronatûs ita amittitur, ut non recuperetur, nisi à Patrono reædificetur, aut de novo dotetur, sicut dictum est *suprà n. 61.*

5. *Extinctâ omnino familiâ* Fundatoris, quando Jus Patronatûs pro illa tantum fuit reservatum; aliàs si particula *Tantùm*, vel alia exclusiva adjecta non sit, ex Legis provisione ad illorum hæredes transibit secundùm dicta *n. 132.* & *133.*

6. *Suppressione*, vel *ablatione Papæ*: hæc tamen ut ablatum censeatur Jus Patronatûs Laicale, necesse est eidem à Pontifice expressè derogari, ut dictum est *n. 250.*

Dub. 2. quibus criminibus ipso Jure annexa sit privatio Juris Patronatûs? ℟. sunt quinque præcipuè. 262 1. *Cædes*, vel *mutilatio* Rectoris, aut alterius Clerici Ecclesiæ patronatæ, per se, vel per alium à Patrono facta *c. in quibusdam 12. ℣. sacri de pœnis*, ibi *prorsus amittant*, Barbos. *ibid. n. 3.* Vall. §. 7 *n. 1. hic*, Zœs. *n. 68.* Engl *n. 26.* Pirh. *n. 138.* Schamb. *n. 71.* König *n. 34.* Wiest. *n. 201.* ita tamen, ut probabilius sit opus sententiâ declaratoriâ ad actualem ejus privationem. Covar. de *Sponsal. p. 2. c. 6 §. 8. n. 10.*

2. *Venditio*, aut translatio Juris Patronatûs Simoniaca in alios *c. quia Clerici 6. h. tit.* Trid. *sess. 25. c. 9. ℣. nec dictum jus de reform.* Leo *Thes. for. Eccl. p. 2. c. 6. n. 31.* Vallens. *l. cit. n. 4.* Wiest. *n. 202.* & alij *suprà.*

3. *Perceptio* illicita fructuum Beneficij, aut bonorum istius temeraria usurpatio. Trid. *l. cit. ℣. Patroni autem*, Vallens. *n. 3.* Engl, König Wiest. *l. cit.*

4. *Hæresis*; quia hujus reus privatur omnibus bonis; cons. etiam Jure Patronatûs: idemque est de Schismaticis, & Apostatis, & fautoribus Hæreticorum. Barbos. *l. 3. Jur. Eccl. c. 13. n. 260.* cum reliquis *suprà.*

5. *Crimen læsæ Majestatis*, vel aliud enorme, inducens confiscationem bonorum, quibus Jus Patronatûs accessoriè annexum est: Vall. *n. 2.* & *7* Engl *n. 25.* Wiestner *n. 203.* de quo vide *suprà n. 144.*

TITULUS XXXIX.

De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus.

POst examinatum Jus Patronatûs sequitur *De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus*, qui de Ecclesiarum proventibus Episcopo, & aliquando etiam Patrono sunt exhibendi.

§. I.

De Censibus.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Census?*
2. *An ex præstatione istius annuâ probetur subjectio respectu Episcopi eundem recipientis?*
3. 4. 5. *Quomodo Census peti, & probari debeat?*
6. *An titulo non probato, in ejus percipiendi possessione sustineri Possessor possit?*
7. *Quid si census solùm sit personalis?*
8. 9. *Quis Censum imponere Ecclesijs, vel Beneficijs possit?*
10. 11. *An postquam Ecclesia, vel Beneficium in esse suo jam est constitutum, novus Census, vel Pensio ipsis imponi, vel augeri vetus à Patronis possit?*
12. 13. *An Census novus Ecclesijs, vel Beneficijs Ecclesiasticis imponi, vel antiquus augeri possit?*
14. *An ad hoc opus sit solennitate aliqua?*
15. *An auctis facultatibus Ecclesiæ, etiam Census augeri possit?*
16. 17. *In qua Moneta solutio fieri debeat, quando de certa specie, vel numero monetæ conventum est, & antequam solutio fieret, Monetæ valor extrinsecus mutatus est?*
18. *Excipitur, si Moneta, in pactum deducta, publica authoritate est reprobata.*
19. *Si difficulter haberi possit, aut majori ex parte solutio in ea facta sit.*
20. *Et denique si per solutionem alterius speciei præscriptum sit Censui solvendo in certa specie.*
21. *Quantum restituendum sit, quando non est designata certa species & numerus, & debitor fuit in mora culpabili?*
22. *Quantum, si non fuit in mora culpabili?*
23. *Ratio dubitandi.*
24. *Resolvitur quæstio.*
25. *Ratio decidendi.*
26. *Limitatio decisionis.*
27. *Respondetur ad Rationem dubitandi.*
28. *Quid si Monetæ valor sit immutatus intrinsecè?*
29. *Fundamenta sententiæ asserentis solutionem præstandam in moneta antiqua.*
30. *Approbatur sententia negativa.*
31. *Confirmatur Rationibus.*
32. *Solvuntur Argumenta opposita.*
33. *Quid dicendum, si valor monetæ sit auctus enormiter & id factum sit stabiliter?*
34. *Quid si auctio talis non est duratura, sed pretium rerum venalium idem, quod priùs, manst?*
35. *Quid si etiam pretium rerum venalium auctum est?*
36. *Cujus authoritate valor Monetæ mutari possit?*
37. *Causæ mutandi, & alia advertenda.*
38. 39. 40. *Ad quid obligetur, qui vovit certam mensuram e. g tritici, non determinando, de quali mensura id intellexerit?*
41. 42. *Quis valor attendendus sit in solutione Legati?*
43. 44. *Ad quem augmentum, vel decrementum pecuniæ depositæ spectet, si valor ejus in manu depositarij crescat, vel decrescat?*
45. 46. 47. *An debitum, contractum in nummis aureis, vel argenteis majoris formæ, invito creditore, solvi possit in Moneta æroſa, vel minuta?*

QUæritur 1. quid sit *Census?* R. *Census* nomen variè accipitur. 1. generalissimè, in qua significatione sub nomine isto venit, quidquid annuatim in certa quantitate, & summa præstatur, ut notat Host. *in Summ. b. tit. n. 1.* Vallens. *hic* §. *1. n. 1.* Zœs. *n. 1.* Pirh. *n. 1.* Schamb. *n. 2.* Engl *n. 2.* Wiest. *n. 2.* eáque ratione etiam Tributum comprehendit *l. ætatem 3. ff. de Censib.* 2. pro annuo Canone, seu Pensione, quam Emphyteuta præstat in recognitionem directi dominij. Pirhing Schamb. *Zœs. l. citt.* de quo dictum est *Tit. 17. n. 85. & seqq.* 3. pro Pensione, quæ solvitur ex Contractu Censititio, per quem traditur alicui res pleno jure, ut in accipientem transferatur directum, & utile dominium, reservata tamen priori domino pensione aliqua, sive ex fructibus, sive in pecunia, sive in alia re æquivalente, annuatim solvendâ, qui *Cen-*

sûs

sus reservativus appellatur, ut videre est apud Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 381. n. 2.* 4. pro annua pensione, quæ præstatur alicui, etiam Supremo Principe inferiori, ratione subjectionis, fundationis, aut alterius justæ causæ. Molin. *l. cit. n. 1.* §. denique, & prout huc maximè pertinet, pro annuo reditu, seu Pensione, quæ ex proventibus Ecclesiæ, Monasterij, vel Beneficij Ecclesiastici in recognitionem, & signum Subjectionis, exemptionis, aut fundationis solvitur *c. recepimus 8. de privil. c. constitutus 6. de Relig. Dom. c. querelam 4. de Elect. c. præterea 23. de Jur. Patron.* Et in hoc sensu definiri potest, quòd Census sit *onus reale, vel quælibet pensio, aut reditus annuus, qui ex proventibus Ecclesiasticis ab Ecclesijs, Monasterijs, & alijs pijs locis debetur, & solvitur superioribus Prælatis in recognitionem subjectionis, vel ex alia justa causa.* Zœs. *hic n. 2.* Engl *n. 2.* Pirh. *n. 1.* Schamb. *n. 2.*

2 Dub. 1. an ex præstatione annua Censûs, factâ Episcopo ab aliqua Ecclesia, vel Monasterio, rectè colligatur, & probetur ejusdem subjectio? ℣. ex illa sola non sufficienter colligi, vel probari. Ita Tusch. *V. Census concl. 190. n. 1. & 2.* Abb. *in c. fin. n. 4. de caus. poss. & propr.* Laym. *ibid. n 6.* Zœs. *hic n. 1.* Pirh. *n. 2.* Schamb. *n. 3.* König *n. 14.* Potest enim solvi ex alijs causis, & rationibus, e. g. in signum libertatis, & exemptionis ab Episcopo concessæ, in signum fundationis, si reservatus sit à Patrono &c. Hinc ut ex ejusmodi præstatione annua sufficienter probetur subjectio, necesse est, ut vel in solutione expressum sit eam fieri ratione subjectionis, vel id ex circumstantijs loci, temporis, personarum præsumptivè appareat, prout fieret, siquis eodem loco, tempore, ac modo, quo alij subditi, censum solvat; quia solutio indeterminata ex circumstantijs determinari solet. Pirh. *l. cit.* Et sic intelligi debet, quod dicitur *c. omnis. 2. h. tit.* ubi ex S. Augustino, *Ideo*, dicitur, *Tributa præstatis; quia hæc est probatio subjectionis;* est enim Tributum, seu Census signum subjectionis, si id expressum sit, vel si concurrant conjecturæ, seu præsumptiones denotantes subjectionem: non verò aliàs.

3 Dub. 2. quomodo Census peti, & probari debeat? ℣. distinguendo: Vel enim annua Censûs præstatio facta est per tantum tempus, cujus initij non extat memoria, vel non est facta per tantum tempus. *Si primum*, sufficit, si actor alleget, & probet hanc tam diuturnam præstationem, neque requiritur, ut alleget, vel probet alium titulum, vel causam legitimam; quia cursus temporis immemorialis habet vim tituli, & inducit præsumptionem Juris, quòd ex causa legitima Census fuerit impositus *l. hoc Jure 3. §. ductus aquæ 4. ff. de aqu. quot. & æstiv.* Abb. *in c. fin. n. 7. de caus. possess. & prop.* & *in c. pervenit n. 3. h. tit.* Covar. *in Reg. possessor. p. 2 §. 4. n. 4.* Pirh. *hic n. 4. Excipe*, nisi ex circumstantijs appareat, non fuisse pensionem annuam solutam tanquam debitam, quia v. g. semper facta solutio fuit cum protestatione, quòd non fiat ex obligatione; nam per actus voluntarios, seu non obligatorios præscriptio nunquam inducitur, ut communiter DD. notant, & dictum est *Libr. 2. Tit. 26. n. 28. ℣. septimò.*

Si secundum, distinctio altera est ad 4 hibenda: Vel enim, qui Censum perit, nullam certam præstationis, seu solutionis causam assignare potest, vel certam aliquam causam assignat. *Si prius*, nec possessio Juris exigendi censum acquiritur. Abb. *in c. fin. cit. n. 7.* Honor. *hic n. 4.* Pirh. *n. 4.* Schamb. *n. 3.* quia, qui petit Censum, exprimere debet causam debendi *c. pervenit 5. h. tit.* ubi dicitur, *quòd Census ignorantiæ* (i. e. cujus causa ignoratur. Gloss. *hic V. census ignorantiæ*) *nec Divinis* (i. e. Canonicis. Gloss. *hic V. eod.*) *nec humanis Legibus invenitur* (subintellige, quòd solvi debeat sine causa. Gloss. *fin. hic*) *oportet quippe, ut omnis census, ad quid, & quando persolvi debeat, præsciatur.* Ratio est, quia, qui petit aliquid, causam debendi allegare debet.

Si posterius, & allegetur certa præsta- 5 tionis, seu solutionis causa, e. g. quòd debita sit ratione subjectionis, aut reservationis Patrono factæ in limine fundationis, interest, quomodo probetur hæc causa, an per Probationes veras, e. g. per Instrumenta, testium fide dignorum depositionem &c. an verò præsumptivè tantùm ex diuturnitate temporis. *Si probet per probationes veras*, rectè petet actor solutionem Censûs. *Si præsumptivè tantùm*, videndum, an Jus commune Canonicum possessori, vel actori in petitorio resistat, prout resistit Laico, quando prætendit præstationem Censûs ab Ecclesia, vel non resistat. *Si resistit*, non sufficiet tempus minus, quàm 40. annorum cum titulo, v. g. pacti appositi in fundatione. *Si non resistit*, sufficiet, si probetur, pensionem annuam solutam esse tanquam debitam per modum Censûs 40. annis, etiamsi causa priùs allegata in specie probari non possit. Mascard. *de Probat. concl. 279. n. 1. & 9.* quia tunc ipsa ordinaria, & singulis annis repetita præstatio, seu solutio Censûs inducit præsumptionem causæ, seu tituli.

Dub. 3. an Possessor in sua possessio- 6 ne, vel quasi sustineri debeat, si titulum ignoret, probaverit tamen longo tempore annuum Censum sibi solutum fuisse? *Ratio dubitandi est*; quia tempus decursum non est modus aptus ad inducendam obligationem, vel debitum: sicut enim tempus non tollit obligationem *l. obligationum 44. §. circa 1. ℣. placet. ff. de Obl. & Act.* ita nec inducit.

Sed tenenda est affirmativa: imò si tali casu denegetur præstatio, potest agere Judicio possessionis recuperandæ, & tanquam spoliatus possessione Juris percipiendi Censum annuum, in qua hactenus fuit, petere, ut restituatur in Jure suo, quo fuit spoliatus, quamvis postea Censuarius possit super Jure, seu proprietate solvendi Censûs litem movere; quia spoliatus primo restituendus est, quàm de Jure proprietatis respondere teneatur in Judicio. Innoc. *in c. pervenit 5. h. tit.* Joan. Andr. *ibid. n. 8.* Abb. *n. 3.* Pirh. *hic n. 5.* & sumitur ex *c. fin. de ord. cognit.* & *c. cùm olim. 7. de caus. possess. & propr.*

Ad Rationem dubitandi, etsi ex solo cursu temporis non oriatur obligatio, seu debitum, aut ejus possessio, casu tamen, quo diuturno tempore uniformiter facta est solutio Censûs, tanquam debiti, ex eo oritur præsumptio præcedentis causæ, seu tituli, ex quo obligatio, seu debitum, vel saltem ejus possessio, aut quasi possessio originem traxit cum bona fide, ut constat ex *l. cùm de in rem 6. ff. de usur.* ubi *Imperator Antoninus ideo solvendas Usuras judicavit, quòd eas ipse dominus, vel pater longo tempore præstuisset.*

7 Dub. 4. Utrum, quæ dicta sunt *n. præc.* intelligi solùm debeant de Censu reali, seu qui ratione certæ rei debetur, an etiam de Censu personali? Abb. *in c. pervenit cit. n. 3.* & Legistæ communiter putant, in Censibus, seu præstationibus personalibus, ob denegatam solutionem Censûs, qui priùs longo tempore solutus fuit, non posse agi Judicio possessorio: ex ratione, quòd non possit obtineri possessio præstationis, seu debiti merè personalis, cùm libera persona, & quod ei inhæret, possideri non possit.

Sed verius contrarium defendunt Innoc. *in c. querelam 24. n. 3. & 4. de Elect.* Felin. *in c. conquestus 16. n. 4. de for. compet.* Laym. *in c. querelam cit. n. 6. §. verùm*, Pirh. *hic n. 6.* Consequenter, siquis tanquam personaliter obligatus ad solvendum Censum, vel pensionem annuam, eam aliquamdiu solvit Titio, postea autem solvere cesset, aut recuset, Titius, tanquam spoliatus Jure suo potest instituere Interdictum possessorium, saltem utile, & petere, ut restituatur. Colligitur ex *c. querelam cit.* *Ratio est*, quia certum est, quòd in persona, & ejus industria constitui possit obligatio solvendi Censum annuum ex ejusdem personæ lucris ratione alicujus pacti præcedentis &c. igitur eo casu ex parte creditoris consurget jus eum censum petendi: ponatur ergo, quòd ex hoc jure aliquamdiu exigat, & percipiat censum. ergo tunc constituetur in quasi possessione istius Juris. cons. eâ spoliatus agere poterit Interdicto recuperandæ.

Ad Argumentum contrarium, etsi persona libera, ut libera est, possideri nequeat, potest tamen obligari ad aliquid dandum, vel faciendum singulis annis, vel quoties justa causa hoc exigit: ut sic autem non amplius libera est, igitur nil repugnat adversûs illam acquiri quasi possessionem exigendi id, ad quod ipsa obligatur.

Quæritur 2. quis Censum imponere 8
Ecclesijs, vel Beneficijs possit? R. potest
1. *Pontifex*: quod præcipuè solet in signum subjectionis, vel protectionis Sedis Apostolicæ, quâ Monasterium, Ecclesia &c. vel omnino eximuntur à Jurisdictione Ordinarij, vel saltem speciali modo adversùs violentiam, & injusta gravamina defenduntur *c. recepimus 8. de Privil.* Gloss. *ibid. V. protectionis*, Abb. *n. 5.* Barbos. *in c. ex parte 18. eod. n. 2.* Cockier. *de Jurisd. Ord. in Exempt. p. 1. q. 9. n. 3* Honor. *hic n. 2.* König *n. 4.* Wiest. *hic n. 2.*

2. *Episcopus*: quod potest non uno casu. 1. In limine fundationis, vel dotationis: nam tunc reservare in Ecclesia recèns fundata, & dotata pensionem potest tam sibi *c. prohibemus 7.* junct. Gloss. *V. Census h. tit.* quàm Patrono *c. præterea 23. de Jur. Patron.* vel etiam alteri solvendam *c. quanto 16. h. tit.* 2. quando dedicat, vel consecrat Ecclesias *can. Eleutherius 30. caus. 18. q. 2.* 3. quando concedit aliquas Ecclesias pijs locis cum consensu suorum capitularium *c. pastoralis 9. de his, quæ fiunt à Prælat.* 4. Quando Ecclesiam aliquam à Jurisdictione sua eximit *c. constitutus 6. de Religios. Dom.* & *c. cùm venerabilis 21. h. tit.* Secus, quando eam de manibus Laicorum eripit; nam ob hanc rationem non potest Ecclesiæ censum imponere *c. Ecclesijs 9. h. tit.* Vallens. *hic §. 1. n. 5.* Honor. *ibid. n. 3.* Engl *n. 3. v. verùm*, Schamb. *n. 4.* König *n. 5.*

3. *Prælatus* quilibet, qui Ecclesiam 9
pleno jure sibi subjectam, & Jurisdictionem Episcopalem in loco habet; nam etiam hic Censum imponere tali Ecclesiæ potest, non quidem ad utilitatem suam, nisi in limine fundationis, aut quando Jura aliqua remittit, sed alterius Ecclesiæ, vel pij loci ex rationabili causa *c. præterea cit.* & *ibi* Abb. *n. 3.* Cæteri Sacerdotes, & Clerici non possunt Ecclesias, quibus præsunt, præsertim post decessum suum, efficere Censuales; personaliter verò ad solutionem Censûs se obligare possunt *c. de cætero 5. de transact. c. præterea cit.* & *ibi* Abb. *n. 4.* Qui per collusionem Judicialem, vel Extrajudicialem constituit Ecclesiam Censualem, illâ privatur *c. cùm clerici 11. h. tit.*

4. Aliquando in limine fundationis censum annuum sibi reservant *Patroni*, quod possunt cum consensu Episcopi *c. querelam 24. de Elect.* & *c. præterea 23. de Jur. Patr.* & dictum est *Tit. præc. n. 111.*

Dub. 1. an, postquam Ecclesia, vel Benefi- 10
cium in esse suo jam constitutum est, novus Census, vel Pensio ipsis imponi, aut vetus augeri à Patronis possit? R. negativè.

Pa-

Patet ex *c. prohibemus 7.* & *c. gravis 15. h. tit.*

Quæstio moveri potest, an hujusmodi Censûs novi impositio, vel antiqui auctio firmetur Juramento, aut Fidejussione appositâ? *Rationem dubitandi* de Juramento facit *c. gravis cit.* ubi, qui illud præstitit, jubetur ab eo absolvi.

11 Sed respondendum est negativè cum Gloss. *in c. gravis cit. V. Juratoria*, Abb. *ibid. n. 3.* Vall. *hic §. 1. n. 4.* Zœs. *n. 3.* Pirhing. *n. 20, not. 2.* Schamb. *n. 5.* Wiest. *n. 9. Ratio est;* quia tale Juramentum, & Fidejussio est accessoria Constitutioni, vel auctioni Censûs. igitur cùm hæc ipso Jure sit irrita, etiam Juramentum, & Fidejussio irrita erit; nam accessorium sequitur principale. *Conf.* specialiter de Juramento; quia Juramentum tale cedit in prejudicium Ecclesiæ, & Successoris, ut propterea perjurium potiùs, quàm Juramentum censeri debeat. *Ad Rationem dubitandi*, ita jurans, ut Abb. *l. cit.* notat, jubetur absolvi à peccato: vel si hoc intelligi debeat etiam de Juramento, dicendum, eo *cap.* juberi, ut detur absolutio à Juramento, declarando, ejusmodi jurata promissione non esse contractam obligationem, non verò quâ obligatio contracta relaxetur.

12 Dub. 2. an Census novus Ecclesijs, vel Beneficijs Ecclesiasticis imponi, vel antiquus augeri possit ab Episcopo, eique similibus Prælatis? *Ratio dubitandi ex una parte* est; quia Ecclesiæ, & Ecclesiastica Beneficia sunt subjecta ejus Jurisdictioni. igitur sicut illius authoritate constitui Census super ijsdem potest in fundationis limine, ita etiam postea constitui, & constitutus augeri. *Ex altera verò parte* videtur hoc fieri non posse, tum ob textus *c. scientes 3 c. prohibemus 7.* & *c. significavit 13. h. tit.* tum etiam ex ratione, quia Episcopus, & similes Prælati non possunt gravare Ecclesiam, & Beneficia, quod fieret impositione Pensionis, præsertim si impositio ista, vel auctio facta esset ab Episcopo in suam, & Mensæ suæ utilitatem; tunc enim præter gravamen, quod tali impositione, vel auctione infertur Ecclesiæ, accederet etiam species quædam avaritiæ, à qua Clerici, & maximè Episcopi esse alieni debent *c. cùm ab omni 10. de Vit. & honest.* & *c. avaritiæ 10. de Præb.*

13 Tribuendum utrique Argumento aliquid, & adhibenda distinctio, dicendúmque, posse Episcopum, saltem ex justa causa, & accedente consensu Capituli, constituere novum Censum, aut Pensionem, vel constitutam augere, quando illa alijs est obventura; non verò quando obventura est ipsi Episcopo, vel Capitulo. Vall. *hic §. 1. n. 3.* König *n. 8.* Wiestner *n. 11. Excipitur* duplex casus, ubi post constitutam in esse suo Ecclesiam, Pensionem, vel Censum constituere, & hunc sibi reservare potest: unus est, quando Ecclesiam aliquam à Jurisdictione sua eximit, alter, quando illam concedit, & unit Monasterio, vel alteri pio loco; tunc enim in recognitionem beneficij censum, & Pensionem aliquam sibi poterit reservare, ut dictum est *n. 8.* Causæ justæ reservandi Pensionem alteri sunt. 1. Si unus ex duobus, collitigantibus de Beneficio, cedere velit, reservata sibi aliqua pensione Beneficij. 2. Si Beneficiatus decrepitus, aut ægrotus renuntiet Beneficio, pensione tamen alimentorum loco sibi data. 3. Pro sustentatione pauperum Scholarium, vel aliorum indigentium. 4. Pro necessitate Ecclesiæ Cathedralis ad ejus reparationem, aut ad solvenda debita pro Episcopatu contracta. 5. Pro erigendo, & conservando Seminario juxta mentem Trid. *sess. 2. c. 18. de reform.* Plura de Pensionibus vide *suprà Tit. 12. à n. 1.*

Dub. 3. an ut Rector, vel alius Bene- 14
ficiatus super rebus suæ Ecclesiæ, vel Beneficij imponere, & constituere Censum perpetuum, vel diu duraturum possit, necessaria sit aliqua solennitas præter causam justam, & necessariam? R. affirmativè; est enim species alienationis per SS. Canones sine solennitatibus fieri prohibita. Et quidem quòd requiratur consensus Episcopi, si inferior Beneficiatus ejusmodi Censum super rebus Ecclesiæ suæ velit constituere, patet ex *c. præterea 8. h. tit.* Idem dicendum de auctione pensionis jam priùs impositæ *c. prohibemus 7. eod.* ibi, *Ne veteres augeantur.*

An verò augeri Census, vel Pensio 15
Ecclesiæ imposita, auctis istius facultatibus possit, in quæstionem deduci potest? *Ratio dubitandi* sumitur ex paritate cum colono, qui auctis fructibus, etiam augere Pensionem debet. *Sed respondendum est* negativè, ut bene Pirh. *hic n. 12.* Vel enim solvitur Superiori in signum subjectionis, vel privato. *Si Superiori*, augeri Census non debet; quia sive multum, sive parum solvatur, æquè per ejus præstationem recognoscitur subjectio. *Si privato*, tunc auctio bonorum Ecclesiæ isti non proficit; nam augmentum facultatum est fructus quidam dominij, quod cùm per contractum Censualem in Ecclesiam translatum sit, fit, ut eo casu augeantur solùm facultates ejus, qui Censum debet, non verò ejus, cui debetur. *Ad Rationem dubitandi* nego paritatem; nam Colonus percipit fructus ex re aliena: & hinc cùm res quælibet domino suo fructificet, fit, ut fructuum augmentum proficiat etiam domino fundi.

Quæritur 4. in qua Moneta Census, 16
aliáque debita pecuniaria solvenda sint? Varia circa hanc quæstionem satis difficilem formari dubia possunt pro varietate Casuum.

Dub. 1. in qua Moneta solutio fieri debeat, quando in constitutione censûs, vel contractu conventum est de certa specie, vel

numero monetæ solvendo? Videtur adhuc satisfacere creditori debitor, si eidem solutionem præstet in quacunque moneta ejusdem æstimationis, quamvis diversæ materiæ, aut formæ ob textum *l. origo 1. pr. ff. de contrab. empt.* ubi dicitur, quòd in nummis non tam substantiæ, quàm potestatis, seu æstimationis ratio habenda sit; & *l. quæ extrinsecus 65. §. sed etsi 1. ff. de V. O.* ubi Florentinus JCtus respondet, stipulationi nihil obesse, cùm stipulanti denarios argenteos aurei promittuntur ejusdem quantitatis.

17 Sed dicendum eo casu illam speciem, & numerum in solutione exhibendum, qui pro solutione in pactum deductus est, sive deinde auctus, sive diminutus sit valor illius monetæ. Ita *arg. l. creditorem*, aliàs *l. Paulus 99. ff. de solution.* Bartol. *in l. cit. n. 3.* Abb. *in c. quanto 18. de Jurejur. n. 15.* Covar. *de collat. vet. numm. c. 7. §. un. concl. 7.* Carranza *p. 4. de Monet. pag. 244.* Philiarch. *de Offic. Sacerd. tom. 2. l. 5. c. 6.* Ant. Faber *de var. numm. debit. solut. c. 3. n. 2.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 312. n. 9.* Laym. *l. 3. tr. 8. p. 1. c. 5. n. 13. & 14.* Frider. Martini *de Jur. Cens. c. 5. n. 118.* Rebell. *de oblig. Just. p. 2. l. 11. q. 5. n. 8.* Tondut. *qq. Civil. c. 1.* Gonzal. *in c. cùm Canonicis 26. h. tit. n. 5.* Pirh. *hic n. 34. & 35.* P. Wiestner *n. 20.* Ratio est; quia contractus ex conventione Legem accipiunt. *Reg. 85. in 6.* & invito creditore, aliud pro alio solvi non debet *l. mutuum 2. §. mutui 1. ff. de reb. credit.*

18 *Excipitur 1.* si Moneta, in obligationem deducta, omnino perijt, aut publica authoritate est reprobata; tunc enim debitor creditori solutionem in alia pecunia probata ejusdem æstimationis exhibere non solùm potest, sed etiam debet *arg. c. cùm olim 19. h. tit.* & *ibi* Gloss. *fin.* Abb. *n. 4.* Albertus Brunus *de Monet. p. 2. n. 3. & p. 5. n. 1.* Mynsing. *cent. 4. obs. 1. n. 6.* Gail. *l. 2. obs. 75. n. 7.* Carolus Molinæus *de Usur. contract. q. 91. n. 691.* Frid. Martin. *c. 5. cit. n. 119.* Laym. *n. 14.* Schamb. *hic n. 11.* Wiestner *n. 22.* contra Fabrum, qui *l. cit.* existimat, debitorem hoc casu omnino liberari; quòd impossibilis ei facta sit pecuniæ promissæ solutio. Sed respondetur, quòd in hujusmodi Contractibus, præsertim onerosis, & reciprocis, duplex obligatio contrahatur à debitore, una solutionem præstandi in certa specie, altera solvendi æstimationem pecuniariam: quæ duæ obligationes cùm dividuæ sint, una impossibili reddita, altera perseverat, ne utile per inutile vitietur contra *Reg. 37. in 6.*

19 *Excipitur 2.* si certa species, in obligationem deducta non facilè haberi potest, & alterius præstatio nihil incommodi, vel damni creditori est allatura. Mynsing. *cent. 4. obs. 1. n. 6.* éstque hoc teste judicatum in Camera. Sumitur ex *l. creditorem cit.* ubi *Paulus respondit, debitorem non esse cogendum in aliam formam nummos accipere, si ex ea re damnum aliquod passurus sit.* ergo videtur cogendus esse, si nullum damnum patietur.

Excipitur 3. Si debitor Censûs, vel alterius debiti pecuniarij majorem illius partem in moneta, in obligationem deductâ, jam solvit, & unus solùm, vel alter nummus ejusdem rationis deficit; tunc enim æquitas postulat, ut suppleri defectus possit in alia specie. Molinæus *de commerciis q. 91.* Martini *l. cit. n. 120.* Wiest. *n. 22.*

Excipitur 4. Si Censui in certa specie 20
solvendo per solutionem alterius speciei, debito tempore bona fide continuatam, præscriptum sit *arg. c. olim cit. c. de quarta 4.* & *c. ad aures 6. de præscript. l. sicut 3. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* Martini *n. 123.* Fagnan. *in c. olim cit. n. 21.* Wiestner *n. 23. hic.*

Ad Rationem dubitandi allatam *n. 16.* dico, textus illos procedere, quando de solutione, in moneta certæ speciei præstanda, non est conventum, prout observat P. Wiestner *hic n. 20.*

Dub. 2. quantum restituendum sit, 21
quando absque designatione certæ speciei, vel designata quidem specie certa, non tamen numero certo, in pactum deducta est certa pecuniæ quantitas e. g. 100. fl. & postea valor monetæ extrinsecus est immutatus? *Certum est*, quando debitor fuit in mora culpabili, quòd de solutione interpellatus, eandem debito tempore, & loco, cùm posset, non exhibuerit, eo casu solutionem præstandam secundùm valorem monetæ, quam illa habuit ante moram: cons. qui 100. aureos accepit mutuos eo tempore, quo aureus adhuc valebat tres tantùm florenos, si post transactum tempus, quo solvere debitum debuisset, & potuisset, mutatus sit valor aurei, & ut nostris temporibus est, inceperit aureus valere quatuor florenos, non satisfacit, si creditori præcisè solvat 300. fl. sed solvere debet 400. Bartol. *in l. creditorem*, aliàs *Paulus 99. ff. de solution. n. 8.* Covarr. *de collat. veter. numism. c. 7. §. un. n. 4.* Frid. Martini *de Jur. Cens. c. 5. n. 75.* Wading. *de Contract. D. 8. dub. 4. n. 2.* Fachin. *l. 2. contr. c. 9. & tertia sententia*, Pirh. *hic n. 27.* *Ratio est*; quia mora sua cuilibet nociva est *Reg. mora 25. in 6.* cons. damna, & incommoda inde provenientia debitor morosus, non creditor, solutionis dilatione delusus, pati debet.

Controversia inter DD. est, quando 22
debitor non fuit in mora culpabili: & tunc diminutionis detrimentum, & commodum augmenti creditoris esse, docent Bartol. *in l. Paulus cit. n. 6.* Covar. §. *un. cit. concl. 4. n. 3.* Tiraquell. *de retract. consang. gloss. 18. n. 27.* Albert. Brun. *de Monet. p. 1. concl. pract. 3. limit. 1.* Anton. Faber *de var. numm. debit. solut. c. 6. n. 4.* Azor *p. 3. l. 10. c. 7. q. 2.* Gaill. *l. 2. obs. 73. n. 9.* Fachin. *l. 2. contr. c. 9. & tertia sententia*, Fagn. *in c. olim 20. h. tit. n. 22.*

& 23. Consequenter in hac sententia, si Titius v. g. 100. aureos mutuos dedit Cajo, cùm tunc valeret aureus tres florenos, hoc pacto adjecto, ut tantundem in proba moneta, sive eadem, sive alia æquivalenter restituantur, sed postea, manente eadem bonitate intrinseca aurei, singuli aurei valeant quatuor florenos, hoc augmentum cedet creditori, ita, ut tempore solutionis ipsi debeant restitui 400. fl. licèt tempore contractûs mutui 100. aurei tantùm fecerint 300. fl. Et vice versa, si tempore Contractûs mutui aureus valuit florenos quatuor, & postea devenerunt ad tres florenos, sufficiet, si pro 100. aureis debitor solvat 300.

23 *Fundamentum* præciputum hujus sententiæ est; quia hoc casu bonitas intrinseca non mutatur, sed tantùm æstimatio, seu valor extrinsecus, in hoc autem inspiciendum est tempus solutionis, etiamsi pretium extrinsecum cursu temporis mutatum sit *l. cum quid 3 junct.* Gloss. *fin ff. de reb. credit. Conf.* qui vinum accepit mutuò, satisfacit, si æquè bonum restituat, neque consideratur, an auctum, vel diminutum sit ejus pretium *l. vinum 22. ff eod.* quia, ut *ibidem* advertit Gloss. *V. cùm petitum esset, bonitas intrinseca consideratur secundùm tempus dati mutui, non extrinseca, scilicet quòd tantum valeat.* Et hinc etsi duplo minus sit vini pretium, non tamen mutuatarius obligabitur ad restituendum duplo plus, nec satisfaciet restituendo duplo minus, si pretium temporis redditionis sit duplo majus, nisi aliter conventum sit, aut debitor sit in mora. ergo etiam debitor pecuniæ restituere debebit æquè bonam pecuniam, etsi auctum sit ejus pretium, neque satisfaciet reddendo illam secundùm æstimationem extrinsecam, quam tempore solutionis habet.

24 Sed dicendum, casu, quo absque designatione certæ speciei, & numeri in pactum deducta est certa pecuniæ quantitas, & postea extrinseca monetarum mutatio facta est, eam commodo, vel incommodo debitoris accidere: cons. si debitor tempore, quo aureus valebat tres duntaxat florenos, accepit 100. aureos, nunc quando aureus valet 4. fl. satisfacit, si creditori solvat 75. & è contrario, si accepit 100. aureos tempore, quo aureus valebat 4 fl. & deinde is decrevit ad tres florenos, licèt acceperit tantùm aureos 75. solvere debet 100. Ita Sylv. *V. solutio q. 2. dict. 1.* Sot. *l. 6. de Just. q. 1. art. 2. & q. 12. art. 1.* Petr. Navar. *l. 3. de restit. c. 2. n. 259.* Joan. Medin. C. *de restit. q. ult. ỳ. ideo fatentur*, Joan. Faber. *Inst. quib. mod. toll. oblig.* Carol. Molin. *de commerc. q. 92.* Frideric. Martini *c. 5. cit. n. 66.* Mynsing. *obs. 1. cit. n. 1.* Rebell. *p. 2. l. 11. q. 15. concl. ult.* Fill. *tr. 35. n. 49. ỳ. quintò*, Molin. *tr. 2. D. 512, n. 2. & 3.* Laym. *l. 3 tr. 3. p. 1. c. 5 n. 15.* Pirh. *hic num. 28.* Wiest. *ibid. n. 25. & seqq.*

Assertio hæc apertè probatur consuetudine Imperij, secundùm quam crescentibus monetis secundùm valorem extrinsecum tantùm, debita pecuniaria omnia minore monetarum numero solvuntur. *Et confirmatur* ex *Ordinatione Monetaria* facta à Ferdinando I. *1559.* ubi valor floreni aurei Rhenensis, qui antea juxta *Recessum Comitiorum Augustæ 1551.* celebratorum §. Nemblich als sich bißhero 18. baciorum erat, eadem bonitate manente, auctus est tribus crucigeris, & facultas data creditoribus, illos in hoc valore exponendi, & debita solvendi. igitur ad debitorem augmentum valoris pertinet: si augmentum, etiam decrementum secundùm *Reg. qui sentit. 55. in 6.* *Ratio est;* quia auctio, vel diminutio pecuniarum ideo decernitur ut secundùm eam mercatones, &, solutiones debitorum fiant. ergo si decretum æstimationis justum est, utponimus, servari debet, ac potest etiam à debitore respectu creditoris, à quo mutuas pecunias ante auctionem accepit; aliàs si in antiquo valore restitutionem huic deberet facere, cogeretur ad solvendum plus, quàm quod in promissionem, & obligationem deductum est. ergo &c. 25

Procedit autem hoc tantùm casu, quo valor monetæ extrinsecus auctus est authoritate publica, vel usu communi populi; nam quando mutatio valoris tantùm inducta est authoritate privata, sive improbitate fœneratorum, mercatorum, campsorum, resolutio ista non procedit, nec ejus ratio in solvendis debitis, præsertim antiquis, habenda est, ut bene Laym. *l. cit. n. 16.* Pirh. *n. 30.* Wiest. *n. 29.* Ratio disparitatis est; quia solus ille valor extrinsecus monetæ censetur justus, qui publica authoritate, vel usu communi populi taxatus est, ut secundùm eum mercationes, & solutiones debitorum pecuniariorum fiant: de quo *infrà n 31.* plura. 26

Ad fundamentum adversæ sententiæ *n. 23.* allatum, dico in debitis pecuniarijs, quando species monetæ certo numero solvenda expressa non fuit, attendendum esse tam tempus contractûs, quàm tempus solutionis: *tempus contractûs* quidem, ut intelligatur quantitas debiti, seu valor pecuniæ mutuò datæ, quem illo tempore habuerunt, videlicet quòd 100. aurei fecerint 300 fl. *Tempus solutionis* autem, ut intelligatur valor pecuniæ, per quam solutio fiet; quia secundùm eum pecunia numerari debet. *Ad Conf.* magnum est discrimen inter vinum mutuò datum, & inter pecuniam numeratam; nam 1. in restitutione vini, & similium consideratur quantitas, & materia; in restitutione pecuniæ, nisi aliud in contractum deductum sit, non materia, sed sola æstimatio. 2. Pecuniæ æstimatio plerumque certa est, & definita publica Lege Magistratûs, nec facilè mutatur; at verò pretium vini incertum est, & sæpiùs variatur. 3. 27

Va-

Valor extrinsecus, seu æstimatio imposititia est de substantia monetæ, seu pecuniæ *l. origo 1. ff. de contrab. empt.* vini æstimatio non est de substantia vini; non enim vinum ideo melius est, quia pluris æstimatur. ergo à vino non rectè sumitur Argumentum ad monetam.

28 Dub. 3. in qua moneta, antiqua, an nova, solutio exhibenda sit, quando absque certæ speciei, & numeri designatione certa quantitas v. g. 1000. fl. in obligationem deducti sunt, & postea valor monetæ intrinsecè est immutatus, quòd cusa sit moneta quoad bonitatem & puritatem meralli, aut pondus, vel aliàs qualitates priore melior, aut deterior? Bartolus *in l. credito rem cit. n. 6.* Abb. *in c. 18. de Jurejur. n. 12.* Innoc. *in c. 20. h. tit. pr.* Socin. sen. *cons. 298. l. 2.* Socin. *Jun. cons. 145. n. 95. l. 1.* & *cons. 142. n 6. lib. 2.* Covar. *de collat. vet. numis. c. 7. §. un. n. 2. concl. 1.* Frid. Martini *c. 5. cit. n. 125.* Fachin *l. 2. contr. c. 10.* ℣. *restat*, Berlich. *pract. concl. p. 2. concl. 35. n. 37. ad fin.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 5. n. 19.* Fagnan. *in c. olim 20. h. tit. n. 4. & 14.* Pirh. *hic n. 22.* Schamb. *n. 8.* & alij putant, eo casu solutionem exhibendam in Moneta antiqua, vel si talis non extet, aut haberi nequeat, secundùm valorem, & æstimationem illius in moneta currente, sive deinde illa deterior, sive melior antiqua sit, modò solutioni monetæ antiquæ non sit præscriptum per solutionem monetæ novæ.

29 *Fundantur* 1. textu *c. olim cit.* ubi Clerici Rupinenses, qui per 38. annos Synodaticum solverant non in denarijs Papiensibus, sicut de Jure debebant, sed in Lucensibus condemnati sunt ad illud solvendum in Papiensibus, vel saltem secundùm eorum æstimationem, non verò in Lucensibus secundùm valorem intrinsecum diminutis. 2. *c. cùm Canonici 26. eod.* ubi Canonicis Cathedralis Ecclesiæ, qui volebant sibi pensionem, ab antiquo debitam, solvi in moneta nova majoris valoris, adjudicata est pensionis solutio in moneta antiqua deterioris valoris, vel si antiqua non extet, in nova secundùm æstimationem antiquæ. 3. *Ratione;* quia Justitia commutativa exigit, ut in omni debito pecuniario præstetur id, quod in obligationem est deductum. in obligationem autem deducta censetur præstatio monetæ ejusdem bonitatis, & ponderis, cujus erat tempore obligationis impositæ, vel contractæ juxta *l. cùm quid 3. ff. de reb. credit.* ergo &c.

30 Hæc sententia communi consensu TT. & præcipuè Canonistarum approbata est teste P. Wiestner *hic n. 31.* satisque congruit æquitati Hoc tamen non obstante, admodum probabilis, & Bavariæ nostræ, pluriúmque aliarum Provinciarum usu recepta est altera, quæ hoc casu docet solutionem præstandam in moneta currente secundùm valorem ejus præsentem. Ita Geminian. *cons. 137. n. 1. & seq.* Ludov. Roman. *sing. 519. incipit, Quod tempus n. 1. & seqq. cons. 123. n. 1. & seqq.* Joan. Faber *in Auth. non nisi C. de solut.* Carol. Molin. *de mutat. monet. vel de contract. q. 100. n. 11.* Menoch. *cons. 49. n. 58.* ℣. *his constat. vol. 1.* Hottom. *libr. Illustr. q. 15. col. 7.* ℣. *ergo quantum*, & ℣. *seq.* Wading. *de Contract. D. 8. dub. 4. n. 4.* Pont. *de potest. Princ. Monet. q. 3. & 4.* Gonzal. *in c. 26. h. tit. n. 6.* Watzenegger *qq. Monetar. q. 4. à n. 15.* Wiestner *hic n. 36.* fatetúrque ipse Berlichius, licèt, ut suprà vidimus, sententiæ adversæ Patronus, hanc opinionem, si momenta rationum, circumstantias, & exempla historica considerare velimus, parum à veritate aberrare.

Ratio est 1. quia dum Princeps ordinatione publica ex causa urgentis publicæ ne- 31
cessitatis, aut evidentis utilitatis valorem monetæ mutat, subditis suis præcipit, ut eandem secundùm valorem novum, à se impositum in commercijs, & solutionibus expendant, quod præceptum, & Lex, cùm publici boni consideratione factum sit, hoc ipso justum est: cons. observari debet, etiam cum damno, & præjudicio suo, quod bono publico debet cedere. si autem observari debet, satisfaciet debitor, si Censum, & alia debita pecuniaria in Moneta secundùm valorem præsentem solvat, nisi aliud in pactum deductum sit, ergo &c. 2. Si Census, & alia debita pecuniaria solvi non possent in Moneta secundùm valorem præsentem, id maximè prohiberet damnum, & præjudicium, quod paterentur creditores privati. atqui hoc damnum, & præjudicium imprimis non obstat; quia, ut dixi, injustum non est; deinde creditor eo casu non plus damni patitur, quàm patiatur casu, quo monetæ valor extrinsecus immutatus est; nam in utroque casu accipit 1000. fl. cùm hoc solùm discrimine, quòd in primo casu accipiat illos in nummis minùs probis quoad materiam, sed tamen pluribus, in posteriori autem in probis quidem, sed paucioribus. 3. Nummi non tam ex materia, quàm ex quantitate, h. e. valore publica authoritate impositi, æstimantur *l. origo 1. pr. ff. de contrab. empt.* aliàs massa non signata tantum valeret, quantum signata, quòd communiter reprobari ostendit Cagnol. *in l. si fundum 2. C. de pact. int. empt. num. 215.* igitur sufficiet, si debitor creditori solvat in tanta quantitate, quantum est debitum, qualiscunque moneta sit, nisi aliter inter ipsum, & creditorem conventum sit. 4. Non minùs Tributariæ, quàm Monetariæ Leges aliquod damnum, & præjudicium subditis afferunt, & tamen hoc non obstante, si Tributum publica authoritate ex causa urgentis publicæ necessitatis, aut evidentis utilitatis statutum sit, observari debent, igitur ob-

ôbſervari etiam debent Leges Monetariæ, non obſtante ſubditorum qualiquali damno. 5. Ex Hiſtoria Romana conſtat, quòd ſæpiùs quoad valorem intrinſecum immutata Moneta fuerit, & tamen ſemper ſecundùm valorem præſentem ſolutio facta eſt, ut pluribus explicat P. Wieſtner *hic n. 33.* Imò defacto, ut *n. præc.* dixi, ita fit ſolutio in Bavaria, & alijs compluribus Provincijs, non conſiderato valore pecuniæ priùs habito.

32 Neque contrarium efficaciter probant textus, & ratio in contrarium allegata. *Ad 1.* eo caſu Clerici Epiſcopo Cathedratici nomine debebant ſolvere tres denarios Papienſes, vel eorum pretium in Moneta currente, quod non fiebat ſolvendo loco unius Papienſis tres Lucenſes, poſtquam valore iſtorum intrinſeco immutato, tres Lucenſes unum Papienſem facere deſierunt. *Ad 2.* in *c. cit.* Pontifex ſolùm præcepit, ut Canonici, qui volebant penſionem ſibi debitam à Presbytero ſolvi in moneta meliori, contenti eſſent penſione illa ſibi ſoluta in Moneta, in qua debita fuit, vel in æſtimatione illius, ita, ut quantitatem ſibi debitam conſequerentur, quâ plus conſecuti fuiſſent, ſi obtinuiſſent, quod petierunt. *Ad 3.* ibi bonitatis nomine, non ipſa materia, ſed ſola quantitas venit, quæ unicè in pactum deducta cenſetur, quando de nummorum certa ſpecie, & numero non convenit, ut proinde ſatisfactum ſit creditori, ſi ſolutio ejus quantitatis facta ſit in moneta proba.

Dub. 4. quomodo ſolutio præſtan-
33 da ſit, quando valor Monetæ extrinſecus ex cauſa urgentis neceſſitatis publicæ graviſſimæ ita enormiter auctus eſt, ut v. g. nummus argenteus, qui nunc unius floreni valorem habet, poſtea ad octo, vel decem florenorum valorem aſcendat; aut viciſſim per deterioris materiæ admixtionem ita enormiter depravatur, ut unus nummus argenteus, vel aureus, qui nunc in uſu eſt, quoad bonitatem intrinſecam octo vel decem poſtea cudendis æquivaleat?

℟. hoc caſu adhibendam diſtinctionem: Vel enim mutatio illa valoris monetarij ex publica ordinatione ſtabilis, & duratura eſt, vel non. *Si primum*, valor monetæ, per talem ordinationem, vel publicam Provinciæ alicujus conſuetudinem introductus, etiam in ſolutionibus obſervandus eſt. Rebell. *p. 2. l. 11. q. 15. concl. ult.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 5. n. 15. fin.* Pirh. *hic n. 30.* König *n. 10. ibid.* & reſponſum eſt à Collegio Juridico Ingolſtadienſi *18. Julij 1639.* apud Waizenegger *qq. Monet. in fin. n. 11.* quod etiam probat ratio; quia is valor juſtus Monetæ eſt, quem Princeps, conſideratâ publicæ neceſſitatis, & utilitatis causâ, obſervandum præcipit.

Si ſecundum, altera diſtinctio eſt ad-
34 hibenda, & videndum, an enormi illa mutatione durante, rerum venalium, etiam immobilium, pretium idem ferè ſit, quod antè fuit, & poſt mutationem futurum eſt, vel etiam ipſum cum auctione Monetæ auctum ſit. *Si prius* contingat, & ſic immutatæ Monetæ florenus e. g. eandem ferè vim, poteſtatem, & uſum communem in commercijs haberet, quem habuit florenus Monetæ probæ, & quoad valorem non auctæ, in ſolutionibus, ſpeciali conventione ceſſante, attendi deberet valor, quem habet moneta ſolutionis tempore. Waizenegger *l. cit. q. 5. n. 14. & 17. & q. 6. à n. 5.* & ex hoc P. Wieſtner *hic n. 38.* adeoque qui ante auctionem valoris extrinſeci monetæ dediſſet 100. aureos, dum aureus adhuc valebat tres florenos, hujus pretio ad 20. florenos aucto, contentus eſſe deberet, ſi eidem debitor ſolveret 15. aureos. *Ratio eſt*, quia tali caſu is, qui Monetam ejuſmodi in pretio ante auctionem currente dedit, recipiendo illâ ſecundùm valorem impoſititium nullum pateretur damnum, aut modicum.

Si poſterius, & cum auctione Monetæ 35
etiam pretium rerum venalium auctum eſt, in ſolutionibus debitorum ſpectandus eſſet valor Monetæ, quem iſta non ſolutionis, ſed contractûs tempore habuit. Faber *de var. num. deb. ſolut. c. 4. n. 2.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 5. n. 16. fin. & n. 25.* Waizenegger *q. 5. n. 10, 11. & 17.* Pirh. *hic à n. 31.* Wieſt. *n. 37.* & his teſtibus communiſſima aliorum. *Ex quo ſequitur*, ſecluſa ſpeciali conventione, nec creditorem cogi poſſe tali caſu, ut in ſolutionem antiqui debiti recipiat monetam ſecundùm valorem extrinſecum ita enormiter auctam, vel quoad intrinſecum ita depravatam; nec etiam debitorem, ut debitum, quod in Moneta ita enormiter aucta contraxit, ſolvat in moneta proba ſecundùm valorem poſt reductionem rei monetariæ reſtitutum ad ſtatum priſtinum. *Ratio eſt*, quia ſi creditor in hoc valore recipere, & debitor in eo valore ſolvere teneretur, & hic, & ille enormiſſimè læderentur, quippe cùm creditor ne octavam quidem pecuniæ creditæ partem conſequeretur, debitor verò reddere teneretur octuplo plus, quàm accepit, contra intentionem, & mentem Principis, qui utique ea mutatione non cogitat ſubditos ita enormiter lædere.

Dub. 5. cujus authoritate valor Mo- 39
netæ mutari poſſit? ℟. hoc fieri poſſe ſola authoritate Principis, vel Magiſtratûs quoad temporalia Superiorem non recognoſcentis. Patet ex *l. quoniam 1.* & *l. ſeq. C. de falſ. Monet.* & *Ordinat. Monetar. cit.* ubi valoris Monetæ mutatio quæcunque ſub confiſcationis, aliiſque gravibus pœnis interdicta eſt.

An ad ejuſmodi mutationem faciendam populi conſenſu Princeps indigeat, quæri poteſt, & dubium movet *c. quanto 18. de Jurejur.* ubi Innocentius III. reprobat ejuſmodi mutationem ſine populi con-

sensu factam. *Sed dicendum*, ita quidem, spectato Jure communi, fieri decere, imò & debere in ijs Provincijs, in quibus vigore Concordatorum, & pactorum initorum inter Principem, & Status majora negotia, ejusmodi consensu adhibito, decerni consueverunt. Cessantibus tamen hujusmodi Pactis, & Juribus specialibus, cùm justa causa exposcit, mutationem talem fieri etiam sine populi consensu posse. Ita Covar. *de Collat. Veter. Num. c. 7. n. 6.* Joan. Faber *Inst. quib. mod. toll. oblig. pr.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 5. n. 7.* Gibalin. *de negotiat. l. 2. c. 4. art. 13. n. 3.* Wiest. *hìc n. 17.* & docet temporum nostrorum praxis.

37 Dixi, *cùm justa causa exposcit*: debet autem esse gravissima; quia hujusmodi mutatio gravissima sibi conjuncta habet incommoda, dum commercia, & negotiationes perturbat, rerum venalium pretium auget, fœneratorum sordibus, & innumeris fraudibus ansam præbet &c. quæ incommoda cùm subditorum fortunas spectent, quarum Princeps non est dominus, inde sequitur sine gravissima causa ejusmodi mutationem fieri non posse.

Hinc Abb. *in c. 18. de Jurejur. n. 11.* Gabriel *in 4. sent. dist. 15. q. 9. art. 3. dub. 1.* Laym. *c. 5. cit. n. 9.* Gibalin. *n. 4.* Wiest. *n. 19.* monent 1. ejusmodi mutationem non faciendam, nisi ob causam urgentis magnæ necessitatis, aut evidentis utilitatis publicæ, ut v. g. est propulsatio calamitatum impendentium Reip. ex urgente, valde difficili, & Reip. vel Religioni periculoso bello. 2. Facilius immutari valorem monetæ extrinsecum, quàm intrinsecum, in qua secunda majus periculum est ob fraudes improborum falsas Monetas cudentium, & difficultatem rem nummariam in pristinum statum reducendi. 3. Damnum, quod ex ejusmodi mutatione subditis secutum est, resarciendum esse à Principe, monetis deterioribus receptis, & melioribus repositis.

38 Quæritur 5. quomodo solvenda sint ea, quæ debentur ex voto, Legato, Depositio? *Et 1. quidem dubitatur*, ad quid obligetur, qui vovit se annuatim daturum Ecclesiæ, vel pauperibus certam mensuram e. g. tritici, non determinando, de qua mensura id intellexerit? *Ratio dubitandi est 1.* quia talis promissio videtur omnino concidere, cùm sit promissio rei incertæ, & incertitudo rei promissæ, aut legatæ vitiet actum, ita ut nullam obligationem pariat, ut patet ex *l. triticum 94. ff. de V. O.* 2. Vel si inducitur aliqua obligatio, Votum in favorem Religionis, & causæ piæ intelligi debebit, non de quacunque, sed de majori mensura ex *l. Titia 38. §. Seja 2. ff. de aur. arg. legat.* ubi qui legavit statuam Ecclesiæ, intelligitur potiùs legasse argenteam, quàm æream. Quod confirmatur 3. quia in beneficijs plenissima facienda est interpretatio c. *cùm dilecti 16. de donat.* ergo etiam in Votis, ut in majorem cultum Dei cedant.

Sed dicendum, satisfacere, si minimam mensuram solvat vovens. Patet ex *c. ex parte 18. h. tit. l. si servus 50. §. fin. ff. de Legat. 1.* & *l. nummis 75. ff. de Legat. 3.* Ratio est; tum quia in obscuris minimum est sequendum *Reg. semper 9. ff.* & *Reg. in minimis 30. in 6.* tum quia Votum stricte interpretari oportet, ut in quantum fieri potest, minùs obliget, idque ut occasio, & periculum sacrilegæ violationis vitetur. *Excipitur*, nisi aliud ex circumstantijs colligatur, vel ex consuetudine patriæ; nam verba dubia prolata, etiam in Voto, accipiunt interpretationem ex usu, seu consuetudine patriæ. 39

Neque contrarium probant Argumenta allata in oppositum. *Ad 1.* imprimis *l. triticum cit.* est tantùm dispositio Juris Civilis, quæ vim in Spiritualibus, & Ecclesiasticis nullam habet. Deinde dotis promissio ob incertitudinem non vitiatur, sed favore ejusdem sustinetur. atqui non minùs favorabilis est causa pia. Denique de Jure Civili non omnes promissiones ob incertitudinem irritantur, sed tantùm illæ, quæ ita incertæ sunt, ut dando rem ferè nullius pretij, & æstimationis, possent impleri, ut notat Suar. *tom. 2. de Relig. l. 4. de Vot. c. 7. n. 18.* *Ad 2.* legatum *in l. Titia* intelligitur de statua argentea; quia in illo Templo, ut textum illum legit Gottofred. *in not. lit. L.* non erant statuæ aliæ, nisi aureæ, & argenteæ, & constabat, mentem testatoris fuisse, ut similem ibi poneret. Deinde esto, quòd in Legatis majus, & pretiosius debeatur, non tamen idem obtinet in Votis; nam in Legatis præsumitur favore causæ piæ legatum, quod majus, aut melius est, in Votis autem in favorem libertatis sequendum id, quod minus est. *Ad 3.* Regula illa locum habet in Beneficijs Principum, & Nobilium; Votum autem non est beneficium, sed obsequium hominis erga Deum, in quo amplior interpretatio, nisi aliud ex circumstantijs pateat, non est facienda, quàm quantum fieri necessum est, ut Votum impleatur. 40

Dub. 1. quis valor attendendus sit, quando 100. aurei in Testamento legati sunt, & mortis tempore valor aurei extrinsecus immutatus est? Videtur Legatum præstandum secundùm valorem, quem aurei habent tempore mortis Testatoris: quod etiam probat ratio; nam quando de Legato præstando agitur, mortis tempus inspiciendum est, cùm Legatum antè perfectum non videatur, quàm Testator decesserit *l. si fundus 28. ff. quando dies Legat. ced.* ipsúmque Testamentum robur, ac vires non habeat, nisi à morte Testatoris *l. Testamentum 1. ff.* 41

1. ff. qui Testam. fac. poss. & *l. omnium 9. C. de Testam.*

42 Sed dicendum, si Testamento aliud expressum non est, Legatum præstandum esse in ea Monetæ bonitate, quæ tempori conditi Testamenti, non quæ tempore mortis fuit. Ita Abb. *in c. olim 20. h. tit. n. 4.* Fagnan. *ibid. n. 9.* & *10.* Brunnem. *in l. si ita 7. ff. de aur. arg. leg. n. 2.* Pirh. *hic n. 25. ỳ. extenditur 3.* Wiest. *ibid. n. 40.* & patet ex *l. si ita cit. Ratio est;* quia Testator legare censetur consideratione Patrimonij, quod habet eo tempore, quo condito Testamento de eo disponit: cons. nummos legare intelligitur secundùm valorem præsentem, sive eum, qui in usu, & commercio est, cùm de Patrimonio suo disponit, & Legatum relinquit.

Ex quo patet ad Argumentum oppositum.

43 Dub. 2. ad quem augmentum, vel decrementum pecuniæ depositæ spectet, si valor ejus in manu depositarij crescat, vel decrescat? R. distinguendo, an depositario pecunia apud ipsum deposita præcisè ad custodiam tradita sit, an verò depositò admixtum sit mutuum, usúsque pecuniæ permissus depositario, ita, ut non certa species, & numerus nummorum, sed sola quantitas restituenda sit.

Si primum, exploratum est apud omnes, augmentum, & decrementum valoris pecuniæ ad deponentem pertinere, ut cum cæteris tradunt Laym. *l. 3. tr. 3 p. 1. c. 5. n. 18.* Pal. *tr. 32. D. 3. p. 3. num. 4.* Wiestner *hic n. 41.* Ratio est; quia augmentum, & decrementum valoris pecuniæ accidens quoddàm illius est, & domino ejusdem cedit, sicut cedit eidem augmentum, vel decrementum valoris pecuniæ existentis in manibus administratoris, vel Officialis.

44 *Si secundum*, eo casu restitutio deponenti facienda est secundùm valorem illius præsentem. Sequitur ex præcedenti ratione: nam augmentum, & decrementum pecuniæ domino cedit; tali autem casu dominus pecuniæ non deponens, sed depositarius est, ergo &c. Idem ex fundamentis *n. 31.* jactis dicendum de casu, quo valor Monetæ intrinsecus immutatus est.

45 Dub. 3. an si debitum v. g. 1000. fl. contractum sit mutuo in nummis aureis, vel majoris formæ argenteis accepto, solutio, invito creditore, fieri possit in Moneta æro-sa, vel minuta? *Certum est non posse*, si conventum sit de solvendo mutuo in pecunia ejusdem sortis, vel saltem majoris; quia contractus ex conventione Legem accipiunt.

Difficultas est de casu, quo inter creditorem, & debitorem de similis materiæ, ac formæ nummis, in solutione exhibendis, non est conventum? Negativa videtur desumi ex *l. creditorem, aliàs Paulus 99. ff. de solut.* ubi Paulus JCtus, *Creditorem*, ait, *non esse cogendum in aliam formam nummos accipere, si ex ea re damnum aliquod passurus sit*, tale autem afferret solutio facta in pecunia æroſa, & minuta; quia multum temporis aufert ejus numeratio, & illius deportatio permolesta est. ergo &c.

Sed dicendum, spectato Jure commu- 46
ni, & præscindendo à specialibus circumstantijs, satisfacere debitorem, si ille tali casu solutionem præstet in æroſis, & minutis nummis, modò ejusdem valoris sint, cujus erant aurei, & argentei majores. Ita Morla *de Emptor. tit. 8. q. 13.* Molinæus *de commerc. n. 99.* Gutier. *l. 2. pract. q. 179. n. 1.* Wesenbec. *ff. de reb. credit. n. 12.* Donell. *in l. cùm quid 3. ff. ibid. n. 10.* Gonzal. *in c. 26. h. tit. n. 5.* Wiest. *hic n. 43.* Ratio est, quia solutio pecuniaria regulariter fieri potest in quavis moneta, ad eam rem publica authoritate approbata, talis autem æroſa, & minuta non minùs est, quàm aurea, & argentea majoris formæ. ergo &c.

Conf. quia in solutione, si de certæ 47
speciei moneta non convenit, non tam ad ipsam materiæ massam, quàm ad valorem, & pretium nummi respectus habetur *l. si alij 1. §. cui certum 1. l. cùm certum 9.* & *l. Titiæ 35. pr. ff. de aur.* & *arg. leg.* ergo sufficiet, si debitor solutionem præstet in quacunque moneta ejusdem æstimationis cum sibi data.

Dixi *Spectato Jure communi*, nam Jure speciali prodito *per Ordinat. Monetar. 1559.* Ferdinandus I. Imperator statuit, creditorem in summæ notabilis solutionem non posse cogi de æroſa pecunia accipere ultra 25. fl. quâ cautelâ adhibitâ, jam cessat damnum, & molestia creditoris, & sic ratio in contrarium opposita concidit.

§. II.

De Exactionibus.

SUMMARIUM.

48. *Quid Exactionum nomine hoc loco veniat?*
49. *Quotuplicis generis illæ sint?*
50. *Quid sit Cathedraticum?*
51. *An istud consuetudine, vel præscriptione tolli possit?*
52. *Respondetur cum distinctione.*
53. *Quid sit Subsidium Charitativum?*
54. 55. *An subditi compelli ad illud possint?*
56. 57. *Quis exigere illud possit?*
58. *Et quis non?*
59. 60. *Quæ sit causa sufficiens ad illud exigendum?*
61. *Quoties, & quo modo petere illud possit Episcopus?*
62. *A quibus?*
63. *Exempti ab eo pendendo sunt Laici.*
64. *Monasteria.*
65. *Ecclesiæ exemptæ.*
66. *Clerici nullum habentes Beneficium, vel Beneficiati quidem, sed pauperes.*
67. *Cui Episcopo illud præstari debeat, quando Ecclesia sita est in una Diœcesi, prædia autem, & fundi illius in alia?*
68. *Quid dicendum, quando Ecclesia, vel Beneficium situm est in confinibus duarum Diœcesium?*
69. 70. *Quantum subsidij istius nomine possit exigi?*
71. 72. *An illud ab Episcopo remitti possit?*
73. 74. 75. *An obligatio ejus præstandi per Præscriptionem tolli?*
76. 77. *Quis sit Judex competens in controversijs motis super Subsidio Charitativo?*
78. *Quas Exactiones imponere Subditis suis Magistratus Sæcularis possit?*
79. *An omnes sint justæ?*
80. *Respondetur affirmativè, si publica authoritate, & justa aliqua causa exigente, fiant.*
81. *Refelluntur Argumenta opposita.*
82. 83. *Quis imponere Vectigalia, Tributa &c possit?*
84. *An jus illas imponendi acquiri etiam consuetudine, vel præscriptione possit?*
85. *Resolvitur affirmativa.*
86. *Quæ sit causa justa imponendi novas exactiones?*
87. *Requisita, ut imponantur justè.*
88. *Forma in illis imponendis servanda.*
89. *Pœna non imponentium legitimè*
90. *An ad Tributi, vel alterius novæ Exactionis impositionem necessarius sit consensus subditorum?*
91. *Resolvitur pro negativa.*
92. *Exceptio.*
93. *Respondetur ad Argumenta opposita.*
94. *Ad Exactiones à Principe factas non tenentur Extranei.*
95. *Personæ, & loca Ecclesiastica.*
96. *Pauperes, & cæci.*
97. *Si injustè impositæ sint, non obligant subditos.*
98. *Obligant in conscientia, si justè.*
99. *Vel si dubium sit, an sint justè impositæ.*

48 QUæritur 1. quid *Exactionum* nomine hoc loco veniat, & quotuplicis generis illæ sint? R. *Exactionum* nomine hoc loco veniunt Contributiones, & Collectæ pecuniariæ. Aliquando imperantur à Prælatis Ecclesiasticis, aliquando à Principe, seu Magistratu Sæculari. Utræque subdividuntur in *Ordinarias*, & *Extraordinarias*. *Illæ* sunt, quæ singulis annis penduntur; *istæ*, quæ ex causa pendi, & exigi solent.
Inter eas, quæ ex præcepto Canonum Prælatis Ecclesiasticis penduntur, est 1. *Portio Canonica*, eáque duplex, *Episcopalis*, & *Parochialis*: de priore dictum est *Tit. 16. àn. 222.* de posteriore *Tit. 18. à n. 83.* 2. *Quarta Decimarum*: de qua, quantum necesse est, dictum *Tit. 30. num. 27.* 3. *Cathedraticum.* 4. *Subsidium Charitativum.* 5 *Procurationes.* De his tribus agetur in Titulo præsenti. Atque hinc

49 Quæritur 2. quid sit *Cathedraticum*, & quid eo nomine solvendum sit? R. *Cathedraticum* ita dicitur; quia Episcopo in signum subjectionis, & honorem Cathedræ, cui præest, solvitur. Alio nomine *Synodaticum* appellatur *c. olim 20. h. tit.* quia in Synodo, singulis annis celebranda, ab omnibus ad illam vocatis præstari consuevit. Pirhing *n. 40. hic.* Hodie in multis locis usu receptum est, ut in Conventibus Capituli, quos Archipresbyteri, & Decani Rurales suis temporibus celebrant, deponatur, & à Decanis dein deferatur, vel transmittatur ad Episcopum. Engl *hic n. 5. in fin.* Solvi debent hoc nomine duo solidi *can. placuit 1. caus. 10. q. 3. c. conquerente 16. de Offic. Ordin.* aut plus etiam, vel minus pro locorum consuetudine. Engl *n. 5. cit.* Pirh. *n. 40.* Schamb. *n. 14.* König *n. 3.* Obligantur ad illud Ecclesiæ & Capellæ Sæculares tantùm, non autem Monasteria, & Ecclesiæ Regulares; quia pertinet ad Legem Episcopi Diœcesanam, à qua Regulares, & Ecclesiæ ipsorum exempti sunt secundùm dicta *Libr. 1. Tit. 31. n. 27.*

Dubitatur, an Cathedraticum consuetudine, vel etiam præscriptione tolli possit? Affirmat communis sententia teste 50

teste Abb. *in c. olim cit. n. 6.* ex ratione; quia ita tolli possunt alia Jura Episcopalia, & ipsa subjectio *c. de quarta 4.* & *c. auditis 15. de præscript.* Negant Host. *in c. cùm olim cit. n. 4.* & alij apud Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 86. n. 44.* & videtur probari *arg. l. comperit. 6. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* juxta quam Tributum, & Census, qui Principi debentur in signum subjectionis, nulla præscriptione tolluntur. *Et confirmatur* à pari cum obedientia debita Episcopo à subditis, & cum Procuratione solvenda visitanti à visitatis, quæ non est præscriptioni obnoxia juxta *c. cùm non liceat 12.* & *c. cùm ex officij 16. de præscript.*

52 Sed melius adhibetur distinctio cum Henr. de Boich *in c. olim cit. n. 2.* Fagnan. *ibid. n. 17.* Schamb. *n. 14.* Wiest. *n. 6.* qui cum prima sententia negant Cathedraticum præscriptione omnino tolli posse, manente subjectione; cum secunda autem concedunt illud posse præscriptione diminui, & ex parte juri ejusdem derogari: quod colligi videtur ex *c. olim cit.* ubi præscriptio denariorum Lucensium pro Papiensibus, quorum unus valore tres Lucenses æquabat, nomine Cathedratici solutorum, ex ea solùm ratione rejicitur, quòd non duraverit tempore ad præscriptionem contra Ecclesiam requisito. igitur si tanto tempore perdurasset, non fuisset rejicienda.

Ad Argumentum primæ sententiæ negatur paritas cum cæteris Juribus Episcopalibus: & ratio disparitatis est; quia naturali rationi, & æquitati repugnat, quòd quis maneat subjectus, & in subjectionis signum nihil teneatur præstare.

Quæritur 3. quid sit *Subsidium Charita-*
53 *tivum?* R. *Subsidium Charitativum* à Charitate dicitur ex duplici ratione. 1. Quia à principio ex Charitate potius peti debet, quàm per vim extorqueri *arg. c. ex parte 18. §. in secundo h. tit.* 2. Quia existente justâ causâ, omnino decet, id à subditis ex Charitate erga suos Pastores libenter conferri. Wagnereck *in c. cùm Apost. 6. V. moderatum not. 2. h. tit.* Wiestner *hic n. 45.* Hunc definiri solet, quòd sit quædam exactio extraordinaria propter manifestam, & rationabilem causam cum Charitate à subditis postulata. Engl *hic n. 8.* König *n. 18.*

Dub. 1. utrum subditi ad subsidium
54 Charitativum compelli nequeant? Non posse compelli, saltem ab Episcopo, vel alio Prælato id petente, cum Innoc. *in c. cùm Apostolus 6. h. tit.* volunt aliqui ob duplicem causam. 1. ne Episcopus in propria causa sit Judex contra Regulam sumptam ex *l. un. C. ne quis in sua causa &c.* 2. quia *c. cùm Apostolus cit. §. prohibemus* dicitur ab ijs postulandum *cum Charitate*, exponendo scilicet necessitatem matricis Ecclesiæ, & instando moderatis precibus, & conventionibus.

Sed dicendum, si manifesta, & rationabilis causa ita exigat, ad subsidium hoc exhibendum subditos etiam invitos cogi posse. Ita Abb. *in c. cùm Apostolus cit. n. 5.* Host. *ibid. n. 7. & 8.* Alex. de Nevo *cons. 58. n. 5.* Boër. *decis. 136. n. 1. & 2.* Bellet. *disquis. Cleric. p. 1. tit. de Cleric. debit. §. 15.* Bellencin. *de subsid. Charit. q. 15.* Remig. de Gonny *simili Tr. q. 8.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 87. n. 5.* Honor. *hic n. 11.* Engl *n. 8.* Wiest. *n. 46. Ratio est;* quia est Charitas præcepta, ad quam Episcopo, vel Ecclesiæ Cathedrali exhibendam Clerici nonminùs cogi possunt, quàm tempore magnæ famis, & necessitatis divites ad dandam pauperibus Eleemosynam.

Neque urgent Rationes allatæ in 55
contrarium. *Ad 1.* hic agitur de peccato vitando, quod committeretur adversùs obligationem Charitatis, si Ecclesiæ Cathedrali necessitatem patienti non succurreretur. atqui cùm de peccato agitur, Judex proprius est Episcopus. Accedit; quia Subsidium istud non exigitur, nisi ex causa manifesta, & notoria, hac autem existente, Episcopus etiam in facto proprio, saltem si hoc bonum, & utilitatem Ecclesiæ suæ concernat, procedere potest *c. Romana 1. de pœnis in 6.* cùm ratione notorij competens fiat Judex, qui alias non est competens. *Ad 2.* Charitati hoc casu simul, & coactioni locus est; nam ut passim DD. *Ubi Charitas*, inquiunt, *non proficit, exhibenda est potestas.* Et hinc etsi, ut *n. 53.* dictum est, ab initio quidem cum Charitate, & demonstrata necessitate, peti debeat, ex post facto tamen propter eandem necessitatem ex naturali æquitate, & lege Charitatis subditi omnino ad præstandum auxilium obligantur, & compelli possunt Censuris, & alijs pœnis Ecclesiasticis.

Dub. 2. quis exigere Subsidium Cha- 56
ritativum possit? *Certum est*, quòd hoc Subsidium Charitativum exigere possit Summus Pontifex ab omnibus Clericis, & Ecclesijs. Bellencin. *de Subsid. Charit. q. 1. n. 2.* Azor *p. 2. l. 9. c. 14. q. 5 pr.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 87. n. 22.* quia liberrimam habet administrationem omnium Beneficiorum *c. licet 2. de Præb. in 6.* Et procedit hoc etiam quoad eos, qui alias exempti sunt à subsidio Charitativo exhibendo Episcopis, vel alijs Ordinarijs, nisi speciali privilegio etiam quoad Pontificem ab ipso Pontifice exempti sint, quod tamen non præsumendum esse advertit Bellencin. *l. cit. q. 58. n. 3.* quòd hujusmodi privilegium concedi non consueverit *c. cùm instantia 17. h. tit.* ibi *Nisi fortè per speciale privilegium Sedis Apostolicæ, quod non credimus, sit exempta.*

Præter Summum Pontificem Jus exi- 57
gendi Subsidium Charitativum habet. 1. Episcopus, & cæteri Ordinis Episcopalis Prælati confirmati, etiamsi non sint consecrati; quia exactio hæc non est Ordinis, sed Ju-

risdictionis, quam per Confirmationem acquirit. Bellencin. *l. cit. q. 9.* Azor *q. 5. in fin.* Barbos. *n. 7. & 8.* Pirh. *hic n. 54.* Schambog. *n. 23.* König *n. 19.* 2. Capitulum, Sede Episcopali vacante. Gloss. *in c. cupientes 16. V. aliunde de Elect. in 6.* Bellencin. *q. 7.* Azor *q. 5. V. item Collegium*, Bellet. *§. 12. n. 38.* Barbos. *n. 13.* Wiest. *n. 49. hic.* Nequit tamen Statutum condere, quo tale Subsidium in futurum ex parte minuatur. Bellencin. *q. 45.* 3 Cardinales in Ecclesijs sui Tituli; quia in his Jurisdictionem, & alia Jura Episcopalia de Jure communi obtinent. Bellencin. *q. 3.* Azor *q. 5. ℣. quæres*, Remig. de Gonny *q. 21.* Barbos. *n. 13. & 14.* Pirh. *l. cit.* 4. Generales, & perpetui Commendatarij Ecclesiarum Cathedralium; quia hi in istis habent Jurisdictionem omnem, quæ Episcopo intitulato competeret. Bellenc. *q. 6.* Azor. *q. 5. ℣. Commendatarius* Barbos. *n. 20.* 5. Legatus Papæ, cui commissum est plenæ Legationis officium in sua Provincia; nam hic omnia liberè, & immediatè potest, quæ quilibet Ordinarius Jure, vel consuetudine potest. Bellencin. *q. 12.* Azor *q. 5. ℣. quid dicendum*, Barbos. *n. 16.* 6. Præpositi Generales Ordinum; nam hi, si pro communi Religionis necessitate, aut evidenti utilitate faciendi sint magni sumptus, quos aliunde, quàm ex Ordinis contributione, commodè habere nequeunt, à Monasterijs, & Domibus sibi subjectis exigere Subsidium Charitativum possunt. Bellencin. *q. 5. n. 2.* Barbos. *n. 19.* Engl *n. 15. fin.* Wiest. *n. 49.*

58 Contrà Subsidium Charitativum non potest petere. 1. Vicarius Generalis Episcopi, nisi speciali ipsius Episcopi mandato; hoc enim nullo Jure est ipsi concessum, ac proinde in generali mandato, quod accipit ab Episcopo, non continetur. Bellencin. *q. 21.* Azor *q. 5. ℣. Vicarius*, Barbos. *n. 12.* Pirh. *hic n. 54.* 2. Prælati Episcopo inferiores, nisi Jus hoc privilegio, vel consuetudine obtinuerint; quia est actus Jurisdictionis Episcopalis. Bellenc. *q. 4.* Azor. *q. 5. ℣. quid dicendum*, Boër. *decis. 133.* Bellet. *§. 12. cit. n. 38.* Barbos. *n. 17.* 3. Abbates, vel Priores ab Ecclesijs Sæcularibus, vel Regularibus sibi non pleno Jure subjectis. Bellenc. *q. 5.* Barbos. *n. 18.*

59 Dub. 3. quæ sit causa sufficiens ad exigendum Subsidium Charitativum? R. in genere omnis illa causa sufficit, quam nemo bonus, & rerum intelligens improbare valet. In particulari plures referuntur apud Menoch. *de Arbitr. casu 178.* Azor *p. 2. l. 6. c. 14. q. 4.* Bellet. *Disquis. p. 1. tit. de Cleric. debitor. §. 12.* Boër. *decis. 133. & 134.* Bellencin. *tr. de Subsid. Charitat. q. 16.* Tamburin. *tom. 3. de Jur. Abb. D 10.* Lauret. de Franchis *Controv. int. Episc. & Regul. q. 71.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 87. a n. 26.* Engl *hic n. 9.* König *n. 22.* Wiest. *n. 48.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Jur. Eccl. c. 1. n. 34.* & alios ab his *citt.*

Præcipuæ sunt. 1. si magni sumptus facti sunt in Electione Episcopi, istiusque Confirmatione, & Consecratione: quo casu si petatur, Germanicè die Inful- und Weich- Steur appellatur. 2. si pro Ecclesiæ Cathedralis fabrica reparanda, aliáve necessitate, vel utilitate evidenti contracta sint magna debita, quibus solvendis Ecclesiæ ejusdem facultates non sufficiant. 3. si magnæ expensæ factæ, aut faciendæ sint pro recuperandis Ecclesiæ bonis, tuendis ejusdem Juribus, pertractandis negotijs concernentibus totam Diœcesim. 4. si Episcopus visitare velit Limina SS. Apostolorum Petri, & Pauli Romæ. 5. si proficisci debeat ad Concilium, Curiam Imperatoris, Regis, vel Principis, à quo Regalia accepit. 6. si Imperator, Rex, Princeps adventans sit recipiendus &c. 60

Porro existente qualibet ex istis causis, Subsidium istud petere Episcopus potest non tantùm semel, sed sæpiùs, quoties scilicet aliqua ex istis causis existit, prout docent Abb. *in c. cùm Apostolus 6. h. tit. n. 2.* Boër. *decis. 131.* Bellencin. *q. 23.* Remig. de Gonny *q. 32.* Azor. *q. 8.* Bellet. *§. 12. n. 5.* Barbos. *n. 36.* Pirh. *hic n. 55.* Wiest. *n. 48. fin.* & colligitur ex *c. cùm Apostolus cit. §. prohibemus V. aliquoties.* modò hujusmodi Exactionibus subditi non plus æquo graventur. Modus, quo peti Subsidium hoc potest, & debet, est, ut fiat congregato Capitulo, & Clero, cum expressione causæ (nam in dubio ista non præsumitur, & *§. prohibemus cit.* requiritur causa non solùm rationabilis, sed etiam manifesta) cum Charitate, & humanitate, non cogendo, sed potiùs hortando, quòd cùm cuilibet proximo in necessitate sit subveniendum, fortiùs sibi subvenire debeant. Alex. de Nevo *cons. 57. n. 2.* Bellet. *§. 12. n. 8.* Barbos. *n. 26.* 61

Dub. 4. à quibus Episcopi, & his similes Prælati Subsidium Charitativum postulare possint? R. exigere illud possunt ab omnibus suæ Diœcesis Ecclesijs, & Clericis Beneficiatis, non exemptis, nec pauperibus *c. conquerente 16. de Offic. Ordin.* Navar. *cons. 5. in novis h. tit.* Sayr. *in florib. decis. 10.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 87. n. 39.* Neque excipiuntur Canonici Ecclesiarum Collegiatarum, & Cathedralium; imò istos Episcopo suo, tanquam membra, præ extraneis subvenire convenit *arg. c. cùm non liceat 12. pr. de præscript.* Bellencin. *tr. de Subsid. Charit. q. 27.* Remig. de Gonny *simili tr. q. 28.* Monet. *de distrib. quotid. p. 3. q. 9. n. 20.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 87. n. 43.* Schamb. *hic n. 23.* Wiest. *n. 50. ibid.* 62

In specie ab obligatione Subsidium istud præstandi liberi sunt. 1. Laici, prout colligitur ex *can. quia cognovimus 6. caus. 10. q. 3. c. conquerente 16. de Offic. Ordin. Extrav.* 63

Extrav. un. §. cæterùm h. tit. int. comm. & habet consuetudo generalis, quæ optima Legum interpres est. Unde quando §. *prohibemus cit.* Pontifex utitur voce *Subditorum*, eo nomine ibi intelligi soli Ecclesiastici debent, ut sic textus iste concordet cum *c. conquerente cit.* Bellencin. *q. 26.* Azor *q. 6. pr.* Barbos. *n. 41.* Engl *hic n. 12.* Pirh. *n. 56.* König *n. 20.* Wiest. *n. 51.*

64 2. Monasteria; quia Subsidij istius exactio ad Legem Episcopi Diœcesanam spectat, à qua Regularium Monasteria omnia exempta sunt. Bellencin. *q. 29.* Gonny *q. 21.* Azor *q. 6.* Barbos. *n. 45.* Pirh. *n. 56. ỳ. præterea* Engl., König, Wiest. *l. citt.* Neque contrarium desumitur ex *clem. un. de Excess. Prælator.* ubi Episcopi inter alia redarguuntur, quòd in Subsidio hoc à Monasterijs, eorumque subditis exigendo excedant; unde colligi per Argumentum à sensu contrario videtur, quòd moderatum Subsidium ab ijsdem possint exigere. Verùm hoc non rectè colligitur; quia textus ille solùm loquitur de Monasterijs, habentibus Ecclesias, vel Capellas Sæculares sibi unitas, & olim obligatas ad exhibendum Subsidium Charitativum, quod proinde etiam post unionem exsolvi debet, quippe cùm ejusmodi Ecclesiæ, & Capellæ cum onere suo ad Monasterium transeant, ut cum *citt.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 3. §. un. n. 13.* Cockier *de Jurisd. Ordin. in Exempt. p. 1. q. 25. n. 8.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Jur. Eccl. c. 1. n. 39.* nisi se tueri consuetudine, vel privilegio speciali Sedis Apostolicæ possint.

65 3. Ecclesiæ Exemptæ, præsertim plena libertate gaudentes; id enim importat exemptionem non modò à Jurisdictione, sed etiam ab omnibus, quæ sunt sub Lege Diœcesana, inter quæ, ut *n. præc.* dictum est, etiam numeratur subsidium Charitativum. Bellencin. *q. 32.* Azor *q. 6. ỳ. item non potest.* Cockier *p. 4. q. 9.* Barbos. *n. 47.* König *n. 20.* Facienda tamen est duplex Exceptio: *una est*, nisi habeant unitas sibi Ecclesias non exemptas; nam ratione istarum subsidium Charitativum exhibere, & ipsæ debent *arg. Clem. un. cit.* & paritate cum Monasterijs, & Ecclesijs Regularibus. *Altera*, nisi id privilegio Exemptionis apposita esset clausula vulgaris, *Volumus autem, quòd Ecclesia hujusmodi exempta ad Subsidium Charitativum priori suo Episcopo obligata maneat.* Bellencin. *q. 32. fin.* Cockier *q. 9. cit. n. 3.* Barbos. *n. 47. cit. in fin.*

66 4. Clerici nullum habentes Beneficium Ecclesiasticum, etsi ampla Bona Patrimonialia, vel quasi Patrimonialia in Diœcesi obtineant; quia subsidium Charitativum est onus mixtum, & debetur à Clericis ratione Ecclesiarum, & Beneficiorum, ac fructuum ex his provenientium *c. conquerente cit.* Bellencin. *q. 31.* Azor *q. 6. ỳ. insuper.* Gonny *q. 25.* Laym. *n. 11.* Barbos. *n. 48.* Zœs. *n. 4.* Pirh. *n. 56.* Engl *n. 10.* Schamb. *n. 23.* Wiest. *n. 53.*

5. Clerici Beneficiati pauperes, quales esse censentur omnes illi, quorum Reditus Beneficiales sustentationem illorum congruam non excedunt; quia hanc ejusmodi exactione diminuere Prælati non sinit Charitas. Bellencin. *q. 30.* Azor *q. 6. ỳ. quid dicendum.* Bellet. §. *12. n. 9. & seqq.* Gonny *q. 29. n. 3.* Barbos. *n. 49.* Zœs. Engl, Pirh. Wiest. *l. citt.*

Contrà ad Subsidium Charitativum obligantur. 1. Clerici Pensionarij; nam hic pro rata portione ad Subsidium istud tenetur concurrere, nisi, ut ferè solet, Pensio ipsi assignata ab omni, etiam hujus Subsidij præstandi, onere libera sit constituta; tunc enim Rector Beneficij tenebitur illud ex toto solvere. Azor *q. 6. ỳ. si quæras.* Laym. *l. cit. n. 11.* Barbos. *n. 53.* Pirh. *n. 56.* Wiestner *n. 54.* 2. Successor in Beneficio solvere debet Subsidium petitum ab Antecessore, & ab hoc non solutum; quia est onus reale, & Tributum impositum Beneficio *arg. l. Imperatores 7. ff. de Publican. & vectigal.* Et hinc in arbitrio Episcopi erit convenire Successorem, vel Antecessorem, si hic adhuc vivat, prout maluerit, & subsidium petere. Bellencin. *q. 51.* Azor *q. 6. in fin.* Barbos. *n. 54.* Engl *n. 11.* 3. ab eodem Subsidio etiam non deobligantur Hospitalia causâ communis pietatis extructa, quando titulum Beneficij habent. Bellencin. *q. 38.* Azor *q. 6. ỳ. si roges.* Barbos. *n. 55.*

Dub. 5. cui Episcopo Subsidium Charitativum præstari debeat, quando Ecclesia sita est in una Diœcesi, prædia autem, & fundi illius in alia? ℟. tali casu solvendum esse Episcopo, in cujus Diœcesi Ecclesia, vel Beneficium situm est. Bellencin. *q. 35.* Azor *q. 6. ỳ. quid dicendum*, Gonny *q. 25.* Laym. *n. 11.* Barbos. *n. 51.* Pirh. *n. 56. fin.* Wiest. *n. 55.* Ratio est; quia Subsidij istius præstandi obligatio non est onus prædiorum, & fundorum, cùm non transeat ad quemcunque istorum possessorem; sed ipsarum Ecclesiarum, & Beneficiorum, cùm ratione istorum, & fructuum ex his perceptorum petatur §. *prohibemus cit.* 67

Casu, quo Ecclesia, vel Beneficium situm est in confinibus duarum Diœcesium, earum Episcopi convenire circa Subsidium istud petendum debent, & optimum erit, si in ejus, & aliorum Jurium Episcopalium perceptione alternent *arg. Clem. plures 2. de Jur. Patr.* Quodsi convenire renuant, tunc jure poterit Archi-Episcopus præcipere, ut conveniant, eo quod talis ipsorum discordia in gravamen ejusmodi Ecclesiæ cedat. Bellencin. *q. 52. à n. 3.* Azor *q. 6. ỳ. quid dicendum* Barbos. *n. 53.* Wiest. *n. 55.* 68

Dub. 6. quantum Subsidij istius nomine possit exigi? Multæ fuerunt circa hoc Interpretum opiniones. Nam 1. Affli- 69

flict. *decis. 136.* dixit Concilium Neapolitanum determinâsse, ut sit Decima annui reditûs, quam sententiam non improbavit Grammat, *decis. 88. n. 5.* 2. Antonius ab Alexandro, ut eum refert Grammat. *l. cit. in fin.* voluit esse dimidiam generalis collectæ. 3. Franciscus Patavinus, & Landrianus, ut refert Boërius *q. 134. n. 10.* volunt, exigi posse in ea quantitate, quæ adæquet summam Procurationis unius diei, præstandam à Visitatis, quando Prælatus per alium visitat. *Extrav. un. int. communes* ℣. *cæterùm h. tit.* quanta autem unius diei Procuratio sit, declaratur *Extrav. cit.* ℣. *statuimus.*

70 Ex his tribus sententijs duæ priores sufficiens fundamentum in Jure non habent: tertia ex eo capitè à plerisque rejicitur, quòd dicant Constitutionem *Extrav. cit.* quoad Procurationes non esse ab omnibus usu receptam apud Menoch. *de arbitr. cas. 179. n. 3.* Hinc cum eodem Menoch. *l. cit. n. 4.* Pirh. *hìc n. 55.* Wiest. *ibidem n. 56.* dicendum, in hoc negotio observandam Provinciarum consuetudinem: si verò consuetudo deficiat, quantitatem hujus subsidij taxabit ipse Prælatus, & eam determinabit, quam Ecclesiæ qualitas, hujus redituum annuorum quantitas, magnitudo expensarum in causam, pro qua exigitur, faciendarum, & similes circumstantiæ eidem suadebunt.

71 Dub. 7. an Subsidium hoc ab Episcopo remitti possit? Videtur non posse generaliter; quia Subsidium hoc non ipsius tantùm Episcopi, sed etiam Ecclesiæ, & hujus quidem principaliter commodum spectat. atqui Episcopus Jura, quæ principaliter concernunt Ecclesiæ commodum, liberè non valet remittere; quia ejusmodi remissio species quædam alienationis est, quæ Episcopo prohibetur *c. Pastoralis 7. de Donation.* ergo &c.

Sed melìùs Bellencin. *q. 47.* Azor *c. 14. q. 7.* Laym. *n. 14.* Pirh. *n. 57.* Wiest. *n. 58.* & communiter DD. distinguunt, & licèt concedant illud ab Episcopo posse remitti pro una, & altera vice, negant tamen illud remitti posse perpetuò. *Ratio primi membri est*; quia Episcopus, subsistente justa causa, donationes moderatas, etiam liberales, facere sine Juris solennitate potest, ut dictum est *Tit. 24. n. 6.* atqui ejusmodi donationis speciem refert remissio Subsidij Charitativi, una, vel altera vice facta. ergo &c.

72 *Ratio secundi membri*; quia ejusmodi remissio perpetua cederet in præjudicium Ecclesiæ, & gravamen Successorum: unde sicut notabilis quantitatis donatio, ita & talis remissio fieri sine solennitatibus Juris nequit. *Conf.* quia Subsidij hujus præstatio est Juris publici fundati in æquitate naturali. atqui ijs, quæ Juris publici sunt, Pactionibus privatorum derogari nequit. ergo &c.

Et hinc patet ad Rationem dubitandi oppositam.

Dub. 8. an adversùs Subsidium Charitativum procedat Præscriptio? 73 Negativam defendunt magno consensu Interppr. quos cum alijs DD. sequuntur Vallens. *hic §. 4. n. 4.* Honor. *ibid. n. 11. arg. l. comperit 6. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* ubi Præscriptioni admitur vis adversùs Tributa, & cæteras hujusmodi functiones publicas. *Conf.* quia Subsidium hoc præstandum est ex Charitate. igitur procedere adversùs illud præscriptio nequit, cùm hæc Charitatis Legi adversari nequeat.

Sed melìùs Laym. *l. cit. n. 15.* Pirh. 74 *n. 75.* Wiestner *n. 60.* utuntur distinctione, dum fatentur adversùs illud non quidem procedere Præscriptionem Ordinariam, docent tamen adversùs eandem prævalere posse Extraordinariam, & saltem talem, cujus initij non extat memoria, hácque fieri posse, ut particularis aliqua Ecclesia ab ejus præstatione fiat libera. *Ratio est*; quia ab ea præstatione eximi particularis Ecclesia potest per privilegium Apostolicum, ut facilè omnes fatentur, sed quæcunque acquiruntur privilegio, etiam præscriptione, saltem immemoriali, acquiri possunt, si præscribens sit possessionis capax, ut Regulæ instar tradunt Abb. *in c. 13. de for. compet. n. 14.* Felin. *ibid. n. 2.* & alij apud Barbos. *in c. 26. de V. S. à n. 4.* ergo &c.

Ad Argumentum in contrarium al- 75 latum dico etiam adversùs Tributa tempore immemoriali præscribi posse, prout *infrà n. 84. & 85.* dicetur, & passim apud DD. receptum est, qui solùm excipiunt illa, quæ penduntur Principi in recognitionem supremæ Majestatis, & subjectionis, ut dictum est *Libr. 2. Tit. 26. n. 31.* *Ad Conf.* si Charitati non repugnat privilegium hujusmodi immunitatem indulgens, etiam non repugnat Præscriptio immemorialis, quæ vim privilegij à Principe concessi habet, ubi Jus non resistit præscribenti, & eum possessionis incapacem non reddit.

Dub. 9. quis sit Judex competens 76 controversiarum motarum super Subsidio Charitativo? ℟. hujusmodi controversias cognoscendas, & decidendas à solo Judice Ecclesiastico. *Ratio est*; quia in his tam objectum, quàm personæ litigantes sunt Juris Ecclesiastici: *objectum* quidem; quia de Jure Episcopali quæritur: *litigantes* autem; quia si super Subsidio Charitativo oriatur lis, necessariò illa oriri debet inter Episcopum, qui Subsidium istud petit, & inter Clericos, qui ab eo præstando se prætendunt esse immunes, vel si obligatos se fatentur, conqueruntur super excessu, vel super defectu causæ.

Ne autem tali casu Episcopus judicet 77 in propria causa, oportebit ejusmodi controversiam relinquere arbitris, quos partes litigantes elegerint, vel eandem transmittere Metropolitano, aut alteri Superiori Præ-

Prælato examinandam, & decidendam *can. quia cognovimus 6. fin. cauſ. 10. q. 3.* Wieſt. *hic n. 61.*

78 Quæritur 4. quas Exactiones imponere ſubditis ſuis Magiſtratus Sæculares poſſint? R. hæ diverſiſſima habent nomina; nam 1. ſi perſonis ſine reſpectu ad bona illarum imponantur, vocantur *Capitatio.* 2. ſi ſolvendæ ſint de ſubſtantia Patrimonij, habita ratione quantitatis ejusdem, appellantur *Talliæ*, *Collectæ*, *Præſtantiæ.* 3. ſi præſtandæ ſint de fundis, aliiſque immobilibus, ſive eorum fructibus, nuncupantur *Cenſus*, & *Tributum.* 4. ſi petantur ex mercibus, rebúsque in Provinciam invectis, evectísque ex ea per mare, flumina, vias, pontes, dicuntur *Vectigalia.* 5. ſi poſcantur pro ſecuritate, ſeu ducatu, vectura, & ſecuro tranſitu, nominantur *Guidagia*, & *Pedagia.* 6. denique ſi præſtentur de vino, ſale aliiſque rebus venditis, aut vendendis, ut apud nos Acciſæ, ſeu Gabellæ cauponariæ, & macellariæ, *Gabellarum* nomen accipiunt.

79 Dub. 1. an omnes modò relatæ, & à Principibus, vel Magiſtratu Sæculari impoſitæ Exactiones ſint juſtæ? De Capitatione eam juſtam eſſe negant nonnulli apud Lipſium *Libr. 2. de Admirand. c. 3. pr.* de Exactione decimæ partis frumenti, & aliarum rerum, quæ non negotiationis, & lucri, ſed usûs familiæ, & ruris colendi causâ venduntur, aut emuntur. Cajetan. *V. vectigal pr.* & Sot. *l. 3 de Juſt. q. 6. art 7. Fundantur 1.* quia in hujusmodi Capitatione ſæpè contingit, ut pauper, qui numeroſam prolem habet, plures cogatur nummos ſolvere, quàm dives, qui nullam prolem habet, vel cælebs eſt. hoc autem videtur adverſari Juri, & æquitati naturali, quæ in Exactionibus petit obſervantiam æqualitatis ſecundùm proportionem Geometricam bonorum, & facultatem cujusque ad eas Exactiones præſtandas obligati. 2. quia *l. univerſi 5. C. de Vectigal. & commiſſ.* pœnâ capitis conſtitutâ, inhibetur vectigal exigi de rebus, quæ usûs familiæ, vel ruris colendi causâ venduntur, & emuntur. 3. quia æquitatis, & Juſtitiæ ratio exigit, ut publicis oneribus magis graventur divites, quàm pauperes. atqui in impoſitione Gabellæ, & Vectigalium fit contrarium; nam ejus impoſitione magis gravantur pauperes, maximè numeroſam prolem alentes. ergo &c.

80 Sed his non obſtantibus dicendum ejusmodi Exactiones, ſi publica authoritate, & juſta aliqua cauſa exigente, fiant, non eſſe injuſtas. Ita Sylv. *V. Gabella 3. n. 14. & ſeqq.* Navar. *Man. c. 17. n. 202.* Driedo *de Libert. Chriſt. l. 2. c. 5.* Medina *de Reſtit. q. 15. in poſter. quæſt. part.* Suar. *l. 5. de Legib. c. 16. n 3.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 669. n. 2.* & teſte P. Wieſtner *hic n. 67.* torrens DD. quod confirmatur ex multarum Provinciarum, Juſtitiæ laude florentium, praxi, & ratione; quia hujusmodi Exactione non magis gravatur Reſp. quàm ſi juſta aliqua ſumma ab ejus ſubditis exigatur pro ratione facultatum; quas habent ſinguli, atqui hujuſmodi ſummæ exactio, juſta cauſa exigente, ſine Juſtitiæ, & æquitatis læſione fieri poteſt. ergo eadem cauſa exigente, etiam imponi poterit frumento, & alijs victualibus.

Ad Argumenta contraria non difficilis 81 eſt reſponſio. *Ad 1.* imprimis in hujusmodi Capitatione, ut Lipſius *c. 3. cit.* oſtendit, plerumque facultatum fit ratio; vel ſi ratio illarum non fiat, id, quod pendendum eſt à ſingulis uniformiter, exigui pretij eſt, ita, ut ſine Patrimonij diminutione facilè præſtari ab omnibus poſſit, & ejus ſolutio potiùs in ſignum, & recognitionem ſubjectionis, quàm tanquam Tributum, ad publicæ neceſſitatis propulſationem comparatum, pendi intelligatur. *Ad 2.* ex *l. cit.* bene probatur, quòd ſi juſta cauſa exigente, Exactiones aliquæ faciendæ ſint, potiùs imponendæ ſint mercibus publicè nocivis, inutilibus, & vanis; non tamen probatur, injuſtas eſſe, ſi juſta cauſa poſcente, & quando aliter remedium neceſſitati publicæ afferri non poteſt, imponantur etiam frumento, aliiſque rebus ad victum, vel ruris culturam neceſſarijs. *Ad 3.* quòd aliquando magis gravetur pauper aliquis, per accidens eſt, ſicut per accidens eſt, quòd numeroſiorem familiam alat, quàm dives.

Dub. 2. quiſnam imponere hujuſmo- 82 di Vectigalia, Tributa, & Exactiones poſſit? *Certum eſt 1.* hoc Jus obtinere quoſcunque Principes, & Magiſtratus ſupremos, quales ſunt in Patrimonio S. Petri Summus Pontifex, in Regnis, & Provincijs ſibi ſubjectis Imperator, Reges, & Principes, ac Reſp. liberæ, ſeu Status, ſuperiorem in temporalibus non recognoſcentes. Pirh. *hic n. 46.* Schambog *ibid. n. 20.*

Certum eſt 2. eandem poteſtatem à 83 Supremo Principe communicari poſſe etiam Principibus, Statibus, & Civitatibus inferioribus, & defacto compluribus eſſe communicatam: unde vi talis communicationis etiam ipſi poterunt ejuſmodi Exactiones imponere; non autem aliàs, ut docet Gloſſ. *in c. innovamus 10.* junct. Gloſſ. *marg. V. Regum Lit. B. b. tit.* Joan. Andr. *ibid n. 1.* Abb. *n. 1. & 6.* Suar. *D 21. de Cenſur. ſect. 2. n. 36.* Zœſ. *hic n. 5.* Pirh. *n. 46.* Schamb. *n. 20.* & habetur *c. innovamus cit. c. ſuper quibuſdam 26. §. præterea de V. S. l. vectigalia 10. ff. de Publ. & Vectig. l. non quidem 1.* & *l. non ſolent 3 C. Vectigalia nova &c.* Ratio eſt; quia hujuſmodi Exactiones imponere ſpectat ad Principum Regalia, ut conſtat ex *l. 2. feud. tit. 56* conſ. ſoli Principi hoc Jus competit, & ei tantùm, cui hoc ipſum Princeps conceſſit. Unde illi, qui ſine conceſſione Principis no-

va indicunt vectigalia, vel ea augent, incidunt in crimen læsæ Majestatis secundi generis, utpote violantes Regale Principis, prout traditur *Tit. ad Leg. Jul. Majest.*

84 *Certum est 3.* antiquitus impositas recipiendi, & exigendi potestatem consuetudine, & præscriptione, saltem tanti temporis, cujus initij memoria non existat, acquiri posse, prout constat ex *c. super quibusdam cit.* ibi, *Vel ex antiqua consuetudine à tempore, cujus non extat memoria, introducta.*

Dubium est, utrum consuetudine, vel præscriptione immemoriali acquiri possit potestas imponendi nova Tributa, & Exactiones alias? Negant Castro *l. 1. de Leg. pœnal. c. 10.* & Suar. *l. 5. de Legib. c. 14. n. 14.* & videtur hoc etiam probare ratio; quia potestas hæc est de reservatis Principi in signum supremæ potestatis, & excellentiæ ipsius. sed ea, quæ ita Principi sunt reservata, tolli consuetudine, vel præscriptione etiam immemoriali nequeunt, ut facilè omnes concedunt. ergo &c. *Conf.* potestas imponendi Tributa fundatur in obligatione tuendi, & in pace conservandi Principatum, seu Remp. *can. tributum 22. caus. 23. q. 8.* & hinc à Tributis solvendis nemo viâ præscriptionis eximi potest *l. comperit 6. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* igitur sicut obligatio hæc imposita est soli supremæ potestati, ita eidem soli authoritas imponendi Tributa competet.

85 Sed dicendum, probabiliùs potestatem etiam nova Tributa, & Exactiones imponendi subditis, & antiquitus impositas augendi ab inferioribus acquiri viâ præscriptionis posse. Ita Abb. *in c. 26. n. 1. & 2. de V. S.* S. Antonin. *p. 2. tit. 1. c. 13. §. 8. in fin.* Covar. *Reg. peccatum p. 2. §. 2. n. 11. & 12.* Medin. *C. de restit. c. 13. §. ut igitur.* Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 666. n. 1. in fin.* Wiestner *hic n. 72. Ratio est*; quia licèt potestas hæc sit aliàs reservata Principi, aliquando tamen, etsi perrarò, à Summo Principe inferioribus concedi solet. atqui ea, quæ etiam ex reservatis per privilegium aliquando concedi solent, ex communi doctrina etiam consuetudine, vel præscriptione, saltem immemoriali, acquiri possunt. ergo &c.

Ex quo cadit Argumentum oppositum. *Ad Conf. l. comperit cit.* intelligenda est de illo Tributo, quod Principi exhibetur in signum subjectionis, & inferioribus nunquam concedi solet.

86 Dub. 3. quæ sit causa justa imponendi novas Exactiones? R. Justa exactionum extraordinariarum causa est reparatio viarum, ac pontium; opera Religionem, pietatem, juventutis institutionem, & educationem spectantia; egenorum, ac miserorum sublevatio; munitio urbium, commeatus, & apparatus bellicus, conductio, & stipendia milium; & generatim necessitas, aut utilitas evidens Reip. *Reipublicæ*, inquam, non personæ privatæ ipsius Principis imponentis, saltem si ei de sumptibus, ad dignitatis, ac Statûs sui conservationem necessarijs, per Tributa antiqua, & ordinarios, atque ad istud destinatos reditus sufficienter prospectum sit; nam si prospectum sufficienter ei non esset, ipsi per impositionem novæ exactionis deberet prospici, cùm Reip. interesit maximè, ut Principi suo rectè prospectum sit. His ergo causis, vel harum aliqua existente, induci nova exactio potest.

Ut tamen justè indicantur, ex Suar. *l. 5. de LL. c. 15. n. 3. & 4.* Molin. *tom. 2. de I.* 87 *& I. D. 667. n. 1.* & aliorum communi doctrina, sequentia sunt advertenda. 1. Ad hujusmodi Exactionem deveniendum non est, quamdiu necessitas ejusmodi propulsari, vel utilitas promoveri ex reditibus Ærarij, vel per alia media ordinaria potest; quia si hoc fieri possit, revera necessitatis causa non subest. 2. Exactiones ejusmodi non debent esse majores, quàm ad finem ejusmodi obtinendum necessarium videatur *c. quia plerique 8. de Immunit.* 3. Cessante causa, cessare etiam Exactiones debent *arg. c. cùm cessante 60. de appellat.* 4. Ea, quæ per hujusmodi Exactiones ærario illata sunt, in alium finem, quàm destinatum publicum à Principe sine injustitiæ peccato impendi nequeunt. 5. Etsi singulæ ex relatis *n. 78.* justè imponi valeant, non tamen possunt simul omnes in Provinciam aliquam invehi. Quorum omnium ratio est; quia Princeps non proprietatis, sed Jurisdictionis duntaxat Jus in bona subditorum suorum habet, ac proinde non pro arbitrio, sed prout bonum communitatis sibi subjectæ postulat, disponere de illis potest.

Dub. 4. quæ forma in hujusmodi Exactionibus servanda sit? R. hanc præscribunt 88 S. Thom. *2. 2. q. 63. art. 4.* Medin. *C. de restit. q. 13. §. tertiam.* Suar. *l. 5. de LL. c. 16. n. 1.* Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 668. n. 1.* Wiestner *hic n. 75.* 1. Ut subditi ultra vires, & facultates suas non graventur; quia has excedens Exactio subditis moraliter est impossibilis: conf. ad eas non dabitur obligatio. *Reg. 185. ff.* & *Reg. nemo 6. in 6.* 2. Ut in illis servetur æqualitas proportionis Geometricæ inter personas, habita ratione facultatum, & plus à divitibus, quàm à pauperibus exigatur; quia in distributionibus numerum, & impositionibus onerum publicorum observanda est Justitia distributiva, quæ petit, ut æqualitas secundùm proportionem Geometricam observetur. Aristoteles *5. Eth. c. 3. & 4.* 3. Ut casu, quo Exactio non commune totius Reip. sed peculiare alicujus duntaxat partis, v. g. Mercatorum bonum spectat, Exactio his præ alijs communitatis membris imponatur; quia æquitas naturalis exposcit, ut qui alicujus rei, vel actionis solus percipit commoda, & emolumenta, solus

sufferat onera, & incommoda ei annexa juxta *Reg. qui sentit 55. in 6.*

89 Qui sine legitima authoritate imponunt nova vectigalia, vel gabellas, de Jure Civili puniri debent exilio perpetuo *l. fin. C. vectigalia nova &c.* de Jure Canonico incurrunt Excommunicationem majorem, à qua absolvi non debent, nisi satisfecerint, sive id, quod ratione Vectigalis illicitè impositi exortum est, restituerint *c. innovamus 10. h. tit.* Estque Excommunicatio hæc reservata Summo Pontifici per *Bull. Cæn. cas. 5.* & hanc, ut Suar. *D. 21. de Censur. sect. 2. n. 37.* notat, incurrunt etiam Supremi Principes, si nova Tributa injusta imponant. *Ex quo sequitur*, quòd etiam Laici quoad hoc sint subjecti Jurisdictioni Ecclesiæ; quia hæc illos excommunicat. Excommunicatio autem non potest ferri, nisi in subditos, vel qui forum sortiuntur, ratione delicti.

90 Dub. 5. an ad Tributi, Vectigalis, vel alterius novæ Exactionis impositionem necessarius sit consensus subditorum, vel saltem Statuum Regni, aut Provinciæ? Affirmant aliqui apud Suar. *l. 5. de LL. c. 17. n. 2.* & fundantur 1. quia *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*, ut habet *Reg. 29. in 6.* 2. Exemplo Regni Hispaniæ, in quo ejusmodi consilium, imò consensus exhibendus est vigore *Nov. Recompil. Libr. 6. tit. 6 l. 1.* ubi statuitur, quòd Rex non possit novum imponere Tributum, nisi priùs convocato Regno per Procuratores, & illis consentientibus, & acceptantibus Tributum. 3. Ratione; quia sic meliùs prospectum est subditis, ne Exactionibus à Principe arbitratu suo indictis, plus æquo, & ultra vires suas graventur: quod facilè fieret, cùm Principes valde propensi sint ad imponendas subditis hujusmodi Exactiones, sempérque causentur antiqua Tributa sibi non sufficere ad eximios suos sumptus.

91 Sed dicendum, ejusmodi consilium, vel consensum Jure communi non requiri. Ita Suar. *l. 5. de LL. c. 17. n. 3.* & hoc teste DD. reliqui, dum absolutè dicunt esse in Principe hanc potestatem, nulla facta mentione consensûs populi. *Ratio est*: quia ex nullo Jure habetur fundamentum requirendi istum consensum: non ex Jure naturali; quia hoc Jure tantùm illa Exactio mala est, quæ justâ causâ destituitur: non ex Jure positivo; quia tale nec in SS. Litteris, nec in SS. Canonibus, aut Corpore Juris Civilis extat.

92 *Excipitur* tamen, si in aliqua Provincia ejusmodi consensus, vel consilij necessitas pactionibus, vel Concordatis, inter Principem, ac Status initis, & præsertim juratis est introductus; nam eo casu clarum est, sine tali consensu, vel consilio Statuum novam Exactionem subditis imponi non posse: & ratio est; quia talia Pacta, Concordata, & Juramenta, ijs firmandis addita, honesta, justa, & ad varia incommoda vitanda utilia sunt. ad honesta autem, justa, & publicè utilia pacta, & Concordata non minùs Princeps, quàm subditi obligantur *c. Antigonus 1. de Pact.* & *c. ex Epistolæ 1. de Probation.* ergo &c.

Neque obstant Argumenta opposita. 93 *Ad 1.* necessitati consensûs, vel consilij sui jam renuntiârunt subditi, dum potestatem sui gubernativam absolutam transtulerunt in Principem. *Ad 2.* patet ex addita Exceptione. *Ad 3.* ratio illa probat bene fieri, si consensûs, vel consilij ejusmodi necessitas per Pacta specialia inducatur.

Dub. 6. quinam ad Tributorum, Vec- 94
tigalium, & aliarum Exactionum, à Principe, vel alio simili Magistratu impositarum, præstationem teneantur? R. ad eam teneri solos subditos, non exemptos; quia imponuntur potestate Jurisdictionis, quæ ad solos subditos sese porrigit. Et hinc

1. Ad eas per se non tenentur *Extranei*, utpote Jurisdictioni imponentis per se non subjecti. *Per se*, inquam; per accidens enim aliquando exactionum aliquarum onere etiam ipsi gravantur, quando scilicet merces, aliásque res in, vel per Provinciam, aut ex ea vehunt, in ea emunt, vendúntque: Nec immeritò; quia favoribus Provinciæ gaudent, ut proin meritò ad concurrendum pro viarum, pontium &c. reparatione adstringantur.

2. *Clerici*, aliæque *personæ*, & *loca Ec-* 95
clesiastica; quia à Jurisdictione Sæculari exempti sunt, & antiquissimo Juris privilegio ab hujusmodi Exactionum onere utroque Jure excepti: Civili quidem *Auth item nulla C. de Episc. & Cler.* Canonico autem *c. quanquam 4. de Censib. in 6. c. non minùs 2.* & *c. adversùs Consules 7. de Immunit. c. quia nonnulli 1. eod in 6.* & Trid. *sess. 25. c. 20. de reform.* Pirh. *hic n. 48.* Schambog. *n. 21.* Zœs. *n. 5.* *Excipiendus* est duplex casus: *unus est*, si res suas negotiationis causâ deferant, vel transferant, prout colligitur per Argumentum à sensu contrario desumptum ex verbis *c. quanquam cit* ibi, *Quas non causâ negotiandi deferunt, vel deferri faciunt, seu transmittunt*; inde enim infertur: ergo si res suas negotiandi causâ deferant, eos etiam Exactiones, & Vectigalia debere solvere. *Alter*, si per Indultum Apostolicum privilegio huic quoad aliquas Exactiones derogatum sit, vel consuetudo immemorialis adsit, quæ ob diuturnitatem temporis ejusmodi Indulti aliquando obtenti communi æstimatione suffulta sit. Quod tamen ad alias Exactiones, & casus Indulto, vel consuetudine non comprehensos extendi nequaquam debet, ut communis, & certa TT. ac Canonistarum sententia habet, ac firmat manifesta ratio; quia Exemptio ista Statûs Ecclesiastici est beneficium Principis Reip. utriusque, & quidem concessum per modum Legis, insertúmque Corpori Juris communis. atqui indulta, consuetudo, & præscriptio quæ-

hujusmodi beneficio derogant, sunt strictæ interpretationis, cùm hoc ipso à Jure communi exorbitent. ergo etiam Indulta, quæ pugnant contra Immunitatem Ecclesiasticam: consf. ab expressis ad non expressa extendi non debent. Extra hos duos casus, qui ab hujusmodi personis Tributa, & Vectigalia exigunt, si sint personæ singulares, Excommunicationis, si Universitas, Interdicti pœnas ipso facto incurrunt *c. quanquam cit.*

96 3. *Pauperes*, & *cæci*, prout habetur *c. licèt 4. h. tit.* ubi ratio additur; quia *inhumanum est nimis in collectione affligere, cui debuerat ex collectis, si esset necessitas, misereri.* Ubi observa, quòd duplex sit hujus *cap.* expositio. *Prima* ait, textum esse intelligendum de cæco, & simul paupere, altera de cæco tantùm, & non paupere: & hæc posterior opinio est probabilior ex ratione; quia pauperes per se excusantur, ideo, quia sunt pauperes: unde ut *c. cit.* dispositio aliquid operetur, intelligi simpliciter debet de cæcis, quòd immunes sint à solvendis Tributis. Intellige autem dicta de Tributis extraordinarijs, quæ interdum per accidens imponuntur pro rebus possessis; nam si cæci possideant fundum Censualem, vel Tributarium, ex quo possessor solvere debet Censum, vel Tributum ordinarium illi fundo impositum, etiam hi Censum illum, vel Tributum tenentur solvere. Fagn. *in c. licet cit. n. 9. & seqq.* Pirhing *n. 52. not. 3.* Schamb. *n. 52.* Adde, privilegium hoc non extendi ad filios ipsorum; quia conceditur ratione necessitatis, quæ in filijs cessat. Gloss. *fin. in c. cit.* Abb. *ibid. in fin.* Pirh. *l. cit. in fin.* Locum autem hoc privilegium habet etiam de Jure Civili, quamvis hujus textus sint dubij ob Regulam communiter approbatam, quòd ubi in Jure Canonico reperitur aliquid decisum, de quo dubitatur in Jure Civili, tunc decisio Juris Canonici servanda sit etiam in foro Civili. Fagnan. *l. cit. n. 25.*

97 Dub. 7. an Tributorum, Vectigalium, & Exactionum Leges obligent in conscientia? R. distinguendo: Vel enim constat ejusmodi Exactiones esse injustè impositas, vel contrà constat esse impositas justè, vel dubium est, an justè, vel injustè sint impositæ.

Si primum, ad præstationem illarum 98
nulla dari obligatio potest, ut præter alios expressè tradunt Sylv. *V. Gabella 3. n. 23.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 674. n. 4.* Suar. *l. 5. de LL. c. 18. n. 12.* Wiestner *hic n. 83.* Ratio est; quia Lex injusta non obligat, imò si causa, & potestas in imponente deficiat, omnino nulla est. Estque hoc verùm, sive talis exactio injusta sit quoad substantiam, sive quoad quantitatem, vel proportionem distributivam, cum hoc solo discrimine, quòd in primo casu secundùm se totam indebita sit, in secundò solùm quoad excessum.

Si secundum, dicendum est obligationem per se dari in conscientia. Ità Sylv. *V. Gabella 3. num. 21.* Castro *de Leg. pœn. c. 19.* Sot. *l. 3. de Just. q. ult. art. ult.* Covar. *Reg. peccatum p. 2 §. 5. n. 5.* Medin. *de Restit. q. 13. §. verùm aliter*, Molin. *l. cit. n. 3.* Suar. *n. 11.* Wiestner *n. 82.* Ratio est; quia Lex justa aliquid absolutè præcipiens, & legitimè promulgata obligat in conscientia, ut dictum est *Libr. 1. Tit. 2. p. 30. & 31.* atqui tales sunt Leges Tributariæ, si à Principe, vel Magistratu supremo, justa causa sic exigente, ferantur. ergo &c.

Si tertium, videtur esse locus *can.* 99
in memoriam 3. dist. 19 ibi: *Licèt vix ferendum - - - imponatur jugum, tamen feramus*; quia Princeps, & Magistratus supremus tale Tributum imponens est in possessione, consf. melior est ipsius conditio, *Reg. in praxi 65. in 6.* Confessarij tamen in praxi sequi possunt consilium, quod ipsis dat Sylv. *l. cit. n. 29.* Molin. *n. 9. concl. 5.* Wiestner *n. 84.* ut scilicet in dubio ante factum pœnitentem inclinent ad solutionem, præsertim quando exigitur *can. cit.* post factum autem ad dubij, & non soluti Tributi, vel excessûs restitutionem faciendam non compellant *arg. Reg. cit.*

§. III.

De Procurationibus.

SUMMARIUM.

100. *Definitio Procurationis.*
101. *Debetur visitanti.*
102. *Si personaliter visitet.*
103. *Quibus debeatur?*
104. *Quid circa Procurationes observandum, ne subditi nimiùm graventur?*
105. *A quibus solvendæ sint?*
106. *An ab Oratorijs privatis, & Hospitalibus?*
107. *An ab Ecclesijs, & personis Ecclesiasticis pauperibus?*
108. *An privilegium liberare ab obligatione hac possit?*
109. 110. 111. *An possint ab Episcopo remitti?*
112. *An contra eas præscribi?*
113. *Quid circa illas possit præscriptio?*
114. 115. 116. *Quam vim habeat Præscriptio immemorialis?*

Quæ-

100 QUæritur 1. quid sit *Procuratio*? R. *Procuratio*, prout hoc loco accipitur, est sustentatio, sive subsidia, & expensæ, quæ Episcopo, aliisque Prælatis obeuntibus Visitationem, ab ijs, quos visitant, exhibentur pro congrua sustentatione *c. procurationes 23. h. tit.* & *ibi* Gonzal. *n. 7.* Engl *n. 13.* König *n. 26.* Wiestner *n. 85.*

Dixi 1. *Sustentatio*: quo nomine hic venit victus, seu cibus, & potus cum habitatione, seu diversorio pro visitante, famulis ejusdem, & equis. Azor *p. 2. l. 3. c. 42. q. 7. §. quæres*, Zerola *in prax. Episc. p. 1. V. Visitatio ad dub. 6.* Pirh. *hic n. 61.* Wiestner *n. 86.* non tamen viaticum, & mercedes equorum conductorum; nam expensas, quas fecit in itinere & in coëmendis, vel conducendis equis pro itinere sibi necessarijs, Episcopus, sive Visitator computare non potest, minùs æstimare equos mortuos, vestes detritas &c. cùm tantùm victualia, aut eorum æstimationem accipere de Jure permittatur, Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 73. n. 57.* Engl *n. 16.* König *n. 30.* cum reliquis *suprà*. *Excipitur*, nisi Visitator esset Prælatus à Summo Pont. delegatus; huic enim mercedes equorum conductorum, & viaticum, ut ab uno loco ad alterum transire commodè possit, solvi debet, prout Azor *l. cit. q. 8.* & reliqui *suprà* relati advertunt.

101 Dixi 2. *Episcopis, aliisque Prælatis obeuntibus Visitationem*; debentur enim Procurationes visitanti, & ratione visitationis: & meritò; cùm enim visitantes Spiritualia seminent in utilitatem Ecclesiarum, quas visitant, non est magnum, si metant carnalia, seu temporalia, cùm nemo suis stipendijs militet unquam *1. Corinth. 9.* Procedítque hoc, etiamsi hujusmodi Visitatores alias amplos, & ad hoc munus obeundum sufficientes reditus habeant aliunde; nihilominus enim Procurationes eis solvendæ sunt, tum in signum subjectionis, tum ut ipsi magis alliciantur ad Visitationem, quam alias faciè negligerent, si suis impensis obire illam deberent. *Neque obstat*, quòd ad hujusmodi Visitationes ex officio suo obligentur; nam etiam Canonici obligantur, ut intersint Divinis Officijs, & nihilominus ob præsentiam suam capiunt Distributiones quotidianas. Abb. *in c. cùm ex officij 16. de præscript. n. 9.* & *in c. procurationes cit. n 5.*

102 Dixi 3. *ab ijs, quos visitant*; nam Procurationes debentur solùm visitantibus, quando actu Visitationem obeunt: & hinc quando Episcopus Diœcesim suam visitat per alium, Procurationes debentur non Episcopo, sed illi, qui personaliter visitat. Extra Visitationem Procurationis nomine aliquid exigens, vel recipiens in pœnam transgressionis duplum, sive ultra id, quod accepit, tantundem de suo restituere intra mensem tenetur *c. procurationes cit. fin. c. exigit 2. h. tit. in 6.* Trid. *sess. 24. c. 3. v. quodsi de reform.* ubi hæc pœna aucta, & confirmata est. Neque aliud probatur ex *can. quo etiam 7. dist. 18.* nam quadrupli pœna, quæ ibi sancitur, solùm lata est contra Archiepiscopum, si de bonis, quæ Episcopus ad Concilium Provinciale accedens secum tulit, aliquid exigat, vel auferat, ut notat Fagnan. *in c. procurationes cit. n. 23.* & patet ex textu.

103 Quæritur 2. quibus Prælatis Procurationes debeantur, & quid circa has observandum, ne per Procurationes, ab ijs petitas, nimium prægraventur subditi? R. Procurationes ratione Visitationis debentur Visitanti: & principaliter quidem Episcopo, si Diœcesim, Archiepiscopo, & Nuntio Apostolico, si Provinciam, Archidiacono, si districtum Archidiaconatûs sui personaliter visitent. Quodsi Visitationem obeant per alium, e. g. Episcopus per Vicarium generalem, aut constitutos à se Visitatores, non Episcopo, sed illi, qui Visitationem loco ipsius obit, Procurationes debentur, ut dictum est *n. præc.* & patet ex *c. si Episcopus 6. de Offic. Ordin. in 6.* nisi Episcopus munitus sit privilegio Apostolico, ut quamvis non visitet per se ipsum, sed per alium Procurationis nomine à visitatis aliquid possit accipere, prout habetur *Extrav. un. int. comm. h. tit.* & declaratum est à S. Congr. Card. Trid. Interpp. sub Paulo IV. teste Fagnan. *in c. procurationes cit. n. 6.*

104 Ne verò per hujusmodi Procurationes petitas nimium graventur subditi, Episcopi, & alij Visitatores sequentia observare debent. 1. Procurationes, occasione actualis Visitationis petitæ, secundùm Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum, à quibus petuntur, facultates debent esse frugales, & moderatæ *c. conquerente 16. de Offic. Ordin. c. sopitæ 14. c. procurationes 23. c. cùm nuper 25. h. tit.* & Trid. *sess. 24. c. 3. de reform.* 2. præcipitur ijsdem, ne inutilibus, & sumptuosis itinerum impedimentis Visitationem obeant, sed cum apparatu, & comitatu moderato, qui præscribitur *c. cùm Apostolus 6. v. quocirca h. tit. 3.* si Episcopus v. g. eodem anno pluries Ecclesiam visitet, plures Procurationes, quàm binas non exigat *c. cùm Venerabili 21. eod.* 4. si una die plures visitentur Ecclesiæ; non singulæ à singulis, sed una duntaxat Procuratio ab omnibus simul exigatur *c. felicis 3. h. tit. in 6.* 5. non potest Visitator accipere munus quodcunque etiam sponte oblatum: imò ipsas Procurationes antiquo Jure *c. Romana 1. §. procurationes h. tit. in 6.* tantùm poterant accipere in victualibus: quod tamen Jus modò per *c. felicis cit.* & Trid. *c. 3. cit.* correctum est, ita, ut modò optionem habeat, an in his, an in pecunia accipere Procurationes velit. 6. si Episcopus visitet Ecclesias, & Clericos Civitatis, in qua sita est ipsius Ecclesia Cathedralis, nulla eidem de-

debetur Procuratio, prout sæpiùs responsum à S. Congreg. testis est Piasec. *prax. Episc. p. 2. c. 3. art. 8. n. 15.* Et idem dicendum est de casu, quo Episcopus, peracta Visitatione Ecclesiæ, etiam extra Urbem Episcopalem sitæ, domum suam se commodè potest recipere; quia Trid. *c. 3. cit.* dicit eidem ministrandas Procurationes *pro temporis tantùm necessitate, & non ultra:* quæ necessitas tali casu cessat.

105 Quæritur 3. à quibus solvendæ sint Procurationes? R. solvendæ sunt ab omnibus Clericis, Ecclesijs, ac Monasterijs, speciali privilegio non exemptis, etiamsi Ecclesiæ tales quocunque titulo ad Exemptos pervenissent. *Clem. 1. h. tit. Ratio est;* quia cùm talium Ecclesiarum percipiant commoda, earum onera recusare non debent *l. secundùm 10. ff. de R. J.*

Excipiuntur 1. Laici; nam hi, licèt & ipsi visitentur, ab onere tamen Procurationes solvendi liberi sunt, non quidem vi Juris scripti, sed consuetudinis, quæ textus Juris generales ad loca, & personas Ecclesiasticas restrinxit. Gloss. *in c. Romana 1. V. Laicos h. tit. in 6.* Azor *p. 2. l. 3. c. 42. q. 3.* Barbos. *l. 3. Jur. Eccl. c. 22. n. 14.* Vallens. *hic §. 4. n. 2.* Pirh. *n. 78.* Wiestner *n. 94.*

106 *Excipiuntur 2.* Oratoria privata *c. fin. h. tit.* & *ibi* Gloss. *V. ratione*, Fagnan. *n. 1.* Gonzal. *n. 3.* Honor. *n. 39.* Engl *n. 17.* Pirh. *n. 80.* Schamb. *n. 33.* König *n. 28.* Wiest. *n. 95.* & ratio est; quia non habent titulum Beneficij, nec Beneficia annexa, vel reditus, aut proventus Ecclesiasticos, ex quibus Procurationes præstare valeant.

Excipiuntur 3. Hospitalia, & similia loca, ad pietatis, & misericordiæ opera exercenda, etiam authoritate Episcopali erecta, si titulum Beneficij annexum non habeant. Azor. *c. 42. cit. q. 1.* Riccius *prax. p. 4. resol. 151.* Zerol. *prax. Episc. p. 2. V. Visitatio §. 6. dub. 7.* Piasec. *prax. p. 2. c. 3. art. ult. n. 16.* Barbos. *c. 22. cit. n. 15.* Pirh. *hic n. 79. ỳ. secundò*, Schamb. *n. 31.* Engl, König, Wiest. *l. citt. Ratio est*; quia proventus illorum omnes censentur ab eorum Fundatoribus specialiter deputati ad infirmorum, pauperum, & peregrinorum alimenta: quam intentionem à Prælatis Ecclesiasticis augeri potiùs, quàm diminui decet.

107 *Excipiuntur 4.* Ecclesiæ, & personæ Ecclesiasticæ pauperes; quia cùm ultrà eos, qui ad Cultum Divinum, vel propriam sustentationem necessarij sunt, proventus non habeant, Charitas non permittit, eos gravari onere solvendarum Episcopo Procurationum *can. cavendum 7. caus. 10. q. 2.* Gloss. *in c. 17. V. prægravari h. tit.* Abb. *ibid. n. 7.* Fagnan. *in c. procurationes 23. eod. n. 20.* & *in c. venerabili 24. n. 33.* Pirh. *hic n. 82.* Wiest. *ibid. n. 106.* Idque verum est, etiamsi ab hujusmodi Ecclesijs, & personis pauperibus Procurationes ultro, & gratis offerantur; nam ne sic quidem accipiendæ ab ijs sunt, ut monet Fagnan. *n. 20. cit.* cùm etiam in hoc casu urgeat allata ratio. Intelligendum autem hoc tantùm est, quando notoriè constat de impotentia, seu paupertate Ecclesiæ, vel Clerici: in dubio potest Episcopus exigere Juramentum à Rectore Ecclesiæ, vel Clerico, se impotentem esse ad Procurationem solvendam; vel sub conditione excommunicare, nisi solverit Procurationem secundùm facultatem suam. Abb. *in c. procurationes 23. n. 7. h. tit.* Pirh. *n. 82. cit.*

Excipiuntur 5. alia etiam loca, & per 108
sonæ Ecclesiasticæ munitæ circa hoc privilegio Apostolico: quod tamen privilegium strictæ interpretationis est, & si generaliter conceptum sit, ad Procurationes debitas Legatis Apostolicis Provinciam visitantibus extendi non debet *c. cùm instantia 17.* & *Clem. 1.* junct. Gloss. *V. exemptione h. tit.* Azor *c. 42. q. 11. §. quæres*, Barbos. *c. 22. cit. n. 27.* Pirh. *hic n. 79.* Wiest. *n. 97.* quia ratione Dignitatis, & personæ, quam agunt, specialem sui mentionem requirunt, & generalibus terminis, quibus Ecclesia aliqua à Procurationibus immunis pronuntiatur, non includuntur.

Cæteræ Ecclesiæ, & Personæ Ecclesiasticæ, si Beneficium aliquod habeant, includuntur omnes in præcepto Procurationes præstandi. Neque Monasteria ab ea obligatione absolvit, quòd aliàs exempta sint a Lege Diœcesana Episcopi; quia obligatio solvendi Procurationes, cùm annexa visitationi sit, qui actus Jurisdictionis est, potiùs videtur ad Legem Jurisdictionis, tanquam accessorium, pertinere: & hinc ab omnibus, qui Visitationi Episcopi subjecti sunt, illæ præstari debent. Abb. *in c. sopitæ 14. h. tit.* Pirh. *n. 71.*

Quæritur 4. an Procurationes abo- 109
Episcopo remitti possint? Videntur remitti posse; quia etiam servitia, ab Ecclesia inferiore Episcopo debita, ab isto illi remitti possunt *c. pastoralis 7. de Donation.*

Sed dicendum, etsi Episcopus, & Visitatores alij, quando actu visitant, Procurationem ob id debitam remittere possunt in speciali, non tamen remittere eas possunt generaliter, & ita, ut hujusmodi remissione subditus omnino eximatur ab onere Procurationes solvendi etiam in futurum. Ita Abb. *in c. cùm ex officij 16. n. 14. & 15. de Præscript.* Azor *p. 2. l. 3. c. 42. q. 11. §. pàcto etiam* Honor. *hic n. 13.* Pirh. *n. 83.* Schamb. *n. 36.* Wiest. *n. 98.* & patet ex *c. cùm venerabilis 21. h. tit.*

Ratio primæ partis est; quia hujus- 110
modi remissione speciali nullum Successori fit præjudicium, aliæque rationes cessant, quæ urgent, ne remitti generaliter possint. Simili ratione conveniri inter Ecclesiam, vel Monasterium, & Episcopum potest de Procurationis exhibendæ modo, ut scilicet in

pecunia, vel in ipsis victualibus exhibeantur. Gloss. *in Clem. 2. V. compositiones*, Azor *c. 42. cit. q. 11. §. insuper potest.* Barbos. *in c. cùm ex officij. cit. n. 11.* Pirh. *n. 83.* Wiest. *n. 98.*

111 *Ratio secundæ*; quia Procurationes sunt Juris publici authoritate, & utilitate constitutæ; ea autem, quæ Juris publici sunt, privatorum pactionibus remitti non possunt *c. si diligenti 12. de for. competent.* & *l. Jus publicum 38. ff de Pact.* *Excipitur* Procuratio, quæ non Jure communi, sed speciali, sive ex consuetudine, præscriptione, privilegio, pacto solvi debet ei, qui proprius Prælatus non est; talis enim Procuratio non est Jus publicum, & ideo remitti potest. Azor *q. 11. cit. V. potest quoque.* Pirh. *n. 83.*

112 Quæritur 5. an Procurationis exhibendæ obligationi à visitatis præscribi valeat? R. Negativè. Ita cum communi Abb. *in c. cùm instantia 17. h. tit. n. 5.* Barbos. *ibid. n. 2.* Pirh. *hic n. 76. not. 2.* Wiest. *n. 99. ibid.* & clari textus *c. cùm instantia cit. c. accedentes 11.* & *c. cùm ex officij 16 de præscript.* *Ratio est*; quia talis Præscriptio cederet in detrimentum Ecclesiarum, quippe quâ positâ, Prælati, & alij Visitatores absterrerentur ab instituendis Visitationibus bono publico Ecclesiarum maximè necessarijs. *Proceditque hoc*, ut eædem non solùm non possint tolli totæ, sed ne quidem quoad partem saltem notabilem; quia totius, & partis in hoc casu est eadem ratio *l. quæ de tota 76. pr. ff. de R. V.* Barbos. *l. 3. Jur. Eccl. c. 22. n. 23.* Quod etsi verum sit, non tamen omnis omnino vis circa Procurationes præscriptioni neganda est.

113 Nam 1. præscriptioni locus est quoad Procurationum exhibendarum modum, ut pro victualibus præstetur pecunia, ut observant DD. *in c. cùm ex officij cit.* apud Barbos. *l. 3. Jur. Eccl. c. 22. n. 24.* 2. præscribi potest Procurationibus præteritis, non præstitis suo tempore; quia in hoc nullum vertitur præjudicium Visitationis, sed Visitantis tantùm. Barbos. *l. cit. n. 25.* & hoc teste omnes. 3. præscribi potest, ut cùm duæ Ecclesiæ eadem die visitantur, ad eas visitanti præstandas tantùm obligetur una abundans reditibus. Alex. de Nevo *in c. accedentes cit. n. 17.* quia hìc neque Visitantis præjudicium vertitur, cùm adhuc integram Procurationem accipiat. 4. præscribi possunt Procurationes ex alio capite, quàm ratione visitationis debitæ; quia in his cessat ratio, ob quam non currit Præscriptio Procurationis Episcopo ratione Visitationis debitæ. Fagnan. *in c. venerabili 24. h. tit. n. 21.* 5. demum præscribi etiam possunt debitæ ratione Visitationis, si etiam Visitatio ab alio Prælato præscripta sit, ut sic jus visitandi, & Procurationes accipiendi comperat huic, & non illi, cui competebat antè *c. cùm ex officij cit.* ibi, *Etsi alius contra eum*, Episcopum, *præscribere possit utramque* Visitationem simul, & Procurationem. Barbos. *ibid. n. 3.* Fagnan. *n. 12.* Wiest. *hic n. 102.*

Quæritur 6. an Procurationes, ratione Visitationis debitæ, contra Prælatum 114
à subditis præscribi possint tempore saltem immemoriali? Felin. *in c. cùm ex officij 16. de præscript. pr.* Azor *p. 2. l. 3. c. 42. q. 14.* Barbos. *in c. cit. n. 6.* Vallens. *hic §. 3. n. 2.* Pirh. *de præscript. n. 24.* tenent negativam, eique tantum tribuit Fagnan. *in c. venerabili cit. n. 28.* ut inter hanc, & affirmativam hæsitando, suadeat recursum ad *S. Congreg. Card. Trid. Interpp.* Sumi negativa videtur 1. ex *c. cùm ex officij cit.* ubi cùm Abbas, & alij assererent, se non meminisse, quòd procurationem Archi-Episcopis visitantibus solverint, hoc tamen immemoriali tempore non obstante, præscriptio, quæ contra ejusmodi Procurationem currit, generaliter, & indistinctè est reprobata. 2. quia Procuratio est annexa Visitationi, ergo sicut jus visitandi, ita & Procuratio nunquam præscribitur. 3. vis adversùs Procurationes, ratione Visitationis debitas, in Decreto Concil. Trid. *sess. 24. c. 3. de reform.* tribuitur soli consuetudini. ergo Præscriptio illam non habet, quippe quæ minùs est favorabilis.

Sed non improbabiliter dici adhuc potest, 115
præscriptione immemoriali Procurationibus, ratione Visitationis debitis, derogari posse. Ita Abb. *p. 2. Consil. 26. n. 4.* Marian. *tr. de Visitat. n. 52.* Piasec. *prax. Episcop. p. 2. c. 3. art. 8. n. 15.* Wiest. *hic n. 104.* Ratio est; quia immunitas hæc acquiri potest privilegio Apostolico *Clem. 1. h. tit.* sed præscriptio immemorialis, si præscribens sit capax possessionis, & Jus commune ei non resistat, æquivalet privilegio. ergo &c.

Neque contrarium efficaciter probatur 116
ex Argumentis sententiæ oppositæ. *Ad 1.* ibi non fuit allegata præscriptio immemorialis; hæc enim plus requirit, quàm ut aliquis non meminerit obligationis persolutæ. Accedit; quia prohibitio *c. cit.* solùm est generalis, quâ præscriptio immemorialis non comprehenditur. *Ad 2.* Jus visitandi necessariò connexum est Juri Jurisdictionis Ecclesiasticæ; cons. immunitas ab illo præscribi nequit, nisi præscribatur simul exemptio omnimoda: at Jus exigendi Procurationes non ita annexum est juri visitandi, cùm ab hoc, ut patet ex Trid. *c. 3. cit.* per consuetudinem separari possit. *Ad 3.* ex illo Trid. textu, ut patet ex modò dictis, potiùs confirmatur nostra sententia. Addo, consuetudinem illam, quæ ibi permittitur, propriè præscriptionem esse, cùm per eam jus Prælati tollatur, & per quasi possessionem, tempore Legibus definito continuatam, subditis acquiratur immunitas ab onere Procurationes istas solvendi.

§. IV.

§. IV.

De Sustentatione congrua Parochi, & de Vicarij Portione.

SUMMARIUM.

117. *Parocho, & alijs Curatis debetur sustentatio congrua.*
118. *Intelliguntur hoc nomine Alimenta.*
119. *Hospitalitas, & Donationes moderatæ.*
120. *Expensæ pro honesta animi, & corporis relaxatione.*
121. *Et hæc portio congrua nulla consuetudine tolli potest.*
122. *Unde illam nulla consuetudine vindicare sibi Patroni possunt.*
123. *Quod procedit etiam de Prælatis Regularibus.*
124. *Et Exemptis.*
125. *Si Rector Parochiæ non habeat sustentationem congruam, defectus suppleri debet per unionem Beneficij simplicis.*
126. *Si unioni locus non sit, ex Primitijs, & Decimis.*
127. *Si neque istæ sufficiant, deveniendum ad Collectas.*
128. *Decimas Laicales plerique DD. ab hoc concursu pronuntiant liberas.*
129. *Quis Vicario perpetuo providere de sustentatione congrua debeat?*
130. *Quid, si dubium sit, an habeat portionem congruam?*
131. *An Episcopus ad defectum portionis supplendum compellere possit etiam Religiosos Exemptos?*
132. *Quantum nomine Sustentationis congruæ assignandum sit Vicario Parochiali?*
133. *Quid circa hoc possit Episcopus?*
134. *Quid faciendum, quando Ecclesiæ unitæ fructus sunt valde exigui?*
135. *Et si pretium rerum ita augeatur, ut portio assignata non amplius sufficiat?*
136. *Quænam veniant nomine proventuum Ecclesiæ, ex quibus congrua portio Vicario perpetuo est assignanda?*
137. *An portio semel constituta mutetur pro varia conditione Vicarij?*
138. 139. *Coram quo Judice congruæ portionis assignatio, & redintegratio petenda sit?*
140. *Quomodo procedendum sit in congruæ portionis causis?*
141. *Cui cedant fructus pendentes, Beneficiario mortuo?*
142. *Resolvitur quæstio.*
143. *Solvuntur objectiones.*
144. 145. *Ad quem spectent Meliorationes factæ à Beneficiario defuncto?*
146 *Quomodo differat Beneficiarius ab Usufructuario?*

117 UT Episcopis per Subsidium Charitativum, Visitatoribus per Procurationes, ita Parochis, & alijs Curatis per reditus, ijs ad congruam sustentationem assignatos, subveniendum est: qui cùm sæpe in finem istum non sufficiant, non rarò contingit, ut Parochianis, & alijs, præsertim Decimatoribus, imponantur Collectæ, quibus congrua sustentatio Parochi integretur. Collectæ hæ species Exactionis sunt; quia Ecclesiastica Episcopi authoritate imponuntur: hinc meritò, postquam actum de Exactionibus alijs, de integranda Parochi, & aliorum Curatorum sustentatione subjungitur.

118 Quæritur 1. quid intelligatur nomine Sustentationis congruæ? R. ad hanc pertinet, ut habeat Beneficiatus ea, quæ ad ipsum, ejúsque familiam honestè alendam sunt necessaria *can. studet 39. fin. dist. 50.* Adeoque ad honestam, & necessariam sustentationem pertinent 1. Alimenta tunc pro se, tum pro familia. *Alimentorum* nomine intelligitur cibus, potus, vestitus, habitatio, pharmaca necessaria ad propulsandum morbum, libri item necessarij pro officio. *Familiæ* autem nomine veniunt famuli, & ancillæ; parentes, fratres, & sorores egentes pro statu: item filij ex legitimo Matrimonio ante Beneficium obtentum suscepti; imò & Spurij, quia & his ex æquitate Canonica alimenta debentur. Pirh. *tit. de Præbend. & Dignit. n. 34.* König *ibid. n. 30.*

119 2. Ea, quæ necessaria sunt ad moderata convivia, pro Beneficiarij qualitate, consanguineis, & amicis exhibenda, & ad hospites excipiendos, non solùm quando id Charitas postulat (quoniam id inter opera pia est computandum) sed etiam quando sola humanitas, urbanitásque, attenta Beneficij qualitate, id exigit. Molin. *tr. 2. de I. & I. D. 145. n. 9.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 3. n. 2. ℣. supponendum 3.* Pirh. König *l. citt.*

3. Quæ requiruntur ad præstandas Donationes non solùm remuneratorias Beneficiorum, sed etiam moderatas merè liberales, pro loco, & tempore, munuscula aliqua ad illos mittendo, à quibus neque retributionem sperat, neque aliquid priùs accepit. Molin. *n. 10.* Laym. Pirh. König *l. citt.* quia etiam has postulat Beneficiarij status & conditio; omnia autem sustentationis congruæ nomine comprehenduntur, quæ Status ejus, & conditio postulat.

120 4. Quæ requiruntur ad honestas animi, & corporis relaxationes, spectata personæ, & officij qualitate, & reditum copia, ac qualitate: quæ universim etiam in superioribus punctis est attendenda. Et hinc plu-

re-

requirit ad sustentationem suo statui convenientem Præpositus, & Decanus, quàm simplex Canonicus, plus item Episcopus, quàm Decanus, & Præpositus &c. Molin. *n. 7.* Laym. *n. 2. cit.* Pro Regula quidam, nec malè, hac in re spectandum censent usum, & praxim aliorum virorum timoratorum, ut Clericus congruentem sibi sustentationem habere censeatur, si Beneficiales reditus æquent eam summam, quam alij ejusdem qualitatis, ac timoratæ conscientiæ Beneficiarij pro sua sustentatione exigere solent. König *l. cit.*

121 Quæritur 2. an Rectoribus Ecclesiarum, seu Parochis ex reditibus earum assignari debeat congrua, & sufficiens portio pro sustentatione eorundem. ℟. affirmativè. Ita statuitur *c. extirpandæ 30. pr. de Præb.* Idem dicendum de Vicario perpetuo, ut habetur *cap. eod.* §. *qui verò.* Procedítque hoc, non obstante quacunque contraria consuetudine, ut patet ex *c. cit.* ubi Pontifex hanc appellat *extirpandæ consuetudinis vitium.* Ratio est; quia talis consuetudo repugnat Legi Divinæ, & naturali Justitiæ, cùm operarius sit dignus mercede sua. *Luc. 10.* imò etiam repugnat primævæ Beneficiorum institutioni; nam reditus ab horum Fundatoribus principaliter dati sunt Parochis, & Curatis, ut ab his tam ipsi, quàm cæteri Parochiani Divina percipiant. Accedit, quia si Beneficia, præsertim Curata, nimis tenues haberent reditus, non reperirentur viri docti, & idonei, qui ea vellent suscipere: & qui Parochiale munus susciperent, vel contra Ordinis Clericalis dignitatem mendicare, vel forsidum aliquem quæstum cogerentur exercere: quorum duo posteriora in Statûs istius dedecus, primum in magnum Ecclesiæ damnum, & animarum periculum cederet. Pirh. *tit. de Præb. n. 35.*

122 *Ex quo sequitur*, non posse Patronos, & Administratores Ecclesiarum Parochialium prætextu consuetudinis reditus ipsarum sibi sic vendicare, ut congrua portio Rectoris, seu Parochi diminuatur. Abb. *in c. extirpandæ cit. n. 2.* Pirh. *tit. de Præbend. n. 36.* Wiest. *tit. de Eccl. ædif. n. 24.* Imò hodie ex Decreto Trid. *sess. 25. c. 9. de reform.* generaliter interdictum est omnibus Patronis Beneficiorum, sive Clericis, sive Laicis, ne *in perceptione fructuum, proventuum, obventionum quorumcunque Beneficiorum - - - ullatenus, ullâve causa, vel occasione se ingerant, sed illos liberè Rectori, seu Beneficiato, non obstante etiam quacunque consuetudine, distribuendos dimittant.*

123 Quæritur 3. an Prælati Regulares, & Monasteria &c. reditus Ecclesiarum sibi incorporatarum possint percipere? ℟. dupliciter incorporationem istam fieri posse. *Uno modò*, ut omnes reditus temporales percipiat Monasterium, & Vicario constituta sit certa portio pro necessaria ejus sustentatione. *Altero*, ut Monasterium certam redituum portionem percipiat, reliqui autem reditus omnes Parochis, vel Vicarijs, aut Capellanis cedant, qui in ejusmodi Ecclesijs ministrant.

Utroque casu Monasterium licitè percipit tales reditus, si incorporatio cum sufficienti authoritate facta sit, ita tamen, ut portionem assignatam Parochis, Vicarijs, aut Capellanis propria authoritate mutare, aut minuere nequeat, prout sumitur ex *c. avaritiæ 10. de Præbend.* Ratio est; quia Prælatus Regularis, vel Capitulum, seu Monasterium non exemptum non potest absque Episcopi sui consensu Ecclesiarum, quæ ipsis incorporatæ sunt, quoad temporalia, statum mutare, vel portiones, aut reditus, Rectoribus earum debitos, auferre, vel minorare; quia hæc omnia ad officium Episcopi spectant. Abb. *in c. avaritiæ cit. n. 2.* Pirh. *tit. de Præbend. n. 40.*

Extenditur hoc etiam ad Prælatos Re- 124
gulares exemptos per *Clem. un. ℣. eâdem quoque de supplend. neglig.* ubi statuitur, ut Episcopi non permittant à dictis Prælatis Beneficia quæcunque sive Regularia, sive Sæcularia, quorum collatio ad eos spectat, suis mensis applicari, aut novas pensiones ijsdem imponi, vel antiquas augeri. Imò ne Episcopi quidem ad mensam suam derivare, vel in proprios usus convertere quidquam possunt ex Præbendis Beneficiorum, quæ ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ deputata sunt, vel ex ijs, quæ sunt ad fabricam Ecclesiæ relicta; quia, ut *c. ratio 3. de Præbend.* dicitur, *Ratio nulla permittit, ut quod pro communi utilitate datum esse dignoscitur, proprijs cujusquam usibus applicetur.*

Dixi *propria authoritate*; nam Episcopus, & ipsius consensu Monasterium portiones Capellanorum, & Vicariorum in Ecclesijs sibi incorporatis ex justa causa diminuere possunt, vel Parochias dividere in duas, ut notat Gloss. *in c. avaritiæ cit. V. reditus*, Pirh. *l. cit. n. 41. not. 2.*

Quæritur 4. quomodo succurri Rec- 125
tori Parochiæ possit, si reditus annui, quos ex Parochia sua percipit, adeo sint exigui, ut ex ijs ipse congruam sustentationem habere, & debita onera supportare nequeat? ℟. tali casu juxta Trid. *sess. 24. c. 13. ℣. in Parochialibus de reform.* id, quod ejus congruæ sustentationi, & Ecclesiæ necessitati deest, supplendum ab Episcopis est per unionem, Beneficiorum Sæcularium, & talium, ut Parochus, præter animarum curam, etiam Missarum obligationi his incumbenti satisfacere queat. Zypæus *tit. de Parocb. Consult. 4. pr.* Wiest. *tit. de Eccl. ædif. n. 26.*

Si unioni locus non sit, supradicta Synodus supplendum decrevit defectum istum assignatione Primitiarum, & Decimarum, provenientium ex fundis, intra fines Parochiæ

rochiæ sitis, etsi consuetudine abolitæ, vel ad extraneos translatæ sint; quia Ecclesiastica ordinatione ita deputantur pro necessitatibus Ministrorum Ecclesiæ, ut semper retineant obligationem eas his præstandi casu, quo solutio illarum his facienda est pro necessaria sustentatione illorum. Covar. *l. 1. var. c. 17. n. 6. in fin.* Barbos. *in c. de Monachis 12. de Præb. n. 6.* Wiestner *tit. cit. n. 26.* Ratio est, quia Decimæ eatenus debentur Jure Divino, & naturali, adversùs quod nulla præscriptio, vel privilegium prævalet.

127 Si supplementum illud à Decimis haberi nequeat, deveniendum ad Collectas, vel aliâ, si quæ appareat, ratione eis de congrua sustentatione est providendum. Zypæus *l. cit. n. 1.* ubi notat, hunc ordinem omnino observandum, ita, ut ad Collectas non deveniatur, nisi excussis proventibus Ecclesiasticis, & ex proventibus Ecclesiasticis ad Decimas, non nisi excussis Primitijs, cùm ordo litteræ in Decreto Trid. *cit.* id evincat: cúmque Decimæ duplicis esse generis possint Ecclesiasticæ, & Laicales, posteriorum possessores ad supplementum istud non posse adigi, nisi ubi Ecclesiasticæ non sufficerint; quia Laici earum possessores ordine tantùm subsidiario ad portionem Canonicam vocantur. Choppin. *de Sacr. Polit. l. 6. c. 4. n. 20.* Charon. *l. 1. res. 34.* Zypæus *l. cit. n. 2.*

128 Imò plerique alij DD. adstruunt Decimas Laicales omnino esse liberas. Navar. *de redit. Eccl. n. 5. & 57.* cùm tanquam patrimonialia, & eâdem, quâ ista, immunitate possideantur. Molin. *de consuet. Paris. pr. n. 104.* & §. *68. n. 24.* & ob hæc videtur Trid. *sess. 21. c. 7. de reform.* proventus ab Ecclesia provenientes in onus vocare, ad feudales Laicorum Decimas, non ab Ecclesia relevatas, secernendas. Zyp. *n. 2. cit.* qui *n. 3.* addit, eandem immunitatem retinere hujusmodi Decimas, etiam postquam à Laicis ad Ecclesiam reversæ, & ab his pro fundatione Monasteriorum, Anniversariorum &c. vel alio titulo translatæ fuerint; nam pro æstimatione ejusmodi servitutum, & onerum adhuc penes Laicos, eorúmque Successores esse censendæ sunt: ideoque eatenus eximendæ à contributione, præsertim quando & ipsi Laici legitimo, & oneroso titulo easdem obtinuerunt.

129 Quæritur 5. quis Vicario perpetuo providere de congrua sustentatione debeat? R. providere de illa debent, qui Decimas, & alios Parochiæ proventus percipiunt, puta Patroni, Monasteria, Hospitalia, Seminaria &c. quibus ea per unionem quoad temporalia incorporatæ sunt. Gutier. *l. 1. qq. pract. q. 17. n. 12.* Pirh. *tit. de Præb. n. 43. not. 2.* Wiestner *tit. de Eccl. ædif. n. 27.* Ratio est; quia proventus Parochiales non possunt à Prælato Ecclesiastico aliter transferri, nisi ut Vicario ministranti in Ecclesiâ incorporatâ salva maneat sua competens portio, & necessaria sustentatio.

Estque hoc verum, etsi Laici, & non Patroni sint, si Decimarum Ecclesiæ illius possessores sint *c. susceptі 1. de Præb. in 6.* & *Clem. 1. de Jur. Patron.* Qui si plures sint, ad eam portionem pro rata, sive parte fructuum, sibi obvenientium, præstandam tenentur, & conveniri simul omnes possunt *arg. l. soleant 3. fin. ff. de aliment. & cibar.* Rebuff. *de congr. port. n. 50.* Wiest. *l. cit. n. 27.*

130 In dubio, an assignata portio sit sufficiens, ad Episcopum pertinet id determinare, ut colligitur ex *c. de Monachis 12. de Præb.* & *Clem. 1. cit.* Qui si repererit, eam insufficientem esse ad congruam Vicarij sustentationem, non debet sibi à Monasterio præsentatum instituere, & præsentationi consentire antea, quàm defectus fuerit supplenus, ut statutum est *c. de Monachis cit.* & notat *ibidem* Barbos. *n. 1.* Pirh. *l. cit. n. 46.* Imò si Prælati Monasteriorum, quibus Parochiæ unitæ sunt, intra terminum sibi ab eodem assignatum, Vicarijs suis portionem sufficientem assignare neglexerint, ad id per Censuras ab Episcopo compelli possunt, *Clem. cit. Proceditque hoc* etiam de Monachis, & Religiosis exemptis, ut habetur *c. susceptі cit.* & notat Gloss. *in Clem. cit. in notat.* Potestque etiam Vicarius, vel alius Curatus, cui debetur congrua portio ex reditibus Beneficij, si ea non detur, Officium Judicis implorare contra Prælatos, vel alios, qui eam habent. Barbos. *in c. de Monachis cit. n. 6.* Pirh. *l. cit. n. 44.*

131 *Excipitur*, nisi Ecclesia plenissimo Jure ad Religiosos Exemptos spectet, ita, ut non tantùm quoad Jura Parochialia, sed etiam Episcopalia sit exempta a Jurisdictione Ordinarij loci; tunc enim non posset Episcopus Religiosos compellere ad assignandam portionem Clerico coram se præsentato juxta Concil. Trid. *sess. 25. de Regular. c. 11.* Barbos. *in c. 1. h. tit. in 6. n. 2.* Pirh. *n. 46. cit.*

132 Quæritur *6.* quantum nomine sustentationis assignandum sit Vicario Parochiali? R. olim quartam quartæ, h. e. decimam sextam fructuum partem non excesserat, ut patet ex *c. extirpandæ 30. pr. de Præb.* quæ pensio cùm admodum tenuis fuerit, hinc successu temporis introductum est, ut Trebellianicæ instar quarta, aut istâ aliquanto major, vel minor portio penderetur, teste Rebuff. *de congr. port. n. 82.* Auxit & istam Trid. *sess. 7. c. 7. de reform.* ubi statuit Vicarijs assignandam fructuum, & proventuum Parochialium partem tertiam, aut majorem, vel minorem, arbitrio Ordinarij.

133 Porro arbitrium hoc S. Pius V. *Const.* incipit, *Ad exequendum editâ Calend. Nov. 1567.* ita restrinxit, ut Ordinarijs in assignatione pensionis pro Vicario non liceret aut centum scuta excedere, aut infra quin-

qua-

quaginta descendere; addítque nec excessum, nec defectum valiturum, ex ratione, ne ob hujusmodi defectum Vicarijs deessent vitæ subsidia, ob excessum autem Monasteria, cæteræque piæ causæ, quibus Parochiæ quoad temporalia unitæ sunt, plus æquo gravarentur.

134 Quæritur 7. quid faciendum casu, quo Ecclesiæ unitæ fructus 50. scuta secundùm verum annuum valorem non excedunt? R. tali casu omnes relinquendi sunt Vicario. Abb. *in c. de Monachis cit. n. 3.* Henric. de Boich. *in c. exposuisti 33. de Præb. n. 5.* Rebuff. *de congr. port. n. 101.* Zypæus *tit. de Paroch. respons. 2. n. 10. fin.* Wiest. *tit. de Eccl. ædif. n. 29.* & patet ex *Const. S. Pij V. cit.* ibi *omnes fructus ejus attribuantur Vicario perpetuo.*

Erit igitur hoc casu causa Vicarij potior, quàm Monasterij, aut alterius piæ causæ, cui unio facta est: idque ob triplicem rationem. 1. Quia ipse curam animarum actu gerit, ob quam hujusmodi reditus primitus assignati sunt. 2. Quia Pontificis, dum unionem hujusmodi fecit, mens alia non erat, quàm ut reservetur Vicario congrua sustentatio c. *exposuisti cit.* igitur casu, quo universi reditus congruam ejus sustentationem non excedunt, universi manere Vicario debent. 3. Quia non decet discooperiri unum Altare, ut alterum cooperiatur: quod fieret, si reditus necessarij tollerentur Ecclesiæ unitæ, & darentur alteri loco pio.

135 Quæritur 8. quid agendum casu, quo in Provincia aliqua rerum ad victum, vestitum, & cæteros humanæ vitæ usus necessariarum pretium ita augeretur, ut iis parandis, & alijs oneribus supportandis 100. scuta ordinariè non sufficerent? R. cum P. Wiestner *tit. de Eccl. ædif. n. 20.* tali casu non obstaturam *Constit. S. Pij V. cit.* sed posse, & debere majorem, quàm 100. Scutorum quantitatem Vicario assignari. *Ratio est*: quia in dicta *Constitutione* supponitur 100. scuta ad congruam Vicarij sustentationem indubitatò sufficere: quod colligitur ex tempore, quo *Constitutio* ista edita est; edita enim est Sæculo decimo sexto, quo rerum ad sustentationem necessariarum quantitas major 100. scutis, quàm nostro isto centum aureis parari poterat.

Ex quo sequitur, casu, quo Vicario fuit assignata pensio in fructibus, qui olim 100. scutis comparari poterant, eam pensionem modò congruam ejus sustentationem superare; contrà si in pecunia 100. scutorum, nunc pro eadem sustentatione insufficientem esse.

136 Quæritur 9. quænam veniant nomine proventuum Ecclesiæ, ex quibus congrua portio Vicario perpetuo est assignanda? Putant nonnulli cum Barbos. *in c. de Monachis 12. de Præb. n. 7.* nomine isto hic non venire, & propterea in portionem congruam, Curatis debitam, non computandos reditus incertos, quos vocant *Pedem Altaris*, item quæ dantur Stolæ nomine, sive pro administratione Sacramentorum, & pro funeralibus &c. tum quia incerti sunt fructus, & venter, cui ea portione providetur, ab incerto pendere non debet; tum quia non tam Ecclesiæ, quàm personæ, sive præsliti ab ea ministerii acquiruntur, & propterea accensentur bonis Clericorum quasi Patrimonialibus, de quibus liberam disponendi facultatem habent.

Sed utendum est distinctione, an reditus illi incerti reduci possint ad certam summam, quâ notabiliter majores, minoresve esse non soleant, an verò non. *Si hoc secundum*, rectè probant Argumenta allata, eas in pensionem non imputandas. *Si primum*, importionem, Canonicam imputandi sunt ex *Const. S. Pij V. cit.* ubi asseritur portio illa assignanda, *computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & alijs obventionibus communiter percipi solitis.*

137 Quæritur 10. an portio semel constituta mutetur pro varietate Clericorum, & si Vicariam obtineat Clericus, nobilitate, vel Gradu Litterario præcellens, ei major portio sit assignanda? Videtur hoc affirmandum; quia cùm sustentatio hujusmodi personæ plus exigat, portio, quæ alijs congrua est, tali Vicario non erit sufficiens.

Sed tenenda est negativa Sententia cum Abb *in c. ex præsentium 3. de Pignor. n. 6.* Rebuff. *de congr. port. n. 92.* Wiest. *tit. de Eccl. ædif. n. 33. & 34.* Unde hujusmodi Clericus sibi imputare debebit, quòd talem Vicariam acceptârit, & defectum ex Patrimonio suo supplere. *Ratio est*, quia portio semel constituta etiam non diminuitur facilè ad instantiam Prælati, cui Parochia unita est. igitur cùm contrariorum sit eadem ratio, etiam non est augenda ad petitionem Vicarij, plus exigentis ratione Nobilitatis, vel Doctoratûs.

Excipitur casus, quo portio, semel ritè assignata, bellicâ, aut alia clade interijt, vel diminuta est, ut nec alijs Clericis sit amplius congrua; nam hoc casu redintegratio peti potest à Patrono, vel Monasterio, cui unita est Parochia, si penes istos remanserint fructus sufficientes ad portionem redintegrandam, vel si non remanserint, à Parochianis, quibus ex illa Parochia ministrantur Sacramenta. Rebuff. *l. cit. n. 94.* Card. de Luca *de Paroch. d. sc. 18. n. 11.* Wiestner *tit. de Eccl. ædif. n. 34.*

138 Quæritur 11. coram quo Judice congruæ portionis assignatio, & redintegratio petenda sit? R. pro hoc negotio adeundus est Judex Ecclesiasticus. Rebuff. *de congr. port. n. 55.* Barbos. *prax. pension. p. 2. q. 13. n. 3.* Zyp. *tit. de Paroch. respons. 2. n. 8.* Wiest. *tit. de Eccl. ædif. n. 35.* *Ratio est*;

quia est negotium Ecclesiasticum, cùm concernat Beneficium, & personam Ecclesiasticam. Ecclesiastica autem negotia coram Judice Ecclesiastico tractanda sunt *c. decernimus 2. c. quanto 3. de Judic. c. si Judex 22. de sent. Excomm. in 6.* ergo &c. *Excipitur* casus, quo Vicarius in portionis sibi assignatæ perceptione turbaretur, aut eâ spoliaretur à Laico; hunc enim ille possessorio retinendæ, vel recuperandæ convenire posset coram Judice Seculari secundùm dicta *Libr. 2 Tit. 12 n. 51.*

139 In specie Judex in hoc negotio potest esse 1. Episcopus: procedítque hoc, etiamsi conveniretur Prælatus Monasterij Exempti, & immediatè subjecti Papæ. *Clem. 1. in fin. de Jur. Patron. c. susceptí 1. ℣. nos igitur de Præb. in 6.* Trid. *sess. 7. c. 7. de reform.* 2. Capitulum, Sede Episcopali vacante; quia portionis hujusmodi assignatio, & adjudicatio competit Episcopo ratione Jurisdictionis Ordinariæ, quæ Sede vacante ad Capitulum transit. Ex quo sequitur, hac potestate Capitulum uti posse etiam contra Exemptos; quia adversùs istos procedere potest in omnibus casibus, in quibus ratione Jurisdictionis suæ ordinariæ Episcopus. Abb. *in c. cùm olim 14. de Major. n. 2.* Felin. *ibid. n. 37.* Wiest. *tit. de Eccl. ædif. n. 38.* ubi corrigit sententiam suam, quam hoc *Libr. tit. 9. n. 15.* tenuit. 3. Quicunque alius Prælatus Jurisdictionem quasi Episcopalem exercens in Clerum, & populum sibi subjectum, ex rationibus assignatis.

140 Quæritur 12. quomodo procedendum sit in congruæ Portionis causis? R. procedendum est summariè, & appellatione remota. Ita Zyp. *tit. de Paroch. respons. 2. n. 9. & 14.* Wiestner *tit. de Eccl. ædif. n. 39. & 40.*

Summariè quidem; quia est causa alimentorum, tangens Decimas, & alios proventus Ecclesiæ, cui servit Vicarius. In his autem causis summariè, simpliciter, & de plano procedi potest, ut dictum est *Libr. 2. Tit. 3. n. 11.* quòd mora, & litis protelatio periculosa sit.

Appellatione remota autem ex Decreto Trid. *sess. 7. c. 4. & 7. de reform.* quoad effectum tamen non devolutivum, sed suspensivum duntaxat, ne suspensa executione sententiæ, super congrua latæ, negligatur rerum cura, & debitis obsequijs Ecclesia defraudetur.

141 Quæritur 13. an decedente Beneficiario, fructibus pendentibus, & nondum perceptis, divisio fructuum inter ejus hæredes, & successorem in Beneficio pro rata temporis fieri debeat? Affirmant Covar. *l. 1. var. c. 15. n. 12. fin.* Garc. *de Benef. p. 2. c. 1. n. 96.* Zerol. *Prax. Episc. p. 1. V. Beneficium art. 6.* Rationem dant; quia Beneficium datur propter officium, i. e. propter onera, & servitia *c. cùm secundùm 16. de Præbend. & c. fin. de rescript.* igitur Beneficiatus ad fructus pro tempore servitij sui jam habet jus: quod proinde transmittet ad hæredes suos. *Conf.* fructus inexacti dotis inter maritum, & uxorem, eorúmque amborum hæredes dividuntur pro ea parte anni, in qua maritus subijt onera Matrimonij *l. divortio ff. solut. Matrim.* atqui à Matrimonio carnali ad Spirituale, hujúsque onera bona est argumentatio. ergo etiam fructus Beneficij inter Successorem, & hæredes defuncti pro rata servitij, à defuncto præstiti, debebunt dividi.

Sed probabiliùs, spectato Jure com- 142
muni, omnes fructus pendentes, ac nondum à solo separati, & reditus inexacti ad Beneficij Successorem pertinent, Ita Gloss. *in c. si propter de rescript. in 6.* Navar. *in Apolog. de redit. q. 2. monit. 13.* Barbos. *in l. divortio cit. p. 2. n. 57.* Pignatell. *tom. 4. consult. 126. n. 6.* König *hic n. 31.* & sumtur ex *c. cùm vos 4. de Offic. Ordin. c fin. eod. in. 6. c. quia sæpe 40. de Elect in 6. Clem. statutum 7.* & *Extrav. suscepti 2. Joan. XXII. eod.* quibus habetur, Beneficiorum fructus, & bona, vacationis tempore undecunque obvenientia, integrè Ecclesiæ, vel Successoribus esse reservanda. Concordat *Constitutio 7. Julij III. publicata anno 1550.* & *confirmata ab Urbano VIII. 5. April. 1628.* juxta quam fructus Beneficiorum pendentes, & inexacti, ubi non spectant ad Cameram Apostolicam, non ad hæredes, sed ad Successores pertinent, etiamsi maturati fuerint tempore demortui Beneficiati, dummodo realiter, & cum effectu non sint percepti, & alijs proprijs bonis incorporati: & hoc juxta eandem Constitutionem procedit, etiamsi per Beneficiarium non steterit, quo minùs illos exegerit; imò etiamsi omnem diligentiam pro eorum exactione adhibuerit, prout refert Pignatell. *in c. fin. de Offic. Ord. n. 17.* atque hanc Constitutionem in toto Orbe terrarum Jus facere, adeo, ut non sit ulteriùs insistendum, alijs *citt.* testatur Sperell. *decis. 82. n. 11. Ratio est;* quia jus percipiendi fructus sive naturales, sive civiles in defuncto finitur, & Beneficiarius Usufructuario comparatur, qui non facit fructus suos, nec eos transmittit, nisi quos in vita percepit.

Procedit autem hoc de Jure commu- 143
ni, ut initio *n. præc.* monui; nam de consuetudine passim obtinuit, ut fructus Beneficij pro rata inter hæredes Beneficiarij, & Successorem dividantur, quæ proinde servanda est, modò illa legitimè probetur. *Rot. decis. 529. n. 3. & decis. 722. n. 7. p. 4. tom. 3. recent.* Cæsar de Panimoll. *decis. 20. adnot. 1. n. 19.*

Ex quò cadit Argumentum pro adversa parte allatum. *Ad Conf.* argumentum à marito ad Beneficiarium non valet; quia

quia in marito causa immediata acquirendorum fructuum dotalium sunt onera Matrimonij, & ideò meritò pro rata onerum fit divisio; in Beneficio autem causa immediata acquirendi fructus est titulus Canonicus *Reg. Beneficium 1. de R. J. in 6.* Ne tamen Beneficiarius illo anno, quo decessit, & nullos fructus percepit, Beneficio fine ullo emolumento inservijsse videatur, ut Navar. *in Apolog. q. 2. monit. 12. in fin.* advertit, ejus hæredibus solvendum est honestum salarium pro modo servitij, & quantum ad honestam sustentationem mortuus habere debebat, prout & fructuario decedenti pendentibus fructibus solvuntur impensæ, quas circa illos fecit. Bald. *in l. Pater in fin. C. de Usufruct.*

144 Quæritur 14. ad quem pertineant meliorationes factæ in rebus Ecclesiæ, e. g. si in fundis ad Ecclesiam pertinentibus ex prato agrum, ex terra silvestri, & inculta vineam fecit Clericus Beneficiarius? *Certum est*, ijs melioration:bus Beneficiarium frui posse, dum vivit; nam ita expresè statuitur *c. fin. de Pecul. cleric.* & meritò; quia æquum est, ut illi ad tempus vitæ relinquatur terra possidenda, & fruenda, cujus labore exculta, & ad fertilitatem redacta fuit.

Procedituque hoc, etiamsi Beneficium dimiserit, ut notat Pirh. *tit. de Pecul. Cleric. n. 24.* Imò id extendit etiam Abb. *in c. fin. cit. n. 4.* ad eum, qui ob delictum est amotus à Beneficio *arg. c. ad aures 7. de reb. Eccl. non alien.* Verùm ex hoc *cap.* & *c. fin. cit.* plus non colligitur, quàm quòd Episcopus possit Beneficiario meliorationes relinquere, eas illi assignando pro servitijs præstitis Ecclesiæ, usque ad tempus vitæ ipsius, vel impensarum æstimationem eidem solvere: imò æquum esse, ut ipsi solvantur, nisi ob gravitatem delicti aliud videatur.

145 *Major difficultas est*, ad quem meliorationes pertineant post mortem Beneficiarij, quæ tamen distinctione tollitur: Vel enim meliorationes istæ sunt factæ ex bonis patrimonialibus Clerici, vel ex reditibus Beneficialibus ejusdem, vel ex bonis ipsius Ecclesiæ.

Si primum, emolumentum hoc cedit hæredibus, qui proinde illarum, vel expensarum æstimationem possunt repetere, nisi appareat, vel ostendatur Beneficiarium animo donandi meliorâsse.

Si secundum, Jure communi, quod Clericis potestatem testandi adimit, meliorationes illæ ad Ecclesiam spectant post mortem Clerici: ubi autem consuetudo, vel privilegium potestatem testandi Clericis dedit, idem dicendum, acsi ex Patrimonialibus essent factæ.

Si tertium, cedunt Ecclesiæ; nam etiam vivente Clerico, Ecclesiæ erant, ex cujus bonis factæ sunt.

Quæritur 15. quid præsumendum, 146
quando dubium est, an meliorationes à Prælato, vel Clerico Beneficiario factæ, factæ sint ex proprijs Clerici, vel de Beneficialibus ejus bonis.

R. hìc distinguendum: Vel enim habuit patrimonium proprium, vel nullum, aut admodum tenue. *Si habuit patrimonium proprium*, & hoc amplum sit, & reditus Beneficiales fuerunt tenues, & congruam sustentationem non excedentes, meliorationes, à Prælato, vel Clerico Beneficiario factæ, præsumuntur factæ ex proprio Patrimonio. *Si verò Clericus nullum, aut tenue Patrimonium habuit*, præsumendum est, quòd factæ sint ex beneficialibus, sive Ecclesiæ intuitu quæsitis bonis. *Ratio est*, quia cùm ejusmodi Clericus ex Patrimonio proprio facere eas non potuerit, utpote eo carens, superest, ut in hunc finem expenderit bona Beneficialia, & per negotiationem quæsita. hoc posterius in dubio præsumi nequit; quia negotiatio est Clericis prohibita, & delicta in dubio non præsumuntur. igitur cùm reditus Beneficiales habeat, præsumi potiùs debet, quòd ex his eas Meliorationes fecerit.

Sub hac ipsa distinctione etiam, 147
respondendum est, quando dubitatur an res à Prælato, vel Clerico Beneficiato empta, empta sit de proprijs, vel de Beneficialibus ejus bonis, ut dictum est *Tit. 25. n. 16.* Servatque distinctio hæc in ijs maximè locis, in quibus secundùm Juris communis præscripta de reditibus suis Beneficialibus testari Clerici nequeunt; nam si ejusmodi res, & bona Clericus comparavit ex bonis suis Patrimonialibus, etiam de ijs testari poterit; testari verò non poterit de emptis à se, si Patrimonium nullum, vel tenue tantùm habuit, ob præsumptionem, quòd ejusmodi bona comparaverit ex reditibus Beneficialibus. Ubi tamen notandum, quòd præsumptio hæc non sit Juris, & de Jure: proinde in contrarium admitti debeat probatio, & audiri Clericus, vel hæres ejus, si probare velit, quòd ejusmodi res sint comparatæ ex bonis, industriâ, labore, aut alio modo, quàm Ecclesiæ intuitu quæsitis. In qua probatione, ut Judex sententiam ferre possit, ad circumstantias, maximè quantitatem patrimonialium bonorum ex una, & Beneficialium ex altera parte debet attendere; nam si hac consideratâ, du-

bium perseveret, presumendum est, eas partim ex Patrimonialibus, partim ex Beneficialibus bonis comparatas esse, & sic dividendæ sunt post obitum Clerici inter Ecclesiam, & hæredes, ut bene cum alijs notat P. Wiest. *de pecul. Cler. n. 47.*

148 Quæritur 16. quomodo differat Beneficiarius ab Usufructuario? R. in tribus maximè.

1. Merus Usufructuarius reficere, & restaurare quidem potest, de novo tamen facere nihil potest *l. usufructu 7. in fin.* & *l. usufructuarius 44. ff. de Usufruct.* at verò Beneficiarius potest de novo facere v. g plantare vineam, domos de novo extruere, vel ampliare.

2. Usufructuarius facit fructus perceptos ita suos, ut liberè de ipsis tam inter vivos, quàm mortis causâ disponere possit in quocunque casu *l. arboribus 12. § Julianus 5. ff. de Usufr.* & *l. si fructuarius 13. ff. quib. mod. usufr. amittat.* sed Beneficiarius non potest ita liberè disponere de reditibus Beneficialibus sustentationi suæ superfluis, ut patet ex dictis *Tit. 25. à n. 19.*

3. Usufructuarius tenetur satisdare, sive cautionem idoneam prestare *c. fin. de pignor.* & *ibi* Gloss *V. cautionem*, *l. usufructu 4. C. de Usufruct.* Beneficiarius non item; quia id in Jure cautum non reperitur. Abb. *in c. fin. cit. de pecul. Cler. n. 5.* Fagnan. *ibid. n. 1.* Pirh. *tit. cit. n. 26.*



PARS V.

De Ecclesijs, harúmque Juribus, & de Actibus, quæ in eis exercentur.

A Juribus, quæ tum Clero Regulari, tum Sæculari competunt, ducimur ad ea, quæ ad Ecclesias ipsas pertinent, qualia præcipuè sunt jus celebrandi Divina Officia, administrandi Sacramenta, recipiendi confugas, eósque adversùs Ministros Justitiæ defendendi: quæ omnia Pars hæc ultima Libri præsentis comprehendet.

TITULUS XL.

De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

UT Divina Officia in Ecclesia celebrari possint, necesse est, ut non tantùm constructa illa sit, sed etiam, ut cum Altaribus consecrata, vel saltem benedicta sit per ceremonias solennes Ecclesiæ. Hinc antequam ad Titulum *de Celebratione Missarum* procedatur, meritò *de Consecratione Ecclesiæ, & Altaris* præmittitur.

§. I.

De Consecratione Ecclesiæ.

SUMMARIUM.

1. *Quid nomine Ecclesiæ veniat?*
2. 3. *An, & quomodo differat à Basilica?*
4. *Quid sit Ecclesiæ Consecratio, vel Dedicatio?*
5. *Origo Ritûs consecrandi, & dedicandi Ecclesias.*
6. *Debent omnes consecrari, vel saltem benedici.*
7. *Extra locum, ab Episcopo, vel alio, habente Jurisdictionem quasi Episcopalem, deputatum regulariter celebrari Divina nequeunt.*
8. *Excipitur primò casus necessitatis*
9. *Secundò Episcopi, & his Superiores.*
10. *Tertiò alij, cui licentiam celebrandi in Altari Viatico per privilegium Apostolicum habent.*
11. *Quartò qui ad hoc licentiam obtinuerunt ab Episcopo.*
12. *Quam facultatem dare Episcopi etiam post Trid. possunt.*
13. *Consecrandæ sunt Ecclesiæ à proprio Episcopo loci, in quo Ecclesia consecranda sita est.*
14. *Exceptio.*
15. *Nec potest potestatem hanc delegare Episcopus Sacerdoti simplici.*
16. *Potest committi potestas benedicendi Ecclesias.*
17. 18. 19. 20 *Observanda ab Episcopo in consecranda Ecclesia.*
21. *Regulariter Consecratio iterari nequit, nisi quando non est adhibita debita forma.*
22. *Vel quando ignoratur, vel dubitatur, num sit consecrata.*
23. *Aut quando exsecratur.*
24. *An nova Consecratione sit opus, quando Ecclesia priùs diruta ex eadem prorsus materia de novo extruitur?*
25. *Resolvitur pro affirmativa.*
26. *Respondetur ad Rationem dubitandi.*
27. *An de novo consecranda sit Ecclesia, quando ejus parietes successivè reparantur, ita, ut nunquam pars major destruatur?*
28. *Defenditur negativa.*
29. *Et idem dicendum, quando Ecclesia ampliatur.*
30. *Solvuntur Argumenta opposita.*

1 QUæritur 1. quid hoc loco *Ecclesiæ* nomine veniat? R. triplex est significatio istius nominis; nam 1. si Etymologiam ejusdem spectes, significat *Convocationem po-*

populi. 2. ex recepto usu eo nomine venire aliquando solet *Cætus Fidelium in Christum credentium*, seu *Congregatio Catholicorum*, prout sit *can. Ecclesia 8. dist. 1.* 3. & in sensu præsentis Tituli significat *Ædem Sacram*, in qua fideles ad rem Divinam audiendam, & percipienda Sacramenta congregantur.

2 An sic accepta Ecclesia à *Basilica* differat, & in quo, controvertunt DD. Quidam cum Gloss. *in c. nunc autem 1. V. dedicanda de Relig. Dom.* putant, *Ecclesiæ* nomine propriè compellari Ædem Sacram ab Episcopo jam consecratam, *Basilicæ* autem Ædem ea consecratione nondum affectam: quod desumunt ex *c. cit.* verbis ibi, *Ad Basilicam, quæ dedicanda est.* Sed non satis bene, cùm passim in Jure Canonico *Ecclesiæ* appellatio tribuatur Ædi nondum consecratæ, & *Basilicæ* vicissim Ædi jam consecratæ.

3 Hinc meliùs alij Voces *Ecclesia*, & *Basilica* pro Synonymis habent, prout etiam capiuntur *can. non oportet 4. dist. 42.* ibi *In Ecclesijs, seu Basilicis*, & *c. fin. de Eccles. ædif.* Vel ii discrimen aliquod faciendum est, cum Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 1. n. 10.* Fagnan. *in c. Ecclesiæ 9. de Eccl. ædif.* & alijs dici potest, nomine *Ecclesiæ* significari quamcunque Ædem Sacram; *Basilicæ* verò eam tantùm, quæ princeps est, & aliarum major, ac dignior, & ad quam Princeps convenire ad Officia Divina consuevit: nam & locus publicus, causarum cognitioni destinatus, quò Principes ad Jus dicendum conveniebant, Græco vocabulo *Basilica*, id est, *Regia* dicebatur.

4 Quæritur 2. quid sit Ecclesiæ *Consecratio*, vel *Dedicatio*? ℟. Ecclesiæ *Consecratio*, & *Dedicatio* pro eodem sumuntur; nam dedicari Ecclesia dicitur, quæ consecratur, quòd ad DEI honorem, & Sanctorum memoriam sacrata dicatur. Hinc definiri *Consecratio Ecclesiæ*, *vel Altaris* potest, quòd sit *Ecclesiæ*, *vel Altaris dedicatio*, *facta à legitimo Ministro*, *interveniente debitâ materiâ*, *& formâ*, *cum intentione Canonica.*

5 Ritum consecrandi, & dedicandi Templa Ecclesia sumpsit ex Veteri Testamento, ubi Moyses Tabernaculum, & Salomon Templum DEO dicantes, precibus, & unctione sacrârunt. Estque Ritus iste in Ecclesia ab ipsis Apostolorum temporibus observatus, ut rectè cum alijs observat Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 2. n. 27.* Ceremonias instituit S. Sylvester Papa, postquam Constantinus Imperator per Baptismum salutem, & sanitatem est consecutus, & Lege à se lata concessit Christianis per totum Orbem, ut Ecclesias ædificare possent: quod pijssimus Imperator primus adimplevit opere; nam plures in Urbe Romana construxit Ecclesias, quas præfatus Pontifex Sylvester consecravit.

6 Ab eo igitur tempore idem Sanctus Pontifex peculiariter sanxit, ut Templa legitimè erecta, vel per signationem, & unctionem parietum cum Oleo Sacro ab Episcopo consecrentur, vel saltem per ablutionem parietum exteriùs, & interiùs cum aqua benedicta, vel aspergillo ex hyssopo benedicantur juxta Ceremonias, quæ referuntur *in Pontif. Roman. Tit. de Eccl. Dedicat.* & illustrantur per Clericat. *de Sacrif. Miss. decis. 41. & seq. per tot.* Ex quo sequitur, ad hoc, ut Divina valeant in Ecclesia aliqua celebrari, non requiri necessariò, ut illa sit consecrata, sed sufficere, si locus, in quo Divina fiunt, sit DEO dicatus, in usus profanos non convertendus. Barbos. *c. 2. cit. n. 28.* qui tamen addit, talem Ecclesiam, cùm fieri poterit, consecrandam.

Quæritur 3. an extra locum, ab Episcopo, vel alio Jurisdictionem quasi Episcopalem habente deputatum, celebrari Divina possint? ℟. regulariter non posse, prout patet ex *can. consecrationem 1. can. sicut 11. can. Missarum 12. can. nullus 15. de consecrat. dist. 1. Proceditque* istud, etsi hoc fiat super Altari portatili consecrato; nam ut *can. sicut cit.* Felix Papa, *Satius est*, inquit, *Missam non cantare, aut non audire, quam in illis locis, ubi fieri non oportet.* Et hinc extra Ecclesiam in Altari portatili celebrantes post recensitam Sanctionem Canonicam non tantùm in foro conscientiæ graviter peccant, ut contra Sot. *in 4. dist. 13. q. 2. art. 3.* Sà *V. Missa n. 20.* & Ludov. Lopez *Instructor. conscient. t. 2. c. 79. ante §. superest* notant Azor *p. 1. l. 10. c. 26. q. 8.* Grati. *p. 1. Decis. l. 2. c. 42.* Laym. *l. 5. tr. 5. c. 5. n. 2.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 23. n. 2.* Pal. *tr. 22. D. un p. 8. n. 3.* Petra *tom. 4. comment. fol. 268. n. 7.* cum alijs plena manu congestis; verùm etiam in foro externo gravi pœna puniendi sint. Riccius *decis. 218. fin. p. 3.* 7

Excipitur 1. casus necessitatis; nam ea stante, poterit quilibet extra locum Sacrum etiam sub dio celebrare *can. sicut cit.* Quod etiam à veteri consuetudine Ecclesiæ alienum non est; nam ut videre est apud Baron. *ad annum Christi 303. n. 39.* vigente persecutione in domibus privatis, ipsisque carceribus Sacrificia peragebantur, Jure, quo hodie utimur, justæ necessitates Missæ Sacrificium extra locum Sacrum celebrandi sunt. 1. si in aliquo loco nullæ, aut dirutæ sunt Ecclesiæ *can. concedimus 30. de consecr. dist. 1.* ne populus Sacrificio careat. 2. si angustiæ templi multitudinem populi confluentis non capiant; tunc enim erigi ante templum sub dio altare potest, ne plures careant Sacrificio. Coninck. *q. 83. art. 3. dub. 1. n. 224.* Laym. *l. cit. n. 3.* Pal. *n. 4.* cum alijs. 3 si Missa dicenda sit coram exercitu; tunc enim Missa dici in Castris potest, ne milites diebus festis Sacrificio priventur. Vasq. *D. 233. c. 1.* Laym. Pal. *l. citt.* 4. si navigantes non valeant navim dese- 8

rere;

rere ; tunc enim Missa dici potest in littore. Vasq. Laym. Pal. *citt.* 5. si longa peregrinatio instituenda per loca deserta, vel infidelium &c. ubi non est Ecclesia, ne ita peregrinantes tanto Sacrificio diu privati existant. Suar. *D. 81. sect. 3.* cum *citt.* 6. si navigatio in mari futura sit diuturna ; tunc enim celebrari potest in navi, si mare tranquillum, & cælum serenum sit, assistente tamen alio Sacerdote, vel Diacono, ne periculum sit effundendi Sacri Sanguinis. Laym. *n. 6.* Pal. *n. 10.* Petra *tom. 4. comm. fol. 274. n. 29.* qui tamen advertit, in hoc ultimo casu necesse esse, ut impetretur speciale privilegium à Summo Pont. qui solus id concedere potest, non alius inferior ; in quinque præcedentibus sufficit licentia Episcopi, quæ secluso generali privilegio celebrandi in Ara portatili, requirenda est, saltem ex decentia. Wiest. *hic n. 4.*

9 *Excipiuntur 2.* Episcopi, etiam Titulares, ut notat Pignatell. *tom. 3. consult. 39. n. 4. fin.* Petra *tom. 4. cit. fol. 273. n. 22.* Idem dicendum de Prælatis Ordinis Episcopalis Episcopo superioribus, ut sunt Archi-Episcopi, Primates, Patriarchæ : item de S. R. E. Cardinalibus, ut resolutum est à *S. Congreg. 18. Febr. 1623.* Hi enim, si iter faciant, super Altari Viatico celebrare, vel super eo celebranti assistere ubicunque, adeoque etiam extra Diœcesim possunt vi privilegij ipsis dati à Bonifacio VIII. *c. fin. de privil. in 6.* idque non solùm ex causa infirmitatis, aut alterius necessitatis, sed majoris etiam commoditatis, vel devotionis, ut rectè advertunt Azor *p. 1. l. 10. c. 26. q. 4.* Suar. *D. 81. sect. 3.* Conink *q. 83. art. 3. dub. 1.* Laym. *c. 5. cit. n. 3.* Barbos. *alleg. 23. n. 5.* Petra *tom. 4. cit. fol. 270. à n. 15.* & declaravit S. Congr. *in Lamacen. 1586.* in quo distinguitur privilegium Episcopis datum ab eo, quod de Jure communi secundùm dicta *n. præc.* competit Sacerdotibus cæteris, qui juxta ibidem dicta, secluso speciali privilegio, extra locum sacrum in Portatili Missam dicere solùm possunt in necessitate. Et valet privilegium hoc etiam hodie post Trid. prout alijs congestis docet Petra *l. cit. n. 15. & 16.* & declaravit Sacr. Congr. *in Lamacen. cit.*

10 *Excipiuntur 3.* etiam alij, qui licentiam celebrandi in Altari Viatico per privilegium Apostolicum habent. Tale privilegium olim Monachis Carthusianis concessit Urbanus V. *Const.* incipit *Sinceræ 7. Cal. Maij 1363.* & FF. Prædicatoribus, ac Minoribus S. Francisci Honorius III. *c. in his 30. de privil.* & quoad FF. Minores renovavit Clemens IV. *Const. 4.* incipit *Virtute §. 8.* ac Sixtus IV. *Const. 6.* incipit *Regimini §. 4.* quod tamen à Trid. *sess. 22. in Decret. de observand. & evitand. in celebr. Missar.* per clausulam *Non obstantibus privilegijs &c.* revocatum docent Navarr. *Man. c. 25. n. 82.* Henriq. *l. 9. c. 27. n. 3.* Suar. *D. 81. sect. 3. §. quarta exceptio.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 23. n. 4.* Laym. *c. 5. cit. n. 5. §. aliud privilegium.* Fagnan. *in c. in ijs cit. n. 5. & seqq.* Petra *tom. 4. comment. fol. 270. n. 12.* & hoc teste sæpiùs declaravit Sacra Congregatio, præsertim *in Tolotana 4. Jun. 1672. ad 8. in Posnanien. 5. Maij 1674. in Messanen. 20. Sept. 1698.* & patet ex *Const. Gregorij XIII.* incipit *Usum pr.* ubi usum Altaris Viatici, per Paulum III. Societati JESU concessum, eidem restituendo, sic exorditur : *Usum Altaris Portatilis Societati Vestræ à fel. record. Paulo Papa III. concessum, deinde à Concil. Trid. universim sublatum, vobis &c.* adeo, ut jam non valeat privilegium istud, nisi post memoratum Concilium illud à Sede Apostolica confirmatum, vel denuo indultum sit, prout factum est à Gregorio XIII. respectu Societatis JEsu per *Const.* memoratam, & *Const.* incipit *Decet editam 1575.*

Excipiuntur 4. illi, qui licentiam ejusmodi obtinuerunt ab Episcopo, prout colligitur ex *can. Missarum 12.* ibi, *In locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit,* & *can. hic ergo 14.* ibi, *Nisi in his locis, in quibus Episcopus jusserit, de consecr. dist. 1.* 11

An verò Episcopus etiam hodie dare licentiam celebrandi super altari portatili in loco non sacro possit, controversia inter DD. est ? Negant Navar. *Man. c. 25. n. 81.* Azor *p. 1. l. 10. c. 26. q. 3.* Gutier. *qq. can. l. 1. c. 30. n. 25.* Lotter. *l. 1. q. 30. n. 15.* Fagund. *de præc. Eccl. p. 1. l. 3. c. 13. à n. 8.* & quidam alij, qui putant hanc potestatem Episcopis per Trid. *l. citt.* adeptam esse, & adducunt pro se Decretum S. Congr. Concil. quo declaratur de Oraculo Sanctissimi spectare solùm ad Summum Pontificem, & non Episcopos concedere licentiam celebrandi in privatis Oratorijs, prout refert Aloys. Riccius *prax. for. Eccl. decis. 538. n. ult. edit. 1.* & *resolut. 460. in fin. edit. 2.*

Sed melius alij cum Suar. *D. 81. sect.* 12 *3. §. secundò*, Bonacin. *de Sacram. D. 4. q. ult. p. 9. n. 10.* Piasec. *prax. Episc. p. 1. c. 5. n. 8. & p. 2. c. 3. n. 21. in fin.* Laym. *l. 5. tr. 5. c. 5. n. 4. not. 2.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 23. n. 9.* Pal. *tr. 22. D. un. p. 8. n. 5.* Petra *tom. 4. comment. fol. 272. n. 20.* Wiest. *hic n. 6.* docent, hanc facultatem Episcopis per Trid. non ademptam, sed restrictam duntaxat esse, ut hodie non ordinariè, & liberè, ut olim poterant, sed solùm ex necessitatis, vel alia justa causa licentiam istam dare possint. *Neque dicas*, hoc modo dispensationem Episcopi frustraneam fore, cùm secundùm dicta *n. 8.* ex causa legitima necessitatis quilibet Sacerdos propria authoritate extra locum Sacrum in Portatili celebrare possit. Dicendum enim cum Pal. *l. cit.* dispensationem ejusmodi non esse frustraneam ; quia sæpe causa necessitatis est dubia : quo casu Sacerdos celebrare extra

locum Sacrum propria authoritate non potest, potest autem accedente dispensatione Episcopi. Explicat hoc Vasq. *D. 233. c. 1. n. 5.* exemplo personæ nobilis ægrotantis, quacum dispensare potest Episcopus, ut in ejus domo in loco decenti, profanis usibus destinato, celebretur, ut Missam audiat, vel S. Communionem recipiat, ob quam causam non videtur Sacerdos propria authoritate celebrare posse.

13 Quæritur 4. à quo Ecclesia sit consecranda? ℣. Ecclesia consecranda est ab Episcopo, & quidem illo, in cujus Diœcesi erecta est, non ab alieno, nisi cum licentia proprij *can. piæ mentis 26. cauſ. 16. q. 7. c. nunc autem 1. de Relig. Dom.* & *c. tua 2. h. tit.* *Proceditque* hoc etiam quoad Ecclesias Ordinum Exemptorum; nam etiam hæ ab Ordinario loci consecrandæ sunt. König *hic n. 4.* Si alius Episcopus, sine proprij Episcopi expressa licentia, Ecclesiam consecrare præsumat, consecratio quidem tenet, sed temere consecrans, præterquam, quòd conveniri ad interesse possit, à celebratione Missarum per annum *can. Episcopis 28. cauſ. 7. q. 1.* & à Pontificalium exercitio ipso Jure suspenditur, tanquam exercens Pontificalia in aliena Diœcesi juxta Trid. *sess. 6. c. 5. de reform.*

14 *Excipiuntur* ij, qui speciale privilegium à Pontifice indultum habent, ut pro consecratione Ecclesiarum suarum recurrere possint ad quemcunque Episcopum: quale FF. Minoribus ab Honorio IV. Carmelitis à Joanne XXII. & Societati JESU à Paulo III. concessum est, si Episcopus Diœcesanus Consecrationem, humiliter postulatam, ultra quatuor menses distulerit. Hoc privilegium Matthæucc. *in Offic. Eccl. c. 7. n. 13. ℣. quatuor* putat revocatum esse à Trid. *l. cit.* ubi prohibet, ne ullus Episcopus prætextu cujusvis privilegij Pontificalia in alterius Diœcesi exerceat; sit autem consecratio Ecclesiæ cum Pontificalium exercitio. Sed alij, qui post Trid. scripserunt, revocationis istius non meminerunt, ponúntque Exceptionem prædictam sine limitatione. Videantur Miranda *Manual. Prælat. tom. 2. q. 39. art. 1. concl. 3.* Lezan. *Summ. qq. Regul. tom. 3. V. Ecclesia n. 5.* Tamburin. *de Jur. Abb. tom. 1. D. 23. q. 7.* Barbos. *Jur. Eccl. l. 2. c. 2. n. 33.*

15 *Dubium est*, an consecratio Ecclesiæ ab Episcopo committi simplici Sacerdoti possit? *Rationem dubitandi* facit *can. Altaria 32. de consecr. dist. 1.* ubi Concilium Agathense, Altaria, inquit (cons. etiam Ecclesiæ) non solùm unctione Chrismatis, sed etiam Sacerdotali benedictione sacrari. Verùm hic textus obesse nequit; nam, ut communiter Interpretes eum explicant, ibi nomine *Benedictionis Sacerdotalis* venit Benedictio non simplicis Sacerdotis, sed Episcopi.

Hinc retinenda omnino est Sententia negativa, quam etiam defendunt Azor *p. 2. l. 9. c. 4. q. 1.* Mirand. *Man. Prælat. tom. 2. q. 39. art. 1. concl. 3.* Bonacin. *de Sacram. D. 4. q. ult. p. 9. n. 8.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 27. n. 1.* Pal. *tr. 22. D. un. p. 8. n. 2.* Gonzal. *in c. 9. h. tit. n. 2.* Vallens. *hic n. 1.* Zoes. *ibid. n. 1.* Honor. *n. 2.* Pirh. *n. 1.* Wiest. *n. 10.* & hoc teste DD. cæteri. *Ratio est;* quia Consecratio Ecclesiæ est actus Ordinis Episcopalis *can. quamvis 4. dist. 68.* iste autem simplici Sacerdoti ab Episcopo delegari nequit, licèt ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis de Jure solùm Ecclesiastico, delegari possint à Papa, sicut defacto delegata est Abbatibus consecratio calicum, & collatio Minorum Ordinum.

16 Aliud est de benedictione Ecclesiæ; hæc enim, ut bene notat Pal. *tr. 22. D. un. p. 8. n. 2.* simplici Sacerdoti ab Episcopo committi potest. Et hanc facultatem FF. Minoribus defacto concessit Leo X. ut Superiores illorum possint benedicere Ecclesias, Altaria, & Cœmeteria ad suum tantùm usum, ut habetur in *supplem. Min. fol. 16. concess. 55.* & refertur in *Compend. eorund. V. Benedicere* §. *14.* quo privilegio utuntur Superiores Societatis JEsu casu, quo Ordinarij abessent, vel ægrè benedictionem concederent. Habetur in *Compend. privil. Societ. V. benedicere* §. *1.*

Porro inter Benedictionem, & Consecrationem Ecclesiæ hoc discrimen interjacet, quòd Consecratio adhæreat parietibus, Benedictio pavimento: hinc dirutis parietibus, perit Consecratio, non autem Benedictio, sed manet, modò Ecclesiæ ædificium destructum non sit authoritate Superioris, & sine spe reædificationis, ut rectè advertunt Sylv. *V. Consecratio 2. q. 4.* Suar. *D. 81. sect. 4. cas. 6.* Sanch. *l. 9. de matr. D. 15. n. 37.* Laym. *l. 5. tr. 5. c. 5. n. 15. ℣. porro.* Pal. *tr. 22. D. un. p. 8. n. 15.* Wiest. *hic n. 12.*

17 Quæritur 5. quid observare Episcopus debeat in consecranda Ecclesia? ℣. 1. providere debet, ut consecrandæ Ecclesiæ facta sit dotis competentis assignatio *can. piæ mentis 26. cauſ. 16. q. 7.* Glos. *ibid. V. collata*, Piasec. *prax. Episc. p. 1. c. 5. n. 2.* Ugolin. *de Offic. Episc. c. 28. n. 3.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 2, n. 34.* *Excipiuntur* Ecclesiæ Ordinum Mendicantium, & aliorum Religiosorum junctæ eorum Monasterijs; nam illæ ex Eleemosynis, istæ ex reditibus Monasterij sustinendæ sunt.

2. Consecrari non debet Ecclesia, quam quis *non pro devotione fidei sed pro quæstu cupiditatis*, h. e. eo fine *ædificat, ut quidquid ibidem de oblatione populi colligitur, medium cum Clericis dividat, eò quòd Basilicam in terra sua quæstûs causâ condiderit*, prout dicitur *can. siquis Basilicam 10. de consecr. dist. 1.* ubi dicitur *Votum hoc abominabile*, & prohibetur Episcopis, ne talem Ecclesiam audeant consecrare.

3. Tam

3. Tam ipse Episcopus consecrans, 18 quàm Patroni Ecclesiæ consecrandæ sint jejuni tempore Consecrationis, & pridie quoque ejus diei jejunent, ut statuit Leo Pontif. *in Epist. ad Diodor.*

4. Facienda est Consecratio Ecclesiæ per signationem, & unctionem parietum cum oleo Sacro, & alias ceremonias præscriptas in Pontificali Romano; specialiter autem præscribitur, ut fiat inter Missarum solennia, prout videre est *can. omnes Basilicæ 3. de consecr. dist. 1.* quod tamen requiritur solùm de decentia, non verò de necessitate: hinc sraliter fiat, licèt non careat culpâ, factum tamen tenet. Mirand. *Man. Prælat. tom. 2. q. 39. art. 1. concl. 3. fin.* Azor. *p. 2. l. 9. c. 4. q. 2.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 2. n. 87.*

5. In Ecclesiæ consecratione poni in 19 illa debent Reliquiæ; nam eas requirit Pontificale Romanum, & idem videtur probari ex *can. placuit 26.* & *can. de fabrica 24. de consecr. dist. 1.* adeo ut non pauci cum Azor *p. 1. l. 10. c. 27. q. 8.* Leo *Thesaur. for. Eccl. p. 1. c. 5. n. 11.* Piasec. *prax. Episc. p. 1. c. 2. art. 4. n. 9. ỳ. & quidem* putent id esse de substantia Consecrationis: quod tamen alij cum Anton. Ricciul. *Lucubr. Eccl. l. 1. c. 4.* negant, licèt concedant, Episcopum, si absque Reliquijs, quas tamen habere posset, consecrationem Ecclesiæ, vel Altaris faciat, peccare mortaliter, quòd faciat contra communem Ecclesiæ morem, & consuetudinem in Pontificali deductam.

6. Quamvis consecrans spontè oblatum ab his, qui indigentes non sunt, & Procurationes Canonicas licitè possit accipere, exigere tamen pro consecratione Ecclesiæ nihil potest; alioquin labem Simoniæ non effugiet *can. statuimus 106. caus. 1. q. 1. & c. cùm sit Romana 10. de Simon.*

20 7. Decet, ut consecratio Ecclesiæ fiat die Dominico, aut Festo, & ita etiam solet: de Jure tamen fieri potest omni tempore, & qualibet die. Azor *p. 2. l. 9. c. 4. q. 5.* Piasec. *prax. Episc. p. 1. c. 2. art. 4. n. 4.* Ugolin. *de Offic. Episc. c. 28. n. 2.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 2. n. 39.* & *in c. tua 2. h. tit. n. 1. & 4.* Gonzal. *ibid. n. 2.* Vallens. *hic n. 1.* Zœs. *ibid. n. 1.* Pirh. *n. 2.* Schambog. *n. 2.* Wiest. *n. 13.* & patet ex *c. tua cit.* ibi, *Tam diebus Dominicis, quam privatis*, i. e. non festivis. *Neque obstat*, quòd Consecrationes Episcoporum, Clericorum, & Virginum non nisi certis diebus fieri possint. Nam disparitas est; quia consecratio personarum est dignior, & firmior, quàm rei inanimatæ, qualis Ecclesia est: ideo in his consecrandis non est opus tanta solennitate, quanta in illis. Abb. *in c. tua cit. n. 2.* Pirh. *hic n. 2.*

21 Quæritur 6. utrum Consecratio Ecclesiæ iterari possit? R. regulariter non posse *can. Ecclesijs 20. de consecr. dist. 1. can. de fabrica 26. ibid. c. ligneis 6. h. tit.* Gloss. *ibid. V. parietibus*, Sylv. *V. consecratio 2. q. 4.* Suar. *tom. 3. q. 83. & tom. 5. D. 31. sect. 5.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 2. n. 41.* Pirh. *hic n. 3.* König *num. 7.* Wiestner *n. 16.*

Excipitur 1, si in Consecratione non est adhibita debita forma, ab Ecclesiasticis Ordinationibus præscripta; quia aliquid non fieri, & non rite fieri paria sunt *arg. l. nam cùm 2. ff. ne quis eum, qui in jus &c.* 22

Excipitur 2, si ignoretur, vel dubitetur, an Ecclesia jam semel consecrata fuerit; quia Consecratio est quid facti; cons. non præsumitur, sed probari debet. Censetur autem, & præsumitur consecrata, si id constiterit ex instrumento dotationis confecto, vel ex scriptura in columna, aut tabula aliqua marmorea inserta; si Cruces in parietibus ejusdem depictæ sint, quales fieri solent, dum consecratur Ecclesia; si testis etiam unicus adsit, qui testetur se vidisse, imò etiam secundùm quosdam, se audivisse Ecclesiam esse consecratam; quia aliàs Regulare est dogma, quòd quando de nullius præjudicio agitur, imperfectæ probationes sufficiant. Abb. *in c. proposuisti 4. n. 6. h. tit.* Mascard. *de probat. concl. 415. n. 4.* Azor *p. 1. l. 10. c. 26. q. 11.* & *p. 2. l. 9. c. 4. q. 4.* Ugolin. *de Offic. Episc. c. 28. n. 3.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 2. n. 43. & duobus seqq.* Vallens. *hic n. 3.* Honor. *ibid. n. 4.* Engl *n. 1. ỳ. quamvis*, Pirh. *n. 3. & 7.* Schambog. *n. 3.* König *n. 7 fin.* Deficientibus hujusmodi probationibus, & conjecturis, Ecclesia de novo consecrari debet *can. solennitates 16.* junct. Gloss. *V. nec certi testes*, & *can. Ecclesiæ 18. de consecr. dist. 1. quoniam non monstratur esse iteratum, quod nescitur factum*, ut dicitur *can. solennitates cit.* *Excipiuntur* Cathedrales antiquæ; quia hæ statim, ac perfecta earum est fabrica, dedicari solent, ut adeo in dubio meritò præsumantur consecratæ: & dicenti contrarium incumbit onus probandi ex textu *can. omnes Basilicæ 3. de consecr. dist. 1.* Rota *coram Manzan. decis. 801. num. 11.* Riccius *prax. resol. 479. p. 1.* Monacell. *p. 1. form. 10. tit. 6. n. 25.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de reb. Eccl. c. 2. n. 78.*

Excipitur 3. si Ecclesia exsecretur: 23 quod duobus modis potest contingere. 1. Quando Ecclesia incendio ita exuritur, ut parietum etiam non corruentium crusta interior majori ex parte tollatur, & abradatur *can. Ecclesijs cit.* Gloss. *ibid. V. exustæ*, Piasec. *prax. Episc. p. 1. c. 2. art. 4. n. 6. ỳ. secundò.* Mirand. *tom. 2. Man. Prælat. q. 39. art. 4. concl. 1.* Ugolin. *de Offic. Episc. c. 28. n. 4. ỳ. postremò*, Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 2. n. 46.* & *in c. 6. h. tit. n. 2.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. n. 7.* Vallens. *hic n. 4.* Honor. *ibid. n. 4.* Pirh. *n. 8.* Schambog. *n. 3.* quia Consecratio consistit in exteriore parte, seu superficie parietum, qui Chrismate liniuntur, & in quibus Crucis signum apponitur: ideoque ex horum combustione, vel notabili abrasione violatur

latur consecratio, etiamsi parietes non corruerint. Abb. *in c. proposuisti 4. n. 7. h. tit.* 2. Et multo magis execratur Ecclesia, quando corruunt ipsi parietes vel ex toto, vel saltem ex majore sui parte. Pirh. *n. 9.* cum reliquis *suprà.* Aliud est, si tectum solummodo corruat, integris, & illæsis remanentibus parietibus, vel si de his etiam quid modicum dirutum sit, majori illorum parte illæsa *c. ligneis 6. h. tit.* Gambarupt. *de casib. reservat. cas. 6. n. 16. fol. 204.* Azor *p. 1. l. 10. c. 26. q. 12.* Piasec. *p. 1. prax. Episc. c. 2. art. 4. n. 6. ℣. secundò*, Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 2. n. 48. & in c. 6. h. tit. n. 1.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. n. 7.* Vall. *hic n. 4.* Zœs. *ibid. n. 1. & 16.*

24 Quæritur 7. an nova Consecratione sit opus, quando Ecclesia priùs diruta ex eadem prorsus materia de novo extruitur? *Ratio dubitandi* est; quia Ecclesia comparatur navi *can. ante omnia 7. dist. 40.* & *can. non turbatur 7. caus. 24. q. 1.* atqui navis animo reficiendi disjecta, si ex ijsdem tabulis compingatur, eadem censetur, in eáque Ususfructus, & aliæ obligationes perseverant *l. inter stipulantem 83. §. sacram 5. ff. de V. O.* & *l. qui res. 98. §. arcam 8. ff. de Solution.* ergo & Ecclesia erit eadem in dato casu, cons. nova consecratione non indigebit.

25 Sed retinenda est affirmativa sententia, quam etiam defendit Gloss. *in can. de fabrica 24. de consecr. dist. 1.* Abb. *in c. 4. h. tit. n. 8.* Ugolin. *de Offic. Episc. c. 28. n. 4. ℣. 2.* Pax Jordan. *Vol. 1. l. 5. tit. 9. n. 70.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 2. n. 49.* Pasqualig. *de Sacrif. tom. 1. q. 533. n. 7.* Engl *hic n. 2.* Pirhing. *ibid. n. 9.* König *n. 7.* Wiest. *n. 22.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de reb. Eccl. c. 2. n. 79.* & colligitur ex *can. de fabrica cit.* Nec distinguendum est, an casu corruerit Ecclesia, an ea mente tigna pro majori parte deposita fuerint, ut reponerentur. Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 27. n. 15.* *Ratio est*; quia Ecclesia semel diruta, sive ex eadem, sive ex diversa materia de novo construatur, censetur formam priorem, cui moraliter Consecratio inhærebat, amisisse, nec amplius esse eadem, sed nova, ut nova censetur domus, si postquam diruta est surgat denuò ex eâdem licèt materia *l. quid tamen 10. §. in navis 7. ℣. nam & si ff. quib. mod. Usufr. amitt.*

26 *Ad Rationem dubitandi*, in casu dictarum Legum eadem navis manet quantum ad retentionem dominij, & possessionis civilis, quorum utrumque retinet is, cujus voluntate navis dissolvitur cum intentione, ut ex ijsdem tabulis denuò construatur; de reliquo autem certum est, quod per refectionem ex eadem materia eadem numero forma non conservetur: hinc quia in consecratione Ecclesiæ consideratur forma, textus *citt.* responsioni datæ non obsunt. Deinde quidquid sit de navi, major certè in ædificio mutatio contingit, cùm illud ex materia antiqua construitur, quàm contingat in navi, quando ista ex tabulis antiquis consarcinatur; neque enim ut eædem tabulæ pro refectione navis, ita idem cæmentum, ijdem lapides, & lateres eo, quo priùs fuerunt, modo accommodantur. Hinc dicendum, Ecclesiam quidem comparari navi quoad gubernationem, quoad consecrationem autem magis assimilari domui, quæ juxta §. *sacram cit.* etsi cum intentione reficiendi dissolura, & reædificata alia sit, nova esse censetur.

Quæritur 8. an de novo consecran 27
da sit Ecclesia, quando ejus parietes successivè reparantur, ita, ut nunquam major pars destruatur? Affirmant Innoc. *in Rubr. h. tit. n. 1.* Abb. *in c. 4. h. tit. n. 8.* Honor. *hic n. 5.* eósque secuti nonnulli alij: & suadetur duplici ratione. 1. Quia in Spiritualibus rei veritas potiùs, quàm Juris fictio attendi debet, atqui hoc casu Ecclesia talis revera non est eadem, quæ antea fuit, sed nova. ergo &c. 2. Consecratio, ut *suprà n. 16.* dictum est, adhæret parietibus, illi autem ponuntur successivè omnes sublati, igitur etiam Consecratio sublata censebitur.

Sed melùs negativam defendunt 28
Gloss. *in c. 4. cit. V. reconciliari*, Host. *ibid. colum. 2.* Sylv. *V. Consecratio 2. q. 5.* Azor *p. 2. l. 10. c. 26. q. 12 ℣. at in dubium*, & *p. 2. l. 9. c. 4. q. 6.* Alter. *de Censur. tom. 2. D. 3. c. 1. ℣. quando autem.* Fagund. *præc. Eccl. 1. l. 3. c. 15. n. 59.* Suar. *p. 3. D. 81. sect. 4. c. 6.* Laym. *l. 5. tr. 5. c. 5. n. 16.* Barbos. *in c. 6. h. tit. n. 3.* Pasqualig. *q. 535. art. 3. & seqq.* Valens. *hic n. 4. ℣. sed neque*, Engl *ibid. n. 2. ℣. non tamen*, Zœs. *n. 16.* Wiest. *n. 24.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. n. 7. ℣. quatenus*, Magnif. P. Schmier *p. 2. de reb. Eccl. c. 2. n. 81. & 82.* *Ratio est*, quia cùm ponatur successivè reparata Ecclesia, semper, una parte destructa, remansit pars major Ecclesiæ, quæ cùm consecrationem suam retinuerit, etiam ad se traxit partem novam, ita, ut etiam ipsa consecraretur *arg. c. quod in dubijs 3. in fin. h. tit.* *Conf.* per exempla à JCto proposita *l. proponebatur 76. ff de Judic.* sic enim eadem manet Legio militum, & idem populus, licèt prioribus hominibus emortuis, substituantur novi; similiter idem censetur corpus hominis, licèt illud ex novis accedentibus alimentis in dies reficiatur: quorum omnium ratio una est, quia in hujusmodi rebus, specie extrinseca non mutata, res eadem existimatur.

Idem dicendum, quando Ecclesia 29
ampliatur, & minor pars de novo accedit majori veteri; nam etiam tunc nova consecratione opus non est; quia maior pars trahit ad se minorem *c. quod in dubijs cit.* quod verum saltem est tunc, quando per hujusmodi accessionem forma Ecclesiæ notabilem mutationem non patitur, ut notat Pasqualig. *de Sacrif. tom. 1. q. 534. n. 2.* Sufficiet ergo in hoc, & *n. præc.* casu adhi-

beri

beri benedictionem novam partis accedentis, vel Ecclesiæ sic immutatæ per aspersionem aquæ benedictæ. Gloss. *marg. in can. de fabrica 24. ℣. innovata de consecr. dist. 1.* Antonell. *de Regim. Eccl. l. 1. c. 17. n. 3.* Engl *hic n. 2. ℣. non tamen*, König *n. 7.* Matthæucc. *℣. quatenus cit.* quod tamen ipsum, etsi laudabiliter, piéque fiat, Jure tamen non est expressum, ut bene notat P. Wiestner *hic n. 24.*

Neque obstant Argumenta contraria. *Ad 1.* hoc casu Ecclesia censetur manere eadem moraliter, sicut moraliter eadem manet Legio, populus, grex &c. licèt successivè primis decedentibus, succedant alij homines, & animalia. *Ad 2.* negatur perire Consecratio; quia semper à partibus remanentibus diffunditur in novam. 30

§. II.

De Consecratione Altaris, & aliorum, quæ in Sacrificio Missæ adhibentur.

SUMMARIUM.

31. *Quotuplicis generis sint Altaria?*
32. 33. 34. *Cujus debeant esse formæ?*
35. *An omnia Altaria debeant esse consecrata?*
36. *Quale peccatum committat, qui Missam celebrat sine Altari consecrato?*
37. *A quo consecranda Altaria sint de Jure?*
38. *De Privilegio Apostolico quinam id possint?*
39. *An Abbas facultate consecrandi Altaria, per privilegium Apostolicum sibi concessa, uti possit etiam in alijs Ecclesijs ex commissione Episcopi?*
40. *Tenetur sententia affirmans.*
41. *Ratio dubitandi solvitur.*
42. *Quibus casibus repeti Consecratio Altaris possit?*
43. *Quando exsecretur Altare? Una causa est læsio ejusdem enormis.*
44. *Altera violatio Sepulchri.*
45. *Tertia remotio lapidis superioris à basi in Altari fixo.*
46. *An Ecclesia iteratò sit consecranda, quando Altare fuit exsecratum: & vicissim, an Altare sit de novo consecrandum, quando Ecclesia fuit exsecrata?*
47. *Quid dicendum, quando Ecclesia, vel Altare fuit pollutum?*
48. *Ex qua materia Calices, & Patenæ constare debeant?*
49. *An possint fieri etiam ex stanno, vel plumbo?*
50. *A quo consecrari debeant?*
51. *An Prælati inferiores Episcopo potestatem eos consecrandi exercere possint etiam pro aliis, quàm suis Ecclesijs?*
52. *Quomodo amittatur Consecratio Calicis, & Patenæ?*
53. *An amittatur, quando deauratio interior temporis diuturnitate absumpta est? Fundamenta sententiæ affirmativæ?*
54. *Fundamenta sententiæ negantis.*
55. *An bene Consecratio adhibeatur Campanis?*
56. *An istæ suspendi possint etiam in Oratorijs privatis?*
57. *An sonitu earum populus convocari ad arma?*
58. *Quis benedicere Vestes, & Paramenta pro Sacrificio Missæ possit?*
59. *Ad quem recurrendum pro benedictione eorum, quæ requirunt Chrismatis unctionem?*
60. *Quando Vestes, & Paramenta Sacra Benedictionem amittant?*
61. *An eam amittant etiam, quando reficiuntur?*
62. *Quid tenendum de consecratione, & benedictione Cœmeterij?*

31 INter ea, quæ in Sacrificio Missæ adhibentur, & consecrari solent, sunt 1. *Altaria.* Hæc duplicis solent esse generis, videlicet Fixa, & Portatilia. *Fixa* dicuntur, quòd stabilia sint, & ut in Ecclesia firmiter perseverent, consecrantur. *Portatilia* autem, quia consecrantur, ut ex uno loco in alium portari possint. Ad Sacrificium celebrandum quodcunque sufficit; quia tam Portatile, quàm Fixum verum Altare est; nam ut rectè Vasq. *D. 233. c. 2. n. 10.* & ex eo Pal. *tr. 22. D. un. p. 9. n. 1.* advertunt, *c. fin. de Privil. in 6.* Episcopis per hoc non est concessum Privilegium speciale, quòd in Altari portatili in Ecclesia celebrare possint (nam hoc de Jure communi concessum est omnibus) sed quòd extra Ecclesiam in quovis decenti loco super Altari portatili Sacrificium possint peragere, quod de Jure communi, ut *n. 7.* dictum est, negatur cæteris.

Dub. 1. cujus formæ debeant esse Altaria? ℣. 1. debent esse lapidea, saltem quoad partem superiorem, super quam reponitur Sanctissimum Corpus, & Sanguis Christi; licèt enim ante tempora S. Sylvestri Pontificis ob tyrannorum persecutionem in Altaribus ligneis Sacerdotibus permissum sit celebrare, & ipse S. Petrus in tali Altari celebraverit, postea tamen prædictus S. Pontifex statuit, ut Sacrificium Missæ perageretur non nisi in lapideo, prout constat *ex can. Altaria 31. de consecr. dist. 1.* ad designandum, quòd Sacerdotes Sacrifi- 32

cantes annuntient mortem Domini *1. Cor. 11.* qui in sepulchro lapideo tumulatus est.

33 2. Ex consuetudine recepta prædictum Altare lapideum non ex duplici lapide colligato, sed ex uno integro constare debet, ut sic aptiùs unitas personæ, quæ in Christo est, repræsentetur. Vasq. *D. 233. cit. c. 2. n. 16.* Bonacin. *q. ult. p. 9. n. 13.* Pal. *tr. 22. D. un. p. 9. n. 2.*

3. Figura ejusdem debet esse quadrangularis, tanquam accommodatior ad Sacrificium peragendum, & juxta antiquissimum Ecclesiæ usum. Vincent. Petra *tom. 4. comment. fol. 276. n. 33.*

34 4. Debet esse tantæ magnitudinis, ut super eo commodè collocari possit calix cum patena, vel saltem eorum major pars absque periculo dilabendi. Azor *p. 1. l. 10. c. 27. q. 9.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 27. n. 21.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. n. 21.* Petra *l. cit. n. 33.* Sacra tamen Congregatio Episcoporum censuit, ejus latitudinem non debere esse minorem uno palmo, ut idem Petra *l. cit.* testatur ex Nicol. *in flosc. n. 5. §. dummodo.*

5. Sepulchrum quoque, & Sigillum omnia Altaria habere debent, i. e. cavitatem aliquam, in qua Reliquiæ Sanctorum recludantur: de quo quid sentiendum, dictum est *suprà n. 19.* & latè disputat Pal. *l. cit. n. 4.*

35 Dub. 2. an omnia Altaria debeant esse consecrata, ut Sacrificium Missæ fieri super ijsdem possit? ℟. affirmativè, idque verum est, sive fixa illa sint, quorum mentio fit *can. si motum 19. de consecr. dist. 1.* & *c. ad hæc 1. h. tit.* sive portatilia, de quibus *can. concedimus 30. dist. cit.* Estque mos iste consecrandi Altaria antiquissimus, & concorditer receptus tam in Lege naturæ, & scripta Mosaica, quàm in Lege gratiæ. *In Lege naturæ* quidem; nam ut habetur *Gen. 28.* Jacob erexit lapidem, ut ibi sacrificaret, eúmque consecravit fundens oleum desuper, & appellavit Domum Dei. *In Lege scripta* Moyses consecravit oleo, & alijs cæremonijs Tabernaculum, Altare, & omnia vasa Sacra. *Exod. 40.* & *Num. 7.* *In Lege gratiæ* receptam, & simul præceptam esse consecrationem ut Ecclesiarum, ita & Altarium, constat ex *can. Altaria 31. de consecr. dist. 1.* & alijs congestis adversùs Hæreticos probat Bellarm. *tom. 1. contr. l. 1. de Miss. c. 16.* Si enim antiquæ Legis Sacrificia, quæ umbra tantùm fuerunt Sacrificij novæ Legis, Altare postulârunt, certis ritibus consecratum, quanto magis hoc admirabile, & Divinum Sacrificium expostulare id debet?

36 Ex quo inferunt DD. quòd consecrans absque Altari gravissimum peccatum committat, utpote committens contra præceptum in re gravi, scilicet concernente Divinum Cultum, & reverentiam Sanctissimo huic Sacrificio debitam. Pal. *tr. 22. D. un. p. 9. n. 1.* Clericat. *de Sacrif. Miss. decis. 13. n. 34.* qui in *num. seqq.* tria antiquitatis exempla refert, S. Luciani Martyris, S. Theodoreti Episcopi, & S. Apollinaris Episcopi, qui ex speciali Spiritûs Sancti impulsu sine Altari Sacrosanctum hoc Sacrificium immolârunt.

Dub. 3. à quo consecranda Altaria 37
sint? ℟. de Jure communi consecranda sunt ab Episcopo, non à simplici Sacerdote *can. quamvis 4. dist. 68. can. nullus 25. de consecr. dist. 1. c. cùm sit 5. h. tit.* & *Pontific. Roman. p. 2. tit. de Altar. consecr.* Neque contrarium probatur ex *can. Altaria 32. de consecr. dist. cit.* dum ibi dicitur, *Altaria Chrismatis unctione, & Sacerdotali benedictione consecrari*; nam ut jam *suprà n. 15.* respondi, nomine Sacerdotalis Benedictionis intelligenda est Episcopalis. Estque hoc ita verum, ut Consecratio Altaris simplici Sacerdoti ab alio, quàm Summo Pontifice committi nequeat; quia est actus Ordinis Episcopalis, ut bene cum alijs Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 27. n. 23.* Tambur. *de Jur. Abb. tom. 1. D. 23. q. 4. n. 2.* Pirh. *hic n. 22.* König *n. 5.*

Dixi, *ab alio, quàm Summo Pontifice*; 38
nam Privilegio Apostolico potestas consecrandi Altaria simplici Sacerdoti committi potest, ut cum *citt.* notat Pal. *tr. 22. D. un. p. 9. n. 3.* quia licèt sit actus Ordinis Episcopalis, talis tamen solummodo est Jure Ecclesiastico, in quo dispensare Summus Pontifex potest. Et tale privilegium 1. concessum est Abbatibus Cassinensibus, ut Altaria fixa pro suis tantùm Ecclesijs, portatilia verò non tantùm ad usum suorum Monachorum, Ecclesiarum, & locorum sibi subjectorum, sed etiam aliorum dictæ Congr. à quibus ad eos ad hunc effectum deferri illa contigerit, consecrare possint, Ordinariorum licentiâ minimè requisitâ, per *Constit. Pij IV. in Bullar. nov. tom. 2.* 2. Abbatibus omnibus Ordinis Cistertiensis, à Gregor. XIV. teste Rodriq. *tom. 1. qq. Regul. q. 28. art. 2.* 3. Provincialibus Ordinis Minorum, & Fratribus, quibus ipsi id commiserint, pro Indijs in casu necessitatis, Episcopis in Provincia non existentibus ab Honorio III. & Adriano VI. teste *eod.* Rodriq. 4. Religiosis Societatis JEsu, in remotissimis partibus degentibus, ubi Catholicus Episcopus inveniri facilè non potest, à Paulo III. anno 1549. & refertur *in Compend. priv. Societ. V. Ecclesia §. 1.*

Dub. 4. an Abbas facultate Altaria 39
consecrandi, per Privilegium Pontificium sibi concessa, & ad certas Ecclesias restricta, ex licentia, & commissione Ordinarij, uti possit in alijs quoque Ecclesijs? *Ratio dubitandi est*; quia hoc ipso, quòd potestas consecrandi Altaria, Abbati concessa, restricta sit ad certas Ecclesias, in alias nulla est, cùm potestas limitata non contineat ea, quæ sunt extra limitationem, & per consequens Abbas sic se habet respectu talium Ecclesiarum, acsi

pote-

potestatem non haberet, atqui si hoc verum est, neque ex commissione Ordinarij obtinere, aut exercere eandem potest, cùm noti Juris sit, quòd potestas Ordinis, qualis est potestas consecrandi Altaria, ab Episcopo committi nequeat alicui, qui aliàs de Jure, vel privilegio eam potestatem non habet.

40 Sed his non obstantibus, P. König *hìc num. 6.* affirmativam defendit: quod videtur probari à pari; nam etiam potestas conferendi primam Tonsuram, & Ordines Minores Abbatibus restricta est ad proprium Monasterium, & subditos Regulares, & tamen Abbates rectè, & licitè cum licentia, & ex speciali commissione Ordinarij eos conferunt in alijs locis, & non subditis, etiam Sæcularibus, ut pluries resolutum est à *S. Congr. Concil.* teste Fagnan. *in c. aqua h. tit. à n. 8.* quodsi hoc in materia Sacramenti, multo magis fieri poterit in materia Sacramentalium, quò Altarium, & aliæ consecrationes pertinent.

41 *Ad Rationem dubitandi* retorquetur Argumentum in potestate conferendi primam Tonsuram, & minores Ordines, quæ utur limitata sit quoad personas, ex commissione tamen Episcopi ad alias personas, limitatione illa non comprehensas, extendi potest. Quare ad Argumentum dico id, quod dicitur, Episcopum non posse committere alteri non Episcopo potestatem consecrandi Altaria, intelligendum esse de eo tantùm, qui nullam omnino quoad hoc potestatem habet.

42 Dub. 5. an, & quando iterari Consecratio Altaris possit? R. hujus, ut Ecclesiæ, consecratio regulariter iterari nequit. Casus, quibus repeti potest, & debet, sunt ferè ijdem, quos *suprà n. 21. & duob. seqq.* de Ecclesijs retuli. 1. Quando in ejus consecratione non est adhibita forma ab Ecclesia præscripta *arg. can. Ecclesijs 20. de consecr. dist. 1.* 2. Quando ignoratur, vel dubitatur, an aliquando consecratum sit *can. Ecclesiæ 18. dist. cit.* 3. Quando Altare exsecratur.

Porro Altare exsecratur 1. quando enormiter læsum, aut fractum est *c. ad hæc 1. c. quod in dubijs 3. c. ligneis 6. h. tit.* Censetur autem Altare enormiter fractum, si ita fractum sit, ut in residua, & integra ejus parte pes Calicis cum Sacra Hostia, & patena commodè stare nequeat, sicut contingit, quando fractura per medium Altaris transit, ubi Calix ponitur. Laym. *l. 5. tr. 5. c. 6. num. 4.* neque possunt eo casu fragmenta conjungi iterum. Petra *tom. 4. fol. 276. n. 34.* Quòd si tantùm cornua Altaris, in quibus unctio est facta, frangantur, melius dicitur Consecrationem non amitti, eò, quòd consecratio intelligatur inesse toti Altari, & in majori ejus parte, capiendo calici idonea, conservari. Laym. *l. cit. n. 5. ℣. id verò*, Schamb. *hìc n. 21.* Pirh. *n. 23.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de reb. Eccl. c. 1. n. 93.* In dubio, an diminutio, seu fractura impediat legitimam calicis, & patenæ continentiam, Episcopus judicare debet, neque alteri arbitrium committitur. Pal. *tr. 22. D. un. p. 9. n. 7.*

2. Quando Altaris sepulchrum, sive 43
locus Reliquiarum, & ut vocatur, Lapidis Sigillum tollitur, aperitur, frangitur, diminuitur. Honor. *hic n. 22.* Engl *n. 5.* Pirh. *n. 26.* König *n. 8.* Petra *n. 34. cit.* & pro hoc adducunt *c. ad hæc 1. h. tit.* Verùm, ut bene Conink *q. 83. art. 3. dub. 2. n. 240.* Laym. *c. 6. cit. n. 8. ℣. porro*, Pal. *n. 6. ℣. verùm*, advertunt, ex hoc textu nihil probatur; quia ibi non dicitur Altaris consecrationem amitti, si sigillum frangatur, sed si lapis, sive mensa consecrata frangatur, in qua sigillum, seu Reliquiarum receptaculum continetur. Hinc dicendum, modum hunc, quo Altaria Sigilli violatione exsecrantur, Jure scripto quidem probari non posse; firmatum tamen esse per consuetudinem, juxta quam Altaria per fractionem sigilli censentur exsecrata, & solent denuo consecrari. Laym. Pal. *l. citt.*

3. Quando Altaris fixi Mensa, seu la- 44
pis superior removetur à basi, seu structura, cui ea est affixa, vel columnis, quibus lapis ille, seu mensa conjuncta, aut firmiter innixa est *can. si motum 19. de consecr. dist. 1. c. quod in dubijs 3.* & *c. ligneis 6. h. tit.* Pax Jord. *Vol. 1. l. 5. tit. 10. à n. 45.* Vivian. *in c. 1. h. tit. pr.* Barbos. *ibid. n. 3.* & *alleg. 27. à n. 25.* Pal. *l. cit. n. 9.* Honor. *n. 22. hic* Engl *n. 3. fin.* Pirh. *n. 24.* Schamb. *n. 21.* König *n. 8.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 9. n. 21. ℣. Altare*, & *℣. seq.* quia, ut dicit Gloss. *in c. ad hæc cit.* Altare fixum, ut fixum, & stabile perseveret, consecratur. Quodsi Altare fixum permanere firmiter possit, aliquibus lapidibus, qui basin ejus constituunt, dimotis, Consecrationem non perdit; quia absolutè eandem formam retinet, sub qua fuit consecratum, ut bene alijs relatis advertit Vasq. *D. 233. c. 2. n. 13.* Laym. *l. 5. tr. 5. c. 6. n. 3.* Suar. *D. 81. sect. 5. in med.* Pal. *n. 9. cit.* Pirh. *hic n. 24.* Imò si tota mensa superior lapidea simul cum lapidibus principalibus, seu columnis, quibus innititur, moveatur de loco in locum, non obinde exsecratur; quia prædicti textus non de motione, & separatione locali, sed de motione, & separatione à structura loquuntur, ut cum *citt.* notat Barbos. *in c. 1. h. tit. n. 2.* Similiter Altare portatile non perdit consecrationem, etsi separetur à ligno, cui est inclusum; lignum enim non apponitur lapidi, nisi ad ornamentum, vel ad custodiam lapidis, neque est capax consecrationis, cùm non sit lapis. Abb. *in c. 1. cit. n. 3.* Laym. *n. 3.* Pirh. *n. 24.* *Excipitur*, nisi in ligno Sigillum, sive loculus Reliquiarum sit inclusus; tunc enim per separationem ligni à lapi-

lapide videtur execrari Altare portatile, ut plures putant.

46 Dub. 6. an Ecclesia iteratò sit consecranda, quando Altare fuit exsecratum; & vicissim an Altare sit de novo consecrandum, quando Ecclesia fuit exsecrata? R. negativè. Ita Sylv. *V. Altare q. 11.* Mirand. *tom. 2. Man. Prælat. q. 39. art. 7.* Suar. *D. 81. sect. 5. v. in tertia parte*, Barbos. *de Offic. Epis. alleg. 27. n. 26.* Laym. *l. 5. tr. 5. c. 5. in fin.* Pal. *tr. 22. D. un. p. 9. n. 9.* Gonzal. *in c. 6. h. tit. n. 14.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de reb. Eccl. c. 1. n. 97.* Sufficiet ergo, si quod execratum est, sive Ecclesia, sive Altare illud sit, reconsecretur. *Ratio est*; quia & Ecclesiæ, & Altaris consecratio stat per se principaliter, nec una alterius est accessoria. ergo tametsi una propter defectum subjecti, vel formæ moraliter intereat, potest tamen persistere altera. Textus, qui oppositum videntur innuere, in specie *can. de fabrica 24. de consecr. dist. 1.* & *c. si motum 19. h. tit.* per *c. ad hæc 1. h. tit.* vel declarati, vel correcti sunt.

47 Aliter verò dicendum de pollutione: nam Altari polluto per sanguinis, vel seminis effusionem, Ecclesia polluta censetur: & è contrario Ecclesiâ pollutâ, omnia altaria fixa ibidem existentia polluta censentur. Laym. *l. 5. tr. 5. c. 5. in fin.* Pal. *n. 9. cit. in fin.* Barbos. *in c. 1. h. tit. n. 4.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. n. 21. v. semel*, Pirh. *hic n. 28.* Schambog. *n. 23.* Wiestner *n. 49.* Ratio disparitatis inter hunc, & *n. præc.* casum est; quia pollutio afficit totum corpus interius Ecclesiæ & in ea contenta indivisibiliter, adeoque quocunque in loco contingat, ad totam Ecclesiam, & partes illius quascunque porrigitur; exsecratio autem solos parietes, aut Altare, ut adeo exsecrari Ecclesia, non exsecrari Altare, vel Altare exsecrari, non exsecrari Ecclesia possit.

48 II. Præter Ecclesias, & Altaria consecrari debent etiam *Calices*, & *Patenæ*. De his

Dubitatur 1. ex qua materia Calices, & Patenæ constare debeant? R. primis Ecclesiæ sæculis non tam ad materiam Calicis, & Patenæ, quàm ad dignitatem personæ sacrificantis respexit Ecclesia, prout constat ex *can. vasa 44. de consecr. dist. 1.* ubi refertur S. Bonifacius Martyr, & Episcopus ad quæstionem, *si liceret in vasculis ligneis Sacramenta conficere*, respondisse; *Quondam Sacerdotes aurei ligneis Calicibus utebantur; nunc è contrario Sacerdotes lignei aureis utuntur Calicibus.* Posteriori tamen ætate ex rationalibus causis Sancta Mater Ecclesia prohibuit. 1. ne Calix, & Patena conficeretur ex ligno *can. vasa cit.* & *can. ut Calix 45. dist. cit.* ne Sacer Sanguis per poros imbibatur. 2. ne fiat ex vitro, vel crystallo propter fragilitatem *can. ut Calix cit. in fin.* 3. ne fiat ex ære, cupro, vel aurichalco *can. ut Calix cit.* eò quòd materiæ istæ propter æruginem vomitum provocent. 4. ne fiant de lapide *arg. can. cit.* in quo cùm nulla fiat mentio de lapide, hic videtur excludus propter materiæ ineptitudinem, quidquid contrà opponat Pasqualig. *tom. 2. de Sacrif. q. 768. n. 3.*

Supereſt igitur, ut materia Calicis, 49
& Patenæ apta sit aurum, vel argentum *can. ut Calix cit.* ut quanto pretiosius est Corpus, & Sanguis Domini, tanto pretiosiora sint Vasa, in quibus id asservatur *can. vasa cit. in fin.* Stannum ad Calicem, & Patenam conficiendam admittitur; non tamen absolutè, ut vult Pasqualig. *tom. 2. cit. q. 765. n. 3.* sed tantùm, ubi ob paupertatem Ecclesia Calicem, & Patenam ex auro, vel argento sibi comparare non posset, ut patet ex *can. ut Calix cit.* & notant Sylv. *V. calix n. 1.* Tamburin. *de Jur. Abb. tom. 1. D. 23. q. 3. n. 1. & 2.* Engl *hic n. 6.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de reb. Eccl. c. 1. n. 106.* Eadem in necessitate quidam admittunt etiam plumbum; quia ex opinione Emman. Sà *V. Missa n. 8.* & Host. relari à Sylv. *V. calix cit. pr.* pro Stanno reputatur. Sed rectius cum eodem Sylvestro Paludan. *in 4. dist. 13. q. 2. art. 5.* Vasq. *D. 233. c. 4. n. 30.* Suar. *D. 81. sect. 1.* Laym. *l. 5. tr. 5. c. 6. n. 12.* Pal. *tr. 22. D. un. p. 10. n. 6.* existimant ex plumbo Calicem, & Patenam non posse confici, eò quòd *can. ut calix cit.* nulla alia materia, præter aurum, argentum, & stannum apta ad conficiendum Calicem judicetur; cùm igitur plumbum à stanno diversum sit, permitti non debet. Adde, quòd plumbum facilè denigretur, & sordes contrahat, atque ideo ad vomitum provocet: quæ sunt præcipuæ rationes, ob quas ex alijs materijs, ab auro, argento, & stanno distinctis, confici Calix non permittatur. Cæterùm quæ hactenus de materia Calicis dicta sunt, intelligi debent de Cuppa Calicis; pes enim ejusdem ex ære, ferro, aut alia materia potest confici teste Vasq. *D. 233. c. 4. n. 30.* Conink *q. 83. art. 3. dub. 3. n. 244.* Henriq. *l. 9. c. 28. n. 2.* Laym. *c. 6. cit. n. 12.* Pal. *n. 6.*

Dub. 2. à quo consecrari Calices, & 50
Patenæ debeant, ut adhiberi in Missæ Sacrificio possint? R. debent esse consecrata ab Episcopo, & chrismate uncta. Potest tamen consecratio hæc ex privilegio, & communicatione privilegiorum etiam inferioribus Prælatis competere: quale habent Sacerdotes Ordinis Minorum, & Societatis JESU apud Indos, & in remotissimis Regnis, ubi nullus est Episcopus Catholicus; nam ibi consecrare etiam Ecclesias possunt secundùm dicta *n. 14.* Item potestate hac ex consuetudine immemoriali gaudent Abbates, & Prælati habentes usum Mytræ, & Baculi, teste Armill. *V. calix.* Laym. *l. 5. tr. 5. c. 6. n. 12. V. debent autem*, Engl *hic n. 9.*

An

51 An Prælati hujusmodi potestatem hanc exercere possint etiam pro alijs, quàm suis Ecclesijs, difficultas est ob Declarationes Cardd. quæ in contrarium emanârunt. Sed his non obstantibus affirmativam defendit Engl *n. 9. cit.* quia putat, eas Declarationes usu receptas non esse, vel si receptæ sint, loqui tantùm de Jure competente ex privilegio speciali, non verò ex consuetudine generali: & consentit responsioni huic Pasqualig. *ad Lauret. de Franch. Controv. int. Episc. & Reg. p. 2. q. 28. n. 3.* Quod procedit saltem si Abbates, & similes Prælati hoc faciant cum licentia, & ex commissione Episcopi, prout de consecratione Altarium *suprà n. 40.* dictum est, & consentit Laym. *qq. Canon. de Prælat. Eccl. q. 219.*

52 Dub. 3. quomodo amittatur Consecratio Calicis, & Patenæ? R. amittitur per amissionem formæ, & usûs, sicut contingit per notabilem fractionem, licèt illa fractio de facili possit refici, ut si pes Calicis à cuppa abrumpatur. Quod intellige, si calix pedem non amobilem habeat; nam si Calix tornatilis sit, & pes à Cuppa separabilis ex natura sua, iste, etiam post separationem pedis sui, consecrationem retinet; quia in Calice tornatili sola cuppa per se consecratur. Armilla *V. calix n. 2.* Sylv. *V. eod. q. 2.* Henriq. *l. 9. c. 28. n. 2.* Suar. *D. 81. sect. 7.* Conink *q. 83. art. 3. dub. 3. n. 250.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 27. n. 39.* Tamburin. *de Jur. Abb. tom. 1. D. 23. q. 3. n. 6.* Laym. *l. 5. tr. 5. c. 6. n. 6.* Pasqualig. *de Sacrif. tom. 2. q. 768. n. 3.* Engl *hic n. 6.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de reb. Eccl. c. 1. n. 107.* Unde ad hoc, ut exsecratus dicatur calix, necesse est, ut cuppa calicis à pede separetur per fractionem. Multo minùs Consecrationem amittit Calix per aliquos ictus à fabro inflictos, nisi accedat fractio. Armilla *V. Calix n. 4.* Azor *p. 1. l. 10. c. 28. q. 5.* Barbos. *n. 39. cit.* Engl *n. 6. ℣. non etiam;* quod notandum circa profanationem calicum vendendorum, vel commutandorum.

53 Dub. 4. an Calicis, & Patenæ consecratio amittatur, quando diuturnitate temporis interior deauratio absumpta est? Conveniunt satis DD. non amitti, saltem, si non denuo deauretur; quia non sola inauratio, sed totus calix, & patena consecrata censetur. Laym. *l. 5. tr. 5. c. 6. n. 6. ℣. non etiam.* Discordant, quando noviter deaurantur. In quo affirmativam cum alijs defendit Sylv. *V. Calix n. 2.* Azor *p. 2. l. 9. c. 7. q. 3.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 27. n. 38.* Tamburin. *de Jure Abbat. tom. 1. D. 23. q. 3. n. 3.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. n. 22. ℣. Calices.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de reb. Eccl. c. 2. n. 109.* & alij communiter, ex ratione, quia consecratio præcipuè intelligitur esse in superficie; conf. si nova superficies addatur, nova consecratione opus esse videtur: & ita etiam teste Laym. *l. cit.* observatur in praxi, ut si calix, vel patena ea parte, quâ SS. Christi Corpus, vel Sanguinem contingunt, de novo inaurentur, etiam de novo consecrentur.

54 Contrà alij cum Durand. *in Ration. l. 1. c. 6. n. 36.* Conink *q. 83. art. 3. dub. 3. n. 246.* quorum sententiam valde probabilem existimat Laym. *l. 5. tr. 5. c. 6. n. 7.* consecrationem hoc casu amitti negant, ex triplici ratione. 1. quia forma Calicis adhuc permanet. igitur non videtur amitti consecratio, sicut non amittitur consecratio Ecclesiæ, si ejusdem parietes denuo dealbentur. 2. quia deauratio illa comparatione totius cuppæ consecratæ minoris partis proportionem habet. atqui major pars sacra trahit ad se partem minorem non sacram, ut suprà dictum est de Ecclesijs *n. 28.* 3. quia exsecratio Calicis, & similium odiosa est; igitur in casu dubio sine expresso textu induci non debet. Hinc putant DD. *citt.* sufficere, si majoris reverentiæ ergo ob contactum manuum profanarum, & materiæ novæ appositionem calix aquâ benedictâ abluatur, antequam adhibeatur in Sacrificio Missæ.

55 III. Consecrari solent *Campanæ*, antequam in Campanile transferantur: de quibus Dub. 1. an bene ab Ecclesia Consecratio eisdem adhibeatur? Multa contra hanc consuetudinem familiari sibi consuetudine effutiunt Scommata Heterodoxi, & in specie criminantur, quòd Pontificij campanas baptizent. Sed perperam; neque enim Campanæ baptizari dicuntur, quasi eis conferatur Baptismi Sacramentum, sed ex eo, quòd abluantur, dum benedicuntur, ungantur Sacro Oleo, & ijsdem nomen imponatur ad instar eorum, qui Sacramentum Baptismi suscipiunt. Unde his Hæreticorum calumnijs prævalet & prævalebit semper mos hic Ecclesiæ antiquissimus, cujus prudentissimus, facérque finis est; nam propterea Campanis Benedictio impenditur, ut earum sono, quasi sacrato, ad Laudes Divinas convocetur populus, malignorum hominum, & Dæmonum insidiæ repellantur, fugentur tempestates noxiæ &c. Clericat. *de Sacr. Bapt. decis. 24. à n. 7.* Engl *hic n. 7.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de reb. Eccl. c. 1. n. 114.*

56 Dub. 2. an Campanæ suspendi possint etiam in Oratorijs privatis? R. non posse, prout statutum est *c. patentibus 10. de privil.* & notat *ibid.* Abb. *pr.* Barbos. *ad cit. c.* Clericat. *l. cit. decis. 45. n. 59.* Magnif. P. Schmier *n. 117.* *Ratio est;* quia Campanæ principaliter habentur in eum finem, ut populus ad Sacra, & Divina Mysteria peragenda communiter convocetur: qui finis in Oratorijs privatis hoc ipso, quòd privata sint, & privatum commodum respiciant, cessat. Suspendi ergo campanæ in Ecclesijs, & Oratorijs publicis duntaxat solent,

& possunt: & quidem in Ecclesijs Regularium Mendicantium de Jure *Extrav. un. de Offic. Custod. int. comm.* tantùm unica, cui tamen Constitutioni (ut scribit Clericat. *decis. cit. n. 48.*) per consuetudinem est derogatum, cùm passim videamus, quòd etiam Mendicantes plures Campanas habeant.

Dub. 3. an Campanæ sonitu populus
57 convocari ad arma possit? Respondent Nicol. & Garuff. *in flosc. V. Campana n. 2.* negativè. *Ratio est*; quia Campana, cùm per consecrationem ad usus Sacros fuerit destinata, non potest ad usus profanos, qualis est convocatio ad arma, detorqueri. *Excipiunt* DD. *citt.* duplicem casum, quorum unus est *necessitatis* quando scilicet non habetur aliud signum pro populo ad arma convocando: alter *pietatis* si populus campanæ sonitu excitaretur ad preces Deo pro fugandis hostibus fundendas.

IV. Benedici quoque debent *Vestes*
58 *Sacræ*, & *Paramenta*, ad Sacrificium Missæ deservientia, ut tanto majori cum reverentia Divinum Sacrificium peragatur; neque enim fas est; absque talibus Vestimentis, aut Paramentis consecratis Sacrificium peragere *can. Ecclesiastica 9. dist. 23. can. Altaris palla 39. can. nemo 40. can. vestimenta 42. de Consecr. dist. 1.*

Dub. 1. quis benedicere hæc Paramenta possit? R. hujusmodi Paramenta, in quibus Chrisma non intervenit, per generalia privilegia, & Declarationem Cardd. quam adducit Joan. Gallemart. ad Trid. *sess. 23. c. 10. de reform. n. 1.* benedicere possunt etiam Prælati Regulares, quamvis usum Pontificalium non habeant; sed pro usu propriarum Ecclesiarum tantùm, ita, ut in contrarium non sit allegabilis usus, & consuetudo, utpote quæ pugnat cum resolutione Sacræ Congregationis *18. Aug. 1629.* apud Gavant. *ad Rubr. Miss. p. 4. tit. 19. de Rubr. Bened. n. 22.* & Nicol. *Flosc. V.* Abb. *n. 3.* ibi, *Abbates, & alij Superiores Regularium non possunt benedicere Paramenta Ecclesiarum sibi non subditarum, abrogata contraria consuetudine.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. n. 15. & 16.*

Dixi, *in quibus chrisma non intervenit*;
59 nam pro benedictione eorum, quæ requirunt Chrismatis unctionem, est necessarium speciale privilegium Apostolicum, ut declaratum est per S. Congr. apud Lezan. *Summ. qq. Regul. tom. 3. V. Calix n. 3.* ibi, *Abbas nec etiam in locis sibi pleno Jure subjectis, aut de Jure Patronatûs, potest consecrare Calices, patenas, & similia, in quibus requiritur Sacra unctio, nisi hoc habeat in specie sibi concessum à Sede Apostolica.* Privilegium hujusmodi consecrandi ea, in quibus Sacra Unctio intervenit, concessum est Abbatibus Ordinis Cistertiensis ab Innoc. VIII. ut ex Piasecio refert Matthæucc *c. 7. cit. n. 17.*

Dub. 2. quando Vestimenta, & Pa-
60 ramenta Sacra benedictionem amittant, & novâ indigeant? R. quando ita frangun-tur, ut non sint apta ad usum, ad quem destinabantur, aut quando non ampliùs figuram priorem retinent. Et hinc 1. benedici iterum Alba debet, si ex ipsa abscindatur manica, licèt postea eadem manica illi assuatur; nam per avulsionem manicæ ita perfringitur, ut non sit apta ad usum, ad quem priùs fuerat destinata, nec ampliùs retinet priorem figuram. Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 27. n. 45.* 2. ob eandem rationem benedici iterum debet Stola, facta ex Planeta; quia ad ipsam data est particularis benedictio, & est mutata forma, quæ dabat esse rei. Barb. *l. cit.* 3. idem ob datam rationem dicendum, quando ex Stola fit Manipulus, ex Alba Amictus. Engl *hic n. 8.*

Contrà hujusmodi Vestes benedi- 61
ctione nova non indigent, si ad eas reficiendas aliqua adjungantur, quamvis illa benedicta non sint, modò istorum additione prior figura remaneat, & de novo additum minoris sit quantitatis; quia accessorium sequitur principale, & pars minor de novo addita benedictionem partis majoris participat *arg. c. quod in dubijs 3. h. tit.* Quodsi talia Paramenta vetustate ita attrita, vel destructa sint, ut ad usum Sacrum deservire non ampliùs possint, fragmenta ad usum merè profanum applicari non debent, sed potiùs comburenda, & cineres in loco separato, ad quem non patet Sæcularibus accessus, sunt recondendi *can. Altaris 39. de consecr. dist. 1.* Tamburin. *de Jur. Abb. tom. 1. D. 22. q. 4. n. 1.* Engl *hic n. 8.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. n. 22. §. pariter*, Magnif. P. Schmier *p. 2. de reb. Eccl. c. 1. n. 129.*

V. Denique consecrari, vel benedici 62
solent, & debent *Cœmeteria*, sic dicta quasi Dormitoria, quòd in his corpora Fidelium defunctorum requiescant. Inventa hæc primùm fuêre à Christianis. Van Espen *p. 2. Jur. Eccl. tit. 28. n. 18. & seqq.* nam apud Gentiles in eo quisque loco, in quo volebat, sepeliebatur, dummodo prius esset §. *Religiosum 9. Inst. de rer. divis.* Consecrantur, tum quia nonnunquam Divina Mysteria in illis peracta sunt, ut probat Gonzal. *in c. 7. h. tit. n. 2.* tum quia animæ defunctorum magis à spiritibus immundis immunes hoc modo reputantur, ut habet Engl *ad tit. de Sepultur. n. 1.*

§. III.

De Ecclesiæ, & Cœmeterij polluti reconciliatione.

SUMMARIUM.

63. *Quando Ecclesia dicatur pollui?*
64. *Quis sit Pollutionis effectus præcipuus?*
65. *An cessandum à Divinis, quando pollutio supervenit Sacrificio jam inchoato?*
66. 67. 68. *Quibus modis polluatur Ecclesia?*
69. *Quibus Cœmeterium?*
70. *Quid si duo sint Cœmeteria conjuncta, & polluatur unum?*
71. *Quid si pollutio contingat in porta, per quam ab uno aditus datur ad alterum?*
72. *An Ecclesia polluatur etiam per Sepulturam Catechumeni?*
73. *Infantis mortui in utero matris fidelis?*
74. *Aut extra uterum, sed ante Baptismum?*
75. 76. *An polluatur per Sepulturam Excommunicati tolerati?*
77. *Vel Interdicti?*
78. *Quid requiratur, ut occisione hominis polluatur Ecclesia, vel Cœmeterium?*
79. *Referuntur casus, quibus pollutio ex causa prædicta censetur inducta.*
80. *Quid requiratur, ut Ecclesia polluatur per effusionem Sanguinis?*
81. *Quid, ut hoc fiat ob seminis effusionem?*
82. *An actus inducens pollutionem debeat esse notorius?*
83. *An polluatur Ecclesia etiam per alia crimina æquè gravia, vel graviora?*
84. *Quid faciendum quando Ecclesia est polluta?*
85. *An Ecclesia polluta reconcilietur sola celebratione Missæ?*
86. *Cujus expensis fieri reconciliatio debeat?*

63 QUæritur 1. quando Ecclesia dicatur pollui? Videtur pollutio in Ecclesiam nequaquam cadere, cùm res sancta sit, quæ à profanis, & turpibus coinquinari non potest *arg. c. vestra 7. de cohabit. Cleric. & mul.* Sed hoc intelligendum est, non quòd hujusmodi actibus sanctitatem suam amittat Ecclesia (sancta enim esse perseverat, etiam postquam polluta fuit) sed quia morali hominum æstimatione indecens reputatur, ut Hostia immaculata, & Divinum Officium offeratur in loco sceleribus contaminato, antequam aliqua ejus loci purgatio fiat. Engl *hic* §. 2. *n.* 1. Igitur pollui in genere tunc Ecclesia dicitur, quando manente integra illius forma, & consecratione, si eam habuit, in ea accidit aliquid, quod à loci sanctitate maximè est alienum, & in Fidelium animis horrorem generat, ut in illius detestationem Divina celebrari in tali Ecclesia SS. Canones prohibuerint, donec Sacris ritibus reconciliata fuerit. Suar. *p. 3. D. 81. sect. 4. §. tertiò*, Pax Jordan. *libr. 5. tit. 12. n. 2.* Wiestner *hic n. 31.*

64 *Ex quo sequitur* præcipuum Pollutionis effectum esse, quòd in Ecclesia polluta, donec reconcilietur, non possint celebrari Divina. Qui tamen contrarium ageret, temerariè quidem ageret, & mortaliter peccaret, nullam tamen Irregularitatem, vel Censuram incurreret *c. is qui 18. de sent. Excomm. in 6.* Gonzal. *in c. 7. h. tit. n. 9.* Passerin. *in c. un. eod. in 6. n. 9.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. n. 8.* Schambog. *hic n. 16.* König *ibid. n. 18.* quia Irregularitas non incurritur sine textu. textus autem, qui insinuare videntur celebrantem Irregularitatem incurrere, loquuntur de Ecclesia interdicta, non etiam de polluta. *Ratio* differentiæ est; quia siquis in Ecclesia interdicta celebrat, violat Censuram Interdicti, non item si in polluta tantùm; Interdictum enim est Censura, cujus violatio Irregularitatem inducit, non etiam pollutio Ecclesiæ.

65 Si contingeret, pollutionem per homicidium, aut vulnerationem &c. evenire durante Missa, distinguendum est, an id accidat ante consecrationem, vel post illam; nam priore casu abrumpenda Missa esset, non verò posteriore. Ugolin. *de Offic. Episc. c. 29. §. 7. n. 3.* Fagund. *de præc. Eccl. p. 1. l. 3. c. 14. n. 18.* Engl *hic* §. 2. *n. 14.* Si reconciliatio Ecclesiæ tam citò fieri commodè nequeat, poterit Episcopus ex multorum sententia interim dispensativè concedere, ut fiant in ea Divina Officia, sicut potest in casu necessitatis ad evitandum damnum Spirituale, vel temporale dispensare in alio Jure positivo. Fagund. *l. cit. n. 2.* Alij verò existimant, non esse facilè ad istam dispensationem deveniendum, si interea in aliquo Oratorio cum Altari portatili possint Divina fieri: cum sepultura tamen plerumque necessitas exigit dispensationem, cùm hæc alio modo facilè evitari nequeat. Engl §. 2. *cit. n. 16.*

66 Quæritur 2. quibus modis in specie polluatur Ecclesia? *R.* 1. polluitur sepulturâ infidelis, maris, aut fœminæ, pueri, vel adulti nondum baptizati *can. Ecclesiam 27.* & *can. seq. de consecr. dist. 1.* Rationem addit Gloss. *ibid. V. celebrare*, quòd ab Ecclesijs Infideles repellantur vivi: ac proinde locus sit Regulæ, quòd quibus non communicamus vivis, neque mortuis communicare debeamus. Debétque hoc casu, ut Missas in tali Ecclesia denuo celebrare liceat, corpus defuncti infidelis foras proijci *can. Ecclesiam cit.* & parietes, ac tigna Ecclesiæ radi *can. Ecclesiam 28. dist. cit.* quod verum est,

si Ecclesia non sit consecrata; nam si consecrata sit, ad evitandam exsecrationem sufficit, si illa iterum dealbetur, ut notat Pax Jordan. *de Re sacr. l. 5. tit. 12. n. 124. circa fin.* Vincent. Petra *tom. 2. Comment. fol. 399. num. 55.* Pirh. *hìc n. 14.*

67 2. Sepulturâ fidelis Excommunicati, Abb. *in c. consuluisti 7. h. tit. n. 4.* Navar. *Man. c. 27. n. 258. cas. 3.* Azor *p. 1. l. 10. c. 26. q. 13. ỳ. tertiò.* & *p. 2. l. 9. c. 5. q. 1. ỳ. quartò.* Suar. *p. 3. D. 81. sect. 4. ỳ. quarta causa*, Reginald. *prax. for. pœnit. l. 32. n. 17.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 28. n. 52.* Zoes. *hic n. 10.* Pirhing. *n. 13.* Schamb. *num. 11.* Wiest. *n. 34.* & statuitur *c. consuluisti cit.* qui textus, etsi meminerit solius Cœmeterij, ad Ecclesiam tamen etiam ab Interpp. refertur, cùm Ecclesiæ non minor irreverentia inferatur tumulatione Excommunicati.

3. Homicidio voluntario, & injusto, intra ipsam Ecclesiam perpetrato *can. si motum 19. de consecr. dist. 1. c. proposuisti 4. h. tit.* & *ibi* Interpp. ac DD. *Neque refert*, tametsi quis non moriatur in Ecclesia; sufficit namque, quòd lethale vulnus, ex quo mors sequitur, acceperit intra Ecclesiam. Navar. *Man. c. 27. num. 256. ỳ. dixi, aut datur causa &c.* Barbos. *alleg. cit. n. 23.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. n. 9.*

4. Vulnere in illa cum sanguinis effusione inflicto *can. Ecclesijs 20. de consecr. dist. 1. c. proposuisti 4.* & *c. fin. h. tit. c. un. eod. in 6.* Ex quo sequitur, non sufficere solam percussionem, quamvis gravis illa sit, sed necesse esse, ut sanguis sequatur; quia de sanguinis tantùm effusione textus Canonici loquuntur, qui in materia pœnali ultra propriam verborum significationem extendendi non sunt. Engl *hìc* §. *2. n. 10.* Schambog. *ibid. n. 8.*

68

5. Fornicatione, aliáve illicita copula carnali, & quacunque voluntaria sive cum, sive sine complice humani seminis effusione, intra Ecclesiam facta *can. Ecclesijs 20. cit. c. significâsti 5. de adult. c. un. pr. h. tit. in 6.*

Quæritur 5. quibus modis polluatur Cœmeterium? ℟. polluitur ijsdem modis, quibus Ecclesia. Distinguendum autem est, an Cœmeterium sit contiguum Ecclesiæ, an verò ab ea remotum, & sejunctum. *Si primum*, pollutâ Ecclesiâ, etiam ipsum polluitur, non tamen vicissim; quia Cœmeterium est accessorium Ecclesiæ, & accessorium sequitur principale, non principale accessorium: & hinc si Cœmeterium pollutum sit per violationem Ecclesiæ, per istius reconciliationem etiam ipsum reconciliatur, ut sumitur ex *c. un. h. tit. in 6.* & notant Ugolin. *de Offic. Episc. c. 29. §. 8. n. 4.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 9. n. 11.* Vivian. *in c. un. cit. in Ration. pr.* Passerin. *ibid. n. 2. 3. & 6.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. n. 12.* Vallens. *hìc n. 6.* Honor. *n. 25. & 26.* Zoes. *n. 15.* Engl §. *2. n. 12. ỳ. quodsi.* Pirh. *n. 32.* Schambog. *n. 23.* Wiest. *n. 48.*

69

Si secundum, ijsdem ritibus, quibus Ecclesia, etiam ipsum reconciliandum est, & ab Episcopo quidem proprio, vel ex ejus commissione ab alio Episcopo, si indigeat reconciliatione solenni; si verò hac non indigeat, prout fit, quando benedictum solummodo est, à Sacerdote simplici per aspersionem aquæ lustralis *arg. c. fin. cit.* Ugolin. Barbos. Pirhing Wiest. *l. citt.*

Si duo sint Cœmeteria, quæ sibi quidem cohærent, sed intermedio pariete sejunguntur, tunc violato uno, alterum, licèt ab uno ad alterum per portam intermediam aditus pateat, non propterea reputabitur violatum *c. un. ỳ. fin. h. tit. in 6.* quia paries intermedius divisionem inducit: ac proinde duo censebuntur esse Cœmeteria, sicut si domus habeat parietem intermedium, censentur duæ domus, licèt priùs fuerit una *l. si quis 6. §. fiquis 1. ỳ. planè ff. commun. præd.* Sylv. *V. Cœmeterium n. 3. q. 2.* Azor *p. 2. l. 9. c. 6. q. 3.* Vivian. *in c. un. cit. ỳ. fin.* Barbos. *ibid. n. 1.* Passerin. *n. 4. & 5.* Vallens. *hìc n. 6.* Honor. *n. 27.* Pirh. *n. 33. ỳ. contrà.*

70

Porro si in porta illa intermedia humanus sanguis, vel semen effundatur, tunc si porta uni ex illis Cœmeterijs est vicinior, illud tantùm pollutum censetur. Si verò porta illa sit in medio eorum, tunc illud, cujus gratiâ paries, & porta facta est, pro polluto habebitur quasi accessio illius *arg. l. cùm aurum 19.* aliàs incipit *Etsi non sint, §. perveniamus 13 ff. de aur. arg. legat.* ubi dicitur: *Illud spectamus, quod cujusque rei ornandæ causâ adhibetur, ut accessio cedat principali.* Sin autem dubitetur, cujus causâ paries sit extructus, & porta facta, videtur principaliter utrumque factum, ut duo Cœmeteria faciant, ac proinde utrumque Cœmeterium pollutum est; quia tunc porta, in pariete facta, utriusque causâ aperta esse videtur. Sylv. Azor, Pirh. *l. citt.*

71

Quæritur 4. an Ecclesia, vel Cœmeterium polluatur etiam per Sepulturam Catechumeni, infantis mortui in utero cum matre fideli, aut extra uterum, sed ante Baptismum? ℟. *ad 1.* juxta Zoes. *hic n. 13.* polluitur Ecclesia, vel Cœmeterium per sepulturam Catechumeni; quia nondum est verè fidelis. Sed communior cum Ugolin. *de Offic. Episc. c. 29. §. 5.* Sayr. *de Censur. l. 5. c. 16. n. 24.* Jordan. *de Re sacr. l. 5. tit. 12. n. 124. circ. fin.* Bonacin. *de matr. q. 4. p. ult. n. 23.* Murga *tom. 1. tr. 2. disquis. 4. dub. 7.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 28. n. 53.* Vincent. Petra *tom. 2. Comment. fol. 399. n. 55.* Engl *hìc* §. *2. n. 4.* negat hoc casu pollui; quia cùm vi Charitatis nobis conjuncti sint, separari etiam in sepultura non debent. *Neque obstat*, quòd propriè, & rigorosè non sint fideles; quia tales dici saltem in sensu largiore possunt, cùm habeant

72

Bap-

Baptismum flaminis, & ideo possunt in Ecclesia licitè sepeliri.

73 *Ad 2.* dicendum, non pollui Ecclesiam, vel Cœmeterium per sepulturam infantis mortui in utero matris fidelis; neque enim hæc post mortem scindi debet, ut partus mortuus extrahatur, sed licitè cum partu sepelitur in loco sacro; quia quamdiu in utero est, & in lucem non editur, pars matris censetur *l. temporibus* 1. §. *ex hoc* 1. *ff. de inspiciend. ventr.* Ita Host. *hic*, Henr. de Boich. *in c. sacris* 12. *de sepultur.* & *in c. consuluisti 7. h. tit.* Azor *p. 2. l. 9. c. 5. q. 1. ℣. quid dicendum.* Pax Jordan. *de re sacr. l. 5. tit. 12. n. 121.* Laym. *l. 5. tr. 5. c. 5. n. 8. fin.* Gonzal. *in c. 7. cit. n. 8.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. n. 11. ℣. polluitur*, Zœs. *hic n. 14.* Pirh. *ibid. n. 14.* Schambog. *n.* 12.

74 *Ad 3.* affirmativam defendunt Tamburin. *de Jur. Abb. tom. 1. D. 23. q. 11. n 4.* Bonacin. *de matrim. q. 4. p. ult. n. 23.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 1. n. 1. fin.* Dian. *p. 11. tr 8. resol. 22.* Matthæucc *Offic. Eccl. ℣. polluitur cit.* Vincent. Petra *tom. 2. comment. fol. 399. n. 59.* Zœs. *hic n. 13.* & sumunt ex *can. Ecclesiam 27.* & *28. de consecr. dist. 1. Confirmant*; quia Baptismus est Janua ad Ecclesiam, & ante Baptismum nemo est intra Ecclesiæ gremium recipiendus. Sed non improbabiliter Ugolin *de potest. Episc. c. 29. §. 5.* Jordan. *n. 121. cit.* Engl *hic* §. 2. *n. 4.* Wiest. *ibid. n. 32.* negant per sepulturam infantis, progeniti ex parentibus fidelibus, sed ante Baptismum mortui Ecclesiam, vel Cœmeterium pollui. *Ratio est*; quia Infideles, eorúmque infantes privantur sepulturâ Ecclesiasticâ, eorúmque corporibus polluitur Ecclesia, & Cœmeterium ex speciali ratione, quia scilicet Fidem Christianam vel in se, vel in parentibus detestati sunt: non ita eam detestati sunt infantes fidelium ante Baptismum mortui; imò parentum suorum voluntate ad Baptismum jam destinabantur. ergo &c. *Neque* contrarium probant textus allati; quia primus expressè loquitur de Paganis; in altero *Infidelium* nomine ijdem intelliguntur. *Ad Conf.* ex hoc tantùm sequitur, quòd infantes nondum baptizati non sint in Ecclesiam, vel Cœmeterium recipiendi, non verò, quòd eorum sepulturâ polluatur Ecclesia. Certè etiam omittentes Communionem Paschalem, & decedentes in peccato mortali notorio excluduntur à Sepultura, & tamen sepulti defacto non polluunt locum Sacrum? quia id Jure expressum non est.

75 Quæritur 5. an Ecclesia, vel Cœmeterium polluatur etiam per sepulturam Excommunicati tolerati, & non vitandi? R. negativè. Ita Ugolin. *de Offic. Episc. c. 29. §. 4. ℣. exigitur*, Pellizar. *Man. Regul. tom. 2. p. 1. tr. 8. c. 5. n. 72.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 28 n. 52* Dian. *p. 5. tr. 9. resol. 98.* Gonzal. *in c. 7. h. tit. n. 8.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. n. 11.* Vincent. Petra *tom. 2. comment. fol. 398. n. 53.* Engl *hic §. 2. n. 3.* Pirh. *ibid. n. 13.* Schambog. *n.* 11. qui omnes Jura, statuentia, quòd per sepulturam Excommunicati polluatur Ecclesia, vel Cœmeterium, intelligunt de Excommunicato vitando, quales post *Constit. Martini V. editam in Concil. Constant.* sunt soli percussores Clericorum notorij, & alij, qui publicè, & notoriè excommunicati sunt. *Ratio disparitatis* est; quia cum vitandis non communicamus vivis, communicamus autem cum non vitandis, ut adeo procedat Regula, *Cum quibus non communicamus vivis, etiam mortuis communicare non debemus*, & *econtra.*

Neque obstat, quòd Concilium Constantiense eo Decreto non intenderit favere Excommunicatis non vitandis; quia hoc non tam cedit in favorem ipsorum Excommunicatorum, sed potiùs Ecclesiæ, & aliorum fidelium, qui juxta Concil. *cit.* non debent Divinis Officijs privari ob communicationem cum Excommunicato non vitando. Engl *hic* §. 2. *n. 3.* Et hinc in Germania nostra etiam Hæretici in Cœmeterio Catholico sine hujus pollutione sepeliri possunt. Pirh. *hic n. 13.* testatúrque Engl *n. 3. cit. ℣. idem*, hoc à Principibus Acatholicis, cùm in penultimo bello Turcico suppetias in Hungariam Imperatori mitterent, expressè in pactum deductum, cum consensu etiam Potestatis Ecclesiasticæ, ut milites Acatholici defuncti in Cœmeterijs Catholicorum (ubi propria Lutheranorum non essent) sepelirentur, quod ob causam magnæ necessitatis ad obtinendum illud militare subsidium, & quia non fuit petitum in contemptum Fidei Catholicæ, sed potiùs ob honorem humanum, toleratum fuit. 76

An etiam per sepulturam Interdicti polluatur Ecclesia, dubium moveri potest. Sed tenenda est negativa; quamvis enim personaliter interdictus in loco Sacro sepeliri non debeat *c. is cui 20. de sent. Excomm. in 6.* imò sepultus exhumari jubeatur, si ossa ejus ab alijs possint discerni *can. Ecclesiam 28.* junct. Gloss. *de consecr. dist. 1.* Ecclesia tamen per illam sepulturam non polluitur; quia hoc nusquam in Jure expressum est, & in hujusmodi odiosis extensio non habet locum. Laym. *l. 5. tr. 5. c. 5. n. 8.* Zœs. *hic n. 11.* Pirh. *n. 13.* Superest igitur, ut Ecclesia polluatur solùm per sepulturam Excommunicati, & quidem vitandi tantùm; quo casu, ut Catholicus ibidem sepeliri, vel Officia Divina fieri possint, necesse est, ut priùs exhumetur talis Excommunicati cadaver, si id fieri possit, & postea Ecclesia, vel Cœmeterium reconcilietur *can. Ecclesiam 27.* & *can. seq. de consecr. dist. 1.* Engl §. 2. *h. tit. n. 3.* König *ibid. n. 17.* 77

Quæritur 6. quid requiratur, ut occisione hominis polluatur Ecclesia, vel Cœmeterium? R. tria requiruntur, videlicet ut occisio 78

cisio sit voluntaria, ut sit injuriosa, vel personæ, vel loco, & ut fiat in Ecclesia, vel Cœmeterio. Atque hinc 1. non polluitur Ecclesia, si casu fortuito v. g. trabe, lapide, incrustatura decidente, vel à tauro, aut alio animali in Ecclesiam irruente facta sit. Abb. *in c. proposuisti 4. h. tit. n. 2.* Barbos. *ibid. n. 3.* Gonzal. *in c. 7. eod. n. 6.* Monacell. *p. 2. form. 14. tit. 15. num. 5.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. num. 9.* Honor. *hic n. 8.* Zœs. *n. 4.* Engl §. *2. n. 6.* Pirh. *n. 10.* Schambog. *n. 5.* Wiest. *n. 35.* 2. Si facta sit à furioso, amente, infante, dormiente, aut ab alio rationis usum non habente *arg. Clem. si furiosus de homicid.* Et idem dicendum de ebrio, si talis ebrietas fuit, quæ rationis usum oppressit, & occidens ante ebrietatem periculum non prævidit; quia tale homicidium adhuc est involuntarium, & casui imputandum. Barbos. Schamb. Wiest. & alij *citt.* 3. Si secuta sit ex actione illicita quidem, tali tamen, quæ ex se non erat periculosa, & ob alium finem, quàm periculum homicidij prohibita, ob rationem datam. 4. Si facta sit ob sui defensionem, & observato moderamine inculpatæ tutelæ; quia non injuriosa, sed necessaria est. Vivian. *in c. un. h. tit. in 6. ¶. 5.* Wiestner *hic n. 36.* cum reliquis *suprà.* 5. Si quis occidatur supra, vel infra Ecclesiam; quia tunc homicidium non est commissum intra Ecclesiam; nam *intra* denotat spatium Ecclesiæ interius ab interiore tecto usque ad pavimentum, & à summa Ara usque ad parietem oppositum: conf. quod in alijs Ecclesiæ annexis sit, extra Ecclesiam fieri censetur. Schamb. *n. 6.* 6. Siquis extra Ecclesiam vulneratus, intra Ecclesiam fugit, & ibi moritur; non enim ipsa mors per se irreverentiam infert Ecclesiæ, sed causa, sive occisio in ea facta. Monacell. *n. 5.* Honor. *n. 9.* Engl *n. 9.* Schamb. *n. 5.* 7. Siquis existens in Ecclesia jaculo, vel glande alium existentem extra Ecclesiam ad internecionem feriat, ut contra Matthæucc. *l. cit.* notant Zœs. Engl, Pirhing, Schambog. *l. citt.*

79 Contrà polluitur Ecclesia 1. etsi homicidium in ea commissum sit sine ulla effusione sanguinis, v. g. suffocatione, vel percussione, mortem inferente sine vulnere; quia *can. si motum 19. de consecr. dist. 1.* & *c. proposuisti 4. h. tit.* loquuntur generaliter, & indistinctè. Ugolin. *de Offic. Episc. c. 29. §. 1. n. 1.* Pax Jordan. *de Re sacr. l. 5. tit. 12. n. 7.* Barbos. *in c. 4. cit. n. 2.* Gonzal. *in c. 7. eod. n. 6.* Monacell. *p. 1. form. 13. tit. 6. n. 27.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. n. 9.* Honor. *hic n. 8.* Zœs. *n. 4.* Engl §. *2. n. 6.* Pirh. *n. 10.* König *n. 15.* Wiest. *n. 37.* 2. Polluitur, licèt, qui ita occiditur in Ecclesia, sit nocens, bannitus, & in cujus vitam potestas omnibus data est; quia esto, occisio hæc justa sit, ejus tamen executio est injuriosa loco Sacro, & ipsi Deo, cui Ecclesia est dedicata. Jordan. *n. 10.* Barbos. *n. 4.* Zœs. *n. 5.* Engl *n. 7.* Wiestner *n. 38.* cum alijs *suprà.* Aliter dicendum, si sententia mortis sola in reum prolata sit in Ecclesia, executio verò facta extra Ecclesiam; nam etsi talis sententiæ prolatio nulla sit, & loco Sacro injuriosa, nullo tamen Jure expressum est, quòd per ipsam polluatur Ecclesia. Jordan. *n. 10. cit.* 3. Polluitur Ecclesia, etiamsi Martyr in odium Fidei à tyranno in ea trucidetur; quia licèt mors illa in conspectu Dei pretiosa sit, & ejus sanguine potiùs videatur sanctificari Ecclesia, actio tamen persecutoris injuriosa est loco Sacro, tantóque magis, quanto magis quamvis aliam cædem in Ecclesia perpetratam truculentiâ, & enormitate superat. Gloss. *in c. un. h. tit. in 6. V. sanguinis*, Barbos. *num. 5.* Vallens. *num. 5.* Schamb. *n. 5.* Engl *n. 8.* cum reliquis *suprà.* Addit tamen Gloss. *cit. in fin.* locum, ubi sanguis Martyris effusus est, non esse in reconciliatione abluendum. 4. Polluitur Ecclesia, etiamsi quis seipsum occiderit, si id fecit ex ira, desperatione, tædio vitæ, & rationis usu destitutus non fuit. Joan. Andr. *in c. un. cit. n. 3.* Barbos. *ibid. n. 12.* Gonzal. *in c. 7. n. 6.* Pirh. *n. 10.* Schamb. *n. 7.* Engl *n. 6.* Wiest. *n. 38.* 5. Polluitur Ecclesia, siquis intra Ecclesiam vulnus lethale recipiat, & postea extra illam moriatur; quia tota actio injuriosa, & causa mortis per se illativa intra Ecclesiam est posita, cùm homicidium ibi censeatur factum, ubi percussio lethalis contigit, non verò ubi percussus mortuus est. Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 28. n. 23.* 6. Polluitur Ecclesia, etsi occisor extiterit extra Ecclesiam; nam reipsa occisio tali casu adhuc accidit in Ecclesia, & conf. dispositio Juris procedit. Barbos. *l. cit. n. 26.*

Quæritur 7. quid requiratur, ut per 80
sanguinis effusionem polluatur Ecclesia? R. 1. requiritur, ut sit effusio sanguinis humani; nam si fuerit cujusvis alterius animalis irrationalis, non esset per hoc polluta Ecclesia censenda; quia licèt horrorem pariat, non tamen est effusio injuriosa, cùm animal irrationale nec activè, nec passivè injuriæ capax sit. Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 28. n. 31.* 2. Ut ea effusio sit voluntaria; aliud enim dicendum, si casu, ab amente, infante, aut alio rationis usu carente contigit, prout advertunt Gonzal. *in c. 7. h. tit. n. 6.* Pirh. *hic n. 11.* Schambog. *n. 8.* & dictum est *suprà n. 78.* 3. Ut non aliquot tantùm guttæ sanguinis, sed notabilis quantitas effundatur; nam *Effusio*, qua voce textus *n. præc.* allegati utuntur, sanguinis abundantiam, & fluxum copiosum denotat. Vivian. *in c. un. ¶. fin. h. tit. in 6.* Barbos. *l. cit. n. 34.* Pirh. Schamb. *l. citt.* 4. Ut ea effusio sequatur ex percussione secundùm se gravi: nam etsi in rixa inter pueros in Ecclesia exorta, dum unus alterum in faciem percutit, magna etiam sanguinis copia ex naribus flueret, per hoc tamen non pollueretur Ecclesia; quia talis percussio in

pun-

pueris non censetur graviter peccaminosa. Barb. *l. cit. n. 35.* Monacell. *p. 2. form. 14. tit. 15. n. 5.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. n. 9.* Vallens. *hìc n. 5.* Engl §. *2. n. 10.* König *n. 15.* Pirh. Schambog. *l. citt.* §. Ut effusio hæc fiat in Ecclesia : hinc si percussio tantùm facta est in Ecclesia, & effusio sanguinis fiat extra Ecclesiam, Ecclesia non polluitur ; quia textus Juris requirunt sanguinis effusionem in ipsa Ecclesia. Barbos. *l. cit. n. 24.* Zœs. *hìc n. 4.* Pirh. *n. 11.* Schamb. *n. 9.* Non tamen requiritur, ut sanguis ipsam Ecclesiam contingat, dummodo intra Ecclesiam effusus, licèt in vestimentis absorptus, vel in vase collectus sit. Barbos. *n. 24. cit.* Gonzal. *in c. 9. h. tit. n. 6.* Zœs. *hìc n. 6.* Honor. *n. 9.* & sumitur ex *c. proposuisti 4. h. tit.* in quo fit mentio vulneris, non etiam maculationis, cùm non tam per contactum sanguinis violetur Ecclesia, quàm per violentam effusionem.

81 Quæritur 8. quid requiratur, ut per seminis humani effusionem polluatur Ecclesia? ℟. 1. requiritur, ut sit in sufficienti quantitate ; debet enim esse seminis effusio, sive corporis pollutio completa, & non tantùm inchoata, sive modica ejus destillatio. Suar. *D. 81. sect. 4. ℣. tertiò violatur*, Rodriq. *in Summ. tom. 1. c. 153. n. 11.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 28. n. 49.* Pax Jordan. *de Re Sacr. l. 5. tit. 12. n. 109.* Pirh. *hìc n. 12.* Wiestner *ibid. n. 42.* 2. Ut sit voluntaria ; quia etiam completa seminis effusione Ecclesia non polluitur, si ea fiat in somno, aut etiam à vigilante, sed præter intentionem. Gloss. *in can. Ecclesijs 20. V. semine de consecr. dist. 1.* Navar. *Man. c. 27. n. 252.* Azor *p. 2. l. 9. c. 5. q. 3.* Barbos. *alleg. cit. n. 43* Gonzal. *in c. 7. h. tit. n. 7.* Jordan. *l. cit. à n. 105.* Zœs. *hìc n. 7.* Schamb. *n. 10.* Pirh. Wiest. *l. citt.* 3. Ut sit illicita : Hinc si duo conjuges, in Ecclesia diu concluſi, ad incontinentiæ periculum vitandum, in ea sibi debitum mutuò redderent, non pollueretur Ecclesia ; quia talis debiti redditio non est eo casu illicita. Contrà pollueretur Ecclesia, si extra hunc casum id facerent ; quia actus conjugalis extra casum periculi incontinentiæ in Ecclesia licitè non exercetur. Sylv. *V. consecratio 2. q. 5. cas. 3.* Covar. *de Sponsal. p. 2. c. 7. §. 2. n. 3.* Sayr. *Clav. Reg. l. 9. c. 8. n. 11.* Less. *l. 4. de I. & I. c. 3. n. 85.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 28. n. 48.* & *in c. un. h. tit. in 6. n. 13.* Gonzal. *in c. 7. h. tit. n. 7.* Honor. *hìc n. 12.* Zœs. *n. 8.* Engl §. *2. n. 11.* Pirh. *n. 13.* Schambog. *n. 10.* Wiest. *n. 42.* 4. Ut intra Ecclesiam facta sit : quo nomine hìc venit interius corpus Ecclesiæ consecratæ, vel benedictæ. Et hinc si ejusmodi actus fiat supra tectum, seu fornicem Ecclesiæ ; in campanili, aut etiam in Sacristia ; in cameris, seu cubiculis, aut cryptis subterraneis ad alios usus, quàm ad Mysteria Divina peragenda, aut fidelium sepulturam deputatis ; in Ecclesiæ aditu extra januam ; in adsitis, & extra ipsius Ecclesiæ murum pro statione, seu deambulatione extructis porticibus, & atrijs, Ecclesia tali actu non polluitur, ut rectè Sperell. *decis. 62. n. 18.* Gonzal. *in c. 7. h. tit. n. 7.* Monacell. *p. 1. form. 10. tit. 6. n. 28.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. n. 9. ℣. non censetur*, Engl *hìc* §. *2. num. 12.* Honor. *num. 12.* König *num. 16.* Wiestner *num. 43.* Ratio est, quia Ecclesiæ nomen, cùm agitur de ejus pollutione, quæ pœnalis, & odiosa est, debet strictè accipi *arg. Reg. odia 15. in 6.*

Quæritur 9. an Ecclesia polluatur ejus 82
modi cæde, vel sanguinis, aut seminis emissione etiam occulta? ℟. negativè : sed requiritur, ut ejusmodi actus sit publicus, & notorius vel per evidentiam facti, vel per condemnationem rei crimen confessi, aut de eo convicti in judicio, vel etiam per legitimam criminis in isto probationem *arg. c. significâsti 5. de adulter.* Navar. *Man. c. 27. n. 256. fin.* Suar. *D. 81. sect. 4. ℣. secundò*, Piasec. *prax. Episc. p. 1. c. 2. art. 4. n. 7. ℣. in omnibus*, Laym. *l. 5. tr. 5. c. 5. n. 8.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 28. num. 37.* Vivian. *in c. un. h. tit. in 6. ℣. fin.* Gonzal. *in c. 7. dict. tit. n. 7.* Monacell. *p. 1. form. 10. tit. 6. n. 28.* Engl *hìc* §. *2. n. 11.* Vallens. *ibid. n. 5.* Zœs. *n. 9.* Schambog. *n. 10.* Pirh. *n. 12.* Wiestner *n. 44.* & hoc teste communis DD. *Ratio est* ; quia cùm Ecclesiæ Consecratio, & Benedictio publica sit, non nisi publico, & notorio actu debet tolli : consequenter quamdiu actus ille adhuc occultus est, & à personis ei præsentibus non publicatur, reconciliatione non indiget. Dixi *quamdiu occultus est* ; nam si fornicatio, vel seminis, aut sanguinis effusio, occultè facta in Ecclesia, postea publicè innotescat, ex eo tempore habetur Ecclesia pro polluta, & necessariò reconciliari debet. Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. n. 7. ℣. an autem* cum *allegatis.*

Quæritur 10. an sola cæde, vel san- 83
guinis, aut seminis effusione, an verò alijs etiam criminibus, in Ecclesia commissis, ejus pollutio inducatur ? Affirmant Hostiens. *Summ. hìc n. 9.* & eum secutus Piasec. *prax. Episcopal. p. 1. c. 2. art. 4. n. 7. ℣. sacrilegio item*, si sint delicta æquè, aut magis enormia, & in suam hanc sententiam loco Juris scripti allegant consuetudinem. Sed, etsi consuetudo hæc, ubi viget, improbanda non sit, spectato tamen Jure, dicendum alijs criminibus, quantumcunque atrocibus, Ecclesiam nequaquam pollui. Ita Joan. de Selva *p. 1. de Benef. q. 5. n. 102.* Azor *p. 2. l. 9. q. 3.* Jordan. *de re Sacr. l. 5. tit. 12. n. 78.* Pirh. *hìc n. 17.* Wiest. *n. 45. Ratio est* : quia dispositio textuum, quibus ob homicidium, effusionem sanguinis, aut seminis inducitur pollutio Ecclesiæ, odiosa est : cons. de casu expresso ad non expressum extendi non debet. non est autem ex-

pres-

pressum Jure ; quòd pollutio inducatur per alia crimina. ergo &c. *Conf.* quia ob homicidium , & sanguinis, vel seminis humani effusionem Jure Divino antiqui Testamenti præcludebatur accessus ad Sacrificia , Jure Ecclesiastico ob duo priora inducitur Irregularitas , ut adeo major sit causa , cur ob illa potiùs , quàm ob alia crimina Ecclesiæ pollutio inducatur.

84 Quæritur 11. quid faciendum, quando Ecclesia est polluta ? ℣. esse reconciliandam , nec antequam istud fiat, Mysteria Divina in ea peragenda , ut dictum est *suprà n. 64.* Quoad modum reconciliationis distinguendum est inter Ecclesiam nondum consecratam , & consecratam. Si Ecclesia , cùm pollueretur , solummodo benedicta , nondum tamen consecrata erat, reconciliari per Sacerdotem simplicem aspersione aquæ lustralis posset , etiam mandato, seu licentia Episcopi non exspectata , prout colligitur ex *c. fin. h. tit.* ibi, *Aquâ protinus exorcizatâ lavetur* , & notat ibidem Gloss. *fin.* Azor *p. 2. l. 9. c. 5. q. 5.* Sayr. *de Censur. l. 5 c. 16. n. 31.* Piasec. *prax. Episc. p. 1. c. 2. art. 4. n. 7. ℣. ante reconciliationem.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 28. n. 57.* Monacell. *p. 1. form. 10. tit. 6. n. 25.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. n. 7. ℣. si verò* , Pirh. *hic n. 19. & 21.* Schambog. *n. 17.* König *n. 48.* Wiestner *n. 29.* Si verò consecrata fuit, reconciliari debet à proprio Episcopo, vel de ejus licentia ab Episcopo extraneo , prout habetur *c. aquâ 9. h. tit.* & notat Henriq. *in Summ. l. 9. c. 27. n. 6.* Ugolin. *de Offic. Episc. c. 29. §. 8. n. 1.* Filliuc. *qq. mor. tom. 1. tr. 5. c. 4. n. 118.* Dian. *p. 2. tr. 1. miscell. resol. 6.* Barbos. *l. cit. n. 55.* cum reliquis suprà , & censuit *S. Congr. Rit. in Cameracens. 9. Febr. 1608. in Pratens. 21. Jul. 1632. in Aretina 9. April. 1633.* Simplici Sacerdoti ab Episcopo licentia Ecclesiam pollutam reconciliandi delegari non potest , ut statutum est *c. aqua cit.* & ratio *ibidem* additur ; quia reconciliatio est actus Ordinis Episcopalis ; ea autem, quæ sunt Ordinis Episcopalis , demandare Episcopus inferioris Ordinis Clericis nequit , quamvis demandare ijsdem possit , quæ sunt Jurisdictionis Episcopalis. Addidi *ab Episcopo* ; Pontifex enim suo privilegio potestatem hanc simplici Sacerdoti potest concedere ex communi sententia , teste P. Wiest. *hic n. 29.* & ratio probat ; quia est actus quidem Ordinis Episcopalis , sed Jure solùm humano , quo Papa superior est. Et sic defacto potestatem istam Leo X. concessit Minoribus , & Superioribus Societatis JESU , prout constat ex *Compend. privil. Societ. V. Ecclesia §. 2.*

Quæritur 12. an Ecclesia polluta re 85
concilietur sola celebratione Missæ ? Affirmant Saà *V. Ecclesia n. 19.* & Castro *de Leg. Pœnal. l. 2. c. ult. n. 9.* videturque hoc probari ex *can. de fabrica 24. de consecr. dist. 1.* ubi dicitur , Ecclesiam pollutam Missæ celebratione in ea peracta consecrationem amissam recipere. Sed tenenda est negativa, quam cum communi defendit Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. n. 7. ℣. nonnulli* , Engl *hic §. 2. n. 15.* Wiestner *ibid. n. 30.* Ratio est ; quia *c. proposuisti 4.* & *c. aqua 9. h. tit.* præscribitur forma , & modus reconciliandi Ecclesiam pollutam , neque in hoc mentio fit reconciliationis per celebrationem Missæ. Accedit, quia si ejusmodi celebratio reconciliationem Ecclesiæ pollutæ induceret , simplici Sacerdoti reconciliatio ab Episcopo committi posset ; potest enim simplex Sacerdos ex gravi causa , e. g. ut infirmus Sacro Viatico muniri valeat, si alia Ecclesia non extet, celebrare in polluta , ut cum S. Thom. *p. 3. q. 83. art. 3. ad 2.* communis sententia notat. *Ad Canonem in contrarium allegatum* dico ibi non agi de Ecclesiæ pollutæ reconciliatione, sed de reparatione, & tantùm declarari , quando indigeat nova consecratione.

Quæritur 13. cujus expensis recon- 86
ciliatio Ecclesiæ pollutæ fieri debeat ? ℣. fieri debet expensis illius , qui eandem violavit , si sciatur , quis sit, & si ille solvendo sit , cùm dans damni causam teneatur ad ejus compensationem. Si verò ignoretur , vel non sit solvendo ; tunc recurrendum est ad consuetudinem, vel statutum loci : quibus deficientibus, in Rectorem, seu Parochum hoc onus rejicitur ; vel si pauper ille sit, in Parochianos ; ac denique in defectum omnium prædictorum ipse Episcopus suis sumptibus reconciliare Ecclesiam debet. Abb. *in c. proposuisti 4. h. tit. n. ult.* Barbos. *in c. 9. eod. n. 2.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. n. 7. ℣. expensæ* , Honor. *hic n. 15.* Zœs. *n. 2.* Pirh. *n. 21.*

TITU-

TITULUS XLI.

De Celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & Divinis Officijs.

POst Consecrationem Ecclesiæ sequitur de Celebratione Missarum, & aliorum Officiorum Divinorum; nam in finem hunc consecrantur Ecclesiæ.

§. I.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

SUMMARIUM.

1. *Eucharistiæ Etymologia.*
2. *Definitio.*
3. *Materia est panis, & vinum.*
4. *Et panis quidem triticeus.*
5. *Vinum de Vite.*
6. *Cui pauxillum aquæ miscendum est de necessitate præcepti, non Sacramenti.*
7. *Forma sunt verba,* Hoc est Corpus meum, Hic est Calix sanguinis mei.
8. *Pronomen* Hoc *in Consecratione Panis, &* Hic *in Consecratione Calicis designat ipsum Corpus, & Sanguinem Christi.*
9. *Pronuntiantur verba Consecrationis à Sacerdote partim recitativè, partim enuntiativè.*
10. *Sacramenti hujus Minister quoad confectionem est solus Sacerdos.*
11. *Quoad dispensationem in casu necessitatis, jubente Episcopo, vel Sacerdote, potest etiam esse Diaconus.*
12. *Alijs Clericis, vel Laicis facultas hæc dari potest à solo Pontifice.*
13. *Extra casum extremæ necessitatis.*
14. *Porrigi Eucharistia non potest Catechumenis.*
15. *Nec pueris ante usum rationis aut perpetuò amentibus.*
16. *Quando porrigi possit semifatuis, Energumenis?*
17. *Et pueris habentibus usum Ratioins?*
18. *Quæ dispositio in suscepturo hoc Sacramentum requiratur ex parte animæ?*
19. *Quæ ex parte Corporis?*
20. *De præcepto Ecclesiæ debet esse jejunus.*
21. 22. *Quale jejunium hoc esse debeat?*
23. 24. 25. *Quibus casibus licitum sit Eucharistiam sumere non jejuno?*
26. 27. 28. *An permissum sit infirmo, eadem infirmitate durante, sæpiùs non jejunum hoc Sacro Mysterio refici?*
29. 30. *An ut moriturum communicet, possit Sacerdos non jejunus celebrare?*

1 QUæritur 1. quid *Eucharistiæ* nomine veniat? ℣. hoc nomine venit ipsa incruenta Hostia, in SS. Missæ Sacrificio oblata, sive Christus sub speciebus panis, & vini, quorum substantia per consecrationem in ipsius Corpus, & Sanguinem convertitur, & Patri æterno offertur, principaliter quidem ab ipso Christo, ministerialiter verò à Sacerdote, ut declarat Trid. *sess. 22. c. 1. & 2. de Sacrif. Miss.* S. Thom. *in 3. p. q. 83. art. 1.* Bellarm. *l. 1. de Miss. c. 4.* Suar. *in 3. p. D. 77. art. 1.* Dicitur *Eucharistia*; quia DEO in gratiarum actionem, vel cum ista offertur ex ipsa institutione Christi. Matth. *26. v. 27.* Marc. *14. v. 23.* Luc. *22. v. 19.* Suar. *l. cit. D. 58. sect. 2.* Laym. *l. 5. tr. 4. c. 1. n. 6. ℣. 3.*

Sacramentum Eucharistiæ inter omnia
2 Sacramenta excellentissimum, maximéque Divinum est; quia continet in se Christum vivum, Deum, ac hominem verum: & hinc S. Synodus Trid. *sess. 7. can. 3. de Sacram. in gen.* Anathemate damnavit eos, qui dixerint, *Sacramenta inter se paria esse, ut nulla ratione aliud sit alio dignius;* & *sess. 13. de Eucbar.* Sacramentum hoc passim vocat *Divinum, præcelsum, sacrosanctum, admirabile.* Et quamvis consecretur in duplici specie, panis nempe, & vini, unicum tamen est, quatenus continet in se unicum Christum, constantem Carne, & Sanguine, quæ per Species panis, & vini significantur. Definiri potest, quòd sit *Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini, ad spiritualem animarum refectionem Divinitus institutum.* Laym. *c. 1. cit. n. 1.*

Quæritur 2. quæ sit *Materia* hujus 3
Sacramenti? ℣. *Materia*, ex qua Sacramentum istud conficitur, secundùm institutionem Christi in Evangelio *l. citt.* perpetuam praxin, & traditionem Ecclesiæ, & definitionem Generalium Conciliorum, Lateran. c. *firmiter 1. de Summ. Trinit.* Flor. *in Decret. Eugen.* §. *tertium*, & Trid. *sess. 22. c. 1. de Sacrif. Miss.* est panis triticeus, & vinum de vite, cui ex perpetua traditione Ecclesiæ pauxillum aquæ est admiscendum §. *tertium cit.* & Trid. *sess. cit. c. 7.* cujus rei duplex est significatio; nam 1. ea commixtio juxta Innocentium III. c. *cùm Marthæ 6.* §. *quæsivisti h. tit.* significat Sanguinem, & aquam, qui ex latere Christi profluxit. 2. secundùm Julium Papam

pam *can. cùm omne 7. de consecr. dist. 2.* indicat fidelium in Christum credentium cum ipso adunationem. Idémque habetur in Concil. Tribur. *can. 19.* ubi ratio adjungitur, cur aqua in minori quantitate admisceri debeat; *quia major est majestas Sanguinis Domini, quàm fragilitas populi*: quæ etiam causa videtur, cur aqua in mixtione à Sacerdote benedicatur, non item vinum; quia homo infirmus per merita Crucifixi sacratur, & confirmatur ex unione, ac veluti incorporatione cum Christo. Laym. *tr. 4. cit. c. 2. n. 6.*

4 Dixi 1. *Panis triticeus*: quia hic usualis est, qualem Christus Dominus materiam esse Consecrationis voluit. Atque hinc ut valida sit consecratio, tria requiruntur. 1. ut farina, ex qua panis pro consecratione conficitur, sit ex tritico. Debet autem nomen tritici hìc latè accipi, ut omne genus frumenti comprehendat, quod ad conficiendum panem pro hominis victu communiter adhiberi solet, sive sit triticum, quod propriè ita appellatur, vulgò Waitzen / sive quod cum eo cognationis similitudinem habet, cujusmodi apud nos est Zea, sive Far, Dinckel-Korn / oder Kern / & Siligo, vulgò Rocken / oder Korn; quamvis hanc posteriorem adhibens extra casum necessitatis graviter peccet, quòd mundior panis dignitatem hujus Sacramenti deceat. Laym. *l. cit. n. 2. ℣. debet.* Contrà materia apta pro Consecratione non est 1. panis ex hordeo, avena, milio, oriza, castaneis, aut glandibus confectus; cùm ex ijs non soleat panis confici pro hominis victu, nisi ob defectum tritici: quare nec simpliciter panis vocabulum meretur, sed cum addito, *Panis hordeaceus, avenaceus &c.* Laym. *n. 2. cit. ℣. porro.* Pal. *tr. 21. D. un. p. 4. n. 2.* Wiestner *hic n. 3.* 2. farina triticea debet esse aqua elementari tantùm, non lacte, melle, oleo, rosacea, vel simili aquâ subacta. S. Thom. *q. 74. art. 7. ad 3.* Paludan. *in 4. dist. 11. q. 1. art. 6. concl. 4.* Laym. *l. cit. ℣. ex quo collige.* 3. debet esse igni tosta, non oleo, aut butyro frixa, vel aquâ elixa, vel Massa cruda. Laym. *coroll. 2.* Parum autem interest ad valorem, an panis sit Azymus, aut fermentatus; nam in utroque validè peragitur Consecratio: *validè*, inquam; nam Latini ex præcepto Ecclesiæ tenentur consecrare in Azymo, Græci in fermentato. Laym. *n. 4.*

5 Dixi 2. *Vinum de Vite.* Hinc 1. materia Consecrationi apta non sunt uvæ, antequam liquor ex illis exprimatur; quia antequam istud fiat, non tam potui, quàm comestioni serviunt. Suar. *D. 45. sect. 1.* Laym. *n. 5.* Pal. *n. 7.* Wiestner *hic n. 4.* & alij apud istos. 2. Agresta, sive liquor expressus ex uvis immaturis; quia vini naturam nondum est consecuta. Aliud dicendum de musto; nam hoc substantialiter vinum est; quia tamen adhuc fœculentum est, illicitè adhibetur extra necessitatis casum. Suar. *sect. 1. cit.* Laym. *n. 6.* Wiestner *l. cit.* 3. Acetum; quia vini naturam perdidit. Laym. *n. 5. ℣. adverte 2.* Pal. *n. 8.* Wiest. *l. cit.* Vinum acescens, uti & congelatum validè quidem, sed quod notabiliter alteratum sit, illicitè consecratur. Laym. *l. cit.* & *n. 6. ℣. adverte quartò.*

6 Dixi 3. *Vino pauxillum aquæ miscendum.* An ex præcepto Divino hoc requiratur, & ad valorem Sacramenti pertineat, rationem dubitandi faciunt textus 1. Concil. Carthag. IV. *can. 24.* ubi decretum fuit, in Sacramentis Corporis, & Sanguinis aliud, quàm ipse Dominus, non offerendum. constat autem, quòd Christus vinum aquâ mistum adhibuerit. 2. *can. cùm omne 7. de Consecr. dist. 2.* ubi Julius Papa negat Calicem Domini aquam solam, aut vinum solum esse posse. 3. passim aquæ admixtio *Præceptum, Institutio, & Traditio Domini* appellatur. *Sed dicendum*, eam mixtionem non esse faciendam ex Divino, sed Ecclesiastico duntaxat præcepto, atque ideo non ad valorem, sed licentiam solum requiri. Ita S. Thom. *3. p. q. 83. art. 6.* Bellarm. *de Evchar. c. 20.* Suar. *D. 45. cit. sect. 2.* Laym. *c. 2. cit. n. 6.* Wiestner *hic n. 5.* & colligitur ex Concil. Flor. §. *tertium*, & Trid. *c. 1. citt.* nec obscurè hoc indicat Missale Romanum *c. 4. de defect. vin.* ubi casu, quo Sacerdos primùm post consecrationem advertit calici aquam affusam non fuisse, eam postea affundere prohibetur: cons. supponit consecrationem fuisse validam; aliàs sine dubio affundi deberet, & consecratio repeti. *Neque contrarium* probatur ex textibus allegatis. *Ad 1.* ex textu Concilium tantùm indicat, solum panem, & vinum cum aqua, & non cum alio aliquo liquore mixtum offerendum esse. Usus Christi præceptum non facit, nam etiam usus est Azymo pane, & tamen certum est, quòd validè, & à Græcis licitè consecretur in fermentato. *Ad 2.* Julius Papa non negat simpliciter, quòd Calix Domini esse sine aqua possit, sed tantùm indicat absque ea mixtione non haberi illum cum plenitudine significationis mysticæ, ut *in c. perniciosus 13. h. tit.* notat Gonz. *n. 3. Ad 3.* voces illæ accipi debent latè, prout etiam lotio pedum à S. Ambrof. *l. de Spirit. S. in procem.* appellatur *Traditio Domini*, quòd Dominus exemplum ejus dederit.

7 Quæritur 3. quæ sit *Forma* hujus Sacramenti? R. sunt verba: *Hoc est enim Corpus meum*: & *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Circa quæ

Advertendum 1. ex his verbis essentiam formæ constituere sola verba, *Hoc est Corpus meum*, & *Hic est Calix Sanguinis mei*, vel quod idem significat, *Hic est Sanguis meus*

quia

quia his ſolis prolatis, Corporis, & Sanguinis Chriſti præſentia, ac proinde ſubſtantiæ panis, & vini converſio plenè, & ſufficienter ſignificatur, ut cum communi advertit Laym. *l. 5. tr. 4. c. 3. n. 2.* Ac proinde, ſi particula *Enim*, & reliqua verba omittantur, id quidem ſine peccato gravi non poſſe fieri, per eam tamen omiſſionem valorem conſecrationis non deſtrui, Suar. *in 3. part. D. 59. ſect. 1.* & *D. 60. ſect. 1.* Conink *q. 78. dub. 2. n. 2.* & *dub. 3. n. 3.* Pal. *p. 7. n. 1. & 3.* Wieſt. *n 9.*

8 *Advertendum 2.* pronomen demonſtrativum *Hoc* in forma, quâ conſecratur panis, & *Hic* in forma Calicis non deſignare materiam Panis & vini, neque ſpecies eorundem, ſed ipſum Corpus, & Sanguinem Chriſti, tanquam quod finitâ verborum formâ, continetur ſub ſpeciebus. *Ratio eſt*, quia aliàs vel propoſitio eſt falſa, vel ſenſus formæ improprius; quia idem erit, ac *Panis convertitur in corpus*, vel *Species continet Corpus*: id quod maximè eſt cavendum, ne anſa præbeatur Hæreticis, etiam *Corpus* improprie ſumendi pro figura Corporis.

9 *Advertendum 3.* verba Conſecrationis proferri à Sacerdote neque ſolùm recitativè, ut volebant Catharinus, Major, Durandus, Okam, Saimeron &c. neque ſolùm enuntiativè, ut docebant S. Bonavent. Marſil. Gabr. Amic. Vaſq. ſed utroque modo, ſaltem quoad eſſentialia formæ, ut ſentiunt S. Thom. *3. p. q. 78. art. 5.* Scot. Suar. Bellarm. & alij apud Haun. *l. 4. Theol. tr. 3. n. 874.* Et quidem quòd recitativè, ſeu hiſtoricè proferantur, colligitur ex verbis immediatè formam præcedentibus, *Fregit, deditque Diſcipulis ſuis dicens, Accipite, & manducate; hoc eſt enim &c.* ubi vox *dicens* manifeſtè indicat ea verba recenſeri, ut à Chriſto prolata, quod etiam particula cauſalis *Enim* demonſtrat. Quòd verò proferantur etiam enuntiativè, inde oſtenditur; quia Sacerdos ex ſententia PP. ſpecialiter gerit perſonam Chriſti, dum conſecrat, non tantùm mediatè, & indirectè, quatenus operatur ut Miniſter, & ex poteſtate aliena, uti cùm dicit, *Ego te baptizo, abſolvo* &c. ſed immediatè, & directè. hoc autem fieri non poteſt, ſi tantùm hiſtoricè referret, quæ Chriſtus dixit, & non ipſe induens perſonam Chriſti idem de præſenti affirmaret.

10 Quæritur 4. quis ſit Sacramenti iſtius *Miniſter*? R. quoad confectionem ex Divina inſtitutione eſt ſolus Sacerdos, ut patet ex Concil. Nicæn. *can. 14.* Lateran. *ſub Innoc. III. c. 13.* Florent. *in Decret. Eugen. §. tertium*, Trid. *ſeſſ. 22. de Sacrif. Miſſ. c. 1.* & ratio eſt; quia ſolis Sacerdotibus eam poteſtatem Chriſtus dedit. Luc. *22. hoc facite in meam commemorationem:* quod confirmatur authoritate PP. apud Vaſq. *D. 218. c. 1.*

Quoad diſpenſationem ex officio eſt idem Sacerdos juxta Decretum Concil. Rhem. relati *can. pervenit. 28. de conſecr. diſt. 2.* Trid. *ſeſſ. 22. c. 8. de Sacrif. Miſſ.* & colligitur ex Apoſtoli verbis, *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum DEI 1. Cor. 4. v. 1.* quod congruentijs probat S. Thom. *q. 82. art. 3.* 1. quia Chriſtus in ultima Cœna, ſicut conſecravit, ſic Evchariſtiam Apoſtolis diſpenſavit, ergo ſicut Sacerdotes conſecrant in perſona Chriſti, ita congruum eſt, ut in eâdem Evchariſtiam alijs diſpenſent. 2. Sacerdos conſtituitur medius inter DEUM, & homines. ergo ſicut ad eum pertinet dona populi offerre DEO, ita ad eundem pertinet dona à DEO ſanctificata populo tradere. 3. ad reverentiam Sacramenti ſpectat non tangi, niſi à manibus conſecratis, ſed ſolis Sacerdotibus conſecrantur manus. ergo &c.

Concedunt tamen communiter DD. 11 Jure Divino permitti, & initio Eccleſiæ commiſſam eſſe Diaconis non ſolùm Sanguinis, ſed etiam Corporis Chriſti diſpenſationem: quod poſtremum circa tempora Concil. Carth. ut colligitur ex *can. 28.* reſtrictum videtur ad ſolum caſum neceſſitatis, jubente Epiſcopo, vel Sacerdote, ſiquidem adſit, qui jubeat; alias diſpenſare poterit in hoc caſu, nullo exſpectato imperio ex præſumpta voluntate, ut docet S. Thom. *in 4. diſt. 13. q. 1. art. 3. quæſt. 2.* imò ipſo Jure, & ex voluntate Eccleſiæ, ut notat Vaſq. *D. 219. c. 1. n. 11.* cùm enim in Concil. Nicæn. *can. 14.* concedatur Diacono, ut abſente Epiſcopo, & Presbytero ipſe Evchariſtiam proferat è Sacrario, & ſumat, multo magis in caſu neceſſitatis ipſi poteſtas datur eam alijs miniſtrandi.

Alijs Clericis Diacono inferioribus 12 (quod multo magis procedit de Laico) extra caſum extremæ neceſſitatis facultas hæc à nullo Prælato, Papâ inferiore, committi poteſt, prout habet communis DD. ſenſus, & apertè ſtatuitur *can. pervenit cit.* & Concil. Nicæn. *cit. can. 38.* *Neque obſtat* mos antiquæ Eccleſiæ, quo permittebatur Laicis, ut SS. Chriſti Corpus, è manibus Sacerdotis acceptum, ſuo tempore è proprijs manibus ſumendum domum deferrent, teſte Sozomeno *Hiſt. Eccl. l. 8. c. 3.* & Nicephoro *l. 13. c. 17.* nam imprimis mos iſte ex gravibus cauſis jam pridem ſublatus eſt; deinde acceptio illa tantùm fuit applicatio SS. Sacramenti à Sacerdotibus miniſtrati, ut notant Suar. *D. 72. ſect. 1.* Pal. *tr. 21. D. un. p. 17. n. 7.* Wieſt. *hic n. 11.*

Dixi *extra caſum extremæ neceſſitatis:* 13 talem contra Sot. *in 4. diſt. 13. q. 1. art 3. in fin.* Henriq. *l. 8. c. 54. n. 3.* Vaſq. *D. 219. c. 1.* nonnulli cum Conink *D. 82. art. 3. n. 23.* Chapeauville *c. 4. q. 6.* Laym. *l. 5. tr. 4. c. 7. n. 6 ¼. denique* putant eſſe, quando infirmus morti proximus, SS. Evchariſtiæ Sacramento muniri peteret, & Sacerdos, vel

Diaconus, aut alius Clericus non adesset; nam hoc casu putant, si scandalum absit, hujusmodi ægroto ministrari illud etiam à Laico posse.

14 Quæritur 5. de *Subjecto* Sacramenti istius, an porrigi Eucharistia possit Catechumenis, infantibus, perpetuò, vel ad tempus amentibus, semifatuis, energumenis, pueris, qui debilem usum rationis habent &c.

℟. *ad 1.* Catechumenos capaces non esse. Ita habet perpetua praxis Ecclesiæ, nunquam Eucharistiam largientis Catechumeno, quantumvis Sancto. *Ratio est*; quia Baptismus est janua Sacramentorum, quæ tanquam signa externa ijs solùm competunt, qui non tantùm interiùs per fidem, & Charitatem, sed etiam exteriùs sunt membra Ecclesiæ; sunt pascua ovium, & alimenta non nisi in Christo genitis salutaria.

15 *Ad 2.* etsi antiqua consuetudine, cujus meminit Trid. *sess. 21. de Commun. c. 4.* parvulis ante usum rationis Sacrosancta Eucharistia collata fuerit; ea tamen, uti illis necessaria non est, teste *eod.* Trid. ita, quia debita cum reverentia suscipere illam nequeunt, hodierno more Ecclesiæ laudabiliter negatur: si tamen detur, ex ea fructum percipiunt. Laym. *l. 5. tr. 4. c. 4. n. 2.*

Ad 3. Perpetuò amentes, uti aliàs, ita etiam hìc cum parvulis computantur. Qui verò post usum rationis in amentiam lapsi sunt, nisi graviter peccâsse, neque doluisse constet, in articulo mortis, sed non priùs ad S. Communionem admittendi sunt. Ita communis TT. & habetur *in can. is qui 8. caus. 26. q. 6.* *Ratio prioris partis est*; quia isti non modò fructûs percipiendi capacitatem, sed forsan etiam indigentiam habent, ut à peccatis occultis, de quibus non fuerunt contriti, mundentur, Sacramento Attritionis imperfectionem compensante. *Ratio posterioris partis est*; quia devotionis actualis, & debitæ reverentiæ Sacramento exhibendæ incapaces sunt, ergo extra necessitatis casum potior Sacramenti, quàm ipsorum commodi habenda ratio est.

16 *Ad 4.* Semifatuis, qui cibum Sacrum, tanquam utilem sibi, & necessarium ad salutem à profano distinguunt, non solum in articulo mortis, sed etiam tempore Paschali Sacra Communio præbenda est. Ita rursum communis cum S. Thom. *q. 80. art. 9.* quia etiam illi videntur comprehendi præcepto *c. omnis utriusque sexûs 12. de pœnit. & remiss.* Denique aliquâ saltem reverentiâ hunc animæ cibum percipere possunt, quamvis cùm illa exigua sit, nec indigentia frequentiam majorem suadeat, meritò reliquo tempore jubeantur abstinere; uti etiam surdi, & muti à nativitate, nisi ob specialem judicij maturitatem paulò frequentiùs admittendi videantur.

Ad 5. Energumenis, quando abest incontinentiæ periculum, redeunte scilicet per intervalla corporis, & animi quiete, etiam sæpiùs Eucharistia concedenda est; quia illis miseris valde necessaria est, & non rarò etiam corporibus proficua, ut colligitur ex Concil. Elibert. *c. 37.* & Araus. *1. c. 34.*

Ad 6. Pueris, quamprimum apti sunt 17 ad peccatorum confessionem, licitè præberi potest etiam Eucharistiæ Sacramentum, ut cum S. Thom. docent Tanner. Pal. & alij communiter; quia revera annos discretionis habent, & Panem cœlestem à vulgari distinguunt: attamen ex usu Ecclesiæ solet exspectari major, quàm ad Confessionem, judicij maturitas, ut tantò majorem concipiant æstimationem Mysterij, & latentem in eo Majestatem majori reverentiâ venerentur. Quidam decem annos requirunt: sed cùm aliquibus citiùs, alijs tardiùs adveniat usus rationis, id prudentis arbitrio relinquendum erit. Excipiunt Suarez, Tann, Lug, alij articulum mortis, in quo pueris, habentibus usum rationis, dandum esse dicunt Sacrum Viaticum ex præcepto: Navarrus solùm consilium agnoscit. Ego cum prioribus sentio; quia sumptio S. Viatici est Juris Divini, neque pendet à determinatione Ecclesiæ, sicut annua Communio, ergo quotquot habent usum rationis, obligantur præcepto Divino ad Eucharistiam eo tempore sumendam.

Quæritur 6. quæ dispositio requiratur, 18 ut quis Sacramentum istud rite suscipiat? ℟. duplicem esse dispositionem, unam ex parte animæ, alteram ex parte corporis.

Ex parte animæ per se necessaria est immunitas à peccato mortali, seu status gratiæ: neque sufficit statum istum procurari per Contritionem, sed determinatè præscribitur Confessio vel Jure Divino saltem positivo, & Apostolis tradito, ut habet communior sententia, vel Ecclesiastico jam inde à tempore Apostolorum ad nos derivato. Colligitur ex illo Apostoli *1. Cor. 11. v. 28. Probet autem seipsum homo &c.* quæ verba Trid. *sess. 13. c. 7.* de Confessione Sacramentali intelligunt ibi: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione, ad Sacram Eucharistiam accedere debeat: quod à Christianis omnibus, etiam ab ijs Sacerdotibus, quibus ex officio incumbit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuò servandum esse decrevit, modò non desit illis copia Confessoris: quodsi necessitate urgente, Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.*

Ex parte corporis duplex requiritur 19 dispositio: una necessitatis, ut scilicet communicans sit jejunus; altera decentiæ, ut non fuerit eo die pollutus. *De posteriore* pauca habeo dicere. Suadendum est conjugatis, ut accessuri ad S. Synaxin, se contineant, quoad fieri potest, absque graviori tentationis periculo, vel injuria partis.

Quod-

Quodſi pollutio involuntaria acciderit cuipiam, vel voluntaria quidem, ſed ut inter conjuges, honeſta, aut certè per Confeſſionem expiata, prudentis Confeſſarij erit judicare ex circumſtantijs, vel diſpoſitione præſenti, an talis ob majorem reverentiam Sacramenti ſit arcendus à Menſa Dominica, nullo tamen gravioris obligationis incuſſo metu, an è contrario admittendus. Si culpa abſit, neque commoti corporis, aut animi perturbati reliquiæ vehementiùs infeſtent, & diſtrahant, placet ſententia S. Juſtini Martyris *q. 21. ad Gent. Non eſt æquum propter involuntariam paſſionem abſtinere à Myſterijs.*

20 Quòd à jejuno per ſe, & regulariter ſumi Evchariſtia debeat, patet ex Decretis Conciliorum Carthag. III. *can. 29.* Matiſcon. II. *can. 6.* Bracharenſ. I. *can. 16.* Altiſiodor. III. *can. 29.* Moguntin. IV. *can. 33.* & aliorum apud Gonzal. *in c. ex parte 5. h. tit. n. 1.* Præcepti congruentiam reddit S. Auguſt. *Epiſtol. 118. ad Januar.* ibi, *Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti priùs in os Chriſtiani Corpus Dominicum intraret, quàm reliqui cibi.* Eſtque Conſtitutio hæc ab Apoſtolis haud dubiè profecta, quandoquidem per univerſum Orbem, ut idem Aug. *l. cit.* notat, mox poſt initium ſemper obſervatus eſt. Neque ſtatutum hoc contrarium eſt exemplo Chriſti, qui Diſcipulis ſuis Evchariſtiam poſt eſum Agni Paſchalis præbuit; nam hoc ideo fecit, ut priùs figuram, hoc eſt, Cœnam Legalem impleret, tum verò figuræ ſuccedere figuratum nova inſtitutione monſtraret: de cætero autem Eccleſiæ poteſtatem conceſſit, cum alijs ritibus accidentalibus etiam tempus, hujus Sacramenti excellentiæ conveniens, ordinandi. Primis quidem Eccleſiæ Sæculis feriâ V. in Cœna Domini veſpertino tempore celebrabatur Miſſa, & porrigebatur Evchariſtia, ut patet ex *citt.* Concil. Carth. *can. 29.* Matiſcon. *can. 6.* Brachar. II. *can. 10.* ſed illis temporibus protrahebatur jejunium uſque ad veſperam, & Miſsâ, Diviniſque Officijs jàm finitis ad ſumendos alios cibos diſceſſum fuit *can. ſolent 50. pr. de conſecr. diſt. 1.* Micrologus *de Eccl. Offic. c. 49.*

21 Quæritur 7. quale hoc jejunium eſſe debeat? ℟. debet eſſe naturale, & perfectum à media nocte uſque ad tempus, quo ſumitur hoc Sacramentum: adeoque ſumptionem hanc impedit cujuſcunque rei, quæ cibi, potúsve rationem habet, etiam minimæ, puta grani Juniperi, maſticis, ſacchari, olei, vel alterius liquoris, etiam medicinæ, & quacunque ex cauſa per os facta acceptio, ejúsque per propriam, ac vitalem comedendi, bibendique actionem in ſtomachum trajectio, ut collgitur ex *can. nihil 16. ℣. nullus 7. q. 1. can. Sacramenta 49. de conſecrat. diſt. 1. can. liquidò 54. pr. ibid. diſt. 2.* & *c. ex parte 5. h. tit.* & cum S. Thom. *3. p. q. 8. art. 8. ad 4.* paſſim tradunt TT. & Canoniſtæ cæteri.

Contrà 1. ſumptionem Evchariſtiæ non impedit, quamvis valde dedeceat, demiſſio fumi ex hauſto tabaco; nam ea nec eſt potatio, nec comeſtio propria. 22 2. Particula ligni, vel unguis arroſi, ſi glutiatur; quia non ſumuntur per modum cibi, vel potûs. 3. Sanguis, vel alius humor ex naribus, vel capite in ſtomachum defluens. 4. Aquæ guttula in ablutione oris ſalivæ admixta. 5. Particula cibi à pridiana cæna inhærens dentibus. 6. Imò ſecundùm aliquos etiam guttæ juſculi deguſtati, & cum ſaliva admixtæ, caſu in ſtomachum trajectio, quamvis omninò deceat hujuſmodi juſculi guttulas, & ciborum particulas exſpuere. Suar. *in 3. p. D. 68. ſect. 4. §. tertiò.* Conink *q. 90. art. 8.* Laym. *l. 5. tr. 4. c. 6. n. 18.* Pal. *tr. 21. D. un. p. 15. n. 8.* Wieſtner *hic n. 15. fin.*

Quæritur 8. quibus caſibus licitum 23 ſit Evchariſtiam ſumere non jejuno? ℟. quinque maximè enumerantur caſus. 1. Ob neceſſitatem Sacrificij perficiendi: quæ multipliciter poteſt contingere. 1. Si pro conſecratione Calicis loco vini adhibita, & jam ſumpta ſit aqua: nam tunc iterum conſecrandus eſt calix, & non obſtante violatione jejunij, à Sacerdote ſumendus; quia major eſt irreverentia, ſi non abſolvatur Sacrificium, quàm ſi omittatur jejunium, Lege Eccleſiaſtica præceptum. 2. Si Sacerdos poſt Conſecrationem jam peractam recordetur ſe jejunum non eſſe: *poſt conſecrationem*, inquam; nam ſi ante conſecrationem memor fiat, tutiùs abſtinet, ſi ſine gravi ſcandalo poteſt. 3. Si alius Sacerdos, poſt Canonem incœptum deficiens, Miſſam proſequi non valeat; tunc enim ſi alius jejunus non adſit, eam perficere debet non jejunus. Laym. *l. 5. tr. 4. c. 6. n. 21.*

2. Si poſt ſumptam ablutionem adhuc 24 ſuperſint reliquiæ in Corporali, vel patena repertæ: imò ex univerſali principio, quòd ſatisfaciat legi, qui ſumptionem inchoat jejunus, licebit poſt longam Evchariſtiæ diſtributionem in fine Sacri ſumere non ſolùm micas deciduas, ſed integras Hoſtias in eodem Sacrificio conſecratas, ut docent *Suar. Fagund. Dian. Vaſq. Conink, Tannerus, alij;* quia non cenſetur eſſe nova Communio, ſed pertinere ad complementum tum Sacrificij, tum Communionis, quam jejunus inchoavit. Si tamen in alio Sacrificio illæ reliquiæ ſunt conſecratæ, & commodè ſervari poſſint, negant eas licitè ſumi poſt ablutionem; quia non ſpectant ad complementum proprij Sacrificij. Sed de ijſdem probabiliter concedit *Palao*; quamvis enim non ſpectent ad complementum Sacrificij, complent tamen eandem moraliter Communionem.

25 3. Si Eucharistia, nisi statim sumatur, vel incendio absumenda sit, vel in Sacrilegas manus Infidelium, aut Hæreticorum deventura; nam hoc casu SS. Sacramentum à non jejuno, etiam Laico, cum timore, & reverentia sumi potest. Laym. *l. 5. tr. 4. c. 6. n. 22. ℣. quintus casus*, Pal. *tr. 21. D. un. p. 15. n. 17.* Wiestner *hic n. 16*

4. Si grave scandalum oriturum sit, nisi aliquis communicet, aut sacrificet, qui jejunus non est: quem rarum quidem casum, attamen indubitatum esse ait Suar. *D. 68. sect. 5. in fin.* quia Leges positivæ nunquam tam severè obligant.

5. In mortis articulo, si commodè sumi non possit à jejuno, sive deinde mors immineat ex morbo, sive ex sententia Judicis, si is diutiùs exspectare nolit, vel ob causam non possit *can. de his verò 9. caus. 26. q. 6. can. Presbyter 93. de consecr. dist. 2.* & Concil. Constantiens. *sess. 3.* quia eo tempore sumptio hujus Sacramenti est præcepti Divini, quod Ecclesiastico, quo jejunium communicaturo injungitur, prævalet.

26 Quæritur 9. an infirmus non jejunus Sacrâ Eucharistiâ refici sæpiùs possit? Satis convenit inter DD. eundem, si jejunus nequeat, denuo refici non jejunum posse, quando mortis periculo, ratione cujus Sacro Viatico munitus est, sublato, succedit novum.

An verò id permissum sit, eadem infirmitate durante, Controversia est. Vasquez *D. 211. c. 4. à n. 37.* putat iterationem tantùm permissam esse semel non jejuno, ex ratione; quia casus articuli, seu periculi mortis ex ea tantùm ratione exceptus est, ne infirmus necessario vitæ suæ Viatico defraudetur *can. de his cit.* & ne sine Communione moriatur *can. Presbyter cit.* atqui talis jam non decedit sine Communione nec defraudatur necessario vitæ Viatico. ergo &c.

7 Sed communiùs contrarium defendunt alij, qui tamen in tempore, quo, & quoties iterari S. Communio possit, non conveniunt; nam 1. aliqui putant iterari Communionem à non jejuno posse saltem eo casu, quo post Viaticum acceptum infirmus in peccatum mortale incidit. 2. Tabien. *V. Communio n. 54.* Henriq. *l. 8. c. 50. n. 1.* Dian. *p. 1. tr. 14. resol. 57.* Bonacin. *de Sacram. D. 4. q. 6. p. 2. n. 23.* iterationem permittunt post sex, septem, vel octo dies. 3. Ludovic. à S. Joan. *apud Quintanaduen. singul. 14. n. 3.* ad repetitonem sumptionis Eucharistiæ admittunt post triduum lapsum à sumpto Viatico. 4. Armill. *V. Communio n. 18.* Sà *V. Eucharistia n. 5. & 34.* Laym. *l. 5. tr. 4. c. 6. n. 20. ℣. adde primò*, Hurtad. *de Eucha. D. 9. diffic. 16. fin.* Pal. *p. 15. cit. n. 14.* Dicast. *de Euch. D. 9. n. 334.* Gobat. *Exper. tr. 4. n. 317.* id licitum esse dicunt toties, quoties extra infirmitatem non jejunus communicare solebat: ac proinde Sacerdoti, quotidie sacrificare solito, si S. Eucharistiæ magno desiderio teneretur, & sumere illam jejunus non posset, non jejuno ministrari illa quotidie posset: & hanc sententiam non solùm piam, sed tutam etiam esse in praxi, affirmat P. Wiestner *hic n. 17.* Ratio est; quia textus, permittentes infirmo non jejuno sumptionem S. Eucharistiæ, non restringunt hanc suam permissionem tantùm ad unam vicem: ut adeo meritò videatur Ecclesia ob specialem ejus articuli necessitatem etiam frequentiorem Communionem ipsi concedere, & in Lege jejunij dispensare, vel potiùs eundem non comprehendere.

Ad Rationem in contrarium allatam di- 28 co, rationem ibi positam non esse adæquatam; nam præterea hoc indultum est ad moribundi solatium, ad ejus in illo articulo confortationem, ad unionem majorem animæ cum Deo Creatore, ac Redemptore suo, ad superandas tentationes, ac suggestiones Diaboli, tum maximè insidiantis, & quærentis, quem devoret.

Quæritur 10. utrum liceat Sacerdoti 29 non jejuno sacrificare in casu necessitatis, ut alium morituram communicet, pro quo Hostia consecrata non adest, quæ moribundo præberi possit? Affirmant Major *in 4. dist. 9. q. 3. ad 5.* qui etiam addit tali casu Sacerdotem non jejunum ad communicandum moribundum post meridiem privatim consecrare posse etiam panem fermentatum, dicendo sola verba Consecrationis sine vestibus Sacerdotalibus.

Sed alij DD. cum Paludan. *in 4. dist. 8. q. 2. art. 1. concl. 2.* Sot. *in 4. dist. 12. q. 1. art. 8.* Navar. *Man. c. 25. n. 88.* Tolet. *l. 2. c. 13. in fin.* Henriq. *l. 8. c. 46. n. 1.* Suar. *D. 68. sect. 5.* Conink *q. 80. art. 8.* Laym. *l. 5. tr. 4. c. 6. n. 21.* hoc probabilius negant; quia Ecclesiæ consuetudo talia non permittit ob maximam hujus Sacramenti excellentiam, quod uno modo, ac ritu semper confici, & administrari plurimùm interest; præterquam quòd gravia incommoda sequi possent, si interdum Parochis bene pransis, ac cænatis sacrificare licitum esset.

In raro tamen necessitatis casu, si 30 infirmus moriturus aliud Sacramentum, videlicet Pœnitentiæ, aut extremæ unctionis suscipere non posset, & scandalum abesset, probabile est, ut *l. cit.* advertit Layman, non malè acturum Sacerdotem, si ob ejusmodi hominis Communionem non jejunus sacrificet.

§. II.

§. II.

De Sacrosancto Missæ Sacrificio.

SUMMARIUM.

31. *Quid sit Sacrificium, & quotuplex?*
32. *Quid intelligatur nomine Missæ?*
33. *Quis sit Minister in hoc Sacrificio?*
34. *Quis effectus, ut est Propitiatorium?*
35. *Quis, ut est Impetratorium?*
36. *An sit obligatio celebrandi quotidie?*
37. *Quoties teneantur celebrare Parochi, & Curati?*
38. *Quoties alij Beneficiati?*
39. *Quid dicendum de his, qui nullum habent Beneficium?*
40. *An eadem die liceat celebrare sæpiùs?*
41. *Casus, quibus istud permissum est?*
42. *Alij Casus juxta alios Authores.*
43. *An liceat celebrare Missam in die Parasceves?*
44. *Vel privatam dicere in Sabbato Sancto?*
45. *Aut feria V. in Cœna Domini?*
46. *Quâ horâ sit celebrandum;*
47. *Quo loco?*
48. *Et modo?*
49. *Utrum Sacerdotes Regulares ab Ordinariis, vel alijs impediri possint, quin Missas, & Officia Divina in proprijs Ecclesijs celebrent?*
50. *Quid statutum sit, quando exteri, & peregrini celebrare petunt in Ecclesijs Regularium?*

31 QUæritur 1. quid sit *sacrificium*, & quotuplex? ℟. *Sacrificium* in genere definiri potest, quod sit *oblatio rei permanentis, cujus immutatione, per legitimum Ministrum facta, recognoscitur DEUS, ut supremus omnium Dominus vitæ que, & mortis Author.* Olim ratione finis, seu formæ dividebatur in Holocaustum, Hostiam pacificam, & Hostiam pro peccato. *Holocaustum* erat sacrificium oblatum unicè in laudem DEI, & honorem supremæ Majestatis: unde tota victima cremebatur, pelle excepta, ad significandum, nos totos esse DEI, & omnia ad ejus gloriam referenda. *Hostia pacifica* fiebat pro beneficio obtinendo, vel accepto: unde pars victimæ cremebatur, pars Sacerdoti, & pars offerenti cedebat. *Hostia pro peccato* fiebat ad obtinendam Legalis peccati remissionem, quæ bifariam divisa partim comburebatur, partim Sacerdoti cedebat. In nova Lege unicum est Sacrificium, sed Augustissimum, Missæ, cujus figura erant Sacrificia omnia antiquæ Legis.

32 Quæritur 2. quid intelligatur nomine *Missæ*? ℟. nomen hoc aliqui deductum putant ab Hæbræo *Missah*. Sed meliùs alij derivant illud â Latino *Mitto*, sive â missione, vel dimissione Catechumenorum, vel totius populi Christiani, quorum illi olim dimittebantur ante Oblationem, isti hodiedum dimittuntur, Sacrificio peracto, & benedictione accepta. Bellarm. *l. 1. de Miss. c. 1.* Nomine hoc, usu â primis Ecclesiæ temporibus jam recepto, venit incruentum Sacrificium, quod DEO offertur in Missa; nam verum, & proprium Sacrificium in Missa DEO offerri definitum est â Trid. *sess. 22. can. 1.* Essentiam hujus Sacrificij TT. cum S. Thom. *in 3. p. q. 82. art. 4.* constituunt in sola consecratione, quòd per ipsam Christus acquirat novum existendi modum, & immutativè ponatur sub speciebus panis & vini: sumptio tamen probabiliter quodammodo spectat ad integritatem, & complementum Sacrificij; quia naturâ suâ servit ad significandum Symbolicè DEUM vitæ mortisque Dominum, quatenus tendit in destructionem rei sacrificatæ quoad esse Sacramentale, sive sub ea ratione, quam per Consecrationem accepit. Et quidem hæc actio sumptionis ita necessariò exigitur, ut neque Ecclesia circa illam dispensare possit, sed si sacrificantem contingat impediri, suppleri illa ab alio, & quidem Sacerdote debeat.

33 Quæritur 3. quis sit Minister in hoc Sacrificio? ℟. principalis est ipse Christus, qui proin non solùm est victima, sed & Sacerdos, ut passim affirmant SS. PP. & definivit Trid. *sess. 22. de Sacrif. Miss. c. 2.* neque solùm remotè ratione institutionis, ut vult Vasq. *D. 225. c. 3.* citans Scotum, Gabrielem, Cordubam, sed etiam proximè; quia ipse ponit se sub speciebus, offértque Deo, prout cum communi docuit Suar. *D. 77.* Præter Christum Minister hujus Sacrificij secundarius est Sacerdos legitimè ordinatus, qui Christi personam assumens, ac repræsentans profert verba Consecrationis, quibus, ut *n. præc.* dictum est, Sacrificium novæ Legis essentialiter perficitur; sic enim S. Cyprian. *l. 2. Epist. 3. ad Cæcilium* ibi, *Sacerdos in Altari vice Christi fungitur, & sacrificium verum, ac plenum Deo Patri offert.* Idem Sacerdos in Missa etiam est Vicarius, & quasi Legatus, & intercessor totius Ecclesiæ, dum pro Papa, Antistite, & pro omnibus fidelibus vivis, & defunctis Hostiam incruentam immolat. Hinc in vero aliquo sensu etiam alij fideles, & ipsa Ecclesia dicuntur Sacrificium istud offerre: quod maximè verum de ijs est, qui ad Sacrificium specialiter concurrunt, sive præsentes se sistendo, sive

etiam

etiam ministrando, sive denique stipendium Sacerdotibus largiendo.

34 Quæritur 4. quis sit effectus Sacrificij Missæ? R. considerari Sacrificium Missæ potest vel ut Propitiatorium, vel ut Impetratorium est. Prout est *propitiatorium*, effectus illius est remissio peccatorum tam mortalium, quàm venialium, nec non pœnæ temporalis, adhuc debitæ pro peccatis condonatis, prout patet ex Trid. quod *sess. 22. can. 3. de Sacrif. Miss.* Anathema dicit ei, qui *dixerit Missæ Sacrificium soli prodesse sumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus offerri debere:* quem utrumque effectum habet ex opere operato; quia producit independenter à fide, probitate, & merito Sacerdotis: eo tamen discrimine ut remissionem pœnæ juxta dispositionem subjecti operetur immediatè, & infallibiliter, peccatorum autem mediatè tantùm per auxilia gratiæ, quorum efficacia pendet à libera cooperatione voluntatis.

35 Ut *Impetratorium* est, habet vim impetrandi, quidquid per illud rectè petitur: quæ vis est infinita in actu 1. quia res oblata in hoc Sacrificio, Offerens principalis, & ejus merita infinitæ sunt dignitatis: in actu 2. tamen tam intensivè, quàm extensivè est finita, & limitata. Et quidem quòd intensivè sit finita in actu 2. probatur ex eo; quia juxta majorem, vel minorem fervorem subjecti, pro quo offertur, crescit effectus Sacrificij, neque semper obtinetur, quod petitur; quòd verò finita sit extensivè, probatur ex communi sensu fidelium, qui ut certiùs obtineant fructum Sacrificij, dato stipendio, jubent pro se solis primariò offerri. ergo supponunt tanto minorem esse virtutem respectu singulorum, quo plura, & pro pluribus postulantur.

36 Quæritur 5. an aliquando Sacerdos teneatur ad sacrificandum? *Certum est 1.* etsi nulla Lege aut Divina, aut humana obligetur Sacerdos ex vi Ordinis ad quotidie celebrandum, per se tamen loquendo valde consultum, & decens esse, ut quotidie celebret. Est communis assertio, quam satis probat Ecclesiæ praxis, & authoritas SS. PP. ex quibus Beda *apud Gabriel. lect. 87. in canon.* sic loquitur: *Sacerdos non legitimè impeditus celebrare omittens, quantum in eo est privat SS. Trinitatem laude, & gloriâ, Angelos lætitiâ, peccatores veniâ, justos subsidio, & gratiâ in Purgatorio existentes veniâ, Ecclesiam speciali Christi beneficio, & seipsum medicina, ac remedio.*

37 *Certum est 2.* Parochos, & alios Curatos ex officio suo obligari præcepto Ecclesiastico per se, vel per alios singulis saltem Dominicis, & Festis diebus celebrare Missam, ut populus eis subjectus occasionem habeat implendi præceptum Ecclesiæ Navar. *Man. c. 25. n. 135.* Sot. *in 4. dist. 13. q. 2. art. 2.* Azor *p. 1. l. 10. c. 24. q. 2.* Suar. *D. 89. sect. 1.* Tolet. *l. 2. c. 3.* Conink *q. 83. art. 2. dub. 1. concl. 1.* Laym. *l. 5. tr. 5. c. 3. n. 2.* Wiest. *hic n. 27.* & alij, id desumentes ex Trid. *sess. 23. c. 14. de reform.* ubi Episcopus jubetur curare, ut qui curam habuerint animarum, tam frequenter celebrent, ut suo muneri satisfaciant. Imò si populus sit ita numerosus, ut omnes simul non possint assistere, ijsdem diebus tenebitur Parochus curare, ut per Cooperatores, vel alios Sacerdotes duæ, vel plures aliæ fiant Missæ: idque ad Episcopum, habita ratione redituum, ordinare pertinebit. Laym. *n. 2. cit. ℣. adde primò.* Pal. *tr. 22. D. un. p. 13. n. 4.* Wiestner *l. cit.*

38 *Certum est 3.* ad sacrificandum quandoque teneri etiam Sacerdotes non Curatos ratione Capellaniæ, aut Beneficij sui, quod habent; nam mens Fundatorum implenda est, & sacrificandum toties quoties, vi fundationis exigitur. Laym. *l. cit. n. 6.* & hoc teste omnes. Cæterùm si fundatio quotidianum Sacrificium exigat, tunc ex verbis, quibus Fundator usus fuit, conjectura capi debet, utrum is loco, an personæ imponere obligationem voluerit; nam *si loco*, operam dare Capellanus debet, ut in designato Altari quotidie sacrificium fiat à se, vel ab alio. *Si autem personæ*, ipsemet Capellanus omnibus diebus celebrare tenebitur, quatenus potest, salva honestate, ac devotione. Sylv. *V. Missa 1. q. 7.* Navar. *Man. c. 25. n. 135.* Azor *p. 1. l. 10. c. 24. q. 7.* Tolet. *l. 2. c. 3.* Laym. *l. 5. tr. 5. c. 3. n. 6.* Ex consuetudine tamen in quibusdam Ecclesijs introducta etiam ijs Capellanis, quibus quotidiani Sacrificij obligatio incumbit, unus vacationis dies in hebdomade indulgetur, eò quòd ob humanam fragilitatem Sacerdotes, præsertim sæculares, omnibus omnino diebus ad sacrificandum dispositi non sint. Laym *l. cit.*

39 *Dubium est*, an vi Ordinis solius aliquando Sacerdos ad sacrificandum obligetur? Negârunt quidam etiam magni nominis DD. cum S. Bonav. *in 4. dist. 12. p. 2. art. 2.* & Cajetan. *in 3. p. q. 82. art. 1.* ratione Ordinis ullam obligationem sacrificandi Sacerdoti incumbere, quòd nullo Jure illud expressum sit. *Sed dicendum*, quemlibet Sacerdotem ratione Ordinis, & Officij sui Sacerdotalis assumpti ad Sacrificium hoc aliquoties offerendum graviter obligari. Ita S. Thom. *in 3. p. q. 82. art. 10.* Navar. *Man. c. 25. n. 88.* Suar. *D. 80. s. 1.* Vasq. *D. 252. c. 1.* Wiest. *hic n. 26.* & patet ex Trid. *sess. 22. c. 1. de Sacrif. Miss.* ubi loquens de Christo, qui Apostolos Sacerdotes ordinavit, *Eisdem*, inquit, *eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba; Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit.* Et ideo etiam S. Pius

Pius V. ex Commentario Cajetani contrariam conclusioni nostræ doctrinam voluit expungi. Ratione probat S. Thomas *l. cit. quia unusquisque tenetur uti gratiâ sibi datâ, cùm fuerit opportunum secundùm illud 1. Cor. 6.* Hortamur, ne in vacuum gratiam DEI recipiatis : *Opportunitas autem Sacrificij offerendi non solùm attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet Sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad DEUM, cui consecratione hujus Sacramenti Sacrificium offertur : unde Sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino à celebratione cessare.* Ita Doct. Angel.

40 Quæritur 5. an eadem die liceat celebrare sæpiùs ? R. olim Sacerdotes ob eorum paucitatem eadem die, præsertim in Majoribus anni festis sacrificare pluries poterant *can. relatum 11. dist. 2. de consecr.* & Leo Papa septem, vel novem Missarum solennia celebrâsse perhibetur à Strabone *de reb. Eccl. c. 22.* Postquam tamen numerus Sacerdotum crevit, & fervor remisit, cautum est, ut singulis diebus semel duntaxat singuli sacrificarent *can. sufficit. 53. de consecr. dist. 1.* & *c. te referente 12. h. tit. Excipitur* solennitas Natalis Domini, ubi trium Missarum celebratio cuivis Sacerdoti permissa est *c. consuluisti 3. h. tit.* idque vel ad significandum triplicem Christi Nativitatem, æternam ex Patre cælesti, temporalem ex Maria Virgine, & spiritualem in hominum cordibus, ut putat S. Thom. *3. p. q. 83. art. 2. ad 2.* vel ut vult Beda *in Serm. de Nativit.* ad significandos tres hominum status, ante Legem Moysis, sub Lege Moysis, & post Legem, qui est status gratiæ. Ea tamen nocte, cantatâ primâ Missâ, non possunt aliæ duæ immediatè celebrari ; nec fidelibus confluentibus in media nocte ad Ecclesias, & Communionem deposcentibus, hæc est exhibenda ; utrumque enim bis prohibuit S. Congregatio Rituum, semel *20. April. 1641.* & iterum *9. Aug. 1653.* idque novissimè *7. Dec. 1702.* repetijt *S. Congr. Visitation. Apost.* apud Monacell. *p. 2. tit. 15. form. 3. n. 17.*

41 Præter Domini Natalem insuper alij casu referuntur à DD. in quibus licitum sit Sacerdoti iterum sacrificare, si jejunus sit. 1. quando post Sacram Hostiam (ante ablutionem tamen) sumptam Sacerdos admonetur de Viatico infirmo alicui ministrando, & Hostia consecrata, quæ huic ministretur, non adest ; tum enim si à sumptione ablutionis abstineat, novum Sacrificium inchoare, & perficere potest. Laym. *l. 5. tr. 5. c. 4. n. 6. v. casus*, & hoc teste omnes. 2. quando unus Parochus regit duas Parochias, & alius Sacerdos deest, neque populus unius Parochiæ commodè venire ad alteram Parochiam potest ; nam tali casu, ne die festo populus alterius Parochiæ Missæ audiendæ occasione privetur, iterum ablutione non sumpta, Sacerdos ad alteram accedere, & dicere ibi Missam potest. Idem ob eandem rationem concedit Laym. *l. cit.* quando in die Dedicationis Ecclesia magnum populi concursum non capit, & pariter non adest, nisi unus Sacerdos.

Addunt aliqui apud *cit.* Laym. *3.* ite- 42
rum sacrificari ab eodem Sacerdote posse ob nuptiarum benedictionem. 4. ob mortui sepulturam, cùm Missæ Sacrificium adjungi postulatur. 5. ob peregrinorum, vel Processionis inexspectatum Adventum, præsertim die festo. 6. ob Episcopi, vel Principis viri adventum, etiam die non festo. 7. si eodem die duæ Missæ concurrant, una de die, aut festo, altera verò de Vigilia, aut Rogationibus, aut defunctis, & non adsit, nisi unus Sacerdos. Verùm hi casus hodie vix locum habere possunt, ut Laym. *l. cit. v. circa hos*, notat, nisi tum, quando præter unam ex illis causis major aliqua necessitas accedit, v. g. populi querimonia ; vel scandalum, nisi iterum sacrificetur ; tunc enim etiamnum hodie putat locum fore Legi Ecclesiasticæ, quæ dictam licentiam in casu necessitatis, secundùm boni viri arbitrium æstimato tribuit.

Quæritur 6. an liceat celebrare Mis- 43
sam ultimo triduo Majoris Hebdomadæ ? R. die Paraseeves non licet, sicut ex antiqua Ecclesiæ traditione testatur Innoc. I. *Epist. 1. ad Decentium c. 4.* & refertur *can. Sabbato 13. de consecr. dist. 3.* Rationem dat S. Thom. *3. p. q. 83. art. 2. ad 2.* quòd Ecclesia ea die colat, & exhibeat realem Passionem, & cruentum Sacrificium Christi ; & ideo non repræsentat mysticè, seu immolat incruentè. Similiter in Sabbato Sancto olim prohibitum erat sacrificare, teste Innoc. *l. cit.* nam Ecclesia toto etiam illo die in jejunio, luctu, & repræsentatione mortis Dominicæ perseverabat, Missamque Resurrectionis ipsa nocte celebrabat : postea verò Missa anticipata fuit ad tempus antemeridianum Sabbati.

Ex quo dubium inter DD. natum est, 44
utrum nunc tempore antemeridiano licitum sit non tantùm unam Missam solennem, sed etiam plures privatas celebrare, sicut olim licitum erat in nocte Resurrectionis ? Negant Navar. *Man. c. 25. n. 88.* Francolin. *de tempor. Horar. Canon. c. 30.* Henriq. *l. 9. c. 24. n. 3.* Affirmant Sot. *dist. 13. q. 2. art. 2.* Gutier. *l. 1. qq. Canon. c. 30. n. 36.* Suar. *D. 80. sect. 2.* Quorum sententiam probabilem existimat Laym. *l. 5. tr. 5. c. 4. n. 8.* quòd tota ratio, cur olim prohibitum fuerit, eo die sacrificare, hodie cessârit, & *can. Sabbato cit.* consuetudine sit derogatum. Sed controversiam solvit Decretum *S. Congr. Rit. 11. Mart. 1690.* Papa approbante editum, quo illicitum esse pronuntiavit Missas privatas celebrare in die

Sabbati Sancti in quibuscunque Ecclesijs, & Oratorijs, non obstante quacunque contraria consuetudine.

45 Feriâ 5. in Cœna Domini posse à Sacerdotibus privatas Missas celebrari, habet communior sententia DD. apud Suar. *D. 80. cit. sect. 2.* id enim neque Jure scripto prohibetur, neque consuetudo, ut omnes Presbyteri communicent de manu Præpositi, hactenus obtinet vim Legis, cùm etiam Romæ ea die, antequam incipiat Officium Parasceves, licuerit Missas privatas dicere, usque ad novissimum Decretum Cardinalis Vicarij, quo statuit, ut in singulis Ecclesijs ea die non fieret, nisi Missa unica: quod Decretum, nisi Papæ, vel S. Congr. authoritate confirmatum sit, non puto Diœcesim Romanam egredi, quippe cùm in ea sola, & non in Orbem Christianum reliquum Cardinalis Vicarius Jurisdictionem Ordinariam habeat.

46 Quæritur 7. quâ hora, loco, & modo Sacrificium Missæ celebrari debeat? R. *Ad 1.* constat ex consuetudine, & praxi Ecclesiæ, definitum esse spatium ab exortu auroræ usque ad meridiem. *Excipitur 1.* nox Nativitatis Domini, ubi post mediam noctem, ut *n. 40.* dictum est, celebratur, sed unica tantùm Missa à singulis Sacerdotibus, ut *ibidem* ex *Decreto S. Congr.* adverti. *Excipitur 2.* si ægroto alioquin morituro dandum esset Sacrum Viaticum, & particulæ consecratæ haberi non possent. *Excipitur 3.* si per privilegium spatium prorogetur. Ita Societati JESU concessit Gregorius XIII. ut ex Superioris licentia, justa causa intercedente, unâ horâ ante auroram, & post meridiem possint celebrare, ut patet ex *Compend. Privil. Societ. V. Missa §. 3. Excipitur 4.* si licentiam dederit Episcopus; nam hic ex justa causa v. g. itineris commodè peragendi eam licentiam dare, & multo magis ipsemet eâ uti potest, ex communi DD. sensu apud Laym. *l. 5. tr. 5. c. 4. n. 3. 5.* denique in Germania, cùm hyemali tempore diu non illucescat, consuetudine passim obtinuit, ut tribus, & quatuor etiam ante auroram horis Missæ inchoëntur, pro majori commoditate operariorum, & famulorum, ut interesse Sacrificio possint, antequam ad opus, & laborem suum se conferant. Laym. *n. 3. cit. ¥. 5. consuetudo.* Wiest. *hic n. 21.*

47 *Ad 2.* Locus, in quo Missæ Sacrificium offertur, debet regulariter esse consecratus, vel saltem benedictus secundùm dicta *Tit. præc. n. 7.* & hoc fieri debet super Altari consecrato, prout *ibidem* dictum est *n. 35. & 36.* In Oratorijs privatis sine privilegio Apostolico, aut saltem licentia Episcopi Missæ dici non possunt, neque ij, qui in tali Oratorio diebus Dominicis, aut Festis sine tali privilegio, aut licentia Missæ assistunt, satisfaciunt præcepto, ut latè probat Monacell. *p. 2. tit. 13. form. 2. n. 32. & seqq.* Quod intelligendum etiam de Sacellis privatis, quæ intra Conventus Regularium, vel extra in Domibus ruralibus illorum erecta sunt; nam ut S. Congr. *sub die 1. Maij 1687.* apud Matthæucc. *in Offic. Eccl. c. 10. n. 83.* respondit, in Domo rurali Monasterij Sacerdos Regularis absque peculiari Sedis Apostolicæ indulto celebrare nequit. *Excipiuntur* ergo soli illi, qui ad hoc privilegio Apostolico muniti sunt, ut extra Ecclesias in Altari portatili Missam dicere possint: & his quidem Sanctissimus Dominus noster Clemens XI. speciali *Decreto edito 15. Dec. 1703.* prohibuit in hujusmodi Oratorijs privatis Missam celebrare, ubi vel unica Missa, quæ in Indulto conceditur, celebrata fuerit: quod Decretum nescio, utrum in Germania usu receptum sit.

48 *Ad 3.* circa modum celebrandi advertendum est 1. ut adhibeantur Vestes Sacræ, videlicet Amictus, seu Superhumerale, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Casula, quas vestes oportet esse integras, & mundas. 2. collocandum in Altari est lumen, & Crux. Censet tamen *Lugo*, in casu necessitatis sufficere lumen ex oleo, vel sevo, etsi in Rubrica Missalis duo Cerei præscribantur. *Suarez*, & *Vasquez* putant, non graviter peccaturum, qui sine Cruce celebrat. 3. in Altari, dum Missæ Sacrificium peragitur, necessaria sunt ornamenta quædam, scilicet mappa triplex, vel saltem una duplicata cum Corporali super mensam Altaris; Corporale, quod proximè mappis imponitur; Palla, quæ calici superponitur, & pars quædam Corporalis esse censetur; calix cum patena aurea, vel argentea, vel saltem deaurata; Purificatorium, Missale &c. 4. adhibendus est Minister, saltem unicus (si de privatis Missis sermo sit) qui totius populi nomine sacrificanti respondeat, vinum, & aquam porrigat &c. & hic debet esse mas, non fœmina, ut habetur *c. inhibendum 1. de cohabit. Cler. & mulier.* & docet Palud. *in 4. dist. 13. q. 2. art. 1. concl. 2.* Sylv. *V. Missa 1. q. 2.* Suar. *D. 87. sect. 1.* Laym. *l. 5. tr. 5. c. 6. n. 13.* qui satius esse arbitrantur sine ministro celebrare, quàm fœmina ad Altare respondente, urceolos porrigente &c. 5. observandi sunt Ritus reliqui, quos Romanum Missale præscribit. Ad quod etiam pertinet, ut dicatur Missa, quæ secundùm easdem Rubricas, & Decreta S. Congr. dici debet, aut potest. In Duplicibus (unicâ Missâ exceptâ, præsente Corpore) celebrari non possunt Missæ *de Requiem*, ut approbante Alexandro VII. decrevit S. Congregatio *5. Aug. 1662. Excipiuntur* Anniversaria, & Missæ cantatæ *de Requiem*, relictæ ex dispositione Testatorum, quotannis in die ipsorum obitûs, in Duplici Majori contingentis; nam hæc in Decreto *cit.* non comprehen-

henduntur, ut declaravit eadem Congreg, *in una Novarien. 22. Nov. 1664.*

49 Quæritur 8. utrum Sacerdotes Regulares ab Ordinarijs, vel alijs impediri possint, quin Missas, & Officia Divina in proprijs Ecclesijs celebrent? R. non posse, prout statuit S. Pius V. *Const.* incipit *Et si mendicantium 41. Bullar. tom. 2. §. 8. ℣. & insuper.* Possúntque hoc 1. etiam eo tempore, quo Parochi ipsi in Ecclesijs suis celebrant. *Const. cit. §. 22.* 2. idem facere possunt etiam Diebus Dominicis, & Festis, aliisque totius anni temporibus §. *22. cit.* 3. nec prohibitum ipsis est ad id pulsatione Campanarum vocare populum, & quidem, antequam pulsetur campana majoris Ecclesiæ §. *cit.* & decrevit *S. Congr. Regul. 10. Oct. 1568.* Excipitur dies Sabbati Sanctus; hoc enim die priùs pulsari debent Campanæ Ecclesiæ Cathedralis, vel Matricis, quàm alterius Sæcularis, vel Regularis, prout habetur *in Declaratione cit.* & constituit Leo X. *Const. Dum intra 22. §. 14. Bull. tom. 1.* 4. Possúntque Regulares admittere Fideles ad Missas, & alia Officia Divina audienda: qui si in Ecclesijs Regularium diebus Dominicis, & Festis Missas audiant, satisfaciunt præcepto Ecclesiæ, prout decrevit Leo X. *Const. 25. Bullar. tom. 1.* Neque contrarium definivit S. Synod. Trid. *sess. 22. in Decret. de observ. & evit. in celebr. Missar.* nam ibi duntaxat statuit, ut Parochi moneant populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, & majoribus Festis accedant; non verò dicit, quempiam cogi posse ad Missam in Parochiali Ecclesia audiendam, ut notat Piasec. *prax. Episc. p. 2. c. 2. art. 3. n. 21.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 10. n. 3. ℣. quod observavit.*

50 Quæritur 9. quid statutum sit, quando Regulares in alienis Ecclesijs, vel exteri, & peregrini Sacerdotes in Ecclesijs Regularium celebrare petunt? R. 1. Regulares non possunt prohiberi, ne Missas celebrent in Ecclesijs quibuscunque, prout statuit S. Pius V. *Const. Et si mendicantium cit. §. 8. ℣. & insuper.* de Rectorum tamen, & eorum, ad quos spectant, consensu. Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 10. n. 1.* 2. quando Sæculares Presbyteri in Ecclesijs Regularium ex propria devotione voluerint, celebrare in ijs possunt, & benignè recipi debent juxta dispositionem Leonis X. *Const. Dum intra cit.* Matthæucc. *l. cit. n. 5.* 3. Si verò ijdem Sacerdotes aliquo titulo teneantur ad celebrandum certis diebus in Ecclesijs Regularium, per dispositа *à Congr. 6. Sept. 1625.* tenentur Regulares ad consensum dandum, cum onere tamen, ut Presbyter celebraturus sibi suis sumptibus de supellectilibus, cera, cæteróque apparatu Ecclesiæ ad id necessario provideat. Matthæucc. *l. cit. n. 7.* 4. quando ex dispositione Testatoris debent in Ecclesijs Regularium celebrari Missæ à Presbyteris Sæcularibus, vel Regularibus ad hæredum arbitrium, & Regulares, ad quos Ecclesia pertinet, nollent consentire, *S. Congr. Concil. in una Venetiarum 14. Sept. 1639.* censuit, eas Missas de Ordinarij licentia posse celebrari alibi. 5. Exteri, & Peregrini à Regularibus admitti non debent ad celebrandum in proprijs Ecclesijs, nisi servatâ formâ Decreti *editi 11. Aug. 1649.* quo *S. Congr. Inquis.* mandat, ne Conventuum, & Monasteriorum Superiores in eorum Ecclesijs ad celebrandum admittant vagos, seu peregrinos, nisi examinatis diligenter Litteris *Obedientiæ*, si Religiosi sint, aut si sæculares, visis litteris testimonialibus, subscriptis à Vicario Generali, aut foraneo Episcopi loci &c.

§. III.

De Officio Divino.

SUMMARIUM.

§1. *Definitio Officij Divini, seu Horarum Canonicarum.*
§2. *Ratio numeri earum septenarij.*
§3. *Divisio in Officium Nocturnum, & Diurnum.*
§4. *Ad id obligantur Clerici constituti in Sacris.*
§5. *Religiosi Professi ad Chorum deputati.*
§6. *Clerici quicunque Beneficium obtinentes.*
§7. *Utrum ad Horas teneatur Clericus obtinens Beneficium tenue?*
§8. *Resolvitur affirmativa.*
§9. *Fundamenta contraria resolvuntur.*
§0. *Utrum recitare Officium Divinum teneatur, qui Beneficij Ecclesiastici titulum habet sine ejus possessione?*
§1. *Deciditur negativa.*
§2. *Respondetur ad oppositа.*
§3. *Quid dicendum, si Canonicus quidem missus sit in possessionem Beneficij, sed talis, quod nullos habeat fructus?*
§4. *Vel si fructus habet, illos tamen Beneficiarius aut ex culpa sua, aut ex vi, vel fraude aliena non percipit?*
§5. *Vel si illi ad aliquod tempus cedant fabricæ Ecclesiæ?*
§6. *Aut Canonicis antiquioribus?*
§7. *Aut reserventur in demortui Canonici sepulturam, vel debita expungenda?*
§8. *An qui plura Beneficia habet, debeat in die sæpius Horas dicere? Rationes dubitandi.*

69. *Respondetur negativè.*
70. *Rationes dubitandi solvuntur.*
71. *An ad Horas dicendas obligetur Coadjutor in Beneficio?*
72. *An obtinens Capellaniam?*
73. *Vel Beneficium in Commendam?*
74. *An lege Pensi Horarij adstringantur Vicarij?*
75. *Obtinentes Præstimonia?*
76. *Pensionarij?*
77. *An Religiosi à Choro absentes teneantur Horas dicere privatim?*
78. *Respondetur affirmativè.*
79. *An sub hac obligatione comprehendantur etiam ejecti fugitivi, damnati ad triremes?*
80. *Defenditur affirmativa.*
81. 82. 83. *Quid de ijs Religiosis, qui extra claustrum ex dispensatione vivunt?*
84. 85. *An Superior Religiosus eum subditis Religiosis dispensare possit circa Pensum Canonicum?*
86. *Quo tempore recitandæ sint Horæ Canonicæ?*
87. *Quo loco?*
88. *Et modo?*
89. *An obligatione Pensi Horarij excusat Oblivio, & incogitantia naturalis.*
90. *Ignorantia inculpabilis.*
91. *Infirmitas.*
92. *Cæcitas oculorum.*
93. *Carentia Breviarij.*
94. *Repentina, & necessaria occupatio.*
95. *Dispensatio Pontificis.*
96. 97. 98. *Pœna negligentium Pensum Canonicum.*

51 QUæritur 1. quidnam hìc veniat nomine *Divini Officij?* R. hac Rubrica nomine *Divini Officij* veniunt Horæ Canonicæ, quæ definitis horis in Choro publicè, vel privatim à Clericis, & Religiosis, ex Ecclesiæ pervetusta, non solùm Pelagij Papæ *can. Eleutherius 1. dist. 91.* relati, sed Apostolica institutione, usúque quotidie recitantur, cùm earum jam meminerint SS. PP. antiquissimi, & ipsæ etiam Constitutiones Apostolicæ S. Clementis *l. 8. c. 30.* Definiri possunt *Horæ Canonicæ*, quòd sint *certa quædam DEUM voce laudandi, & deprecandi formula, quæ ab Ecclesiæ Ministris ejus nomine quibusdam certis per diem, & noctem*
52 *temporibus juxta SS. PP. Canones observantur.*

Septenario definiuntur numero: cujus numeri congruentia multiplex est. 1. enim Viri Sancti, ut David, Daniel &c. hoc numero frequentabant Orationem. 2. septenarius numerus præ cæteris Mysteriosus est; nam septem diebus creatus est mundus, septem sunt Petitiones Orationis Dominicæ, septem dona Spiritûs Sancti, septem ætates hominis, septem ætates mundi, septies in die cadit justus &c. 3. & præcipuè numerus iste congruit præcipuis temporibus, quibus facta sunt præcipua Mysteria Passionis Dominicæ; nam nocte Christus captus est, horâ 1. illusus, tertiâ condemnatus ad Crucem, sexâ crucifixus, nonâ obijt, vespertinâ depositus de Cruce est, horâ Completorij
53 quievit in sepulchro.

Ex his Horis compositum Officium Divinum dividitur in Nocturnum, & Diurnum, in quo imitata Primitiva Ecclesia est morem antiquorum, qui noctem dividebant in quatuor Vigilias, & diem in quatuor stationes æquales, continebántque tum vigiliæ, tum stationes diei tres horas quælibet. Hinc ex doctrina S. Thomæ, & aliorum antiquitus Nocturna dicebantur divisim secundùm Vigilias noctis, ita, ut primâ Vigiliâ diceretur primum Nocturnum, secundâ secundum, tertiâ tertium, quartâ Laudes jam prope auroram. Cæteræ Horæ, quæ Diurnum Officium constituunt, dicebantur Horis, unde nomen acceperunt: incipiebant autem diem naturalem ab ortu Solis; unde tunc Primam recitabant Horam, & deinceps: Vesperæ dicebantur paulò ante occasum Solis, Completorium in diei crepusculo.

Quæritur 2. quænam Personæ obli- 45
gentur ad recitandum Divinum Officium? R. 1. tenentur Clerici constitutiin Sacris, si Ordines sponte susceperint, prout colligitur ex *c. Presbyter 1. c. dolentes 9. h. tit.* & explicat optima Juris dubij interpres consuetudo, claréque supponitur à PP. Concil. Basil. *sess. 21.* celebratâ, antequam Concilium hoc in Schisma prolaberetur, ut probè advertit Vasq. *de Benef. c. 4. §. 1. dub. 1.* Et procedit hoc, etiamsi aliquâ Censurâ irretiti, Irregulares, Depositi, & degradati sint, Wiest. *hic n. 49.* Dixi, *Si Ordines sponte susceperint;* quia hæc obligatio annexa est Ordini sponte susceptо, ut docet Navar. *Man. c. 22. n. 51. ad fin.* Emman. Sà *V. Ordo n. 24.* Sanch. *l. 7. de Imped. D. 29. n. 7.* Si tamen Clericus non sponte promotus ad Ordines, liberè utatur susceptо Ordine, ad omnia illi Ordini annexa obligabitur; quia per illum usum ratificat susceptionem Ordinis. Sanch. *l. cit. n. 9.* cum alijs. Idem dicendum de ordinato in Sacris ante pubertatem. Sanch. *D. 3. n. 10. præcipuè 12. & 18.*

2. Religiosi Professi utriusque sexûs 55
ex generali consuetudine, si ex Religionis suæ Instituto ad Chorum deputati sint. Ita apud Joan. Azor *p. 1. l. 10. c. 6. q. 1.* Innoc. Host. Joan. Andr. Abb. & communis reliquorum DD. Dixi *Religiosi Professi*; quia Novitij, aut Novitiæ, sicut ad cætera onera Religionis, ita neque ad Horas recitandas obligantur. *Neque obstat*, quòd gaudeant privilegio Clericorum; nam favores sunt ampliandi, odia restringenda. igitur nisi expressa Lex, qualis tamen nulla ostendi potest, Novitios, aut Novitias ad Horas recitandas obliget, non censentur includi in Lege communi imponente onus aliquod Religiosis, vel Clericis. Dixi 2. *ad Chorum deputati.*

Hinc

Hinc excipiuntur Religiosi Societatis JESU in Majoribus non constituti, Ordinum Militarium, & in Ordinibus ad Chorum deputatis FF. Conversi, seu Laici. Suar. *l. 4. de Orat. c. 17. n. 6.* Pal. *tr. 7. D. 2. p. 1. §. 3. n. 1.* Donat. *tom. 4. prax. Regul. tr. 18. à q. 10.* Wiest. *hic. n. 65.*

56 3. Clerici quicunque obtinentes Dignitatem, vel Beneficium Ecclesiasticum, si illud sponte susceperint, sive curatum id sit, sive simplex, prout colligitur ex *can. fin. dist. 92. c. Presbyter 1. h. tit.* & *c. fin. de Rescript. in 6.* ubi dicitur, quòd Beneficium detur propter Officium: quod longè clariùs statuit Concil. Lat. sub Leon. X. *sess. 9. de reform. Cur. §. statuimus*, & S. Pius V. *in Motu proprio* incipit, *Ex primo*, *edito 12. Cal. Oct. 1572.* cum pœna non faciendi fructus suos pro rata temporis, & Officij omissi, si hoc factum sit post sex menses à Beneficio obtento, & sine causa legitima. Addidi, *Si Beneficium sponte susceperit*; nam si coactè suscepit, non obligabitur, nisi stipendio illius frui velit: tum enim ratione istius voluntatis remittit coactionem. Less. *l. 2. de J.* & *J. c. 34. n. 774.*

57 Quæritur 3. utrum ad Horas Canonicas teneatur Clericus, obtinens Beneficium tenue, seu tale, cujus fructus ad moderatam sustentationem non sufficiunt? Tres sunt sententiæ. *Prima* cum Sot. *l. 10. de Just. q. 5. art. 3.* ab Horarum recitatione ipsum omnino absolvit, ex ratione; quia Beneficium tenue pro non Beneficio, & exigui fructus pro nullis habentur juxta tritum illud, *Parum pro nihilo reputatur.*

Secunda cum Less. *l. 2. de J.* & *J. c. 34. n. 169.* eum adstringit Dominicis tantùm, festisque diebus; quia inter stipendium, & obsequium, ratione cujus illud exhibetur, debet esse æqualitas. hæc observatur, si qui partem sustentationis ex reditibus Beneficij habet, aliquoties per annum Officium Divinum recitet: & tempus convenientius non est, quàm Dominici, & Festi dies. ergo &c.

58 *Tertia* cum Sylv. *V. Hora q. 2.* Navar. *de Orat. c. 7. n. 27.* Covar. *l. 3. var. c. 13. n. 8.* Azor. *p. 1. l. 10. c. 3. q. 3.* Suar. *l. 4. de Orat. c. 21. n. 3.* & *9.* Garc. *p. 3. c. 1. n. 30.* Bonacin. *D. 1. de Hor. Canon. q. 2. p. 4. n. 17.* Pal. *tr. 7. D. 2. p. 1. §. 2. n. 9.* & communis aliorum talem Beneficiatum obligat ad recitationem Horarum quotidianam: & sumitur non obscurè ex Concil. Carth. relato *can. Clericus 3. dist. 91.* ubi Clericus, ab Ecclesia sustentationem non habens, victum, & vestitum sibi artificio, vel agriculturâ parare jubetur *absque officij sui*, sive Pensi Horarij *detrimento.* *Ratio est 1.* quia Horarij Pensi quotidie recitandi obligatio à *Concil. Later.* & *S. Pij V. Const. citt.* generaliter imponitur Beneficiatis, sine ulla exceptione, vel restrictione ad Beneficium pingue. atqui etiam tenue Beneficium revera Beneficium est, cùm sit jus perpetuum percipiendi reditus temporales ratione Officij Spiritualis. ergo &c. 2. quia onus hoc quotidiani Officij Beneficiatis, etiam tenue Beneficium obtinentibus, abunde compensatur honore, exemptione, & cæteris privilegijs Ecclesiasticis. 3. quia sic homines, alias ad excutiendas obligationes, & onera proni, vana persuasione tenuitatis Beneficiorum facilè inducerentur ad Officium Divinum omittendum.

Et hinc corruunt Fundamenta utriusque sententiæ oppositæ; quia parum pro nihilo quoad obligationem ad Horas Canonicas ex Beneficio vero imminentem non reputatur. *Excipitur*, si alicubi consuetudine introductum foret, ut Beneficiatus hujusmodi non ad Horas Canonicas, sed ad aliud obsequium Ecclesiasticum teneretur. Wiest. *hic n. 60. in fin.* 59

Quæritur 4. utrum ad recitationem Officij Divini teneatur, qui Beneficij Ecclesiastici titulum habet sine ejus possessione? Affirmant cum Navar. *c. 7. de Orat. n. 29.* & *consil. 17. de celebr. Missar.* plures alij. *Fundantur 1.* quia cùm Beneficiarius Beneficium sibi collatum acceptat, fit dominus Beneficij, & idcirco, si velit, potest illud permutare cum alio. ergo debet etiam sentire illius onera. 2. à tempore collati Beneficij, & acceptati Beneficiarius acquirit jus ad fructus; quia fructus rei debentur domino rei. ergo licet eos ante possessionem accepturus non sit, debet tamen officio satisfacere. 60

Sed negativa & in scholis, & in praxi receptior videtur esse, quam tradit Flamin. *de resign. Benef. l. 1. q. 9. n. 15.* Rodriq. *tom. 1. summ. c. 146. n. 1.* Henriq. *l. 13. c. 13. n. 2.* Azor *p. 1. l. 10. c. 4. q. 7.* Less. *l. 2. de J.* & *J. c. 34. dub. 30.* Suar. *l. 4. de Orat. c. 19.* Reginald. *l. 30. c. 38.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 5. n. 3.* Bonacin. *D. 1. q. 2. p. 5. n. 1.* Fundantur triplici ratione. 1. quia Clericus ante captam possessionem habet jus incertum ad fructus, & impediri potest, ne illos capiat. ergo par non est, ut obligetur ad onus certum. 2. ante captam Beneficij possessionem non potest jura Beneficij exercere. ergo etiam obligandus non est, ut sustineat illius onera. 3. *in Bulla S. Pij cit.* expressè dicitur *post Beneficij consecutionem.* ille autem propriè dicitur Beneficium consecutus, qui pacificam illius possessionem adeptus est cum titulo, vel saltem penes quem stat, ut eam habeat *arg. c. licèt 28. de Præb. in 6.* *Excipitur*, si sponte differat possessionem capere; tunc enim tenebitur etiam ante possessionem captam; quia fraus, & negligentia non debent ipsi prodesse, neque Ecclesia obsequio suo fraudari ob culpam Beneficiarij, vel socordiam, quam in adeunda possessione committit. 61

62 *Ad Rationes in contrarium allatas* concedo Beneficiarium per collationem acquirere jus ad fructus Beneficij, & posse hoc permutare: nego autem, quòd per hoc probetur obligatio ad recitandum Officium, contrarium enim probant rationes allatæ pro negativa. *Neque obstat*, quòd Beneficiarius postea habiturus sit fructus, si possederit Beneficium; nam hoc imprimis non est universaliter verum, ut patet in multis Canonicatibus, & Præbendis, ubi fructus, non novo Beneficiario, sed fabricæ, aut in alias pias causas cedunt. Deinde, ut dixi, spes incerta est, & sæpe multa impedimenta habet. ergo Beneficiarius ante possessionem obligandus non est ob spem merè incertam. Quodsi verò contingat, ut Beneficiarius acquirat fructus integros à tempore collationis, accidentarium est, & bonæ ipsius fortunæ tribuendum, nec propter hoc inducenda obligatio certa.

63 Quæritur 5. quid dicendum de Canonicis, qui in possessionem Beneficiorum suorum quidem missi sunt, sed fructus ex illo nullos percipiunt? In hac re certum est, si beneficium nullos omnino fructus haberet, non teneri Beneficiarium vi illius ad recitationem Horarum; quia Beneficium illud revera non esset Beneficium, utpote quod definitur, quòd sit jus percipiendi fructus ob aliquod Ecclesiasticum Officium. *Difficultas* igitur tantùm est, quando Canonicatus, vel Beneficium habet quidem sibi annexos fructus, quos tamen Canonicus, vel Beneficiatus non percipit. Quæ difficultas dissolvi ope distinctionis potest: Vel enim talis Canonicus fructus Beneficij sui suâ culpâ, v. g. quia excommunicatus, suspensus, à loco Beneficij sui absens, aut præsens quidem est, sed cùm possit, ei non deservit, non percipit, vel eis caret absque sua culpa.

64 *Si primum*, ad Horarium Pensum quotidie persolvendum tenetur. Ita Azor *p. 1. l. 10. c. 4. q. 6.* Suar. *l. 4. c. 20. n. 12.* Vasq. *de Benef. c. 4. §. 1. dub. 6. n. 25.* Wiestner *hic. n. 62.* Ratio est, quia æquum non est, ut Ecclesia defraudetur Officio, & servitio sibi debito ex Canonici, vel Beneficiati malitia: unde per accidens caret fructibus; quia hos subministraret Ecclesia, si Beneficiatus vellet se illorum capacem reddere.

Si secundum, videndum, an aliena fraude, vi, alióve modo injusto à fructuum consecutione aliquot annis sine ulla spe eos recipiendi aliquando omnino sit impeditus, an verò Statuto peculiari Ecclesiæ. *Si prius*, veriùs ad Horas non obligatur; quia eo tempore Beneficium quoad nudum titulum, & nomen, non etiam quoad effectum habet. Navar. *c. 7. de Orat. n. 28.* Azor *p. 1. l. 10. c. 4. q. 6.* Leff. *l. 2. de J. & J. c. 34. n. 168.* Garc. *p. 3. de Benef. c. 1. n. 45.* Fill. *tr. 23. c. 5. n. 167.* Pal. *tr. 7. D. 2. p. 1. §. 2. n. 16.* Wiest. *n. 62. cit.*

Si posterius, attendendum, an fructus illi v. g. primi, secundi, vel plurium annorum ex Statuto Ecclesiæ applicandi sint fabricæ Ecclesiæ, vel alteri piæ causæ, an verò accrescant Canonicis antiquioribus. *Si fabricæ, vel alteri piæ causæ sint applicandi*, ab Officij Divini recitatione talem Canonicum excusat Navar. *Man. c. 25. n. 105.* Laym. *l. 4 tr. 2. c. 5. n. 4. V. sed grave*, Wiest. *hic n. cit.* quia Beneficium nondum plenè possidet, cùm non habeat jus percipiendi reditus. *Excipitur*, nisi saltem Distributiones quotidianas capiat; nam tali casu ad Preces Horarias cum alijs illum obstringit Bonart. *l. 2. c. 7.* 65

Si verò fructus illi accrescant Canonicis antiquioribus, talis Canonicus minimè solvitur Lege Preces Horarias persolvendi. Azor *c. 4. cit. q. 4.* Less. *n. 170.* Suar. *n. 7.* Garc. *n. 62.* & hoc teste declaratum est à Cardd. *Ratio est*; quia Beneficium cum onere suo transit in eum, cui confertur. sed hoc habet onus, ut fructus primo anno non debeantur. ergo cum hoc onere Beneficium acquirit Beneficiarius. *Conf.* quia fructus illos postea perinde, acsi ipsi reservarentur, recipit, hoc ipso, quòd postea percepturus sit uberiores. 66

Idem dicendum casu, quo consuetudine Ecclesiæ primi, vel secundi anni fructus reservantur ad Canonicorum, cùm mortui fuerint, sepulturam, & expungenda debita. Azor, Lessius, Garcias, Wiest. *l. cit.* quia cùm tales fructus in eorum utilitatem impendendi reserventur, ab ipsis percipi videntur. P. Wiestner tamen *l. cit.* non audet damnare consuetudinem immemorialem, quæ ab Officij Divini recitatione excusat Canonicos, qui primis annis nullos percipiunt fructus.

Quæritur *6.* an is, qui plura habet Beneficia, quorum quodlibet inducit obligationem recitandi Officium, debeat in die sæpiùs Horas dicere? Affirmat absolutè Guil. Paris. *tr. de collat. Benef.* & Dionys. Carth. *Opusc. contr. pluralit. Benef. n. 1.* Navar. *Miscell. 60. de Orat. n. 1. & 10.* distinguit, & eum quidem, qui plura Beneficia habet injustè, obligat ad pluries quolibet die dicendas Horas; eum verò, qui legitimè plura possidet, tantùm monet, ut conetur supplere devotione sua id, quod iteratio adderet. Nituntur AA. isti his fundamentis: 1. quia qui sentit commodum, etiam debet sentire onus juxta *Reg. qui sentit. 55. in 6.* sed qui duplex habet Beneficium, duplex sentit commodum; quia ex utroque Beneficio fructus recipit. ergo &c. 2. Beneficium datur propter Officium, ut constat ex *c. fin. de Rescript. in 6.* ergo qui possidet duplex Beneficium, tenetur ad duplex officium. 3. qui æs alienum debet duobus creditoribus, dupli- 67

cem

cem debet præstare solutionem, uni unam, alteri aliam. sed qui duo Beneficia in duabus Ecclesijs habet, preces duobus fundatoribus debet. ergo &c. 4. Qui duas Capellanias habet, quarum quælibet obligat Capellanum ad dicendas aliquas Missas pro defunctis, non satisfacit ijsdem Missis utrique obligationi. ergo nec unica recitatione Horarum satisfit obligationi duorum Beneficiorum.

69 Sed dicendum, quòd Beneficiarius absolutè loquendo satisfaciat obligationi plurium Beneficiorum, semel quot diebus persolvendo Divinum Officium. Ita Azor *p. 1. l. 10. c. 4. q. 10.* Henriq. *l. 5. summ. §. 6.* Suar. *l. 4. de Orat. c. 18. à n. 1.* Garc. *p. 3. de Benef. c. 1. n. 110.* Bonacin. *D. 1. de Hor. Canon. q. 2. p. 4. n. 27.* Pal. *tr. 7. D. 2. p. 1. §. 2. n. 27.* Wiestner *hic n. 63.* & passim TT. ac Canonistæ cum S. Thom. *Quodl. 1. art. 13.* Est certa, & communi Ecclesiæ consuetudine recepta opinio. *Ratio est*; quia Ecclesiæ mens non videtur esse, ut velit secundùm numerum Beneficiorum multiplicari etiam obligationem, sed illam tantùm imponere novo titulo; posset enim contingere, ut quis haberet 10. Beneficia Simplicia, quorum quodlibet sufficeret ad inducendam obligationem. igitur decies quavis die is Beneficiatus deberet recitare Divinum Officium, quod est impossibile. Neque dici potest, obligari propterea Beneficiatum, ut renuntiet Beneficijs reliquis; nam hoc alienum est à consuetudine. *Conf.* nam nihil novi in Ecclesia est, quòd uno opere, vel officio satisfieri possit pluribus titulis, & rationibus obligantibus; sic enim si concurrat dies Dominica, & Festum, non teneris duplicem audire Missam, & tribus SS. Ordinibus initiatus, vel Beneficiatus simul, & Religionem professus secundùm numerum Ordinum, vel titulorum non debet multiplicare recitationem Horarum. ergo etiam habens duplex Beneficium, quorum quodlibet obligationem recitandi Horas inducit, uno Officio satisfaciet obligationi utrique. Et intelligendum hoc est non tantùm de satisfactione in foro Ecclesiæ, sed etiam in foro conscientiæ; quia Ecclesia sic recitantem semel non tantùm solvit à pœnis Juris, sed etiam ab obligatione. *Ex quo sequitur*, quòd omittens recitationem Horarum, licèt plures SS. Ordines, vel plura Beneficia obtineat, unum duntaxat peccatum mortale committat; quia licèt pluribus titulis, ad unam tamen duntaxat recitationem tenetur. Wiest. *l. cit.*

70 Neque obstant Argumenta Sententiæ oppositæ. *Ad 1.* dico cum Glossa *in Reg. cit.* illam ordinariè quidem veram esse, sed interdum fallere: hic autem fallit; quia Ecclesiæ, quæ onus Officij Divini imponit, mens est, ut velit satisfieri à Clerico posse per unam recitationem Officij obligationi duplici. *Ad 2.* Officia aliqua, propter quæ datur Beneficium, talia sunt, ut ex natura sua, vel institutione sæpiùs repeti debeant, alia verò, quæ non exigunt ita repeti. Qui sortitur duplex Beneficium, quorum quodlibet exigit duplex officium primi generis, e. g. certas Missas, toties debet illud per se, vel per alium repetere, aut si repetere nequit, tenetur Beneficium unum resignare: istud autem non procedit in officio, quod non est opus repetere pro numero Beneficiorum, & tale Officium est recitatio Horarum. *Ad 3.* negatur paritas; nam si cùm debeam duobus 20. fl. decem uni, & decem alios alteri, darem uni tantùm decem, & alteri nihil, hunc fraudarem suo debito. At Beneficiatus, dum Horas recitat, in solidum illas persolvit pro tota Ecclesia. Accedit; quia solutio debiti Justitiæ commutativæ intendit æqualitatem rei ad rem, solutio verò debiti Legalis pendet ex mente Legislatoris. huic satisfieri potest una solutione, non verò Justitiæ; neque enim una solutione solvendo plura debita, induco statim hanc æqualitatem. *Ad 4.* iterum disparitas est; nam institutione Capellaniarum, & obligatione ad certas Missas non respicitur utilitas Beneficiati, uti respicitur in recitatione Horarum, sed defunctorum, vel Beneficium instituentis. ergo ad multiplicationem Capellaniarũ debẹnt etiam multiplicari Missæ.

Quæritur 7. quid Beneficij nomine 71
intelligatur, ut ratione illius exsurgat obligatio ad dicendas Horas Canonicas? *Controversia* esse non potest de Episcopatu, Rectoria, Dignitate, Præpositura, Canonicatu, & similibus; quia nemo dubitat, verè, & propriè Beneficia esse: conf. obligationem secum trahere ad Pensum Horarium.

Dub. 1. est de *Coadjutoria*, an ratione illius ad Horas Canonicas obligetur Coadjutor? R. negativè; & hoc procedit, etiamsi assumptus sit cum futura successione, & assignata aliqua fructuum portione. Ita Navar. *Man. c. 20. n. 18.* Azor *p. 1. l. 10. c. 4. q. 1.* Suar. *l. 4. de Orat. c. 22. n. 19.* Garc. *p. 3. de Benef. c. 1. n. 109.* Malder. *tr. 10. de Orat. c. 2. dub. 3.* Bonacin. *D. 1. q. 2. p. 4. n. 13. & seqq.* Pal. *tr. 7. D. 2. p. 1. §. 2. n. 7.* Wiest. *hic n. 56.* quod ipsum declaravit etiam Paulus V. teste *Suar. Bonacin. & alijs. Ratio est 1.* quia non ipsum Beneficium, sed jus tantùm habet Coadjutor defuncto succedendi, etsi secuta istius morte, & quasi impleta conditione, Beneficium consequatur sine nova collatione. 2. quia ratione unius Beneficij non duo, sed unus duntaxat, scilicet ejus proprietarius ad Horas Canonicas obligatur. 3. quia portio ex reditibus Beneficij detracta, & assignata Coadjutori rationem duntaxat habet stipendij pro labore, quem iste pro Coadjuto subit. *Excipitur*, si Coadjutor assumatur, ut loco Bene-

Beneficiarij Horas in Choro recitet ; quia tunc tenetur in Choro canere, sed non privatim Officium recitare , nisi ad hoc teneatur aliunde v. g. ratione Ordinis Sacri.

72 Dub. 2. *de Capellanijs.* R. distinguendo ; nam si sit Capellania *Simplex* , onus Officij Divini recitandi non habet , cùm nullo modo sit Beneficium. Secus, si sit *Collativa*, hoc est, quæ authoritate Episcopi erecta est, & ab ipso confertur ; nam eam obtinens ad Officij Divini recitationem obligatur , etiamsi ex patrimonio Laicorum constituta , & ipsis nominatio , vel præsentatio relicta sit. Ita Azor *p. 1. l. 10. c. 3. q. 5.* Suar. *l. 4. de Orat. c. 22. n. 11. & seqq.* Vasq. *dub. 3. n. 9.* Malder. *tr. 10. de Orat. c. 2.* Garc. *p. 1. de Benef. c. 2. n. 81.* Bonacin. *D. 1. de Hor. Can. q. 2. p. 4. n. 6.* Pal. *tr. 7. D. 2. p. 1. §. 2. n. 3. Ratio est* , quia talis Capellania habet omnes qualitates ad Beneficium requisitas. *Neque obest* , etsi talis Capellania ad nutum Episcopi auferri , & alteri conferri ab eo possit ; quia censetur esse Beneficium Manuale , cujusmodi Beneficium obtinens Horaria , obligatione tenetur , ut ex aliorum DD. communi sensu tradit Laym. *l. 4. tr. 2. c. 5. n. 7.* quia Beneficium Manuale idem Juris , & oneris habet , quod cætera Beneficia , excepta perpetuitate , sive quòd semel collatum sine justa causa auferri possit.

73 Dub. 3. de habentibus Beneficia in *Commendam.* R. iterum distinguendo , an habeant hujusmodi Beneficia in Commendam perpetuam , an verò in temporalem tantùm. *Si primum*, ratione ejus ad Preces Horarias tenebuntur ; quia tales Commendæ spectant utilitatem personarum eas obtinentium , cùm eas obtinentes , licet careant titulis , integram tamen Beneficiorum sic commendatorum administrationem habeant , fructúsque percipiant integrè : & sic æquum sit , ut subeant etiam illorum onera. Ita Vasq. *de Benef. c. 4. §. 1.* Suar. *l. 4. de Orat. c. 22. n. 15.* Fill. *tr. 23. c. 5. n. 175. & 176.* Malder. *tr. 10. c. 2. dub. 3. q. 4.* Less. *l. 2. c. 34. dub. 30.* Wiest. *hic n. 54.* cum alijs. *Si secundum* , tales Commendæ ad recitationem Horarum non obligant ; quia solùm spectant utilitatem Ecclesiæ , non personæ , cùm eam obtinens rerum istius custodiam duntaxat , & administrationem ad tempus habeat cum onere reddendi rationes de fructibus Beneficij sic commendati. Azor *c. 3. cit. q. 6.* Garc. *p. 3. de Benef. c. 1. n. 106.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 5. n. 8.* Pal. *tr. 7. D. 2. p. 1. §. 2. n. 4.* Wiest. *hic n. 55.*

74 Dub. 4. quid dicendum de *Vicarijs*? R. cum distinctione : Vel enim est Vicaria perpetua , vel solùm temporalis. *Si primum* , eam obtinens , verum Beneficium Ecclesiasticum obtinet *c. postulásti 27. de Rescript.* cons. causa non est , quæ ipsum excuset à Penso Divini Officij. Laym. *c. 5. cit. n. 8. ỳ. his positis. Si secundum* , talis Vicarius ab ea obligatione immunis est , nisi aliunde vi Ordinis Sacri obligetur ; quia Beneficij custodiam duntaxat , & administrationem ad tempus , non titulum habet. Bonart. de *Obligat. Horar. c. 4. n. 21.* Suar. *c. 22. n. 15.* Garc. *n. 106.* Laym. *n. 8. cit. ỳ. temporales.* Wiestner *n. 53. Excipiuntur* Vicarij Chori , & alij , qui Beneficiorum v. g. Monasterijs unitorum administrationem plenam etiam in temporalibus , licèt ad nutum revocabilem obtinent ; nam isti ad recitationem Divini Officij obligantur. Suar. Laym. Wiest. *l. citt.*

75 Dub. 5. utrum ad Horas Canonicas obligentur Clerici obtinentes *Præstimonia*, & *Præstimoniales Portiones*, detractas ex reditibus Ecclesiasticis ? R. distinguendo cum Rebuff. *de Pacific. Possess. n. 105.* Joan. Staphil. *de Litter. Exspect. Grat. tit. de qualit. Benef. §. 1. n. 5.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 5. n. 6.* Wiestner *hic n. 51.* Vel enim conceduntur in titulum , & annexum habent aliquod obsequium Spirituale , quod per Laicum expediri non potest , vel non conceduntur in titulum , neque ob ejusmodi obsequium , sed ob aliam causam , v. g. Studiorum prosecutionem , vel tanquam stipendium sustentationis , donec Beneficium obtineatur. *Si primum* , ratione illorum ad recitationem Officij Divini obligantur ; quia Præstimonia hæc , licèt nomen speciale habeant , reipsa tamen sunt vera Beneficia Ecclesiastica. *Si secundum*, non obligantur ; quia Beneficium verè non habent, cùm id , quod capiunt , intuitu obsequij Spiritualis non capiant.

76 Dub. 6. quæ sit obligatio *Pensionarij* quoad Horas Canonicas? R. distinguendo : Vel enim Pensio , quam obtinet Pensionarius , est solùm Laicalis , sive titulo tantùm temporali constituta alicui v. g. de Ecclesia bene merito , ædituo , Ianitori , pulsanti campanas , vel organum , Magistro Scholæ , & similibus ; vel contra est Ecclesiastica, & in Pensionario primam Tonsuram , aut Ordines minores exigit. *Si primum*, neque ad Horas Canonicas , neque ad Officium B. V. eam obtinens obligatur prout ex communi aliorum tradit Azor *p. 1. l. 10 c. 4. q. 3.* Suar. *l. 4. de Orat. c. 22. n. 6.* Garz. *p. 3. de Benef. c. 1. n. 119.* Bonac. *D. 1. de Hor. Can. q. 2. p. 4. n. 8.* Pal. *tr. 7. D. 2 p. 1. §. 2. n. 6.* Wiestner. *hic n. 58.* cum alijs *Si secundum* , quamvis ad Officium Divinum talem Pensionem habens non obligetur , quia non est propriè Beneficium , ex Const. tamen S. Pij V. adstringitur ad Officium B. M. V. saltem si ad Horas Canonicas non obligetur aliunde ; has enim ex obligatione aliunde orta , vel etiam ex libera voluntate persolvens ad Officium B. V. non obligatur, quod ad hoc recitandum Papa obligare solùm intenderit eos , qui ad nul-

nullas alias preces sunt adstricti, aut Horarum Canonicarum Majus Officium non persolvunt.

77 Quæritur 8. utrum ad Horarum Canonicarum recitationem privatam sub gravi teneantur Religiosi in Sacris non constituti, & Moniales à Choro absentes? Negat Alphons. à Castro *l. de Leg. pœnal. c. 8.* & Caramuel *in Theol. Regul. D. 103. n. 1358.* de suis Cistertiensibus. Cajet. *in Summ. V. Horæ Canonicæ* dubitat de obligatione, & inclinat in negativam. Medina, Angelus, Arragonius, Richardus existimant Religiosum omittentem bis, vel ter privatim recitare Divinum Officium, non peccare mortaliter. Lessius litteris ex Hispania, à quodam Reverendissimo Domino interpellatus, respondet, fuisse sibi semper visam etiam in praxi probabilem sententiam, quòd neque Choristæ, neque Moniales obligentur ex ulla etiam consuetudine ad Breviarium, probátque multis rationibus, & vult hoc suo Responso uti Confessarios, ut videre est *in Consilijs ipsius Moralibus V. Horæ cas. 14.* ea, quæ habet *l. 2. de I. & I. c. 37. dub. 9. n. 49.* etsi inclinare videantur ad affirmativam sententiam, non tamen reprobant sententiam Medinæ, & Arragonij. *Fundantur*; quia ad eam recitationem non tenentur communi Ecclesiæ Jure, sed sui quisque Instituti Regulâ, & huic conformi consuetudine. atqui Regula, & ei conformis consuetudo non videntur ipsos obligare sub gravi peccato, cùm id nimis durum, & animabus periculosum foret.

78 Sed melius Sylv. *V. Hora. q. 2.* Navar. *c. 7. de Orat. n. 5.* Suar. *l. 4. c. 17. n. 19.* Wiestner *hic n. 66.* & reliqui omnes affirmant peccare mortaliter, si vel semel à tali Religioso Professo omittantur Horæ: quod confirmat communis sensus fidelium, ejus omissionem graviter apprehendentium, & Regularium de ea, tanquam gravi piaculo se accusantium in Sacro Tribunali. *Ratio est*; quia consuetudo recitandi Horas in Religiosis Professis non est alia, quàm in Clericis, qui in Sacris constituti sunt, atqui vi hujus consuetudinis Clerici obligantur, ita, ut peccent mortaliter, si vel semel omittant recitare Horas. igitur etiam Religiosi Professi sic peccabunt eas omittendo; nam consuetudo legitimè præscripta vim Legis habet. Addit Suar. *l. cit.* aliud Argumentum contra Medinam præcipuè, & Arragonium, & in hunc modum breviter proponi potest: Vel consuetudo hæc, quâ Religiosi Professi ad recitationem Horarum privatam tenentur, talis est, ut æquivaleat præcepto, vel non est talis. *Si primum*, mortaliter peccat Religiosus Professus ad Chorum deputatus, si vel semel Officium totum omittat, aut notabilem illius partem; quia est materia gravis, ut omnes fatentur, respectu Clerici: neque potest intelligi, quòd respectu unius sit gravis, respectu alterius levis. *Si secundum*, profectò non peccabit graviter talis Religiosus, etiamsi crebrò, & longo tempore officium negligenter omittat; quia non agit contra præceptum. atqui tunc excusare illum Arragonius non audet ipsemet; quia; ut rectè dicit, judicio bonorum, & prudentum virorum non excusatur. ergo necesse est, ut hac consuetudine introductum sit præceptum obligans viros Religiosos ad recitandas Horas. sic autem peccat graviter, si Horas etiam semel tantùm per negligentiam non reciter. ergo &c.

Ex quo cadit Argumentum oppositum; nam Clericis in Sacris, licèt & ipsi, ut dictum est, ex sola consuetudine obligentur ad Horas, obligatio ista non est nimis gravis, & periculosa. ergo nec Regularibus, tanquam mundo mortuis, & soli servitio Divino perpetuò mancipatis.

79 Dub. 1. an comprehendantur sub hac obligatione Religiosi ejecti, damnati ad triremes, fugitivi ex Religione? Quæstio intelligenda est de Religioso nondum promoto ad SS. Ordines; nam si SS. Ordines susceperit, etsi fortasse intereat obligatio recitandi Breviarium titulo Statûs Religiosi, manet tamen obligatio id recitandi titulo SS. Ordinum, sicut manet in Sacerdote, qui priùs recitare Horas debebat ob Beneficium, quod nunc resignavit. Sotus *l. 10. de Just. q. 5. art. 3.* de his omnibus negat manere obligationem: cujus sententiam tanquam probabilem approbat Bonacin. *D. 1. q. 2. p. 2, n. 6.* ex ratione; quia non ampliùs vivunt in statu, in quo consuetudo invaluit recitandi Horas. Lessius *l. 2. de I. & I. c. 37. dub. 9. n. 50.* & Sanch. *l. 8. de Matr. D. 8. n. 11.* admittunt de ejecto, velad triremes damnato, non verò de fugitivo; quia ejectus non potest ad Monasterium redire, cùm vult, potest autem fugitivus.

80 Sed melius Navar. *c. 7. de Orat. n. 20.* Suar. *l. 4. c. 17. n. 9.* Azor. *l. 10. c. 6. q. 5. 6. & 8.* Pal. *tr. 7. D. 2. p. 1. §. 3. n. 5.* Laym. *l. 4. tr. 1. c. 4. n. 3.* Wiest. *hic n. 67.* docent etiam Religiosos ejectos, fugitivos, & damnatos ad triremes per se adhuc retinere obligationem dicendi Officium Divinum. *Ratio est*, quia Religiosus per hoc, quòd extra Monasterium vivat, non cessat esse Religiosus, sed manet in Statu Religioso, in quo fuit antea; aliàs cùm iter faceret, aut quoties extra domum viveret, dici posset esse extra Statum Religiosum. atqui quamdiu Religiosus non est extra Statum Religiosum, etiam non est extra Statum deputatum ad Chorum. igitur Apostasia, vel ejectio non solvit Religiosum à Statûs sui oneribus, sed implere in eo statu debet, quantum potest. inter hæc onera autem etiam est obligatio recitandi Horas. ergo non solvitur

vitur ab isto onere. *Neque dicas*, ejusmodi Religiosum ejectum quidem non amittere Statum Religiosum, amittere tamen deputationem ad Chorum; nam hoc videtur absque fundamento dici. *Conf.* nam æquum non est, ut quis ex culpa sua commodum ferat. ferrent autem commodum ejecti, si liberarentur ab onere recitandi Horas. Dixi *per se*; per accidens enim excusari possunt vel ob impotentiam moralem recitandi, vel quia dedecori essent sibi, & Religioni suæ, si fœci hominum, cùm quibus ad transtra sedent, se esse Religiosos manifestarent.

81 Dub. 2. an sub obligatione ad Horas teneatur etiam is, qui extra Claustrum ex dispensatione vivit? *Satis certum est*, quòd teneatur, qui ad tempus solùm facultatem vivendi exra Monasterium habet, e. g. qui de licentia Superioris iter facit, aut parentes visitat, per aliquod tempus moram apud illos tracturus; quia talis non cessat esse Religiosus, vel Regularis, sed uti ad reliquas Instituti sui Regulas, ita etiam ad Horas recitandas adhuc obligatur.

Major controversia est de eo, qui perpetuò extra Monasterium vivendi dispensationem accepit. Negat teneri Sot. *l. 10. de Just. q. 5. art. 3.* Azor *p. 1. l. 10. c. 6. q. 8.* Bonacin. *D. 1. q. 2. p. 2. n. 4.* quia sic dispensatus est liberatus à Choro. ergo etiam est liberatus ab obligatione privatim recitandi Horas, quæ obligationi ad Chorum succedit. Verùm hæc ratio nimium probat; probat enim, quòd is, qui ex dispensatione Pontificis, vel Prælati Regularis à Choro in perpetuum est exemptus, non obligetur Horas privatim recitare, licèt semper vivat in Monasterio.

82 Hinc dicendum, probabiliùs teneri. Ita Navar. *c. 7. de Orat. n. 20.* Rodriq. *tom. 1. c. 141. concl. 13.* Suar. *l. 4. c. 17. n. 8.* Laym. *l. 4. tr. 1. c. 4. n. 3.* Pal. *tr. 7. D. 2. p. 1. §. 3. n. 3.* Ratio est; quia obligatio non oritur ex eo, quòd ipse sit personaliter obligatus interesse Choro, sed quòd statum habeat deputatum Choro. atqui dispensatus in perpetuum, ut extra claustrum vivat, non mutat Statum Religiosi Professi Choro deputati, ut per se constat. ergo &c.

Intelligi autem hoc debet, quamdiu ligatur Votis; nam si dispensationem Religiosus acceperit ad ducendam uxorem, & in hunc finem habitum Monachalem exuit, induens vestes Sæculares, liberatur ab onere recitandi Horas, sicut & à cæteris vitæ Religiosæ oneribus. Ita *Navar. Bonac. Rodriq. Azor, Sanchez, Molfesius, Layman, & alij plures.* Et hoc verum est non tantùm, postquam ad nuptias transijt, sed etiam ante illas contractas, ut docet Sanchez; quia per dispensationem liberatur à Votis, quæ cùm sint essentia Religionis, hoc ipso sic dispensatus desinit Religiosus esse.

Neque obstat, quòd sic dispensatus, si mentem uxorem ducendi mutaret, cogeretur ad Religionem redire; hoc enim non probat, quòd non verè fuerit solutus à Votis, sed tantùm ostendit, quòd solutio hæc fuerit quodammodo conditionata, ut scilicet duret tamdiu, quamdiu causa duraverit. cùm igitur mutata mente, cesset dispensationis causa, vim dispensatio non habet ampliùs. 83

Atque in hoc est disparitas cum Sacerdote dispensato; nam cùm hic per dispensationem non cessat Sacerdos esse, tamdiu saltem obligabitur recitare Horas, quamdiu uxorem non duxit, & sic statum assumpsit, in quo quia difficile esset onus recitandi Horas, præsumitur Pontifex dispensâsse etiam circa recitationem Horarum.

Dub. 3. an Superior cum Religiosis suis possit dispensare circa obligationem recitandi privatim Horas Canonicas? Negant Suar. *l. 4. c. 28. ad fin. n. 41.* Reginald. *l. 18. n. 141. & 186.* Fill. *c. 9. q. 10. ad fin.* Affirmant Less. *l. 2. de I. & l. c. 37. n. 51.* Bonacin. *D. 1. q. 2. p. 2. n. 9.* alij. Assentior posterioribus, & dico, posse dispensare ex justa causa, e. g. causâ Studiorum, negotiorum &c. *Ratio est*, quia potest dispensare in alijs Religionis Legibus. ergo etiam in ista consuetudine; nam sicut aliæ Leges Superiorum consensu latæ sunt, ita, ut consuetudo ista haberet vim Legis, Superiorum consensu obtinuit: videtur autem conveniens, ut obligatio, quæ Superiorum consensu est introducta, per se etiam tolli possit eorundem dispensatione. ergo &c. 84

Addo tamen cum *cit.* Bonacina, non quemlibet Superiorem, nisi speciali ad hoc privilegio instructus sit, in isto dispensare posse, sed supremum; quia est consuetudo universaliter obligans totam Religionem. 85

Neque obstat, quòd praxis dispensandi in recitatione Horarum non videatur usitata esse apud Superiores Ordinum, & sic per non usum potestas dispensandi videatur cessâsse; nam facultas aliquid faciendi absque aliorum gravamine per non usum non cessat. atqui talis est facultas dispensandi circa recitationem Breviarij. ergo &c.

Quæritur 9. quo tempore, loco, & modo recitandæ sint Horæ Canonicæ? *v. ad 1.* publicè psallendum est Horis competentibus; nam hoc injungitur *c. Presbyter 1. h. tit. & Clem. 1. eod.* Ratio est, quia aliàs sequeretur manifesta indecentia; plurima enim Psalmorum, Hymnorum, & Orationum verba mentionem faciunt certorum temporum e. g. noctis, auroræ &c. quæ si alienis temporibus usurpentur, minùs conveniunt. Accedit scandalum populi, propter quem instituta est Psalmodia publica, ut illi interesse possit. Hinc vel maximè attendenda consuetudo legitimè recepta cujusque Ecclesiæ est. In 86

pri-

privata recitatione, ut peccatum mortale vitetur, sufficit, si Horæ dicantur intra eundem diem naturalem, h. e. à media nocte ad mediam noctem, etsi tempora præscripta pro singulis horis dicendis non observentur. Ita teste Bonartio communis, & certa sententia. Ut peccato etiam veniali vacet dilatio, si major illa, & inconsueta sit, requirit causam honestam: & talis ex communi DD. est commoditas Studiorum, ut omnes Horæ differri post prandium possint.

87 *Ad 2.* cùm publicè dicuntur Horæ, in Ecclesia dici debent; nam hoc statuitur *can. fin. dist. 92.* & *Clem. 1. h. tit.* nam in hunc maximè finem inter cætera Ecclesiæ constituuntur, ut in ijs Officia Divina religiosè celebrentur. *Excipitur* casus necessitatis, vel alia causa legitima; tunc enim *Diana* teste in Sacristia, vel Oratorio, etiam non conjuncto Ecclesiæ per murum communem, aut alio aliquo loco honesto, & congruo dici possunt; ubivis enim ex tali causa dicantur Horæ, ad Ecclesiam diriguntur. Privatim dici Officium Divinum potest in quovis loco, modò decens ille sit, & talis, qui attentionem non impediat, aut alijs offensionem pariat; nam ut Basilius *Exhort. ad Baptism.* notat, in precibus privatis non locus, sed affectus consideratur. Consentit Concil. Basil. *sess. 21.* ubi de modo privatim Horas dicendi agens quoad locum solùm, ait, ut fiat in loco tali, unde à devotione recitantes non retrahantur, ad quam se disponere, & præparare debent. Accedit piorum consuetudo, & quia nullum in Jure communi Decretum extat, quo certus locus præscribitur.

88 *Ad 3.* Modum præscribit Innocentius III. *c. dolentes 9. h. tit.* ibi: *Districtè præcipientes in Virtute Obedientiæ, ut Divinum Officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis DEUS dederit, studiosè celebrent pariter, & devotè.* Et quamvis ibi videatur sermo esse de Officio, quod recitatur publicè, paritas tamen rationis etiam pro recitatione privata urget. Duo igitur vi dicti Decreti ad modum Officium recitandi pertinent, ut studiosè dicatur, & ut devotè. *Studiosè* recitabitur, si versus, & sensus integrè, h. e. sine omissione, truncatione, concisione, aut interruptione proferantur. *Devotè*, si recitetur cum debita intentione, & attentione. S. Thom. *2. 2. q. 87. art. 13.* Navar. *c. 14. de Orat. n. 4.* Azor *p. 1. l. 10. c. 7. q. 8.* Laym. *l. 4. tr. 1. c. 5. n. 8.* Bonacin. *D. 1. q. 3. p. 2. §. 1. & 2.* Wiest. *hic n. 68.*

89 Quæritur 10. quænam causæ excusent à recitatione Horarum? R. septem omnino sunt capita, ex quibus à Lege dicendi Horas Clericus absolvi potest.

1. *Oblivio*, & *incogitantia naturalis*: quæ quidem facilè in die potest contingere circa unam, vel alteram Horam, circa totum autem Officium moraliter inveniri vix potest, nisi quis fingatur tota die aut dormiens, aut ebrius. Si tamen nec obligatio recitandi, nec ipsa recitatio ante exactum obligationis tempus ullo modo in mentem venit, nec per hominem stetit, ut aliud occurreret, quod obligationis excitaret memoriam, omissio excusatur ab omni prorsus peccato; tunc enim penitus involuntaria erit. Ut autem talis sit, debet Clericus diligens esse, ne hæc oblivio contingat: & hinc si expertus sit memoriæ suæ infirmitatem, adhibere indicium aliquod, quod memoriam excitet, debet. Suar. *l. 4. de Hor. Can. c. 28. n. 4.* Bonacin. *D. 1. q. 6. p. 3. n. 9.* Pal. *tr. 7. D. 2. p. 6. n. 1.*

90 2. *Ignorantia*: quæ duplex potest contingere, Juris, & Facti: Juris est, si quis nesciat obligationem recitandi, & Legem hanc imponentem; Facti verò, cùm obligationem scit, sed nescit modum, quo recitari Officium oportet. Ignorantia inculpabilis Juris in praxi vix aliquando locum habere potest in Clericis, cùm Lex de Horis dicendis sit omnibus exploratissima. Sed & ignorantia facti vix aliquando potest inculpabiliter evenire; nam sicut dum ad Ordines, vel Beneficium quis promovetur, obligatus est habere Breviarium vel proprium, vel alienum, ex quo legere Horas possit, ita etiam obligatus est habere scientiam recitandi. Pal. *n. 1. cit.*

91 3. *Infirmitas*: intellige, non quæcunque, sed gravis, seu talis, ut Horæ in ea legi non possint sine notabili valetudinis incommodo, vel magno dolore, & molestia e. g. capitis, vel oculorum; nam si infirmus dicere Officium Divinum, vel partem illius majorem possit sine tali incommodo, dicere obligabitur. Rodriq. *tom. 1. summ. c. 144.* & *tom. 1. qq. Regul. q. 42. art. 10.* Garc. *p. 3. de Benef. c. 1. n. 226.* Suar. *l. 4. de Hor. Can. c. 28. à n. 22.* Pal. *p. 6. cit. n. 9.* Hinc, ut Bonart. *l. 2. c. 38. n. 5.* advertit, non excusantur, qui laborant febri tertiana, vel quartana; quod maximè verum est pro ijs Horis, quæ legi solent tempore, quo respiratio à morbo datur. Quodsi tamen febrim tertianam, vel quartanam habens nec ipse absque nocumento gravi valetudinis suæ possit Preces Horarias recitare, etiam ipse excusabitur; quia jugum Domini suave est. Laym. *l. 4. tr. 1. c. 6. n. 1* Pal. *l. cit. n. 1. fin.*

92 4. *Cæcitas oculorum*: nam Cæcus, tanquam impotens, ab obligatione hac excusatur: & hoc verum est, etiamsi Psalmos, aut frusta quædam Psalmorum memoriter sciat; quia Psalmi soli non sunt Officium Divinum, quippe quod partibus Heterogeneis componitur, & constituitur tum ex Psalmis, tum etiam ex Antiphonis, Canticis, Capitulis, Lectionibus &c. Aliud est, si memoriter noverit dicere Horas minores, & juxta aliquos etiam unicam; nam tunc eam dice-

dicere obligatur : éstque ab Innocentio XI. expresè prohibita sententia illa , quæ ab onere Horas reliquas dicendi excusat eum, qui Matutinum , & Laudes non potest dicere ; quæ est Propositio inter damnatas ab isto Pontifice, *n. 54.* Idem dicendum, si ejusmodi Cæcus possit adhibito Socio partem suam è memoria dicere , saltem quoadversus Psalmorum ; nam tunc , modò id fieri sine magna difficultate , & sumptu juxta qualitatem personæ possit , adhibere Socium, & recitare Horas cum illo debet. Laym. *c. 6. cit. n. 2. dub. 2.* Reginald. *prax. l. 18. n. 183.* &c.

93 5. *Carentia Breviarij :* ubi distinguendum est , an ea contigerit sine culpa , vel cum culpa. *Si primum* , quia v. g. illud amisit , vel ex inadvertentia domi reliquit , aut studio quidem , putans tamen habiturum se aliud tempore congruo &c. non peccat omittendo , neque tenetur ad restitutionem fructuum ; quia ad impossibile nemo tenetur *l. impossibilium ff. de R. J.* éstque omissio hæc prorsus involuntaria tam in se , quàm etiam in sua causa. *Si secundùm* , vel quia in ignem illud conjecit , aut domi reliquit , sciens , se tempore debito aliud non habiturum &c. à peccato non excusatur omissio ; præterquam enim , quòd omittens ex tali defectu peccârit in causa , etiam ipsa externa omissio ipsi imputabitur ad peccatum , & sic Censuram incurret in omittentes latam , & tenebitur restituere fructus respondentes omissioni. Unde, ut defectus Breviarij , qui cum culpa contingit , excuset omittentem , omittens debet pœnitere de causa data , ut sic omissio subsequens fiat ipsi involuntaria. Navar. *de Orat. c. 11. n. 38.* Azor *p. 1. l. 10. c. 13. q. 16.* Suar. *l. 4. c. 27. n. 9.* Bonacin. *D. 1. q. 6. p. 2. n. 10.* Bonart. *l. 2. c. 39. n. 6.* & hoc teste communis DD.

94 6. *Repentina , & necessaria occupatio* ex officio , vel Charitate susceptа , quæ vel omnino , vel saltem convenienter cum lectione Horarum non potest consistere , & exerceri , ut si populi tumultus , subitò exortus , sedandus sit ; si in Sacra hebdomade, vel in Jubilæo concursui pœnitentium satisfaciendum sit ; si Concio habenda , quæ sine offensa omitti non potest ; si graviter laboranti aliter quis non possit succurrere , nisi Officium Canonicum omittat. Navar. *Man. c. 25. n. 101.* Tolet. *l. 2. c. 14. caus. 2.* Laym. *l. 4. tr. 1. c. 6. n. 1. §. tertia* , Pal. *tr. 7. D. 2. p. 6. n. 2.* Bonart. *c. 39. cit. n. 1.* Ut tamen in his , & similibus casibus conscientiâ illæsâ quis possit procedere , duo hæc debet advertere : *unum* est , ut quando occupatio non durat per totum diem , dicantur Horæ vel summo mane , si impedimentum prævideat , vel vesperi , finita occupatione ; nam obligatio durat , dum finitus sit dies naturalis. igitur impleri debet , si absque damno graviore potest. *Alterum* , non esse suscipiendum Clerico tale Officium , cui ordinariè annexa sit occupatio recitationem Horarum impediens , nisi gravis necessitas istud suadeat , & id , quod suscipitur , sit majus bonum , quàm recitatio Divini Officij : unde ejusmodi officium relinquendum , vel Beneficium resignandum est , aut petenda dispensatio ; aliàs Officij omissio eidem videbitur voluntaria esse in causa.

95 7. Denique *Dispensatio Pontificis* : quæ valida est , etsi fiat sine justa causa ; quia dispensat in Jure à se lato. Suar. *l. 4. c. 28. à n. 38.* Bonac. *D. 1. q. 1. p. 2. n. 5.* Pal. *p. 6. cit. n. 3.* Episcopus in hac Lege , ut communis habet sententia , cum Clericis majorum Ordinum , & Beneficiatis propriè dispensare non potest ; quia Lex Superioris per inferiorem tolli non potest *Clem. ne Romani 2. de Elect. pr.* Possunt tamen Episcopi dispensare impropriè , quando scilicet incidit dubium , an Beneficiatus , vel Clericus in Sacris constitutus in casu aliquo Horas teneatur legere ; tunc enim Episcopus rationabiliter interpretari Legem Ecclesiæ , & facultatem non recitandi indulgere potest. Quid circa hoc respectu Subditorum suorum Regularium possint Prælati ipsorum Regulares , dictum est *suprà n. 84.*

96 Quæritur 11, quæ sit pœna negligentium Divina Officia ? R. pro Clericis , & Religiosis , qui nullum Beneficium habent , nulla constituta est in Jure pœna ; posset autem statui tum à Jure communi , tum à Jure particulari locorum , vel Religionum : unde siqua Religio , vel Ecclesia particularis circa hoc habet specialem Constitutionem pœnalem , ad eos pertinet eam scire , qui possunt per eam ligari , vel tenentur eandem exequi.

97 Unde de solis Beneficiatis procedit quæstio. His , si culpabiliter Pensum Horarium non persolverint , duplex à Jure pœna decernitur. *Primò* enim jubentur fructus perceptos restituere : deinde si postquam ab Episcopo moniti fuerint , intra quindecim dies non bis saltem recitaverint Horas , jubentur excommunicari , suspendi , & Beneficio privari. Ita statutum est *in Concil. Later. sub. Leon. X. sess. 9. §. statuimus &c.* ubi decernitur, Beneficiarios , sive Curati illi sint , sive non Curati , si Horas negligant , post sex menses ab obtento Beneficio , fructus suos non facere , sed pro rata omissionis , vel in fabricam ejusmodi Beneficiorum , vel in Eleemosynas pauperum erogare debere : & si ultra dictum tempus in negligentia perseverent , legitima monitione præcedente , Beneficio ipso privandos. Quod Decretum S. Pius V. postea confirmavit , declaravit , & auxit nova Constitutione , quæ in Bullario Romano est 138.

Ne-

89 Neque ab hoc onere excusantur, qui præter Officium Divinum alia munera Officio suo annexa habent; nam Pontifex eodem modo loquitur de Beneficio cum Cura, & sine Cura. Excusantur tamen, qui bona fide, vel naturali oblivione, aut ex alio legitimo impedimento Divinum Officium non recitârunt; nam hi ad restitutionem non tenentur, ut rectè docent Bonacin. *D. 1. q. 5. p. 2. n. 4.* & apud hunc *Regin. Molfes. Nald. Garc. Macign. Squill. Az. Less. Suar. & alij.* Colligitur hoc ex *Const. S. Pij cit.* ubi pœna restitutionis imponitur, *cessante legitimo impedimento*, ut habent Bullæ verba: & ratio est; quia in foro conscientiæ non debetur pœna, ubi culpa non est. carentia autem fructuum inducta est in pœnam admissæ culpæ. ergo &c.

Quod de fructibus dictum est, etiam dicendum de Distributionibus, & Pensionibus Clericalibus; neutras enim lucratur, qui culpabiliter obligationi Divini Officij, aut B. V. recitandi non satisfecerit, ut expresse decernit S. Pius V. *in Bull. cit.*

§. IV.

De Applicatione Fructûs Sacrificij.

SUMMARIUM.

99 *Quotuplex sit Fructus Sacrificij?*
100. *An ratione ejus accipi aliquid temporale possit?*
101. *Quale stipendium pro unius Sacri applicatione sit justum?*
102. *Utrum Parochi, & alij Curati ratione applicati fructûs Missarum suarum stipendium accipere, & exigere possint? Sententia negans.*
103. *Sententia affirmans.*
104. 105. 106. 107. *Resolvitur Quæstio.*
108. *Possunt stipendium pro Missis à se lectis accipere Beneficiarij, qui ratione Beneficij sui sacrificandi obligationem non habent.*
109. *Et qui habent, sed cum libertate applicandi fructum, cui voluerint.*
110. *Si expressa intentio à Fundatore sit, alteri applicatio fieri nequit.*
111. *Idem complures dicunt, si nihil expressum sit.*
112. *Argumenta istius sententiæ.*
113. *Resolvitur negativa.*
114. *Solvuntur oppositæ.*
115. *An Sacrificij fructus, quod faciendum est ex Obedientia, vel Charitate pro defuncto, stipendio accepto, applicari etiam vivo possit?*
116. *Negativa defenditur.*
117. *Respondetur ad Rationes dubitandi.*
118. *An Stipendia plura accipi possint pro Missa eadem?*
119. *Decidituir pro parte negante.*
120. *Diluuntur Argumenta contraria.*
101. *An qui abundantius accepit stipendium pro Missa, eam legendam tradere alteri possit cum minore stipendio? ubi quid dicendum quoad istud de Parochis?*
122. *Quid de alijs Sacerdotibus?*
123. *An reservans partem stipendij à se accepti peccet mortaliter?*
124. *Tenetur pars affirmans.*
125. *Et imponitur reservanti obligatio restituendi.*
126. *Etsi id, quod datur, adhuc æquet quantitatem stipendij justi.*
127. *Solvuntur Objectiones.*
128. *An Missæ possint dici anticipatò?*
129. *Exceptio.*
130. *Quot Missæ dici debeant, quando certus numerus præscriptus est à Fundatore, vel Benefactore?*
131. *Intra quod tempus celebrandæ sint Missæ, pro quibus stipendium acceptum est?*
132. *An Missæ, pro quibus celebrandis in certa Ecclesia stipendium obtulerunt fideles, celebrari possint in alia?*
133. *Cujus authoritate translatio hæc fieri possit?*
134. *An Episcopus Regulares possit compellere ad exhibendos Libros Sacristiæ, quibus annotatur, an satisfactum sit obligationibus Missarum susceptis?*
135. *Respondetur negativè.*
136. *Contraria Argumenta solvuntur.*

99 QUæritur 1. an pro celebratione Missæ, sive applicatione fructûs Sacrificij exigi, & accipi valeat pecunia, vel alia res temporalis? Antequam respondeam, noto triplicis generis fructus Sacrificij distinqui â DD. Et 1. quidem est *Fructus generalis*, quem Ecclesia applicari, & participari vult ab omnibus Christi Fidelibus vivis, ac defunctis, præsertim Missæ Sacrificio assistentibus, & ad id cooperantibus: quem proinde Sacerdos aliter applicare nequit. 2. *Specialis*, sive *Personalis*, quem ex Sacrificij celebratione percipit ipse Sacerdos, & alijs applicare non debet, nec ex communi multorum sententia potest. 3. *Medius*, qui Sacerdoti committitur, ut applicetur ei pro quo Sacrificium sive ex obligatione, sive ex libera voluntate offert. De hoc solo procedit quæstio: proinde.

Dubium est inter DD. an ratione ejus 100
accipi temporale possit? Videtur non posse; quia Sacrificium, ejus fructus, & ipsa istius applicatio est aliquid Spirituale. hoc autem pecuniâ, vel alio temporali

exhibito compensari sine labe Simoniæ nequit, ergo &c.

Sed distinguendum est inter duplicem modum, quo pecunia, vel aliud temporale Sacrificanti exhiberi, & acceptari ab isto potest; nam exhiberi eidem, & recipi ab ipso potest vel ut æstimatio fructûs Sacrificij, & ejus applicationis, vel solumodo tanquam stipendium debitæ sustentationis. *Primo modo* facta exhibitio, & receptio Simoniaca est, & tanquam talis damnatur *à Concil. Tolet. XI. c. 8.* relato *can. quidquid 101. caus. 1. q. 1.* Non autem facta *secundo modo*; quia stipendium sustentationis Sacrificanti, & Sacrificij fructum Spiritualem applicanti debitum est Jure Divino, & Naturali juxta illud Apostoli, *Si nos vobis Spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus. 1. Corinth. 9. v. 11.* Abb. *in c. suam 29. de Simon. n. 4.* Sylv. *V. Simonia q. 9.* Sot. *l. 9. de Just. q. 6. art. 1.* Graff. *Decis. aur. l. 2. c. 96. n. 32.* Gutier. *Can. qq. c. 29. à n. 3.* Henriq. *l. 9. c. 22.* Suar. *de Simon. c. 21. à n. 5.* Vasq. *D. 234. per totam*, Conink *de Sacram. q. 83. n. 193. & seqq.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 24. n. 2.* Pal. *tr. 22. D. un. p. 14. n. 3.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 10. n. 61.* Wiest. *hic n. 31.*

101 Quale stipendium justum sit pro unius Sacri obligatione, non conveniunt DD. Plures cum Henriq. *c. 22. cit. n. 1. & 4.* Conink *q. 83. cit. art. 1. dub. 10. circa finem*, Petr. Navar. *l. 2. de Restit. c. 2. n. 315. & 320.* & alijs non infimæ notæ credunt justum stipendium esse, quod integræ sustentationi Sacerdotis pro unico die sufficiat, ex ratione; quia juxta Apostolum relatum *c. cùm secundùm 16. de Præb. qui Altari servit, etiam vivere debet de Altari.* cùm ergo Sacerdos singulis diebus unico tantùm Sacrificio inservire Altari possit, ob illud Sacrificium eo die sustentari debet. Contrà Laym. *l. 5. tr. 5. c. 1. n. 13. ℣. justum*, Pal. *tr. 22. D. un. p. 14. n. 4. ℣. cæterum*, & alij ab his *citt.* putant sufficere mediam, vel tertiam partem sustentationis illius diei, nisi aliud exigat Sacerdotis inopia; quia existimant, semihoræ laborem, & occupationem, quæ in Missa facienda insumitur, hoc stipendio sufficienter compensari. Optimè illi, qui justum affirmant illud, quod vel lex, vel consuetudo loci taxavit: quæ tamen taxatio nunquam ita fieri potest, quin abundantius concedi à Sacrificium petentibus, & minus admitti à Sacrificantibus possit, ut bene Vasq. *D. 234. c. 1. n. 6.* Suar. *D. 86. sect. 2. concl. 1.* Barbos. *alleg. 24. cit. n. 8.* Pal. *n. 4. cit. ℣. quodsi urgeas* notant; quia Lex, & consuetudo taxans stipendium non prohibet, nec prohibere regulariter potest usum, & exercitium liberalitatis tam ex parte concedentium stipendium, quàm ex parte Sacerdotum celebrantium.

Quæritur 2. utrum Parochi, & alij 102
Curati ratione applicati fructûs Missarum suarum stipendium accipere, & exigere possint? Negant pro ijs saltem diebus, quibus ad Missarum celebrationem ex Officio obligantur, Sot. *l. 7. de Just. q. 2. art. 2.* & *l. 9. q. 3. art. 1. §. nihilominus.* Barbos. *de Offic. Paroch. c. 11. n. 10. in fin.* & *alleg. 24. cit. n. 23. in fin.* Monacell. *p. 2. for. Eccl. tit. 16. form. 2. n. 18. & seqq.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 10. n. 60.* & alij plures, qui proinde Dominicis saltem, festisque diebus eosdem obligant ad fructum Missarum, quas his diebus populo celebrant, applicandum Populo Parochiano: quod colligunt ex Trid. *sess. 23. c. 1. pr. de reform.* ibi: *Cùm Præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre &c.*

Contra Henriq. *Summ. l. 9. c. 22. §. 6.* 103
Suar. *D. 86. sect. 1. ℣. de Beneficijs*, Reginald. *prax. l. 23. n. 238.* Vasq. *D. 234. art. 6. c. 6. ℣. vera tamen.* Possevin. *de Offic. Curat. c. 2. n. 4.* Ugolin. *de Offic. Episc. c. 16.* Conink *de Sacram. q. 83. art. 1. dub. 11. concl. 3.* Gavant. *ad Rubr. Missal. p. 3. tit. 12. n. 27.* Laym. *l. 5. tr. 5. c. 3. n. 3.* Fill. *tr. 4. n. 174.* Pal. *tr. 22. D. un. p. 13. n. 7. & 8.* Engl *hic §. 1. n. 18.* Wiest. *n. 39. & 40.* & alij apud istos putant, Parochos, & alios Curatos, nisi aliter cautum sit in fundatione, vel Statuto, aut consuetudine introductum, posse pro Missarum celebratione accipere stipendium, non obstante Decreto Trid. *c. 1. cit.* quia licèt per hujus tenorem jubeantur Sacrificia pro Parochianis suis offerre, non tamen inde infertur, quòd hoc facere debeant omnibus illis diebus, quibus sacrificare tenentur, & quòd ijs diebus specialiter ijs sacrificium applicare debeant: unde putant eos satisfacturos, si id faciant quandoque in anno, & sæpiùs fructum Sacrificiorum suorum ijsdem applicent applicatione generali, & secundaria, quâ id applicatur fidelibus omnibus, præsertim assistentibus.

Verùm hæc explicatio de applicatio- 104
ne solùm fructûs Generalissimi non videtur satis concordare cum mente S. Synodi Trid. *c. 1. cit.* quia dum ibi declarat Parochum teneri Sacrificium pro ovibus offerre, indicat, in Parocho aliquam specialem obligationem reperiri, diversam ab illa, quam habent singuli Sacerdotes applicandi fructum generalissimum omnibus Christi Fidelibus. Unde existimo, Parochos, & similes Curatos pro Parochianis teneri applicare fructum etiam medium Sacrificiorum suorum, saltem Dominicis, Festisque diebus: pro quo apertè militat Decretum S. Congr. *editum 1. Sept. 1629.* quo censuit Parochos illis diebus, quibus tenentur Missam pro ovibus celebrare, non posse Eleemosynam Manualem accipere, ut videre est apud Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 10. n. 60. in fine.*

Et

105 Et hoc verum est, etiamsi congruam tenuem, & in solis incertis haberent; prout sæpiùs declaravit eadem S. Congr. *in Lucan. 10. Maij 1681.* & *10. Maij 1692. in Meliten. 7. Jun. ejusdem ann. in Resp. ad 4. in Cremonensi 20. Dec. 1692. in Pampilon. 18. Nov. 1702.* & *31. Maij 1704. in Camerin. 28. Jun. 1704.* ut videre est apud Monacell. *For. Eccl. p. 1. tit. 2. form. 2. n. 4.* & *in Append. Annot. ad Bull. Innoc. XII. de celebr. Miss. n. 9.* & *p. 2. tit. 16. form. 2. n. 19.* Quibus omnibus accedit *Constit. Innoc. XII.* incipit *Nuper 24. April. 1699.* in qua confirmatur Decretum *S. Congr. Conc. editum 10. Maij 1692.* his verbis conceptum: *An Parochus Missam celebrare teneatur, & Sacrificium applicare Parochianis diebus Dominicis, & Festis, sive habeat congruam, sive non? Sacra Congregatio censuit teneri, nec posse eisdem diebus aliam Eleemosynam recipere.*

106 Quin imò, ubi reditus fuerint pingues, eadem Sacra Congregatio *in Lucana 10. Maij 1681.* statuit, Missas à Parochis applicandas pro Parochianis singulis diebus: quod intelligo de illis diebus, quibus extra Dominicas, & Festa ex loci statuto, vel consuetudine sacrificare tenentur; simpliciter enim si accipiatur pro omnibus diebus, videtur Decretum hoc esse nimis durum. 1. quia non tenentur Parochi singulis diebus celebrare. ergo nec applicare fructum Sacrificiorum illorum Parochianis suis. 2. sic nulla die Sacrificium offerre possent pro necessitatibus aut suis, aut consanguineorum, & amicorum suorum; imò nec Missas, & Anniversaria Sacra facere pro certis ex Parochia sua defunctis, quia his applicando fraudarent cæteros fructu sibi debito. 3. optima interpres Legum est consuetudo passim recepta, non autem constat Declarationes allegatas receptas usu saltem in Germania in tali rigore, ut nullum omnino Sacrum à Parochis, & alijs Curatis liberè applicari alijs possit.

107 Quodsi ijs diebus, quibus Parochus ratione consuetudinis, vel fundationis obligatus est sacrificare pro defunctis, Parochianus aliquis Sacrificium pro se offerri postulet, stipendio dato, refert, utrum talis obligatio Parochi in eo loco, nota sit, an verò Parochiani, vel offerentes stipendium existimentur ignorare obligationem Parochi. *Si hoc secundum*, significari hoc ipsis debet, cùm alioquin non immeritò inviti esse, & de injuria, ac Spirituali damno conqueri possent. *Si primum*, stipem offerens pro Missa legenda censetur Juri suo renuntiare, atque contentus esse secundaria intentione, & applicatione fructûs, ne alioquin ad alienam Parochiam accedere cogatur. Henriq. *l. 9. c. 22. n. 6.* Suar. *D. 86. sect. 3.* Sot. *l. 9. de Just. q. 3. art. 1.* Laym. *l. 5. tr. 5. c. 3. n. 4.* Quod maximè locum habet, si Parochus tenues reditus habeat; nam alioquin, si redituum ubertas permittat, Cooperator advocandus erit, ut piæ fidelium petitioni plenè satisfieri possit.

108 Quæritur 3. an stipendium ratione applicati fructûs accipere, vel exigere possint alij Beneficiati? *Certum est 1.* posse istud licitè recipere Sacerdotes, obtinentes Beneficium, cui sacrificandi obligatio non est annexa. S. Thom. *quodl. 6. art. 10.* Navar. *Man. c. 23. n. 102.* Suar. *tom. 3. in 3. p. D. 86. sect. 3. concl. 2.* & teste P. Wiest. *hic n. 32.* alij communiter. *Ratio est*; quia Beneficium tale, cùm obligationem sacrificandi, & fructum applicandi sibi annexam non habeat, liberam relinquit applicationem fructûs. igitur sacrificans applicare eundem potest alteri cuicunque, & hic, si ita velit sacrificans, cùm Spiritualia ei ministret, debebit ipsi exhibere sustentationis stipendium.

109 *Certum est 2.* si Beneficiatus quidem obligatus sit ad certas Missas ex vi fundationis, ita tamen, ut eidem in hac à Fundatore expressè permissa sit libera intentio, talem Beneficiatum posse applicare Sacrificia sua liberè, cui voluerit, & stipendium ab ipso accipere; nam id tanquam explo ratum supponunt Card. de Lug. *de Sacram. D. 31. c. 19.* & *21.* Donat. *tom. 3. prax. Regul. tr. 7. q. 49. n. 5.* Gavant. *ad Rubr. Missal. p. 3. tit. 12. n. 5.* & hoc teste declaratum est à *S. Congr. 13. Jul. 1630.* Ratio est; quia id nullo Jure prohibitum est.

110 *Certum est 3.* Clericos, qui Capellanias, & his similia Beneficia Sacerdotalia obtinent, teneri Missarum, in fundatione præscriptarum, fructum juxta piam Fundatorum intentionem applicare saltem, quando hæc expressa est, ita, ut pro talibus Missis stipendium accipere nullatenus possint. P. Wiest. *hic n. 37.* Imò idem dicendum, quamvis intentionis, seu applicationis nulla facta sit mentio à Fundatore, vel eo, qui stipendium dedit, si Missa petatur nullo annexo speciali, vel notabili onere; quia hoc casu sacrificans jam accepit salarium à Fundatore, vel eo, qui stipendium numeravit. igitur injustè aliud stipendium ab alio recipit. Navar. *Man. c. 25. n. 92.* Bellarm. *l. 2. de Miss. c. 4.* Suar. *D. 86. cit. sect. 6.* Laym. *l. 5. tr. 5. c. 1. n. 12.* Wiest. *hic n. 38.*

111 *Dubium* ergo solùm est de casu, quo Missa ex fundatione vel constituentis voluntate celebranda est certo loco, & tempore, pro Ecclesiæ, vel Altaris cultu, commoditate, aut solatio fidelium in loco præsentium, ut Missæ copiam habeant, aut si alia similia onera specificè expressa sunt, non tamen facta mentio intentionis, vel applicationis. In quo iterum certum videtur casu, quo stipendio certo, pro certa, vel certis Missis assignato, constitutus sit, sicut frequenter fit in Ecclesijs Monialium, & Oratorijs Confraternitatum, ut Confratres,

vel

vel Moniales commoditatem habeant audiendi Missam, & satisfaciendi præcepto, non posse hujusmodi Sacerdotem ultra stipendium, quod à Confraternitate, vel Monialibus recipit, accipere aliud ab alio, & huic applicare fructum, cujus applicationem Moniales, aut Confratres non petierunt; nam hoc non licere respondit S. Congr. *9. Jan. & 6. Febr. 1627.* apud Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 10. n. 63.* Ratio est, quia cessat justus titulus recipiendi novum stipendium; nam sive stipendium recipiatur in mercedem laboris, sive in subsidium sustentationis, constat esse receptum: unde ubi aliud reciperetur, videretur recipi aut contra Justitiam, aut Simoniacè. *Controversia igitur* tantùm est de Beneficiato, qui ratione Beneficij tenetur ad certa Sacra certo loco, tempore &c. celebranda. Qua in controversia hujusmodi Beneficiatum Aldanus *de valor. applic. Sacrif. tr. 2. c. 3. n. 3.* Faust. *l. 2. de Euchar. q. 155.* Gavant. *ad Rubr. Missal. p. 3. tr. 12. n. 5.* Dian. *p. 1. tr. 4. resol. 8.* Pignatell. *tom. 3. consult. 61. n. 9. & 15.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 10. n. 63.* & nonnulli alij obligant ad Sacrificiorum fructum applicandum Fundatoribus: adeoque ex horum sententia nullus Sacerdos, ratione Beneficij, vel Officij sui obligatus ad sacrificandum, fructum Sacrificij applicare alteri, & ab hoc stipendium potest recipere.

112 *Moventur 1.* varijs Declarationibus Cardd. Trid. Interpp. *in Alexandrin. 26. Apr. 1653. Castellan. 9. Jul. 1644.* & præcipuè *in Decret. de Celebr. Missar. edito Jussu Urbani VIII.* & confirmato *ab Innoc. XII. speciali Const. 10. Cal. Jan. 1697.* ubi S. Congreg. declaravit, *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficij, seu Capellæ, legati, aut salarij, si Eleemosynas etiam pro alijs Missis celebrandis susceperint, non posse eâdem Missâ utrique obligationi satisfacere.* 2. tali casu recipi pecunia non potest in stipendium sustentationis, cùm ista jam habeatur aliunde ex Beneficio, Capellania, officio, ergo recipietur tantùm in compensationem fructûs, & applicationis Sacrificij, quod simoniacum esse dixi *n. 100. suprà.* 3. id, quod debetur ex obligatione Justitiæ uni, non potest applicari alteri, & stipendium ab eo accipi. atqui ex obligatione Justitiæ Beneficiatus tenetur ad intentionem Fundatorum applicare Sacrificia sua, & de intentione Fundatorum meritò præsumitur, quòd ubi aliud non expresserunt, voluerint applicari sibi, cùm meliore, quo potuerunt, modo, censeantur sibi prospexisse. ergo &c.

113 Sed his non obstantibus, hoc casu Sacrificij fructum liberè applicari posse, cui Sacerdos voluerit, etiam accepto stipendio, docent Peyrin. *tom. 3. de Privileg. c. 1. n. 20.* Rodriq. *tom. 1. Regular. q. 43. art. 8.* Suar. *D. 86. sect. 3. concl. 2.* Vasq. *D. 234. n. 25.* Alph. à Leon. *de Jubilæo p. 3. q. 20. n. 27.* Turrian. *p. 2. select. D. 3. dub. 2.* Lugo *D. 31. de Sacram. n. 19. & 20.* Pellizar. *tr. 5. Man. Regul. c. 9. à n. 98.* Dian. *p. 2. tr. 14. resol. 26. & p. 5. tr. 13. res. 51.* ubi sententiam suam *n. 111.* relatam correxit, Wiest. *hic n. 41.* & alij magni nominis DD. *Fundantur 1.* quia obligatio applicandi fructum Missæ est separabilis ab obligatione eam celebrandi, ut patet in Sacerdotibus Regularibus, qui vi Regulæ, vel consuetudinis sacrificare tenentur, & tamen fructum Sacrificij applicare, cui volunt, possunt. igitur ex eo, quòd Beneficiatus certis diebus obligetur ad sacrificandum, non hoc ipso sequitur, quòd etiam obligetur ad Sacrificij fructum fundatoribus, vel alijs applicandum. 2. juxta dicta *n. 109.* quando à Fundatore relicta Beneficiato est libera facultas applicandi fructum Beneficij, cui voluerit, potest ille stipendium accipere, etiam pro Missis, quas ex fundatione tenetur celebrare, atqui talis libertas censetur concessa in casu præsenti, quòd obligationem Fundator non expresserit. 3. applicatio fructûs Sacrificij est res valde notabilis, speciali nota, & mentione digna, ab obligatione sacrificandi separabilis, & sæpe separata, & cùm exigitur, à Fundatoribus exprimi solet. atqui quæ talia sunt, casu, quo non exprimuntur, pro neglectis, & speciliter non intentis habentur juxta tritum illud, *Quod quis facilè exprimere potuisset, si voluisset, id, si non expressit, nec voluisse censendus est.* ergo &c.

Neque contrarium probant Argu- 114
menta *n. 112.* allata. *Ad 1.* has S. Congr. Declarationes imprimis præ oculis habuerunt, & ponderârunt plerique ex DD. *n. præc. cit.* præsertim Card. de Lugo, & Diana, & tamen ijs nihil moti in ipsa Urbe, in S. Congr. & Ecclesiæ facie publicè, & sub Censura Apostolica editis Voluminibus sententiam nostram propugnârunt, imò Diana, ut vidimus, sententiam pristinam, quâ stipendia tali casu recipi non posse docuit, mutare non dubitavit. igitur dicendum, præfatas Declarationes non loqui de casu præsentis dubij, sed de cæteris, quos *n. 110.* retuli. *Ad 2.* in hoc casu stipendium adhuc accipitur pro sustentatione: neque hanc receptionem prohibet, quòd talis Beneficiatus congruam sustentationem habeat ex Beneficio; nam etiam eam habent Clerici divites, & pingue Beneficium habentes sine obligatione sacrificandi, vel cum hoc onere, sed intentionis libertate sibi expresè relicta, qui tamen omnes sine Simoniaca, & alia iniquitate stipendium recipere ratione applicati fructûs possunt. *Ad 3.* fructum applicando alijs in casu istius dubij Beneficiatus contra Justitiam nequaquam peccat, cùm loco, & tempore designatis celebrando impleat totum officium, Beneficio suo annexum,

xum, & correspondens : unde dicendum, tunc solùm ex Justitia applicandum Sacrificij fructum Fundatoribus esse, quando id Fundator expressit, vel rationabiliter præsumitur voluisse.

115 Quæritur 4. an idem Sacrificium, quod ex Charitate, vel Obedientia, aut præscripto Regulæ à Sacerdote Religioso fieri debet pro defuncto, accepto stipendio, applicari etiam possit pro vivo, exhibente stipendium? Affirmant complures teste Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 10. n. 51.* 1. quia cùm triplex sit valor Sacrificij ex opere operato, ut dictum est *n. 99.* & applicatione unius non impediatur applicatio alterius, potest stipendium danti applicari valor medius, & specialissimus defuncto. 2. quia Sacrificium Missæ est impetratorium, & satisfactorium. igitur quatenus impetratorium, potest applicari uni, quatenus satisfactorium, alteri. 3. quia cùm valor Sacrificij istius sit infinitus, illud non minùs prodest, singulis, quando offertur pro pluribus, quàm si offerretur pro uno.

116 Sed tenenda est sententia negativa. Ita Pont. *D. 44. q. 13. n. 127.* Herinx *tom. 4. D. 8. n. 88.* Maur. *tom. 3 Theol. l. 12. q. 207. n. 9.* Matthæucc. *c. 10. cit. n. 54.* Ratio est; quia Sacrificium est ita debitum danti stipendium, ut pro alio quoad fructum medium sive ex Justitia, sive ex Obedientia applicari non possit; nam ille integrum Sacrificium petit, quantum ad eum fructum: & sic dum fructus iste applicatur etiam alteri, minus ille participat de tali fructu, quàm si pro eo tantùm singulariter offerretur; & ita neutri satisfit, quia inter eos fructus ille dividitur.

117 Neque obstant Argumenta pro adversa parte allata. *Ad 1.* fructus specialissimus affixus est personæ celebrantis, & idcirco in alterum transferri nequit: ac propterea Alexander VII. meritò damnavit errorem dicentium, quòd Sacerdos pro eadem Missa accipere possit duplicatum stipendium, applicando partem illam fructûs debitam celebranti. *Ad 2.* dans stipendium pro Missa petit integrè Missam quoad fructum medium, quod non fieret, si pro alio applicaretur Sacrificium ut satisfactorium: & hinc *S. Congr. Conc. 13. Dec. 1659.* meritò prohibuit accipi pro eadem Missa duo stipendia, unum pro ea, ut est Sacrificium impetratorium, alterum pro illa, ut est satisfactorium. *Ad 3.* Valor Sacrificij istius infinitus quidem est in actu 1. non tamen in actu 2. sed affectum producit secundùm modum applicationis, prout dictum est *n. 35.*

118 Quæritur 5. an Sacerdos, præsertim pauper, pro una Missa, & applicatione fructûs ex ea possit accipere plura stipendia, quæ simul sumpta congruæ sustentationis stipendium non excedunt? Affirmant Angel. *V. Missa n. 52.* Sot. *l. 9. de Just. q. 3. art. 1.* Can. *de Loc. Theol. l. 12. c. 13.* Henriq. *l. 9. c. 22. n. 4.* Rodriq. *Summ. tom. 2. c. 252. n. 4. concl. 4. ad fin.* Petr. Navar. *l. 2. de Rest. c. 2. n. 433.* & alij magni nominis TT. *Fundantur 1.* quia talia stipendia plura accipiens neminem defraudat, cùm Sacrificij fructus pluribus applicatus singulis non minùs prosit, quàm si ipsis solis applicaretur. 2. iniquè petit sacrificium integrum, qui dimidiatum tantùm stipendium dedit, sicut dominus, solvens mercedem dimidiam, iniquè petit servitium integrum. igitur sicut ejusmodi servus se indemnem præstare, & quâ potest, viâ damnum sibi factum resarcire valet, ita etiam Sacerdos, quod facit accipiendo supplementum stipendij ab alio, & illi partem fructûs applicando. 3. juxta *c. cùm secundum 16. de Præb.* qui servit Altari, etiam vivere de Altari, & accipere ab eo sustentationem debet. hanc autem non accipit, qui pro Sacrificio tantùm partem stipendij ad sustentationem sufficientis ab uno accipit. ergo ejus partem accipere ab alio, & Sacrificium ei quoque applicare potest.

119 Sed omnino dicendum, ejusmodi Sacerdotem non posse plura talia stipendia insufficientia pro una Missa accipere, sed teneri solventi stipendium dimidium applicare totum fructum medium Sacrificij. Ita Navar. *Man. c. 25. n. 92.* Bellarm. *l. 2. de Miss. c. 4. propos. 4.* Tolet. *l. 2. c. 8. n. 3.* Suar. *D. 86. sect. 2. & 3.* Vasq. *D. 234. c. 4.* Reginald. *prax. l. 23. n. 234.* & *l. 29. n. 157.* Conink *q. 83. n. 192.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 24. n. 5.* Donat. *prax. Reg. tom. 3. tr. 7. q. 54.* Wiestner *hic n. 44.* & apud hos DD. alij magno numero congesti: & patet ex Declar. Cardd. Conc. Interpp. approbata per Urbanum VIII. & confirmata ab Innoc. XII. speciali *Const. editâ 10. Cal. Jan. 1697.* ubi saluberrimè decretum est, *Ut cùm pro pluribus Missis celebrandis accepta sunt plura stipendia - - - quantumcunque incongrua, & tenuia sint, ab una, vel pluribus personis collata, vel conferenda in futurum, tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerunt.* Ratio est 1. quia offerens stipendium minus ordinario, petensque Sacrificium sibi integrè applicari, intendit, ut Sacerdos defectum sibi remittat, & hoc facere Sacerdos tenetur, dum illud stipendium sibi collatum acceptat, & pacto ad Sacrificium faciendum se obligat. 2. Stipendio etiam tenui, & ad unius diei sustentationem non sufficiente Sacerdotibus abunde compensatur jactura temporis, quod Sacrificij celebratio absumit, ac proinde reliquum omne impendi ab ipsis valet alijs officijs, & functionibus, supplerique ex illis defectus sustentationis plenæ. 3. Plurium, etiam tenuium, stipendiorum receptio sordium, & avaritiæ suspicionem, & scandalum præbet.

120 Argumenta contraria facilem responsionem habent. *Ad 1.* patet ex dictis *ad*

8. n. 117. Et hinc quia talis Sacerdos, pluribus idem Sacrificium pro pluribus stipendijs minutis applicans, pactum non implet, ita recipiendo, & applicando peccat contra Justitiam; consequenter ad restitutionem, quæ ex Justitia violata exurgit, obligabitur. *Ad 2.* etiam famulus, qui liberè pactus cum hero suo est mercedem minorem justo, petere ab illo, vel compensare sibi occultè defectum nequit; sibi enim imputet, quòd ita pactus cum hero sit. *Ad 3.* id verum est, nisi aliud Sacerdos pactus fuerit cum solvente stipendium, quod stipendium, etsi minus sit justo, consideratâ taxâ stipendij per consuetudinem, vel legem factâ, non tamen est minus labore extrinseco, qui à Sacerdote impenditur, & solus in pactum, & æstimationem venit.

121 Quæritur 6. an qui pro Missa abundantius stipendium accepit, possit ejus celebrationem alteri, justo stipendio exhibito, concedere, & residuum sibi reservare? R. cum distinctione; nam Parochi, & alij Beneficiati, qui ratione Capellaniæ, vel Beneficij ad plura Sacra legenda adstringuntur, istud possunt, ut post alios notat Sà *V. Missa n. 45.* Suar. *D. 86. sect. 3. circa fin.* Vasq. *D. 234. c. 4. post med.* Laym. *l. 5. tr. 5. c. 1. q. 3. concl. 1.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 24. n. 11.* Bonac. *D. 4. de Sacram. q. ult. p. 8. n. 18.* Pal. *tr. 22. D. un. p. 14. n. 9.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 10. n. 29. ad 8.* & teste P. Wiestner *hic n. 46.* cæteri melioris notæ DD. sicque respondit *S. Congr.* apud Matthæucc. *l. cit.* Ratio est, quia Parochi, & Beneficiati titulo Parochiæ, vel Beneficij constituuntur absolutè domini fructuum, & redituum, cons. satisfaciunt intentioni fundatorum, & officij sui, modò impleant onus Missarum stabiliter annexum Beneficio: hoc autem implent, si eas Missas per alium curent; quia nisi aliter Fundator disposuerit, liberum Beneficiato est illi oneri vel per se, vel per alium satisfacere.

122 Contrà alij Sacerdotes (quod multo magis in Sacristis verum est) pro Sacro legendo minus stipendium, quàm ipsi pro eo acceperint, quando illud legendum dant alteri, non possunt dare, sed sine diminutione illud reddere eidem debent. Navar. *Man. c. 25. n. 91. v. 24. peccat.* Laym. *c. 1. cit. n. 14.* Barbos. *n. 11. cum reliquis suprà*, & statuit *S. Congr.* apud Barbos. *n. 11. cit. in fin.* & Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 10. n. 14. & 29. ad 10.* estque confirmatum ab Innoc. XII. *Const. editâ 10. Cal. Jan. 1697.* Ratio est, quia ita velle præsumuntur fideles sacrificanti stipendium amplius assignantes; præsumuntur enim hoc facere ea intentione, ut sacrificans ad majorem cooperationem, & accurationem suæ liberalitatis intuitu excitetur. *Extenditur* etiam ad Ecclesias, & alia loca pia; nam S. Congr. apud Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 10. n. 29. ad 7.* respondit, *permittendum non esse, ut Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorum Administratores ex Eleemosynis Missarum celebrandarum ullam utcunque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cùm Ecclesiæ, & loca pia alios non habent reditus, quos in usum earundem expensarum erogare liceè possint; & tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantùm Missæ Sacrificio necessariò sunt subeundæ: & nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecunijs, quæ supersunt, expensis, ut suprà, deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus Eleemosynas:* quod Decretum confirmatum est ab Innoc. XII. *Constit. editâ 10. Cal. Jan. 1697.* Sed hinc ulteriùs.

123 Dubium oritur, an Sacerdos talis, reservans sibi partem stipendij, peccet mortaliter? Negant Bordon. *in Cons. Regul. resol. 25. n. 28.* quod probat 1. quia Constitutio, & Decretum *citt.* non damnant opinionem, quòd possit retineri pars stipendij, sed solùm prohibent usum illius, ergo cùm sit prohibitio de re aliàs licita, non infert peccatum mortale, atque adeo nec obligationem restituendi. 2. Quia in eo casu nemini infertur injuria: non ei, pro quo est celèbrandum; quia pro ipso alius Sacerdos sacrificat: non celebranti; quia voluntariè accipit stipendium, quod ipsi offertur. 3. Quia esse potest, quòd materia non sit gravis, prout est in exemplo, cùm pro una Missa dati sunt crucigeri 30. & ex his accipiens sacrificanti dat 20. ipse verò retinet 10.

124 Sed dicendum ejusmodi Sacerdotem peccare mortaliter. Ita docent Aversa *q. 11. de Euch. sect. 17. ad fin.* Lug. *de Sacram. l. 5. c. 12. q. 7. n. 77.* Peyrin. *tom. 3. de Privil. ad Const. 9. Urban. VIII.* Pignatell. *tom. 4. consult. 227. n. 7.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 10. n. 48.* & hoc teste respondit S. Congr. *in Antonitan. Eleemosyn. 5. Jul. 1664.* Ratio est, quia prohibitio hæc gravis est tum ratione materiæ, tum ex intentione Ecclesiæ prohibentis: ex intentione Ecclesiæ prohibentis ex intentione quidem; quia Sancta Sedes intendit conservare Ecclesiæ Ministros in exhibendis SS. Mysterijs innoxios, & ab ipsis removere ea, quæ ipsorum candori repugnant, cujus generis est tale lucrum, quod mercaturam Ecclesiasticis indignam, præ se fert: ratione materiæ verò, cùm illa materia gravis reputetur respectu prohibitionis, quæ graviter obstat fini intento. huic autem lucrum hoc adversatur, ut vidimus, & obligatio sub veniali tantùm non effet medium sufficiens ad lucrum hoc excludendum. ergo &c.

125 Imò ut contra Quartum *in Rubr. Miss. in append. q. 4. p. 1. diff. 3. dub. 1.* docent *citt.* Pignatellus, & Matthæucius, peccatum hoc mortale non solùm est contra obedien-

dientiam, sed etiam contra Justitiam, & ideo consurgere obligationem restituendi, prout resolvit S. Congreg. *in Anconitan. cit.* Ratio est, quia stipendium accipiens hoc acquirit sola ratione obligationis ad offerendum pro dante Sacrificium. ergo statim, ac ea obligatione se spoliat, se privat titulo retinendi stipendium, & retinendo facit contra voluntatem dantis (siquidem non dedit pro lucro non celebrantis, sed in mercedem celebrantis Missam) & contra jus, quod habet celebrans, quem proinde partem retinendo lædit, utpote in quem, dum in ipsum transtulit obligationem celebrandi, simul transtulit us ad stipendium integrum.

126 *Procedítque hoc*, etsi stipendium, quod dat, adhuc in ea sit quantitate, in quali taxatum est Lege, vel consuetudine; nam etiam pinguem dans Eleemosynam, dat illam non intuitu amicitiæ, vel donationis, sed in mercedem laboris, & oneris, quod imponit ad celebrandum. igitur integra transit cum ipso onere ad eum, qui onus hoc suscipit, & implet: & hinc dum ei integra Eleemosyna non confertur, ipsi non datur totum, quod est ei de Jure debitum, & sic fit ipsi injuria. Pignat. *l. cit. n. 11.*

127 Neque contrarium probant Argumenta allata. *Ad 1.* in *Decreto S. Congr.* & *Const. cit.* prohibetur non solùm opinionis contrariæ usus, sed ipsa opinio; dicitur enim retentio partis stipendij esse lucrum damnabile, adeoque per prohibitionem damnatum; si autem est damnabile, & damnatum, etiam injustum est. *Ad 2* injuria fit utrique: celebranti quidem; quia, ut ostensum est, per translationem oneris translatum in ipsum est etiam jus accipiendi totum stipendium: petenti autem, ut celebretur; quia stipendium integrum non datur ei, cui ex ejus voluntate est dandum, cùm sit ei dandum, qui Missam celebrat, ad quem finem ipse primò dedit. *Ad 3.* licèt decem cruciferi per se non sint materia gravis, & notabilis, per accidens efficiuntur materia gravis, ratione nimirum Ecclesiæ intendentis, ne in mercaturam transferantur Spiritualia, & optantis bonæ suorum Ministrorum existimationi consulere.

128 Quæritur 7. an Missæ possint dici anticipato pro eo, qui primò stipendium dederit, vel quem Deus vidit primò daturum, vel sub conditione in futurum contingente, v. g. intendo celebrare pro eo, qui proximè mihi Eleemosynam largitus fuerit? R. non posse; sed tanquam periculosum, & scandalosum jussu Clem. VIII. & Decreto Pauli V. prohibitum est à S. Congr. *15. Nov. 1605.* apud Laurent. de Peyrin. *tom. 2. privil. Minim. int. Const. Urban. VIII. n. 9* Gavant. *ad Rubr. Missal. tom. 1. p. 3. tit. 12 à n. 34.* Lezan. *Summ. qq. Regul. c. 21. n. 7.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 24. n. 12.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 19. n. 4.* Et meritò; nam 1. redolet nimiam cupiditatem lucri. 2. Par est, ut qui tradit Eleemosynam, sciat Missam pro se celebrandam, ut melius se disponere possit ad recipiendum fructum Sacrificij, qui potest esse major, vel minor juxta majorem, vel minorem dispositionem illius secundùm dicta *n. 35.* 3. Sic homines retrahi possent ab Eleemosynis in futurum tradendis pro celebratione Missarum, dum facilè sibi persuaderent Sacerdotem accipere stipendium, & non persolvere onus, quod pro stipendio suscepit.

Excipit Barbos. *l. cit. n. 14.* casum, 129
quando ex obligatione alicujus Capellæ quis tenetur Missas certas singulis hebdomadis celebrare, vel in posterum pro intentione certa; tunc enim concedit posse celebrare anticipatò, nisi aliud exprimatur in fundatione Capellaniæ, ex quo voluntas defuncti aliquo modo eludi videri posset. Consentiunt Petr. de Ledesma *in Summ. p. 1. de Sacr. Eucbar. c. 18. concl. 17.* Rodriq. *in Summ. tom. 1. c. 253. concl. 8.* Reginald. *prax. l. 23. n. 237.* Dian. *p. 1. tr. 14. res. 16.* & expressè in Capellano, quòd possit prævenire tempus celebrationis, resolvit Riccius *prax. decis. 400. edit. 1.* & *resol. 338. edit. 2.*

Quæritur 8. quot Missæ celebrari de- 130
beant, quando certus numerus est præscriptus à Fundatore, vel Benefactore? R. ex S. Congr. Decreto apud Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 10. n. 13.* tot celebrandæ sunt, *quot ad rationem attributæ Eleemosynæ* (ab eam offerente, vel si hic numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, ab Ordinario secundùm morem civitatis, vel Provinciæ, ut eadem Congr. apud *cit.* Matthæucc. *n. 29.* explicat) *præscriptæ fuerint, ita, ut alioquin ij, ad quos pertinet suæ obligationi non satisfa iant, quin imò graviter peccent, & ad restituendum teneantur.* Idque procedit, ut statuit eadem Congr. *Quantumcunque incongrua, & exigua stipendia sint*: & ut id deinceps observetur exactiùs, *revocat privilegia, & indulta omnia quibusvis personis, Ecclesijs, ac locis pijs tam Sæcularibus, quàm Regularibus, cujuscunque Ordinis, Congregationis. & Instituti, quamcunque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.*

Quæritur 9. intra quod tempus cele- 131
brandæ sint Missæ, pro quibus stipendium acceptum est? R. juxta *Const Innoc. XII. cit.* §. *33.* celebrandas *intra breve tempus moraliter. Dubium est*, quantum temporis hæc verba importent? Peyrin. *ad Const. 9. Urban. VIII.* ampliavit ad triennium; quidam ad biennium; Matthæucc. *Offic. Eccl c. 10. n. 47.* judicat, cùm non eædem ubique concurrant circumstantiæ loci, temporis, & personarum, id esse judicio prudentûm relinquendum, quod per illud *moraliter* significari vide-

videtur. Quodsi tamen quis stipendium tribuat, ut Missa celebretur pro infirmo, agonizante, vel pro expeditione certi negotij, quod moram non patitur, celebrari debet tempore congruo ad impetrandum à Deo auxilium in illis necessitatibus, adeo, ut sit mortale differre post mortem, vel causæ jacturam: quin imò in eo casu tenetur stipendium restituere, cùm mens dantis fuerit, ut celebretur antè, & non post. Matthæucc. *l. cit. ℣. sed hic nota.*

132 Quæritur 10. an Administratores Ecclesiæ magnæ devotionis, & concursûs possint Eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si ijsdem Missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs Cultus Ecclesiæ, & devotio, ac concursus fidelium minuantur? Respondit *S. Congr.* apud Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 10. n. 29. ad 15.* non posse, nisi de consensu eorum, qui Eleemosynas tribuunt: & confirmatum est ab Innoc. XII. *Const. cit.* Sed hinc quæres, an non hujusmodi Missæ, pro quibus celebrandis in certa Ecclesia stipendium obtulerunt fideles, celebrari possint in alia? ℟. nisi conferentes stipendia consentiant, non posse. Deducitur ex *Const. Innocentij XII. cit.* §. *26.* ubi tam Sæculares, quàm Regulares Ecclesiarum Rectores prohibentur suscipere onera Missarum supra vires, & quarum satisfactioni impares sunt, & solùm debent recipere in eo numero, ut eis intra breve tempus moraliter satisfacere possint: quod repetitur §. *33.* atqui hoc frustra prohibitum fuisset, si Missarum oneribus satisfieri in alia Ecclesia posset, & per alios quoscunque Sacerdotes. igitur mens Pontificis fuit, ut celebrentur in Ecclesia, & Altari electo. Et sic decrevit S. Congr. Conc. *in una Regularium 17. Aug. 1647.* apud Pignatell. *tom. 1. consult. 275. n. 1.*

133 Quæritur 11. cujus authoritate Missarum onera perpetua, relicta in certa Ecclesia, vel Capella transferri aliò possint? ℟. transferri aliò absolutè non posse, nisi de licentia Sedis Apostolicæ. Ita declaravit S. Congr. *in Brixiensi 1. Dec. 1685. ad tertium;* aliàs translatio nulla est, licèt fieret ab executoribus Testamentarijs, nisi hi facultatem ejusmodi expresè haberent. Eadem S. Congr. *in Deribonensi 17. Jun. 1701.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 10. n. 46. ℣. cæterùm. Excipitur 1.* nisi locus determinatus pro his oneribus esset impeditus, vel Ecclesia diruta; tunc enim de licentia Episcopi in loco, quem iste destinaverit, Missæ hujusmodi celebrari poterunt, donec Ecclesia, vel locus pristinus reparetur. Ricc. *in prax. p. 4. resol. 104. per totam*, Gravant. *de Rubr. præcept. p. 3. tit. 12. n. 3.* Tondut. *tom. 1. qq. Benef. c. 68. n. 11. & 12.* Monacell. *p. 2. for. Eccl. tit. 13. form. 2. n. 58.* Matthæucc. *l. cit. ℣. ita dicendum. Excipitur 2.* si ipsa Ecclesia, Conventus, vel Monasterium translatum sit; tunc enim videndum est, an testator principaliter contemplatus sit locum, vel personam. Si locum principaliter respexit, in antiqua Ecclesia sunt celebrandæ: Si verò personas, onus transit cum eis ad novam Ecclesiam. Passerin. *de Stat. hom. tom. 2. q. 187. art. 4. n. 1183. & seqq.* Franc. *de Eccl. Cathedr. c. 7. n. 82. & seqq.* Tondut. *l. cit. c. 43. n. 15.* Monacell. *n. 62.* Matthæucc. *n. 46. cit. ℣. an autem.*

134 Quæritur 12. an Episcopus possit compellere Regulares ad exhibendos libros Sacristiæ, in quibus annotantur celebrationes Missarum, ut inde constare possit de integra satisfactione obligationis debitæ ex Legato pio? Affirmant Manriquez *p. 1. quæst. Vicarial. q. 63. n. 6.* Riccius *in pr. tit. Praxis Regularium resol. 654. n. 7.* Campanill. *in divers. Jur. Can. Rubr. 12. c. 13. n. 30. & seqq.* apud Pignatell. *tom. 3. consult. 9. n. 7. Fundantur 1.* quia agitur de operibus pijs, & de executione ultimæ Voluntatis, ratione cujus neque Regulares eximuntur à potestate Episcopi, sed subsunt illius visitationi, & judicio ex dispositione Trid. *sess. 22. c. 8. & 9. de reform.* 2. *Clem. un. de Testam.* ubi Religiosi, deputati ad executionem ultimæ voluntatis, jubentur de hac locorum Ordinarijs rationem reddere, & ipsis Ordinarijs permittitur jus eam ab ipsis exigendi. 3. *Const. Innoc. XII. cit.* cujus §. *31.* committitur Episcopis, ut invigilent super Missarum celebratione.

135 Sed tenenda est negativa cum Pignatell. *l. cit. n. 8.* Pascucc. *de Miss. Sacrif. fol. 46. ad 2.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 10. n. 49.* atque ita declaravit S. Congr. *in Urbinatensi 10. Mart. 1663. ad c. 8. cit. Trid.* statuendo, *Non posse* Episcopum *ad id compellere Regulares, si non habeat privilegium speciale;* quia habent suos Superiores, a quibus visitantur, & quibus in Visitatione, & alibi, quando petitur, rationes ejusmodi exhibere debent.

136 *Neque obstat* 1. Trid. quia ejusdem dispositio non ampliatur ad Regulares, sed restringitur ad alia loca pia exempta, quorum nomine Regulares non veniunt, utpote qui specialiter exprimendi sunt, ut includantur in aliqua Constitutione, ut notat Pignat. *l. cit. n. 9. Ad 2. in Clem. cit.* sermo est de Religiosis, qui de licentia suorum Superiorum sunt Executores ultimarum Voluntatum, non verò de illis, qui ab Executoribus ultimæ Voluntatis alicujus obligationem suscipiunt celebrandi Missas, quas ipsi Executores eis committunt. *Ad 3.* dispositio *Const. cit.* currit quoad personas, & Ecclesias etiam exemptas, sed non quoad Regulares, ut suprà dictum est ad Trid. nam quoad Regulares *in cit. Const.* §. *seqq.* Pontifex conscientiam Superiorum Regularium quantum ad Decretorum observantiam onerat, & ipsos Regulares alijs pœnis submittit.

§. V.

§. V.

De Missarum, & Officiorum Divinorum Reductione.

SUMMARIUM.

137. *An onera Missarum maneant, si proventus pro ijs assignati ex integro perierunt?*
138. *Quid si diminuti sint?*
139. *Respondetur tunc posse reduci ad minorem numerum.*
140. *Rationes decidendi.*
141. *An reductio hæc fieri possit à potestate Sæculari?*
142. *Defenditur negativa.*
143. *Objectiones solvuntur.*
144. *Quam potestatem circa hanc reductionem habeat Pontifex?*
145. *Quam Episcopi, & Prælati Regulares in Synodo, vel Capitulo Generali?*
146. *Quam extra Synodum?*
147. *An hujusmodi reductiones extra Synodum facere Episcopi possint nunc post Tridentinum? Sententia negans.*
148. *Sententia affirmans.*
149. *Resolvitur Quæstio.*
150. 151. *Quid circa hoc possint alij Prælati?*
152. 153. *Quibus casibus neque in Synodo, aut Capitulo Generali fieri possit reductio?*
154. *Pro reducendis oneribus Missarum impositis post Trid. recurrendum est ad sedem Apostolicam.*
155. *Ubi Decretum S. Congr. usu receptum est.*
156. 157. 158. 159. *Quomodo reductio hæc fieri debeat?*
160. 161. 162. *Quibus cautelis S. Congreg. prospexerit, ne hujusmodi reductiones nimis sæpe fiant faciendæ?*
163. *An justa causa petendi reductionem sit, quando successu temporis lege, vel consuetudine assignatum Missis est stipendium auctius?*
364. *An hoc casu hæres teneatur supplere defectum stipendij?*
165. *Respondetur non posse eum compelli.*
166. 167. *An aucta re legata, pro Missarum onere relicta, etiam augendus sit Missarum numerus?*

137 QUæritur 1. an aliquando Missæ, & Officia Divina, quæ in certis Ecclesijs tam Sæcularibus, quàm Regularibus annuatim, vel singulis mensibus, aut hebdomadis pro Fundatoribus, vel Benefactoribus celebranda sunt ad minorem numerum reduci valeant? Conveniunt satis DD. omitti illa posse, si certò constet, quòd ea, quæ pro istorum celebratione relicta sunt, nullâ ipsius Ecclesiæ, vel Monasterij, aut Prælati, & Capituli sive Conventûs culpâ ex toto perierint, vel ablata, & aliò aversa sint, ac proinde illorum intuitu nihil omnino percipiatur. Ita Fraxinell. *de Oblig. Sacerd.* §. 27. Ricc. *p. 3. prax. resol. 364. in fin.* Bordon. *p. 1. Cons. resol. 25. q. 21. n. 31.* Pellizar. *tom. 2. Man. Regul. tr. 6. c. 3. n. 46.* Donat. *prax. Regul. tom. 3 tr. 7. q. 60. n. 1.* Monacell. *q. 2. tit. 13. form. 2. n. 56.* sicque declaratum est à S. Congr. *in Foro sempron. 7. Jun. 1687. ad 5,* & *in Monopolitan. 8. Aug. 1705.* apud eundem Monacell. *l. cit.* Ratio est; quia Beneficium datur propter Officium *c. fin. de Rescript. in 6.* atque idcirco, cessante Beneficio, æquum est, ut etiam officium cesset *arg. c. cùm cessante 60. de appellat. Cons.* à pari cum Emphyteuta, & Conductore, qui liberatur à solutione Canonis, vel mercedis, si res locata, vel in Emphyteusin data ex toto sine ejus culpa perierit *c. propter sterilitatem 3. de Locat.*

138 *Dubium est*, an diminui, & ad minorem numerum reduci valeant Missæ, & Officia Divina, si pro ijs relicta, non quidem ex toto perierint, sed cum tempore solummodo diminuta, & tenuia, atque ad eorum celebrationem insufficientia effecta sint? *Ratio dubitandi* est, quia defunctorum ultimæ Voluntates, quamdiu possunt, ad amussim observari debent, præsertim illæ, quarum observantiam hæres, aut legatarius in se recepit *can. ultima 4. caus. 13. q. 2. c. Antigonus 1.* & *c. qualiter 3. de Pact.*

139 Sed dicendum, hoc casu Anniversaria, & Missas diminui, & ad minorem numerum reduci posse. Ita cum communi Ugolin. *de Offic. Episc. c. 61. n. 1.* Monet. *de Commut. ult. Volunt. c. 5. n. 365.* & *366.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 29. n. 4.* Gobat. *Exper. Theol. tr. 3. n. 589.* Wiest. *hic n. 71.* & *72.* & indubitatè supponitur *Clem. 2. de Relig. Dom.* & observatur passim ab Episcopis à Scientia, & conscientia commendatis.

Probatur 1. ex Trid. *sess. 25. c. 4. de reform.* ubi Sacra hæc Synodus Episcopis facultatem dat ad minorem numerum reducendi Missas, si pro ijs per ultimam Voluntatem, aut etiam inter vivos donationem relicta adeo tenuia sint, ut non facilè inveniatur, qui huic se velit muneri subjicere, ut DD. qui *in c. 4. cit.* scripserunt, omnes observant. *Neque refert*, quòd eo loco S. Synodus expresè Missarum tantùm, & non Sacrificiorum meminerit; nam ut à S. Congr. declaratum testantur Ugolin. *c. 61. cit. n. 1. circ. med.* Garc. *p. 7. de Benef. c. 1. n. 131.* Quarant. *Summ. Bullar. V. Missa*, Pax Jordan. *vol. 1. l. 4. tit. 1. n. 577.* Missarum nomine etiam Anniversaria, pro defunctorum animabus persolvenda, intelliguntur.

140 *Probatur 2.* Si proventus, à defunctis Benefactoribus relicti, ad Anniversaria, & Missas, omnino deficiant, illa omnino omitti possunt, ut dictum est *n. 137.* ergo si ita diminuantur proventus, ut ad eorum justam celebrationem omnino insufficientes sint, ad minorem numerum reduci, & diminui poterunt; quia idem Juris est de parte quoad partem, quod de toto quoad totum *l. quæ de tota 76. pr. ff. de R. V.* cùm pars ejusdem naturæ, & qualitatis sit, cujus est ipsum totum *l. si grege 22. ff. de Legat. 1.*

Probatur 3. quia mens Testatorum, & aliorum Benefactorum defunctorum, à quibus proventus illi relicti sunt, non videtur fuisse alia, quàm ut Anniversaria, & Missæ juxta ipsorum præscriptum celebrentur, quamdiu rerum status, & circumstantiæ non mutantur, & quamdiu proventus ad ea relicti percipiuntur, ac sufficientes sunt, ne Ecclesia, eique inservientes Clerici, ac Religiosi indebitè graventur.

Unde cadit Ratio dubitandi allata in oppositum; dicendum enim, ultimas Voluntates ad amussim servandas, quamdiu non casus incidit, quo præsumi rationabiliter potest, quòd defunctus ad observantiam eorum, quæ in ultima sua Voluntate præscripsit, noluerit se obligare, prout contingere dixi in Casu propositi dubij.

141 Quæritur 2. an ad Reductionem hoc casu faciendam opus sit potestate Ecclesiastica? Fagund. *de 1. Eccl. præc. l. 3. c. 7. n. 16. & 17.* existimat, Missas, in Testamentis, & in Capellæ Sæcularis fundatione relictas, ad minorem numerum reduci posse etiam per Gubernatores Urbium, & Consiliarios Regios. *Movetur 1.* quia hujusmodi Capellæ, & Anniversaria fuerunt à Sæcularibus personis, & de bonis Sæcularibus fundata. ergo tam ratione Fundatorum, quàm bonorum sæculari subjiciuntur Jurisdictioni, & ad Magistratus sæculares pertinet ea gubernare. 2. ad Magistratum sæcularem pertinet procurare, ut subditorum ultimæ Voluntates ad executionem juste, & rationabiliter deducantur. atqui nequeunt sic deduci, nisi Missæ ad minorem numerum redigantur, & stipendium abundantius taxetur. 3. potest Magistratus Sæcularis subditorum suorum dispositiones, quæ successu temporis injustæ sunt redditæ, reformare. talis est obligatio ad antiqua Missarum onera, quando non amplius extant antiqui reditus, pro ijs oneribus sustinendis relicti.

142 Verùm, ut optimè advertit Pal. *tr. 22. D. un. p. 15. n. 6.* nullus alius Doctor Sæcularibus potestatibus eam taxationem, & reductionem permisit. Hinc cum eodem Palao, & alijs tenenda est negativa. *Ratio est*, quia potestas reducendi Missarum onera est Spiritualis tum ratione materiæ; concernit enim Sacrificium Missæ, & Divina Officia: tum ratione personæ; quia præcipuè afficit Sacerdotes, quibus stipendium ob Sacrificij celebrationem designatur. igitur ad potestates Sæculares, quibus quoad Spiritualia parendi potiùs, quàm imperandi necessitas est, reductio ista spectare non potest, sed ad Prælatos Ecclesiasticos, quibus etiam Trid. *sess. 25. c. 4. cit.* solis potestatem istam indulget.

Neque obstant Argumenta contraria. 143
Ad 1. ex eo, quòd hujusmodi Anniversaria fundata, & Capellæ erectæ sint ex bonis Sæcularibus, & à personis Sæcularibus, non bene infertur bonorum illorum dispositionem sæculari potestati subjici; aliàs eidem subjicerentur omnia ferè Beneficia. Non igitur considerari debet in hujusmodi bonis, unde, & à quo collata sint, sed an sub potestate sæculari manserint: quod in casu præsenti non fit, cùm ipsa donatione Laicorum transierint in potestatem Ecclesiæ. *Ad 2.* Concedo totum: procurare autem hoc debent eo modo, quo illæsis Ecclesiæ Juribus possunt; quod facient, si petant, ut reductio fiat à Superiore Ecclesiastico. *Ad 3.* sicut designatio, quod sit justum stipendium, ita reductio non justi ad rationem justi stipendij ad Ecclesiam pertinet.

Quæritur 3. cujus Prælati Ecclesia 144
stici authoritate fieri Missarum, & similium onerum reductio possit? *R. 1.* hanc reductionem indubitatò potest facere Summus Pontifex, propter plenariam, & generalem potestatem disponendi de rebus, & bonis, salutem animarum spiritualem spectantibus, quæ eidem, tanquam Supremo Christi Domini in terris Vicario, competit *can. cuncta 17. caus. 9. q. 3. c. licèt 2. de Præb. in 6.* & *Clem. 2. ut lit. pend.* saltem justa causa interveniente; aliàs ea reductio non cedet in DEI honorem, & cultum, & Ecclesiarum utilitatem. Imò casu, quo Pontifex ob Paupertatem Sacerdotis, vel ob aliam causam, quæ sibi rationabilis visa fuerit, abundantius stipendium, quàm aliàs æquitas, & justitia postulat, designat, & Missas ad minorem numerum reducit, ne aliquid fructûs fundatoribus, & ijs, pro quibus Missæ illæ offerri deberent, depereat, credendum est, eundem Pontificem ex thesauro Ecclesiæ offerre, & applicare tantum, quantum virtute Sacrificiorum alioquin debitorum obtinendum esset, ut bene ex sententia communi advertit Suar. *D. 87. in fin.* Henriq. *l. 9. c. 12.* Pal. *tr. 22. D. un. p. 15. n. 2.*

2. Eam reductionem, rationabili cau- 145
sa intercedente, facere possunt in Synodo Diœcesana Episcopi, & in suis Capitulis Generalibus Abbates, & Generales Ordinum, prout expressè ipsis concessit Trid. *sess. 25. c. 4. cit.* quòd videret *in quibusdam Ecclesijs vel tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum relictis impositum esse, ut illis pro singulis diebus, à testatoribus præscriptis, nequeat satisfieri, vel Eleemosynam hujus-*

hujusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse, ut non facilè inveniatur, qui velit huic se muneri subjicere; & sic deperire testantium voluntates, & eorum conscientias, ad quos prædicta spectant, onerandi occasionem dari, ut loquitur S. Synodus. Voluit autem, ut hanc reductionem facerent, *re diligenter perspecta*, & tum demum *pro sua conscientia in prædictis Ecclesijs, quas hac provisione indigere cognoverint, statuerent circa hæc, quidquid magis ad DEI honorem, & cultum, atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire.*

146 3. Extra Synodum Diœcesanam ijdem Episcopi etiam nunc post Trid. moderari onera Missarum possunt in triplici præcipuè casu. 1. si onus Missarum reperiatur injunctum, & acceptatum vigore Contractûs, & reciprocæ stipulationis, & tractu temporis reditus, pro adimplemento oneris assignati, sine culpa assignatarij notabiliter diminuantur, ita, ut antiqua conventio, attento tempore præsenti, injusta, & læsiva efficiatur; nam tunc adiri Episcopus etiamnum potest, & ab eo peti, ut ad Justitiam, & æqualitatem reducat hujusmodi onera. Card. de Luca *de Decim. disc. 3. n. 14.* & *de Regal. disc. 73. n. 5.* Monacell. *p. 2. tit. 16. form. 10. n. 17.* & hoc teste *Rota coram Cerr. decis. 593. n. 9.* & *trib. seqq.* & respondit S. Congr. Concil. *in Æsina 10. Jul. 1706.* 2. Si Episcopus in ipsa oneris acceptatione inveniat reditus oneri Missarum juxta Regionis morem non correspondere. Monacell. *p. 1. tit. 6. form. 9. n. 7.* & apertè permittitur *in Decret. S. Congr. jussu Urbani VIII. edito*, & hactenus sæpiùs *cit.* 3. quando testator, aut fundator in testamento, aut beneficij erectione Episcopo dedit facultatem reducendi onera Missarum ab ipso relicta ex causa sibi bene visa. Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 29. n. 17.* ubi Decretum S. Congr. super hoc allegat, Monacell. *l. cit. n. 9.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 10. n. 29.*

147 Quæritur 4. an Episcopi hanc reductionem facere nunc post Trid. possint universim extra Synodum Diœcesanam? Duæ sunt sententiæ. *Prima* extra casus *n. præc.* exceptos negat potestatem Episcopis extra Synodum Diœcesanam reducendi Missarum onera, sed pro ijs moderandis ait recurrendum ad Sedem Apostolicam, & Sacram Congr. Concil. vel ab hac specialem licentiam impetrandam. Ita Donat. *prax. Regul. tom. 3. tr. 7. q. 55. n. 2.* & alij complures, qui post Trid. scripsêre. Argumentum ducunt ex ipso Trid. quod *c. 4. cit.* potestatem Missas reducendi Episcopis concedit in Synodo. igitur extra hanc ipsis negare censetur, quòd oppositorum unius assumptio alterius sit exclusio *arg. c. nonne 5. de præsumpt.* & *l. si inter 15. ff. de Except. rei jud.* junct. Gloss. *in Clem. 2. V. directè de Testib. & Attest.*

148 *Altera sententia* cum Navar. *Man. c. 25. n. 138.* Monet. *de commut. ult. Vol. c. 5. n. 372.* & *duob. seqq.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 29. n. 15.* Pal. *tr. 13. D. 1. p. 6. n. 24.* & *tr. 22. D. un. p. 15. n. 4.* & alijs affirmat etiam nunc Episcopos reducere onera Missarum, & Anniversariorum ex causa extra Synodum Diœcesanam posse. *Rationem dant*; quia Episcopis potestas hæc competebat jam ante Trid. per *c. ex parte 12. de Constit.* & *Clem. 2. de Relig. Domib.* quam potestatem existimant nec sublatam, nec restrictam esse per Trid. sed tantùm ad majorem Juris observantiam adjectum, ut fiat reductio in Synodo Diœcesana, non quòd hoc ad valorem illius necessarium, sed quòd utilius, & securius sit.

149 Ego cum P. Wiestner colendissimo Antecessore, & Professore meo p. m. *n. 81. hic* utrique sententiæ aliquid tribuo, & secundam procedere existimo in ijs Provincijs, ubi Synodi Diœcesanæ nunquam, aut rarissimè habentur, prout fit in Germania nostra; nam ita declarat praxis, & consuetudo apud Gobat *tr. 3. n. 591.* ubi notat, inter facultates, quas Vicario suo Generali Episcopus Constantiensis ex *Const. Synodal. p. 1. tit. 9. n. 21.* concedit, etiam esse potestatem *in Anniversarijs, vel Beneficiorum fundationibus Missarum, vel etiam Præbendarum numerum augendi, vel minuendi.* Contrà in ijs Provincijs, in quibus Trid. Decreta quoad annuam Synodi celebrationem *sess 24. c. 2. de reform.* præceptam usu observantur, cum Garc. *p. 7. de Benef. c. 1. n. 134.* Fagund. *de præc. Eccl. l. 3. c. 7. à. n. 12.* Bonacin. *de Sacram. D. 4. q. ult. p. 7. §. 2. n. 9.* & AA. primæ sententiæ nego ab Episcopis extra Synodum Missarum, & Anniversariorum onera reduci posse.

150 Quæritur 5. an reductio hæc fieri possit etiam à Prælatis Ecclesiarum, & Monasteriorum Episcopo inferioribus? ℣. distinguendo inter Prælatos, qui certum territorium habent, in quo Jurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum, ac populum exercent, & inter cæteros, qui certum territorium Jurisdictioni suæ Spirituali subjectum nullum habent. *Priores* circa reductionem facere possunt, quod Episcopi; quia quoad ea, quæ Jurisdictionis sunt, Episcopis æquiparantur.

151 *Posterioribus* reductio duntaxat concessa est in Capitulo, seu Congregatione Generali, ut liquet ex Trid. *sess. 25. c. 4. cit.* extra quod proinde facultas ista ab ipsis exerceri nequit. Garc. *p. 7. de Benef. c. 1. n. 128.* Moneta *de Commut. ult. Vol. c. 5. n. 566.* Mirand. *tom. 1. Man. Prælat. q. 4. art. 24* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 29. n. 15.* Pal. *tr. 22. D. un. p. 15. n. 3.* Wiestner *hic n. 78.* idque ob triplicem rationem. 1. quia talis reductio est quædam species commutationis ultimarum Voluntatum, quam facere Prælati Regulares, Jurisdictionem quasi Episcopalem non obtinentes, non possunt, ut

arg.

arg. Clem. 2. de Relig. Dom. tradunt Rodriq. *tom. 2. Regul. q. 125. art. 9. & 10.* Sorbus *Compend. privil. Minor. V. commutare*, Monet. *l. cit. n. 566.* 2. Prælati Regulares potestatem reducendi Missas non habuerunt ante Trid. ut Episcopi, sed primùm ex Decreto istius Synodi illam obtinuerunt. ergo non habent illam, nisi cum limitatione ibidem addita, ut eam faciant *in suis Capitulis Generalibus.* 3. sic Prælati authoritatem præstarent in negotio proprio, sive se, suámque Ecclesiam, & utilitatem concernente, quod Jura specialiter reprobant *c. fin. de Instit. Clem. 2. de reb. Eccl. non alien. l. quanquam 1. & l. pupillus 5. ff. de Auth. & consens tutor.*

152 Quæritur 6. quibus casibus neque in Diœcesana Synodo Episcopi, & in Capitulis suis Generalibus Prælati Regulares reductionem Missarum, & Anniversariorum facere possint? ℣. tres casus à DD. enumerantur. 1. si pro hujusmodi Anniversarijs, & Missis relicta sint bona immobilia, quæ annuos fructus, vel Census producant, vel pro hujusmodi bonis coëmendis data sit certa, & sufficiens summa pecuniæ, & bona illa à Prælato cum consensu Capituli distracta, ac pretium ex ijs redactum, vel pecunia pro talibus bonis coëmendis data in Monasterij, vel Ecclesiæ usus expensa sit; nam ita alienando, & pecuniam expendendo Ecclesia ipsa censetur subijsse onus substituendi necessaria pro Anniversario perpetuò celebrando. Accedit, quia reductio Missarum solummodo fieri potest, quando diminuti sunt ita reditus, ut pro hujusmodi Missis debitè celebrandis sint insufficientes, atqui istud in casu præsenti non contingit; nam bona illa, & pecuniæ æquivalenter censentur extare, dum in Ecclesiæ, vel Monasterij utilitatem conversa sunt.

153 2. Si hujusmodi onera, & obligationes Ecclesijs, Monasterijs, Capellis, Altaribus ab eorum Fundatoribus in ipso Fundationis limine sint impositæ; quia Trid. dum *c. 4. cit.* reductionem permittit, solùm loquitur de relictis à Testatore, vel alio Benefactore extra Fundationem: quoad onera autem, & qualitates in fundatione adjectas *sess. 25. cit. c. 5. pr. de reform.* apertè vetat ijs quacunque dispositione superveniente derogari. Ugolin. *de Offic. Episc. c. 61. n. 1. fin.* Monet. *de commut. ult. Vol. c. 5. n. 376.* Garc. *p. 7. de Benef. c. 1. n. 131.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 29. n. 12. & 13.* Pal. *tr. 22. D. un. p. 15. n. 4.* Leuren. *p. 1. for. Benef. q. 105.* & his testibus declaratum est à *S. Congr.*

154 3. Si hujusmodi onera ultima Voluntate, aut quavis alia dispositione Ecclesijs, Monasterijs, Capellis, Altaribus imposita sint post Trid. nam pro horum reductione, uti etiam pro reductione illorum, quæ imposita sunt in limine fundationis recurrendum est ad Sedem Apostolicam, prout decrevit S. Congr. authoritate ab Urbano VIII. acepta, Declaratione super hoc specialiter edità *21. Jun. 1625.* ubi directè vetuit, *Ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium* (Tridentinum) *imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire judicabitur; alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.*

Procedit autem hoc, ubi Decretum 155
hoc S. Congr. est usu integrè receptum; nam alicubi eidem consuetudine derogatum est, testibus Garc. *p. 7. de Benef. c. 1. n. 136.* Pal. *tr. 22. D. un. p. 15 n. 4.* Wiest. *hic n. 83.* præsertim in Germania, prout observat P. Gobat *Exper. Theol. tr. 3. n. 591.* Sufficit autem ad derogandum hujusmodi Declarationibus, sicut in alijs Legibus, probabiliùs decennium, ut dictum est *Libr. 1. tit. 4. n. 9.* In his ergo locis, ubi Decreto huic, & alijs statuentibus, ut recurratur ad Sedem Apostolicam, consuetudine contraria derogatum est, potestate sibi concessa Episcopi saltem in Synodo Diœcesana, & Generales Ordinum in Capitulis suis Generalibus uti possunt, & reducere onera Missarum tam ante, quàm post Trid. imposita; quia dispositio Concilij generaliter, & absolutè loquitur. Possevin. *c. 2. n. 25. q. 9.* Mirand. *Man. Prælat. tom. 1. q. 41. art. 12.* Nald. *in Summ. V. Missa n. 9.* Garc. *p. 7. de Benef. c. 1. n. 132.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 29. n. 5.* Dian. *p. 8. tr. 4. resol. 2.* Pal. *tr. 22. D. un. p. 15. n. 4. ℣. sed an.*

Quæritur 7. quomodo hæc Anniver- 156
sariorum, Missarum, & Officiorum Divinorum reductio fieri possit? ℣. 1. necessarium est, ut reditus pro his relicti sint admodum tenues, & pro ijs debitè celebrandis insufficientes; nam si hodiedum sufficientes sunt, indubitatum est immutationem fieri sola Authoritate Apostolica posse, & hac non interveniente, sine ulla diminutione vel reductione celebranda esse Anniversaria, & Missas, prout in ultima Voluntate, aut Fundatione præscriptum est. Colligitur ex Trid. *sess. 25. c. 4. sæpiùs cit.* ubi Episcopis, & Prælatis Regularibus concedit potestatem hujusmodi onera reducendi, quando *Eleemosyna pro illis celebrandis adeo tenuis est, ut non facilè inveniatur, qui velit huic se munere subjicere.* igitur censetur hanc potestatem ijsdem negâsse, quando proventus ad ea debitè peragenda sufficientes hodiedum sunt.

2. Licet, cùm tenuitas proventuum 157
ita exigit, duo, tria, aut plura Anniversaria conjungi possint, aut uni alteri adjungi, mo-

net tamen S. Synodus Trid. *c. 4. cit. in fin.* ut omnium Benefactorum, quorum Anniversaria, vel Missæ adjunctæ, vel conjunctæ alijs sunt, in his commemoratio fiat. Satisfit autem huic commemorationi, si per Collectas, vel preces, quæ in secundo *Memento* offeruntur, Missas hujusmodi pro ijsdem celebrans applicet, prout notant Ugolin. *de Offic. Episc. c. 61. n. 1.* Monet. *de commut. ult. Vol. c. 5. n. 375.* Barbos. *ad c. 4. Trid. cit. n. 13.* Pal. *tr. 22. D. un. p. 15. n. 4. ỳ. monet.*

158 3. Ejusmodi Anniversaria reduci possent in totidem Missas, vel in unum, alterúmque Anniversarium, aut Missam singulis mensibus, aut hebdomadis legendam pro Benefactoribus, pro quibus Anniversaria, & Missæ pristinæ celebrabantur. Ugolin. *n. 1. cit.* Monet. *n 370. & seq.* Barbos. *n. 4.* Wiestner *n. 76.* quod probatur ex verbis Trid. *l. cit.* ubi Episcopis concessit, ut possint *pro sua conscientia - - - statuere circa hæc, quidquid magis ad DEI honorem & cultum, atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire.*

159 4. Alia Officia Divina potiùs in Missas, quàm hæ in illa sunt commutanda, ut salubriter monet Monet. *l. cit. n. 369.* & teste Fagnan. *in c. ex parte 12. de Constit. n. 34.* approbatum est à *S. Congr.* quia Sacrificia Missæ, utpote quæ vim habent ex opere operato, plus prosunt animabus in Purgatorio detentis, quam alia Divina Officia, & pia opera, ut cum S. Thom. *in 4. dist. 45. q. 2. quæst. 2.* unanimiter docent TT. & innuit Trid. *sess. 25. in Decret. de Purgat.* ubi animas hoc detentas ait *potissimùm Sacrificijs juvari.*

160 Quæritur 8. quibus cautelis S. Congr. prospexerit periculo, ne hujusmodi reductiones nimis sæpe sint faciendæ? R. ut periculum istud tollat, S. Congr. *in Decret. sæpius allegato* statuit 1. *ut pecuniæ, & bona mobilia, cum onere perpetuo Missarum celebrandarum data, ab ijs, ad quos pertinet, sub pœna Interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda à die realis acquisitionis statim deponantur penes Ædem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa seu illorum pretium quamprimum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur: Ac si eadem bona immobilia authoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium, sub eadem pœna, ut suprà, deponi, atque in alijs bonis stabilibus itidem fructiferis, cum ejusdem repetitione, atque annexione converti debeat.*

161 2. Insuper decernit, *Ne imposterum onera perpetua Missarum celebrandarum suscipiant, sæculares quidem sine consensu Episcopi, vel ejus Generalis Vicarij, Regulares verò sine Generalis, vel Provincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda; alioquin Sæcularis, qui hujusmodi prohibitionis transgressor extiterit ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso; Regularis verò pœnam privationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ, & passivæ absque alia declaratione incurrat.*

162 3. Præcipit, *Ut Episcopus, seu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, - - - non antea assensum hujusmodi, ac licentiam præbeant quam ei legitimè constiterit* (talis Ecclesiæ, Monasterij &c.) *Sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quàm antiquis jam susceptis satisfacere posse; præcipuámque rationem habeant, ut reditus, qui Ecclesijs, vel locis pijs relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjunctis secundùm morem cujusque Civitatis, vel Provinciæ.*

163 Quæritur 9. an justa causa petendi reductionem oneris Missarum sit, quando contingit stipendium illarum lege, vel consuetudine augeri, & annui reditus legati, ad illum effectum relicti, licèt nullo modo diminuti sint, non tamen correspondent justo stipendio tunc currenti? R. affirmativè, nisi hæredes ex bonis hæreditatis supplere velint defectum. Ita Pellizar. *tom. 1. Man. tr. 6. c. 3. q. 18. n. 42.* Donat. *tom. 3. prax. Regul. tr. 7. q. 62.* & alij ab his *citt.*

164 An verò eo casu hæres teneatur supplere defectum mercedis, controversum est apud DD. Affirmant, data tamen capacitate hæreditatis, M. Ant. Genuens. *in Practicab. Eccl. q. 180.* Homobon. *de Exam. Eccl. p. 1. tr. 4. c. 13. q. 118.* Riccius *prax. p. 3. 4. resol. 364. n. 3.* Dian. *p. 1. tr. 14. resol. 17.* Barbos. *de Offic. Epis. alleg. 29. n. 7.* tum quia testator non reliquit pecuniam simpliciter pro Eleemosyna solvenda sine onere, sed pro Missis celebrandis pro anima sua, quam præsumitur magìs amare, quàm hæredem; tum etiam, quia eo tempore, quo dictam Eleemosynam legavit, præstabatur minor merces pro Missis celebrandis, quam si prævidisset augendam, non ideo diminuisset Missarum numerum, sed stipem auxisset, sicque respondisset, si de hoc interrogatus fuisset.

165 Sed non minùs probabiliter respondent Fraxinell. *de Oblig. Sacerd. §. 24. n. 2. & tribus seqq.* Pellizar. *tom. 1. Man. Regul tr. 6. q. 18. n. 45.* Donat. *tom. 3. prax. Regul tr. 7. q. 62. n. 3.* non posse hæredem ad hoc compelli. 1. quia alioquin sæpe sæpius insurgerent odiosæ, ac perpetuæ lites inter hæredes, & Sacerdotes, quibus hujusmodi onera Missarum incumbunt, cum non mediocri animorum inquietudine. 2. quia testatores communiter curant gravare suos hæredes, quàm minimùm possunt, adeoque non est ita certum, quòd possit præsumi, mentem illorum fuisse, ut aucto per temporis decursum Missæ stipendio, hæredes tenerentur ad auctiora stipendia. 3. quia

hac tempestate hæredes conveniunt cum Sacerdotibus de stipendio currente tempore conventionis, & cons. vigore hujus pacti, nullum Jus videntur Sacerdotes habere ad augmentum salarij. Quare si tali casu Ecclesia hujusmodi oneribus præter intentionem gravatam sese sentiret, recurrere debebit ad authoritatem Superioris, & petere ab eo reductionem: quod medium innuit Trid. *sess. 25. c. 4. cit.* dum ibi sic gravatos remittit ad Episcopos, ut onera moderentur, non ad hæredes, ut defectum stipendij suppleant.

166 Quæritur 10. an aucta re legata pro Missarum onere relicta, etiam augendus sit Missarum numerus? R. cum Pellizar. *tom. 1. Man. tr. 6. c. 3. q. 17. n. 41.* Donat. *prax. Regul. tom. 3. tr. 7. q. 61.* & alijs distinguendo. Nam si augmentum tale non provenit ex re ipsa simpliciter, sed ex industria, labore, & expensis eorum, quibus illa cum eo onere relicta est, cùm augmentum hoc potiùs sit præmium laboris, ac fructus industriæ, non debet inducere obligationem majoris oneris.

Secus, si dictum augmentum pro 167
cedat ex aliquo casu fortuito, ut si fundus assignatus pro Missis notabiliter augeatur ex alluvione fluminis &c. tunc enim augeri deberet etiam Missarum numerus in utilitatem animæ testatoris; tum ex *c. fin. de V. S.* ubi dicitur, quòd si fructus Præbendarum creverint, debeat augmentum converti *in utilitatem Ecclesiæ*, h. e. ut Glossa exponit, in pias causas, qualis in nostro casu est, si augeatur numerus Missarum in refrigerium animæ testatoris; tum verò quia contrariorum eadem est disciplina, idémque operatur oppositum in opposito, quod propositum in proposito: sicut ergo diminutis stipendijs, minuitur Missarum numerus per reductionem à Superiore factam, ita aucta re legata, æquum est, ut augeatur, cùm commodum ab incommodo reguletur, *l. secundùm naturam 10. ff. de R. J.*

TITULUS XLII.

De Baptismo, & ejus Effectu.

SUMMARIUM.

1. *Quotuplex sit Baptismus?*
2. *Definitio Baptismi Fluminis.*
3. *Institutus à Christo est.*
4. *Probabilius ante Passionem, & Mortem suam.*
5. *Solvuntur Argumenta contraria.*
6. *Institutio hæc facta est, vel cùm Christus baptizatus fuit in Jordane.*
7. *Vel paulò postea.*
8. *Parvulis necessarius est in re, extra Martyrium.*
9. *Adultis saltem in Voto, si copia ejus suscipiendi non sit.*
10. *Adulti tenentur illum suscipere, quamprimum commodè possunt.*
11. *Et in parvulis non diu debet differri.*
12. *Materia ejus remota est aqua naturalis.*
13. *Proxima ablutio.*
14. *Trina, vel unica pro Ecclesiæ cujusque consuetudine.*
15. *Ablui debet pars aliqua principalis, si potest.*
16. 17. 18. 19. *Sufficit immersio etiam sine emersione.*
20. 21. 22. *Vicino, & desperato partu, Baptismus administrari potest infanti nondum edito in lucem.*
23. *Forma Baptismi.*
24. *Necessariò in hac exprimenda.*
25. 26 27. *Inter hæc est expressa invocatio SS. Trinitatis.*
28. 29. 30. *Non confertur validè sub hac formâ*, Ego te Baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque.
31. *Subjectum Baptismi est homo viator non baptizatus.*
32. 33. *Utrum Monstra baptizari possint?*
34. 35. *Utrum amentes?*
36. 37. 38. 39. *An liberi Infidelium pareutibus eorum invitis?*
40. *Minister Baptismi in necessitate est omnis homo viator.*
41. *Extra illam Episcopus, & Parochus.*
42. *Et quidem domicilij, in quo degit baptizandus.*
43. *Potest potestas baptizandi delegari Diacono.*
44. *Qui baptizare nequit, nisi in defectum Presbyteri, etiamsi ille sit Parochus.*
45. 46. 47. *A quo baptizandi sint Infideles ad Fidem conversi?*
48. *An plures simul baptizare eundem possint?*
49. *Quæ simultas requiratur ablutionis, & formæ?*
50. *Ubi Baptismus sit conferendus?*
51. 52. 53. *Quis sit Effectus Baptismi?*
54. *Quibus casibus repeti Baptismus possit?*
55. *An sufficiens causa eum repetendi sit, quòd sit collatus ab Hæretico?*
56. *Quid faciendum casu, quo infans in casu necessitatis baptizatus est ab obstetrice?*
57. *Quid tenendum, quando de adulto aliquo dubitatur, an baptizatus sit, vel non?*
58. *An repeti debeat, cons. invalidus sit per vim, & metum collatus?*

Post

1 POst Sacramentum omnium maximè venerabile ponitur Sacramentum omnium maximè necessarium, qui est Baptismus. Hic latè acceptus triplex dividitur, Baptismus aquæ, Flaminis, & Sanguinis: ex his solus Baptismus aquæ est Sacramentum, cujus defectum cæteri duntaxat supplent, ille ex opere operantis tantùm, quatenus est Votum Baptismi, iste verò etiam ex opere operato, ut communiter SS. PP. & TT. omnes agnoscunt. Horum traditionem exactiorem remitto ad TT. De Baptismo aquæ pauca, eáque, quæ propinquiùs Jus Sacrum spectant, tractabo.

2 Quæritur 1. de Essentia, Institutione, & Necessitate Baptismi. *Et 1. quidem dubitatur*, quid sit *Baptismus?* R. *Baptismus* Græcum nomen *Ablutionem* significat. Prout hìc sumitur, definitur à *Catechism. Roman. p. 2. c. 2.* quòd sit *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ.* Ubi nomen *Sacramenti* locum generis tenet, *Regeneratio* autem differentiæ; nam id proprium Baptismi est, quòd homini primam Spiritualem vitam conferat juxta illud *Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, h. e. nisi quis postquam semel corporaliter natus est in peccato, denuo nascatur per aquam, & Spiritûs Sancti virtutem, *non potest introire in RegnumDEI.* Ad majorem autem declarationem additur in definitione tum materia Sacramenti *per aquam*, tum forma *in verbo*; utraque enim per DEI virtutem Spiritualem effectum conferunt, convenienter Apostolo *Ephes. 5.* ibi, *Mundans* Ecclesiam *lavacro aquæ in verbo vitæ.* Et S. August. *tr. 80. in Joan.* relatus *can. detrahe 54. caus. 1. q. 1. Detrahe*, inquit, *verbum, & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum: unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo?*

3 Dub. 2. à quo, & quando institutum sit hoc Sacramentum? Fide certum est, illud, ut cætera Sacramenta, immediatè institutum esse à Christo Trid. *sess. 7. can. 1. Controversia* inter DD. est de tempore; nam gravissimi DD. volunt institutum esse post Resurrectionem, quando Christus Apostolis dixit, *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ita expressè Tertullian. *l. de Baptis. c. 11. num. 86.* Rupert. *l. 4. in Joan. c. 3.* Chrysost. *hom. 28. in Joan.* Theophylact. *in illa verba*, Post hæc venit JESUS *Joan. 3.* Leo I. *in Epist. 4. Decretal. ad Episcopos Siciliæ c. 3.* & probabile reputat Canus *l. 8. de Locis c. 5. §. quare si longiorem. Fundantur 1.* quia nusquam legitur Christus expressisse formam Baptismi, nisi post resurrectionem. 2. Si ante resurrectionem institutus fuisset Baptismus, tunc Christus, sicut Apostolis dedit virtutem ejiciendi Dæmonia, & curandi infirmos, *Luc. 10.* ita etiam dedisset ijsdem potestatem baptizandi in nomine SS. Trinitatis, hanc autem non ante, sed post resurrectionem ijs dedisse legitur. ergo &c. 3. Per Baptismum confertur Spiritus Sanctus. sed hic ante resurrectionem non fuit collatus juxta illud Evangelistæ, *Nondum erat Spiritus Sanctus datus; quia JESUS nondum erat glorificatus.* Joann. *7. v. 19.* 4. Teste Joann. *c. 4.* Christus Dominus non per se, sed per Discipulos suos baptizabat. atqui expressionis istius alia causa rationabilis assignari non potest, nisi quòd Discipuli ejus baptizaverint Baptismo Joannis, cujus usus Christum non decebat. 5. Baptismus januam Regni cœlestis aperit. atqui hæc aperta non fuit, nisi post Passionem Servatoris. ergo &c.

4 Sed longè communior, & verior sententia docet Baptismum à Christo institutum ante mortem suam. Ita Cyrill. *l. 2. in Joan. c. 7.* Nazianzen. *orat. 39.* August. *tr. 13. & 15. in Joan. c. 57.* S. Thom. *in 4. dist. 3. q. 1. art. 5.* Suar. *D. 19. sect. 1. concl. 1.* Vasq. *D. 140. c. 3.* Conink *q. 66. art. 2.* Bonacin. *D. 2. de Baptism. q. 2. p. 1.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 2. n. 1.* Pal. *tr. 19. D. un. p. 2. n. 2. Probatur.* Christus ante passionem suam baptizavit, ut legitur *Joan. 3. v. 22.* scilicet non per seipsum, sed per Discipulos suos, ut explicatur *Joan. 4. v. 2.* at non est credibile, quòd hic Baptismus, quem jubente Servatore administrârunt Discipuli, fuerit solùm Baptismus Joannis; nam si hic tantùm ab ipsis administratus fuisset, Discipuli Joannis non habuissent causam conquerendi, quòd Discipuli Christi baptizarent, sed potiùs gratulandi sibi, quòd sui Magistri Baptismus à Christo, & ejus Discipulis approbaretur. igitur dicendum, quòd baptizaverint Baptismo à Christo instituto, prout ipse Joannes indicat, dum se *in aqua*, Christum verò *in spiritu S. & igni*, eo scilicet, quo in Lege nova utimur, & gratia sanctificans confertur, baptizaturum prædixit. *Matt. 4. v. 12.* & *Joan. 1. v. 33. Conf.* ante Passionem Christi institutum est Evchariſtæ Sacramentum, & Discipulis ministratum, ipsíque Discipuli ordinati Sacerdotes cum potestate conficiendi Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi, at non est credibile priùs Evchariſtiam partcipâsse, & Ordinis Sacramentum percepisse, quàm Baptismum, cùm Baptismus omnium Sacramentorum janua sit, & initium; fingere autem, quòd Christus in hac parte dispensaverit cum Apostolis, incongruum videtur, cùm nulla sit fictionis ipsius necessitas, vel fundamentum, ergo &c.

5 Neque contrarium probant Argumenta *n. 3.* allata. *Ad 1.* hoc ipso, quòd, ut in Probatione dictum est, Discipuli contulerint Baptismum Christi, debuerunt etiam fuisse instructi circa formam illius: unde dicendum, quòd post Resurrectionem suam Christus Baptismi formam publicârit solenniter, ut omnibus constaret, ab eo tem-

pore Baptismum, sub invocatione expressa SS. Trinitatis collatum, esse medium ad salutem necessarium, illiúsque Mysterij notiam omnes habere debere. *Ad 2.* quòd Christus *Luc. 10.* Baptismi mentionem non fecerit, ideo factum est, quia paulò antè data Discipulis fuit potestas baptizandi, & ideo opus non erat eam repetere. Deinde quia non passim omnes baptizandi erant, sed qui in Christum crederent, quos sciebat ante ejus mortem non ita multos futuros esse. *Ad 3.* ante Resurrectionem non fuit collatus Spiritus S. forma visibili, & abundantiori, fuit tamen datus invisibiliter; aliàs Mariæ Magdalenæ non fuissent remissa peccata, neque Eucharistia conferens gratiam instituta. *Ad 4.* responsio patet ex probatione. *Ad 5.* Baptismus, etiam ante Resurrectionem collatus, fuit janua Regni cælorum, quia contulit gratiam sanctificantem, quo jus conferebatur ad illud, non quidem statim Possidendum à moriente, sed ordinatione Divina differendum eò usque, donec Christus plenè, & integrè debitum humanæ naturæ persolveret

Dub. 3. quo tempore ante mortem
6 Christi fuerit institutus Baptismus? R. hoc incertissimum esse; nam S. Thom. *q. 66. art. 2.* Sayr. *de Sacram. l. 2. c. 2. q. 3. art. 1.* Bonacin. *D. 2. de Baptism. q. 2. p. 1. n. 2.* cum *SS. Ambros. August. Hieron. Nazianz. Damasc. & alijs* apud Vasq. *D. 140. c. 6.* putant institutum eo die, quo Christus Dominus in Jordane Baptizatus fuit à Joanne, cui sententiæ etiam adhæret Pal. *tr. 19. D. un. p. 2. n. 5.* ob authoritatem PP. affirmantium eo Baptismo aquas sanctificatas, & consecratas esse in lavacrum peccatorum nostrorum, præcipuè cùm paulò pòst Discipuli Christi baptizarent non Baptismo Joannis, ut probatum est, sed Christi Baptismo; neque appareat, quo tempore illius institutio facta fuerit.

Contrà alij cum Scot. *in 4. dist. 3. q.*
7 *4.* Gabr. *q. un. art 3. dub. ult.* Conink *q. 66. art. 2. n. 14.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 2. n. 2. fin.* quibus non dissentit Suar. *D. 19. sect. 2. circa fin.* censent baptismum fuisse institutum à Christo aliquot dies, postquam à Joanne baptizatus fuit, tum scilicet quando Discipulos collegit, & eosdem ad baptizandum misit *Joan. 3.* Nituntur præcipuè, quia ex omnibus, quæ ibi contigerunt, colligi nequit, quòd Baptismus eo tempore institutus fuerit, sed ad summum, quòd institutio ejusdem ibi adumbrata, & præfigurata fuerit; nam Baptismi institutio formaliter importat, quòd Christus perpetua Lege statuerit illius materiam, & formam, ut signum gratiæ sanctificantis. atqui ex eo, quòd ipse baptizatus fuerit, non infertur hanc Legem tulisse, neque ex eo, quòd Pater æternus illum suum esse Filium publicaverit, & Spiritus S. in columbæ specie apparuerit; quia hæc omnia solùm designant Sacramenti formam, non constituunt, cùm contingere potuerint, quin esset aliqua Sacramenti institutio.

Dub. 4. an, & qua ratione Baptismus
8 sit hominibus in nova Lege ad salutem necessarius? R. est necessarius omnibus præcepto Divino, & de necessitate medij, tam parvulis, quàm adultis, sed diverso modo; nam parvulis, extra casum Martyrij, necessarius ad salutem est Baptismus in re susceptus, prout definitum est à Concil. Milevit. *relato can. placuit 153. de consecr. dist. 4.* ab Innoc. III. *c. majores 3. h. t.* & clariùs à Trid. *sess. 5. Decret. de Peccat. Orig. n. 4.* & *sess. 7. can. 5. de Baptism.* & consentiunt SS. PP. præcipuè August. *tum alibi*, tum *l. 3. de anima c. 9.* ubi, *Noli*, inquit, *credere, noli dicere, infantes, antequam baptizentur, morte præventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Ratio est; quia ut declaravit Servator *Joan. 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non potest introire in Regnum DEI.* parvuli autem possunt intrare in Regnum DEI; quia *talium est Regnum cœlorum.* Matth. *19. v. 16.* Marc. *10. v. 15.* Luc. *18. v. 16.* intrare autem non possunt, nisi ante purgati fuerint à peccato originali, quod apud ipsos, extra Martyrium, fieri duntaxat potest per Baptismum in re susceptum, cùm Voti ejusdem capaces non sint, ergo &c.

Contrà adultis ratione utentibus, si
9 Baptismi reipsa susipiendi non habeant copiam, vel baptizatos se, cùm revera non sint, bona fide credant, ad æternam salutem consequendam ejus susipiendi Votum sufficit, prout non obscurè decisum est à Trid. *sess. 6. c. 4. de Justificat.* ubi definitur, quòd *Translatio in statum gratiæ post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non possit.* Ratio clara est; cùm enim quis ante Baptismum susceptum, eliciendo actum Contritionis, seu Dilectionis DEI super omnia gratiam consequi valeat, ut si post ejusmodi actum moriatur, ad vitam æternam perveniat *c. debitum 4. h. tit.* & *c. Apostolicam 2. de Presbyt. non baptiz.* & in ejusmodi Contritionis, ac Dilectionis actu contineatur votum servandi omnia Divina præcepta, ac proin etiam susipiendi Baptismum, sequitur Baptismum reipsa susceptum adultis, ejus susipiendi copiam non habentibus, vel bona fide existimantibus legitimè susceptum esse, simpliciter non esse necessarium. Et ita docent S. Ambros. *Orat. de Obit. Valentinian. Imp.* August. *l. 4. de Baptism. c. 22.* & *l. 8. de Civit.* Bernard. *Epist. 77. ad Hug. de S. Victor.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 6. n. 6. Concl. 2.* Pal. *tr. 19. D. un. p. 8. n. 2.* Wiest. *tit. de Presbyt. non baptiz. n. 2.*

Dub. 5. quo tempore hoc Sacra- 10
mentum ministrari parvulis, & susipi ab adultis debeat? R. adulti, si in Fide sufficienter instructi sint, Divino Christi præcepto

cepto obligantur ad Sacramentum Baptismi susçipiendum, quamprimum commodè possunt, ut ex *Clemente Romano*, *Basil. Nazianz. Chrysost. Niceta*, & *alijs* firmant Vasq. *D. 149. c. 4.* Conink *q. 68. art. 3. dub. un. concl. 1. n. 37.* Suar. *D. 31. sect. 2.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 6. n. 8.* Pal. *tr. 19. D. un. p. 8. n. 5.* Ratio est; quia per Baptismum homo profitetur Fidem, & fit membrum Ecclesiæ. ergo sicut homo statim tenetur profiteri Fidem, & fieri membrum veræ Ecclesiæ, ita tenetur statim susçipere Baptismum. *Neque obstat*, quòd olim tam in Occidente, quàm in Oriente multi Baptismi susceptionem usque ad ætatem maturiorem, vel etiam mortis periculum distulerint; dicendum enim id vel fuisse factum ex causa rationabili, vel si talis non adfuit ex indiscreto Zelo, orto tum ex reverentia nimia Sacramenti, tum ex timore, ne post gratiam Baptismi susceptam relapsus in Peccatum contingat, quem proinde Zelum cùm reprehenderint Patres, Basil. *hom. exhortat. ad Baptism.* Nazianz. *orat. 40. in Sanctum Baptisma*, Chrysost. *hom. 1. in Acta*, & *hom. 13. in Epist. ad Hebr.* nos imitari non debemus. *Item non obstat*, quòd olim certa tempora, videlicet Vigilia Paschatis, & Pentecostes, destinata fuerint, quibus solis Sacrum Baptisma conferri oportebat, nisi mortis periculum urgeret, prout constat ex *can. duo tempora 12. de consecr. dist. 4.* nam cùm paulatim crescceret credentium populus, & occasio ministrandi Baptismum, ac variæ contingerent occasiones mortis, visum fuit Prælatis Ecclesiæ, abrogato allegato Decreto, ministrationem Baptismi permittere pro omni tempore, ut notat Laym. *l. cit. ℣. adde.*

11 Quoad infantes conveniunt DD. quòd eorum Parentes, & alij, qui curam illorum gerunt, sub gravi culpa præcepto Ecclesiæ non scripto, sed consuetudine introducto, obligentur, ne differant diu filijs parvulis Baptismum, licèt nullum mortis eorum periculum sit; quia alienum à pietate parentum, & charitate est diu conservare filios mancipia Diaboli, cùm facilè possint illos constituere membra Christi, & Regni cœlestis hæredes. Quodsi ipsi parentes, vel tutores negligentes fuerint, Pastores Ecclesiæ ratione officij obligantur illorum negligentiam emendare, & suam in ea re authoritatem interponere. Ita ex communi Suar. *D. 25. sect. 2. §. ultimò*, Laym. *l. 5. tr. 2. c. 6. n. 8. concl. 2.* Pal. *tr. 19. D. un. p. 8. n. 4.* Quæ autem diuturna sit dilatio, ut ad peccatum mortale constituendum sufficiat, prædicti DD. cum Henriq. *l. 2. c. 4. n. 3.* relinquunt prudentis viri judicio. Advertit tamen cum alijs Laym. *n. 9.* si ex aliqua causa solennis Baptismus differri soleat, eo casu non oportere privatim baptizare infantem, & intermissas ceremonias postea adhibere; id enim licitum non est extra casum necessitatis, qualis ordinariè non est, etsi per unum, aut sesquimensem exspectandum sit, donec cum decente solennitate Baptismus infanti conferri possit, quanquam tanta dilatio non nisi ex gravi causa fieri debeat, & tunc advigilare oportebit infanti, ne ex ingruente aliqua infirmitate sine Baptismo decedat.

Quæritur 2. quæ sit *Materia* Baptismi? 12
℟. Materia Baptismi duplex est, remota, & proxima. Et hinc

Dub. 1. quæ sit *Materia remota* Baptismi? ℟. est omnis, & sola aqua Elementaris, seu naturalis apta ad abluendum, ut patet ex perpetua traditione, & praxi Ecclesiæ, definitionibus Concil. Florent. Later. & Trid. *sess. 7. can. 2. de Baptism.* ipsisque Christi verbis, *Nisi quis renatus fuerit & c. Joan. 2.* *Ex quo infertur*, ea certitudine liquorem aliquem esse materiam validam Baptismi, quâ retinet nomen, & rationem aquæ naturalis, & usualis. Certò valet aqua fontana, marina, fluviatilis, pluvialis; item ex rore, pruina, nive, glacie, grandine eliquata, etsi sapore, calore, mixtione salis, sulphuris, & aliorum mineralium accidentaliter differant. Dubia est, & ideo non nisi in casu extremæ necessitatis adhibenda aqua ex sale resoluto, proflua ex vite, ex floribus, arboribus, herbis per distillationem expressa, jusculum, lixivium, cerevisia &c. quibus Pal. *tr. 19. D. un. p. 3. n. 2.* etiam annumerat salivam, sed *c. non ut 5. h. tit.* dicitur haud dubiè invalida, uti etiam plerique sentiunt de sudore, lachrymis &c. Ipsa etiam aqua naturalis debet esse apta ad abluendum: & hinc apta materia non est aqua constricta in glaciem, vel nivem, nisi antea resolvatur. Suar. *D. 20. sect. 2. §. atque hinc obiter*, Conink *q. 66. art. 4. n. 27.* Bonacin. *D. 2. q. 2. p. 3. n. 6.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 3. n. 1. concl. 2. coroll. 1.* Pal. *tr. 19. D. un. p. 3. n. 3.* Gonzal. *in c. 5. h. tit. n. 2.* Schamb. *hic n. 17.* Wiestner *ibid. n. 2.*

Dub. 2. quæ sit *Materia proxima* Baptismi? ℟. est ablutio per aquam juxta illud, *Mundans lavacro aquæ* Ephes. *5. v. 26.* quia per formam hujus Sacramenti proximè significatur, & determinatur ad ablutionem animæ. De hac, sicut de Materia remota, dicendum eam esse certam, vel dubiam, prout aliqua actio certò, vel probabiliter ablutio dicitur. Intelligitur autem nomine *Ablutionis* contactus successivus aquæ, qui activè procedat à Ministro baptizante, & passivè, seu terminativè subsistat in baptizato. Ex communi TT. cum S. Thom. *q. 66. art. 7.* validè fieri potest per immersionem, infusionem, & aspersionem, si hæc notabilis sit, & cum successivo aquæ allapsu: & hoc tertio modo fortasse collatus Baptismus fuit *Act. 2. & 4.* cùm uno die trina hominum millia,

alio 5000. Sacro Fonte abluti sunt. *Ratio est*; quia quocunque ex his tribus modo ablutio fiat, verè quis ablutus censetur. Ut tamen licitè ministretur, servanda est Ecclesiæ Diœcesanæ consuetudo; nam in aliquibus Ecclesijs adest consuetudo baptizandi per immersionem, in alijs per infusionem. Non tamen caret probabilitate peccatum mortale non esse, sed veniale tantùm baptizare per infusionem, quamvis consuetudo sit, ut per immersionem conficiatur Baptisma, quòd mutatio hæc levis sit, nec aliena ab usu Romanæ Ecclesiæ. Pal. *tr. 19. D. un. p. 4. n. 2.*

14 Dub. 3. an trina debeat esse ablutio, an unica sufficiat? *Rationem dubitandi* facit *can. siquis Presbyter 79. de consecr. dist. 4.* ubi jubetur deponi Presbyter, qui semel tantùm mergat in Baptismale, & *can. multi 82. ead. dist.* ubi trina mersio dicitur *Evangelicum præceptum. Sed dicendum* esse in arbitrio Ecclesiæ, an trinam, vel unicam ablutionem adhibere velit, prout indicavit S. Gregorius *l. 1. Epist. 41. ad S. Leandr.* his verbis, *Reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in Baptismate vel ter, vel semel immergere, quando & in tribus mersionibus Personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari*, prout refertur *can. de trina 80. dist. cit.* Unde cujusque Provinciæ, vel Ecclesiæ consuetudo est observanda, ut insinuatur *can. cit.* & advertit Abb. *in c. 1. h. tit. n. 4.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 3. n. 4. v. quare*, Barbos. *in c. 1. h. tit. n. 5.* Vallens. *hìc §. 1. n. 4. v. ablutio.* Pirh. *n. 1. not. 2.* Schambog. *n. 21.* Wiestner *n. 4.* Neque contrarium evincunt textus in contrarium allegati; nam in priore illorum solùm damnatur error conferentium Baptisma una mersione, non SS. Trinitatis, sed Mortis Christi expressa mentione; in posteriore innuitur esse Traditionem Apostolicam, quæ ut alij Ecclesiæ Canones, & consuetudines mutationem admittunt *arg. c. Alma 24. pr. de sent. Excomm. in 6.* Gonzal. *in c. cit. n. 1.* Wiest. *l. cit.*

15 Dub. 4. in qua parte corporis debeat fieri ablutio, ut validè conferatur Baptismus? R. etsi omnino deceat præ cæteris membris ablui caput; utpote quæ est præcipua pars hominis, in qua viget omnis sensus, communis tamen DD. sententia est, quòd sufficiat, si in Baptismo abluatur etiam alia pars principalis, uti sunt scapulæ, humeri, pectus, brachia &c. An ablutione manûs, pedis, aut alterius similis partis, vel capillorum, & pellis secundinæ solius validè administretur Baptismus, dubium est; nam aliqui cum Henriq. *l. 2. c. 7. n. 2.* & *c. 21. n. 4.* Vasq. *D. 145. n. 4.* &c. volunt sufficere, si conferatur in quacunque etiam minima parte sensibili, & vel unius guttæ aspersione; alij contrà cum Conink *q. 66. art. 7. dub. 2.* Tolet. *l. 2. c. 18.* Bonacin. *D. 2. q. 2. p. 3. n. 24.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 3. concl. 2. coroll. 8.* Pal. *tr. 19. D. un. p. 4. n. 5.* & communiori DD. negant valiturum, nisi fiat in parte aliqua hominis principali. Hinc licèt cùm aliter non possit, licitè in tali parte conferatur, repeti tamen, periculo sublato, sub conditione debebit ob probabilitatem sententiæ negantis *c. de quibus 2. h. tit.* Laym. *n. 3. v. verùm*, Pal. *n. 8.* Gonzal. *in c. 5. h. tit. n. 3.* Schamb. *n. 24.* Wiest. *hìc n. 5.* Imò ut etiam in capite, scapulis &c. validè administretur, satis non est ex probabiliore sententia, ut ea quavis etiam minimâ particulâ aquæ attingatur, sed exigitur, ut ea quantitate saltem modica immediatè, & contactu successivo tangantur, cùm sine hoc baptizatus seu lotus propriè non dicatur. Suar. *in 3. p. D. 20. sect. 2. §. deinde*, Pal. *l. cit. n. 6.* Zœs. *hìc n. 4.* Schamb. *n. 26.* König *n. 8.* Wiest. *n. 6.* Hinc pro praxi König *hìc n. 11. fin.* monet Parochos, & alios Ministros Baptismi, ut pueros satis crinitos sollicitè abluant, ne aqua solùm crines tangat, non itidem & caput, cùm vel crines non sint pars hominis, vel saltem de eo sit fundatum dubium.

Dub. 5. an sufficiat immersio absque 16
emersione, ut si infans projiciatur in flumen, & ejus aquis suffocetur, aut si abluatur aquâ fervidâ, & sic occidatur? *Certum est*, sic illicitè conferri Baptismum, & committi peccatum grave homicidij, quamvis aliâ viâ infanti ministrari Baptismus non possit, & timeatur statim moriturus; quia ea immersio æquè per se, & directè tendit ad occisionem, ac ad infantis ablutionem, imò potiùs ad ablutionem per accidens dirigitur ex sola intentione mergentis, ad occisionem autem per se, & directè. Et hinc disparitas est inter hunc casum, & illum, quo oppugnans civitatem bellicum tormentum explodit in locum, ubi scit consistere innocentem, aut cùm fugiens mortem sibi imminentem, puerum in via positum pedibus equi conculcat; nam in his duobus casibus mors innocentis solùm per accidens conjuncta est cum explosione tormenti, & fuga, in nostro autem casu per se, & directè sequitur. Suar. *D. 20. sect. 3.* Vasq. *D. 145. c. 3. in fin.* Coninck *q. 66. art. 7. dub. 1. n. 75.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 3. n. 5.* Pal. *tr. 19. D un. p. 4. n. 12.*

Controversia est, an validè sic confera- 17
tur Baptismus? Negant Scot. *in 4. dist. 5. q. 3.* Sylvest. *V. Baptismus 4. n. 8.* Tabien. *V. eod. 5. n. 7.* Armill. *n. 29.* Tolet. *l. 2. c. 18. n. 9.* & alij plures apud Laym. *l. 5. tr. 2. c. 3. n. 5. concl. 2.* Pal. *p. 4. cit. n. 9. Fundantur 1.* quia ea immersio non est vera ablutio, de cujus ratione esse videtur, ut in aquam immersum ex ea educas. 2. quia solùm significat Christi mortem, non instar veri Baptismi, etiam Resurrectionem, *can. de trina 80. de consecr. dist. 4.* 3. quia illa immersio potiùs ad vitam homini tollendam refertur, cùm tamen Baptismus ex propria institutione tendat ad vitam ei conferendam.

Sed

18 Sed communiùs validè conferri hoc modo Baptismum affirmant Abb. *in c. 5. h. tit. n. 4.* Gabr. *in 4. q. 2. art. 3. dub. 4.* Suar. *D. 20. sect. 3. ¥. quapropter*, Vasq. *D. 145. c. 3. n. 19.* Conink *q. 66. art. 7. dub. 1. n. 68.* Bonacin. *D. 2. q. 2. p. 3. n. 27.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 3. n. 5. concl. 2.* Pal. *tr. 19. D. un. p. 4. n. 10.* Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 3. fin.* Zœs. *hic n. 5.* Schamb. *n. 23.* Wiest. *n. 7.* *Ratio est*; quia hæc immersio, cùm per eam infans tangatur motu successivo, est vera ablutio, quæ proxima hujus Sacramenti materia est, ad spiritualem animæ vitam ordinata. igitur modò accedat intentio, & forma debita, ad substantiam Baptismi nihil deest. *Conf.* si infans in aquam immersus post prolatam verborum formam è Ministri manibus laberetur, & suffocaretur aquis, nemo diceret eam mersionem non esse veram lotionem sufficientem ad conficiendum Baptismum. sed intentio eductionis mersionem non immutat. igitur talis erit etiam mersio sine animo educendi.

19 Ad Argumenta contraria facilis est responsio. *Ad 1.* etsi eductio cum ablutione communiter conjuncta sit, non tamen pertinet ad essentiam ablutionis, ut ex modò dictis patet. *Ad 2.* hæc immersio adhuc repræsentat Resurrectionem Christi, cùm etiam per illam homo, peccato mortuus, Christo vivere incipiat, & vetere Adam sepulto, inducat novum. *Ad 3.* Baptismus vivificat animam per gratiam, & Charitatem, cui vitæ non obstat corporalis vitæ privatio, quæ ex prava Ministri intentione succedit.

20 Dub. 6. An validè baptizetur infans nondum in lucem editus? Convenit inter DD. baptizandum illum, saltem si pars aliqua corporis extra uterum extendatur.

Dissident inter se, an casu, quo intra uterum totus continetur, aquâ per fistulam, vel aliud instrumentum infusâ in uterum, perfici Baptismus possit? Negant Mayron. *in 4. dist. 2. q. 1. §. sed occurrit*, Richard. *ibid. dist. 6. art. 1. q. 1.* Henriq. *l. de Baptism. c. 21. n. 2. lit. M.* Graff. *p. 2. decis. l. 1. c. 3. n. 31.* cum *S. August. S. Thom. S. Anton. S. Bonav. & alijs*, quos refert Comitol. *l. 1. respons. mor. q. 13.* Fundantur 1. textu *can. qui in maternis 115. de consecr. dist. 4.* ibi, *Qui natus adhuc secundùm Adam non est, renasci secundùm Christum non potest; neque enim dici regeneratio in eo poterit, quem generatio non præcessit.* 2. *Missal. Rom.* quod vetat *in utero matris clausum, baptizari.* 3. *ratione*; quia non apparet, qua ratione perfici abluio, sive aqua immediatè, & successivè pertingere ad fœtum valeat, in utero tot involucris, & secundinis circumseptum.

21 Sed dicendum, vicino, & desperato partu, etiam hanc Baptismi administrationem fieri posse, licèt casu, quo post talem Baptismum infans salvus editus fuerit, repetendus Baptismus sit. Ita Victoria *summ. tit. de Baptism. n. 32.* Gabr. *in 4. dist. 4. q. 2. art. 3. dub. 2.* Vivald. *de modo Baptismi n. 16. ¥. si autem puer*, Chapeauvill. *de mod. minist. Sacr. temp. pest. c. 2. q. 10.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 3. n. 2. fin.* Bonac. *de Bapt. D. 2. q. 2. p. 3. n. 25.* Dian. *p. 2. tr. 15. resol. 43.* Pignatell. *tom. 1. consult. 153. n. 6.* Wiest. *hic n. 10.* Ratio est; quia etiam infans in utero est subjectum hujus Sacramenti capax, cùm sit homo non baptizatus. Sufficiet ergo, si eidem debito modo applicetur materia Baptismi cum forma.

Neque contrarium probant Argumenta oppositа. 22 *Ad 1.* imprimis textus ille Canonicam authoritatem non habet, cùm non sit alicujus Concilij, vel Rescripti Apostolici: deinde infans in utero jam dici potest in Adam natus; quia jam contraxit peccatum Originale. *Ad 2.* Missale Romanum intelligi potest, & debet de fœtu nondum editioni vicino, non verò de eo, qui huic jam vicinus egredi nititur. *Ad 3.* fatetur *Comitolus*, se ab expertissima obstetrice accepisse, quòd infans partui vicinus uteri ostium soleat aperire, ut aqua infusa ad eum pertinere, ejusque corpus manibus tangi possit, ut adeo non appareat, quare non valeat, & in necessitate debeat baptizari, cùm in eo articulo adhibendum sit omne medium probabile ad salvandam vitam spiritualem infantis.

Quæritur 3. quæ sit *Forma* Baptismi? 23 ℟. Forma, quâ utitur Ecclesia Latina, hæc est, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, quibus ex consuetudine subjungitur *Amen*. Græcæ Ecclesiæ hæc, *Baptizatur, vel*, ut alij exponunt, *Baptizetur servus Christi in nomine Patris &c.* Utramque legitimam esse certum est; suam enim Latina ab antiquissimis temporibus accepit, collegitque ex verbis Christi *Matth. ult.* ibi *Baptizantes eos in nomine Patris &c.* Græca verò etiam ante Schisma, non improbante Latinâ, usurpavit suam. Debet autem hæc Forma retineri, & adhiberi invariata quoad substantiam; nam quævis immutatio substantialis Baptismum reddit invalidum. Accidit autem mutatio substantialis Formæ tunc, quando aliquid in ea non exprimitur, quod in eadem essentialiter, & ex institutione Christi est exprimendum: contrà accidentalis solùm censetur, quando tantùm sit vocum transpositio, manente eodem sensu, ut si baptizans dicat, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti ego te baptizo.* Secus verò Pal. *tr. 19. D. un. p. 5. n. 17. ¥. quando*, substantialem judicat, siquis diceret, *Ego te baptizo in nomine Spiritus sancti. Patris, & Filij*; quia significat Spiritum S. esse Patris, & Filij principium, cùm tamen ab his procedat.

Dub. 1. Quænam in Forma Baptismi sint exprimenda, ut Baptismus validè conferatur? 24 ℟. prout indicat *Flor.* & consentiunt DD. quatuor sunt exprimenda. 1. Per-

Persona baptizans tum principalis, quæ significatur in voce *Filij*, tum Ministri, quæ tamen satis exprimitur per Verbum *Baptizo*, etiam omisso Pronomine; & in Forma Græcorum per Passivum *Baptizetur*, scilicèt *à me*, exteriore actione verborum sensum determinante. Sot. *in 4. dist. 3. q. un. art. 5* Suar. *in 3. p. D. 21. sect. 2. concl. 2.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 4. n. 2. ¥. quare.* Pal. *tr. 19. D. un. p. 5. n. 2.* Wiestner *hic n. 14.* 2. Persona baptizanda, quod Latini faciunt per particulam *Te*, Græci per vocem *Servus Christi*: Cujus ratio est, ut appareat discretio personarum inter baptizantem, & baptizatum, cùm nemo baptizari valeat â seipso S. Thom. *q. 66. art. 5.* Henriq. *l. 2. c. 8. n. 4.* Bonacin. *D. 2. q. 2 p. 4. n. 2.* Vasq. *D. 142. c. 3.* Suar. *concl. 3* Laym. *¥. secundò accidit.* Pal. *n. 5.* Wiest. *n. 15.* 3 actus ablutionis; hic enim tanquam materia proxima determinandus est per formam Baptismi. Unde non sufficeret Verbum exprimens diversam actionem v. g. *Refrigero:* imò neque siquis dicat, *Ego te mergo*, ut habet Gloss. *in can. multi 82 de consecr. dist. 4.* licèt enim actio mersionis sit sufficiens, vox tamen non exprimit finem, & effectum mersionis, nempe ablutionem. 4. & præcipuè significanda est Unitas, & Trinitas Divinitatis: & illa quidem significatur, cùm dicitur *In Nomine*; ista verò, cùm exprimuntur nomina personarum *Patris*, & *Filij &c.* Si tamen ter repeteretur *in Nomine* pro numero Personarum, putant *Suar.* & *Vasq.* adhuc valiturum Baptismum; non enim multiplicantur nomina, sed tantùm repetitur idem nomen.

25 Dub. 2. utrum necessaria ad valorem Baptismi sit expressa SS. Trinitatis invocatio? *Rationem dubitandi* facit 1. quia *act. 2. 10. 11.* & *19.* legumtur Apostoli baptizâsse in nomine Christi, qui utique Magistri sui mandatum prævaricati non sunt. 2. *can. quodam Judæo 22. de consecr. dist. 5.* Nicolaus Papa interrogatus de quibusdam à Judæo baptizatis, an denuo essent baptizandi, respondit, *Hi profectò, si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantùm in Christi nomine, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe, idémque est, ut Sanctus exponit Ambrosius) constat eos non esse denuo baptizandos.* 3. hanc sententiam præter *S. Ambrosium, Bedam, Magistrum sententiarum, Hugonem de S. Victore, Adrianum, Cajetanum &c.* expressè tradidit S. Bernardus *Epist. 340.* ubi concedit puerum baptizatum in nomine DEI, & veræ Crucis, non esse iterum baptizandum.

26 Sed multo veriùs alij cum S. Thom. *q. 66. art. 6.* S. Bonav. *in 4. dist. 3. q. 2. art. 2.* Richard. *ibid. art. 2. q. 3. ad 10.* Bellarm. *l. 1. de Bapt. c 3.* Henriq. *l. 2. c. 10.* Suar. *D. 21. sect. 3. §. supereſt*, Vasq. *D. 143. c. 2. & 3.* Conink *q. 66. art. 7. dub. un. concl. 3.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 4. n. 3. ¥. secundò*, Pal. *tr. 19. D. un. p. 5. n. 11.* Barbos. *in c. 1. h. tit. n. 8.* Gonzal. *ibid. n. 4.* Pirh. *hic n. 2.* Wiest. *n. 18. ibidem* docent expressam Personarum Divinarum invocationem Baptismo essentialem esse. Sumitur ex verbis Christi, *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, quibus verbis hujus Sacramenti formam à Christo traditam colligitur ex *can. 49. Apostolorum*, *can. si. revera 28. can. in Synodo 81. de consecr. dist. 4.* & testatur communis PP. consensus; ut quid enim Christus Dominus Unitatem, & Trinitatem expressisset, si hæc expresse necessaria non essent?

Neque obstant Argumenta opposita, 27
Ad 1. quamvis Doct. Ang. *l. cit.* putet, id factum fuisse ab Apostolis ex speciali revelatione & dispensatione Divina, probabiliùs tamen censent alij, nunquam collatum fuisse Baptismum in solo Christi nomine: quamvis ergo reliquæ Personæ non nominentur, non ideo inferre licet, eas fuisse prætermissas, sicut cùm *1. Corinth. 12.* dicitur: *In uno Spiritu omnes baptizati sumus*, non ideo in nomine solius Spiritûs sancti dicimur baptizati. Imò apertè satis colligitur oppositum ex ijsdem *Act. c. 19.* ubi cùm Paulus quosdam baptizatos interrogâsset, an Spiritum S. accepissent, ipsis respondentibus, *Neque si Spiritus S. est, audivimus*, non sine admiratione quæsivit, *In quo ergo baptizati estis?* insinuans, quòd si Baptismo Christi baptizati essent, necessariò Spiritum S. ex ejus institutione cum Patre, & Filio exprimendum, jam audivissent. *Ad 2.* Nicolaus Pontifex, ut Pontifex ibi solùm definivit, Baptismum, collatum à Judæo sub debita forma, repetendum non esse; nam de hoc solo interrogatus fuit: quòd verò sufficiat collatus sub expressione Trinitatis, vel Christi, ex privato suo sensu, & tanquam Doctor privatus addidit, adhærens opinioni aliorum DD. & immemor definitionum Pelagij, & Zachariæ Pontt. qui prout refert Gratianus *can. multi*, & *can. in Synodo citt.* contrarium deciderunt. *Ad 3.* S. Ambrosium, dum dicit ab Apostolis Baptismum collatum in nomine Christi, multi explicant, quòd intelligat Baptismum collatum authoritate Christi, & sub forma ab ipso instituta: reliqui DD. si contrarium senserunt, sequendi in hoc non sunt, cùm habeamus claram Decisionem Pontificiam *in can. citt.*

Dub. 3. utrum validus sit Baptismus 28
collatus sub hac forma, *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque?* Affirmant Gloss. *in can. multi 87. de consecr. dist. 4.* Cajetan. *q. 66. art. 6.* Victoria *de Baptism. n. 13.* & saltem speculativè loquendo probabilem reputant facilè omnes. Et videtur istud probari, quia verba ista *Genitor Genitus*, & *ab utroque Procedens* etiam ipsa sunt propria nomina, quibus tres Personæ Divinæ significari, & appellari solent, ideoque æquipollentia, quæ pro-

inde sensum formæ non mutant. 2. quia aliàs Baptismus non esset, si loco *Filij* nomen *Verbi*, aut *JEsu Christi* exprimeres, & loco *Spiritûs S.* nomen *Paracleti*, & loco *Patris* nomen *Principij*, vel *Originis totius Trinitatis*. 3. item non valeret Baptismus, si linguâ ignotâ audientibus Trinitatem proferres.

29 Sed verius validum sub hac forma Baptismum negant S. Thom. *2. 2. q. 66. art. 5. & 6.* S. Bonav. *in 4. dist. 3. art. 2. q. 3.* Richard. *ibid. art. 2. q. 3. ad 8.* Scot. *q. 2. ¥. tertiò de forma*, Durand. *q. 2. n. 5.* Palud. *q. 1. ¥. secundò in speciali*, Gabr. *q. un. art. 2. concl. 4. & art. 3. dub. 1.* Sot. *q. un. art. 5. ¥. hoc ergo interim*, Henriq. *l. 2. c. 9. ad fin.* Suar. *D. 21. sect. 4.* Vasq. *D. 114. c. 2. & 3.* Conink. *q. 66. art. 6. dub. un. concl. 4. n. 54.* Bonacin. *D. 2. q. 2. p. 4. n. 12.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 4. n. 4.* Pal. *tr. 19. D. un. p. 5. n. 15.* Wiest. *hic n. 19. ¥. non minor. Ratio est*, tum quia eam Formam sufficere neque ex institutione Christi, neque ex usu Ecclesiæ, aut Fidelium sensu habetur; tùm verò, quia cùm Baptismus sit Sacramentum Fidei *c. quanto 7. de divort.* conveniens omnino fuit, ut eo initiatis SS. Trinitatis Mysterium, quod præcipuum est Fidei Christianæ, proponeretur non solùm explicitè, sed etiam vocibus communibus, & in quacunque linguâ omnibus æquè notis, & SS. tres Personas eodem modo exprimentibus.

Neque contrarium efficaciter probant
30 Argumenta opposita. *Ad 1.* esto, voces *Genitoris*, *Geniti*, & *procedentis ab utroque* cum voce *Patris*, *Filij*, & *Spiritus S.* conveniant tum in re significata, tum in modo explicito significandi, non tamen conveniunt perfectè secundùm modum significandi, quem in institutione Baptismi probabiliter Christus intendit. *Ad 2.* vox *JEsu Christi* satis explicat tum personam Filij, tum ejus humanam, & Divinam naturam; unde dicendum validè adhiberi: aliud dicendum de vocibus *Verbi*, *Paracleti*, & *Principij*; quia æquè ignotæ sunt, ac voces *Genitoris*, *Geniti*, & *Procedentis ab utroque*, & præterea formaliter non tam Personas, quàm origines earum significant. *Ad 3.* patet ex dictis *n. præc.*

Quæritur 4. quod sit Baptismi *Subjec-*
31 *tum*? ℟. validè conferri Baptismus potest omni homini Viatori, qui eundem positivè velit, si sit adultus: licitè, & cum fructu omnibus ritè dispositis per Fidem, Spem, propositum servandi præcepta, & pœnitentiam, si habeant peccatum mortale. Parvulos ante usum rationis validè, & fructuosè baptizari contra quosdam Hæreticos antiquos, quos deinde Anabaptistæ secuti sunt, definitur à Trid. *sess. 7. can. 12. & seqq.* Habétque Ecclesiæ usus, & praxis: cui præluit Lex Mosaica, in quo Circumcisio ministrata fuit etiam infantibus. *Ratio est*; quia Sacramentum hoc ad salutem necessarium est omnibus obnoxijs peccato Originali juxta illud, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Joan. *3. v. 5.* cùm igitur etiam parvuli ipsa in utero conceptione peccatum Originale contrahant, capaces etiam Baptismi erunt, ne culpæ vis, & efficacia major, quàm gratiæ sint.

Dub. 1. utrum Monstra baptizari pos- 32
sint? ℟. Monstra, de quibus circa Baptismum difficultas esse potest, sunt duplicis generis. *Primum* est eorum, de quibus dubitatur, utrum homines, an bestiæ sint, cujusmodi ex Bestialitatis peccato interdum provenire solent. *Alterum* illorum, de quibus quidem sufficienter constat, quod habeant naturam humanam, ambigitur autem, an ejusmodi Monstrum non sit ex gemellis concretum, & cons. duobus Baptismis baptizandum.

Si primi generis nascatur Monstrum, antequam Baptismus conferatur, diligenter inspiciendum, est, an partes principales monstri, videlicet caput, & pectus hominis figuram referant; necne: quodsi non referant, Baptismus quoque conferendus non est; si autem aliqualiter dubitetur, dilatio facienda est, usque dum natura talis partûs meliùs innotescat, vel si periculum mortis instet, baptizari debet sub conditione, *si tu es homo, ego te baptizo &c.*

Si nascatur Monstrum *secundi generis*, 33
videndum, an satis constet, esse duos homines, an verò hoc non satis appareat. *Si satis constat*, quòd duo sint homines, quod ex operationum diversitate intelligi potest, quia v. g. uno monstri capite dormiente, alterum vigilat, loquitur, vel uno existente probo, alter est improbus, cujusmodi monstrum extitisse testis est Scot. *in 4. dist. 6. q. 2. §. de quarto membro*, & Henr. de Gandavo *quodl. 6. q. 14.* baptizari debent distinctis verborum formis, & ablutionibus; vel si periculum sit in mora, una aquæ affusione, unáque formæ prolatione, quæ virtute gemina sit, *Ego vos baptizo in nomine Patris &c.*

Si non satis constat, an duo sint homines, quia v. g. tale monstrum unum duntaxat caput, & duo pectora habet, differendus Baptismus aliquamdiu est, donec certius aliquid cognoscatur; vel si periculum in mora sit, una pars potest simpliciter baptizari, & altera sub conditione, *si non es baptizatus &c.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 6. n. 13.* Pal. *tr. 19. D. un. p. 6. n. 4.* Gonzal. *in c. 3. §. Verùm h. tit. n. 12. fin.* Schamb. *hic n. 76.* König *ibid. n. 9.*

Dub. 2. An baptizari valeant amen- 34
tes? Videtur tenenda affirmativa generaliter ob textum *can. qui recedunt 7. caus. 26. q. 6.* ubi relati Concilij Arausicani Decretum est, *Amentibus etiam, quæcunque pietatis sunt, conferenda esse. Conf.* ex ratione; quia furiosus æquiparatur infanti §. *furiosus 8. Inst. de inutil. stipulat.* infans autem, ut *n. 8. & 31.* dictum est, baptizari potest, ergo &c.

Sed distinguendum est, an rationis usum talis amens aliquando habuerit, an non. *Si hoc secundum*, talis amens istius Sacramenti capax non minùs, quàm infans est: quod textus, & ratio allata evincit. *Si primum*, videndum, an ille, cùm ratione utebatur, Baptismum aliquando petierit, an verò admittere illum omnino renuerit, vel saltem nunquam petierit, neque voluerit petere.

35 *Si prius*, iterum baptizari potest, prout decisum est *c. Majores 3. h. tit.* & ratio est; quia in eadem voluntate perseverare præsumitur. S. Thom. *2. 2. q. 80. art. 8.* *Si posterius*, juxta eundem Doct. Angel. *3. p. q. 68. art. 12.* & certam aliorum TT. Sententiam validè baptizari nequit; quia talis censetur instar adulti, sive utentis ratione, in quo ad valorem Baptismi necessarius est voluntarius consensus, non quidem actualis, sed saltem moraliter perseverans, sive ante existens, & non retractatus. Suar. *in 3. p. D. 24. sect. 1. concl. 1.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 6. n. 2.* Pal. *tr. 19. D. un. p. 7. n. 2.* Gonzal. *in c. 3. §. verùm n. 10. h. tit.* Vallens. *hic §. 3. n. 2.* Zœs. *n. 19.* Wiestner *n. 22.*

36 Dub. 3. an liberi infidelium invitis parentibus licitè baptizentur? R. distinguendo: Vel enim tales liberi jam sunt rationis compotes, vel adhuc infantes. *Si primum*, non est dubium, si ipsimet baptizari velint, eos parentibus etiam invitis baptizari posse; quia in ijs, quæ ad salutem spectant, obedire magis Deo, quàm parentibus debent. Laym. *l. 5. tr. 2. c. 6. n. 10. ℣. quartò.* Zœs. *hic n. 18.*

Si secundum, altera distinctio est adhibenda; Vel enim uterque parens invitus est, vel unus tantùm. *Si unus tantùm*, licitè baptizantur, prout sumitur ex *can. Judæi 10. caus. 28. q. 1.* & *c. fin. de convers. infidel.* modò non sit morale periculum Apostasiæ. *Ratio est*, quia in educandis, retinendis, & regendis liberis quoad ea, quæ ad salutem necessaria sunt, æquale jus utrique ex parentibus est, & ob specialem favorem Religionis Christianæ, & animæ pia unius voluntas præfertur impiæ voluntati alterius, etiam Patris, avertentis à vera Fide. Azor *p. 1. l. 8. c. 25. q. 3.* Suar. *D. 25. sect. 3. ℣. duo.* Vasq. *D. 155. c. 3. n. 35.* Conink *q. 68. art. 10. dub. un. n. 82.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 6. n. 10. ℣. tertio.* Pal. *tr. 19. D. un. p. 6. n. 11.* Zœs. *hic n. 18.* Wiestner *n. 25.*

37 *Si verò uterque invitus fit*, denuo distinguendum inter eos, qui aliquando fuerunt subjecti potestati Ecclesiæ, & per Apostasiam ad alias sectas defecerunt, & inter illos, qui Ecclesiasticæ potestati nunquam fuerunt subjecti. *Priorum* liberi invito utroque parente baptizari licitè possunt; potest enim illos Ecclesia justè punire, atque adeo etiam patria potestate, quam habent in liberos, privare; liberi tamen tunc non erunt parentibus relinquendi; aliàs exponerentur manifesto periculo Apostasiæ.

Posteriorum liberi, invito utroque parente, baptizantur quidem validè, cùm consensus parentum ad valorem Baptismi non requiratur; non tamen licitè, regulariter loquendo, ut contra Scot. *in 4. dist. 4. q. ult.* & Gabr. *q. 2. art. 3. dub. 5.* verius docent S. Thom. *3. p. q. 68. art. 10.* Richard. *in 4. dist. 6. art. 3.* Suar. *D. 25. sect. 3. concl. 1.* Vasq. *D. 165. c. 2. à n. 10.* Conink. *q. 68. art. 10. dub. 1. concl. 2. n. 69.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 6. n. 10. concl. 2.* Bonacin. *D. 2. q. 2. p. 6. n. 12.* Pal. *tr. 19. D. un. q. 6. n. 13.* Zœs. *hic n. 18.* Schamb. *n. 81.* Wiest. *n. 26.* 38 *Ratio est*, quia hujusmodi infantes post Baptismum vel auferrentur parentibus; & ita hi contra ordinem naturalis Justitiæ privarentur patria potestate: vel ijsdem relinquerentur; & sic fieret injuria Sacramento, cùm eo modo liberi certæ perversioni exponerentur. *Proceditque hoc*, etsi hujusmodi Infideles subdantur potestati Civili Principum Christianorum; nam ea potestas ad hoc non se extendit, ut *l. citt.* notant *Suar. Vasq. Laym. Bonacin. Palao, Zœsius.*

Dixi autem *Regulariter loquendo*; nam 39 tres casus excipiendi sunt. 1. Quando hujusmodi infantes in manifesto mortis periculo constituti sunt: tunc enim citra vim, & scandalum infidelium, invitis etiam parentibus, baptizari possunt; quia salus liberorum juri patriæ potestatis præponderat. Suar. *sect. 3. cit.* Conink *n. 76.* Laym. *concl. 2. cit. ℣. dixi autem*, Pal. *n. 14.* Schamb. *n. 79.* Wiestner *n. 27.* 2. Quando à parentibus quacunque ratione abstracti sunt, ut eos his reddendos spes nulla appareat; quia tunc parentibus à baptizante nulla infertur injuria. Suar. *sect. 4. ℣. secundò est certum*, Vasq. *c. 3. n. 29.* Laym. *℣. secundò*, Pal. *n. 17.* Wiest. *n. 27.* 3. Quando parentes infideles, vel illorum liberi bello, aut alio modo redacti in servitutem Christianorum sunt; tunc enim cessat patria potestas, & sicut licet domino liberos à parentibus separare, & vendere, ita licebit etiam cum dicta cautela Apostasiæ baptizare. Suar. *sect. 4. cit. concl. 2.* Vasq. *c. 4. per totum.* Conink *n. 86.* Laym. *℣. porrò*, Bonacin. *n. 12. fin.* Pal. *n. 18.* Schamb. Zœs. Wiest. *l. citt.*

Quæritur 5. quis sit *Minister* Baptismi? 40 R. distinguendo; nam validè conferri Baptismus potest à quovis homine viatore, qui sit distinctus à baptizato, etiam extra casum necessitatis, prout constat ex *can. à quodam Judæo 24. de consecr. dist. 4.* & *can. siquis per ignorantiam 59. caus. 1. q. 1.* quibus textibus approbatur Baptismus, etiam à non baptizato collatus, prout etiam patet in facto S. Athanasij, qui puer alijs pueris Baptismum contulit nondum baptizatus, & ab Ecclesia fuit approbata collatio tanquam valida: unde reprobatur error Calvini *l. 4. Instit. c. 15. §. 20.* existimantis nullum esse Baptismum, qui

qui ab Ecclesiasticis Ministris collatus non est: quem errorem latè refellit Bellarm. *l. 1. de Baptism. c. 7.*

41 Licitè verò extra casum necessitatis confertur à solo Sacerdote, prout communis, & certa TT. sententia habet cum S. Thom. *q. 67. art. 1.* Concordat *Florentinum*, ex cujus Decreto Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. *Ratio est*; quia ad eundem spectat adscíscere inter membra Ecclesiæ, adeóque conficere Corpus Christi Mysticum, ad quem spectat conficere Corpus Christi reale, quod est Sacramentum Ecclesiasticæ unitatis, juxta illud *unum Corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus. 1.* Corinth. *10.* Imò si necessitas nulla urgeat, licitè solùm baptizat Parochus, & eo superior Episcopus; nam esto, quilibet Sacerdos in ordinatione factus sit idoneus Minister Baptismi, ad licitum tamen hujus potestatis usum indiget, ut sibi Jurisdictio, & regimen Ecclesiæ concedatur; aliàs injurius erit Ecclesiæ, si in illius membrum adscíscat aliquem, nullam in Ecclesiam Jurisdictionem habens. Vasq. *D. 147. c. 3.* Conink *q. 67. art. 5. dub. 1. n. 11.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 7. n. 2. concl. 2.* Pal. *tr. 19. D. un. p. 9. n. 2.*

42 Dub. 1. qualis Parochus esse debeat, ut licitè Baptismum conferat? R. debet esse Parochus Domicilij, in quo degit baptizandus, nisi aliter obtentum sit consuetudine, vel præscriptione; nam consuetudine ab extraneo Parocho obtineri potest jus Baptismum aliarum Parochiarum subditis, ad ipsum sponte confluentibus, ministrandi, ut ex mente *S. Congr. Rit.* tradit Barbos. *de Parocb. Offic. c. 18. n. 7.* Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 6. n. 52.* Federic. de Senis *cons. 80. n. 3. & cons. 135. n. 2.* Vincent. Petra *tom. 4. comment. fol. 289.* Et hoc jure potitur Basilica Vaticana, cujus Parochus ex antiqua consuetudine, à Summis Pontif. comprobata, infantibus aliarum Parochiarum, ad ipsam sponte confluentibus, Sacrum Baptisma ministrat liberè: quod jus, cùm à reliquis urbis Parochis in controversiam deduceretur, novissimè ratum habuit S. Congr. *in Romana Juris baptizandi 15. Maij 1700.* apud Petram *l. cit. n. 36.*

43 Dub. 2. an, & quando potestas baptizandi delegari possit Diacono? R. potest ex gravi causa: & tunc Diaconus Baptismum administrare potest non tantùm privatim, ut quisque Laicus potest in casu necessitatis, sed etiam solenniter, ut probat Sausay *in Panopl. Sacerd. p. 2. l. 5. c. 6.* & colligitur *ex Pontificali Romano*, ibi *Diaconum oportet ministrare ad Altare, baptizare, & prædicare &c.* Ea tamen differentia inter Sacerdotes, & Diaconos est, quòd Presbyteri, utpote qui habitu potestatem baptizandi habent, possint absque necessitate delegari administrandum Baptismum; Diaconi autem, cùm potestatem baptizandi non habeant, nisi subsidiariam, & in defectum Presbyterorum, delegari nequeant, nisi in casu necessitatis, & deficientibus Presbyteris. Cajet. *q. 67. art. 5.* Conink *ibid. dub. 1. n. 13.* & *dub. 3. n. 26.* Suar. *D. 23. sect. 2. fin.* Vasq. *D. 147. c. 4. n. 24. & seqq.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 7. n. 3.* Bonacin. *D. 2. q. 2. p. 5. n. 3.* Vincent. Petra *tom. 4. com. fol. 287. n. 23.* Porrò causa, ob quam Diacono delegari potestas baptizandi à proprio Sacerdote potest, à P. Laym. *l. cit.* approbatur, si iste propter baptizandorum multitudinem, gravem infirmitatem, vel Excommunicationis Censuram Baptismum petentibus neque per se, neque per substitutum satisfacere possit.

44 Et hoc verum est, etiamsi talis Diaconus ipse sit Parochus illius loci, cujus inquilini proles est baptizanda, ut rectè advertit Petra *l. cit.* quamvis enim Parochus ex officio administrare Baptismum valeat, si Presbyter sit; secùs tamen dicendum erit de Diacono; nam huic officium Parochi non tribuit potestatem administrandi Baptismum solenniter, nisi deficientibus Presbyteris, ut colligitur ex Concil. Illiberit. *can. 77.* & censuit S. Congr. *in Cremonensi Absolutionis 2. Dec. 1679.* ubi absolutionem ab Irregularitate ad cautelam concessit Parocho Diacano, qui Baptismum bona fide administraverat.

45 Dub. 3. à quo baptizandi sint Infideles ad Fidem conversi? R. distinguendo: Vel enim baptizantur in terris Christianorum, vel in partibus Infidelium. *Si primum*, de Baptismo illorum *in Ritual. Rom. Rubr. de Baptism. §. 3.* ita disponitur, *Adultorum Baptismus, si commodè fieri potest, ad Episcopum deferatur, ut si placuerit, solenniùs ab eo conferatur; alioquin Parochus ipse baptizat statutâ ceremoniâ.* Itaque id munus principaliter competit Episcopo; hoc autem impedito, Baptismus ministrari debet à Parocho domicilij; quia Infideles, ex quo baptizari volunt, ratione propositi intelliguntur jam esse de foro illius, ubi habitant; & ita teste Vincent. Petra *tom. 4. comment. fol. 288. n. 31.* resolvit S. Congr. *in Neapolitana Juris baptizandi 27. Sept. 1687. & 21. Febr. 1688.*

46 *Si secundum*, distinguendum iterum est, an in ijs terris sint Episcopi, vel Parochi, an verò non. *Si hoc posterius*, possunt Baptismum ibi administrare etiam solenniter Missionarij, etiam extra casum necessitatis, ex privilegio ipsis concesso. Vaseus *in summ. V. Baptismus 3. n. 14.* Verricell. *de Apostol. Mission. tit. 6.* Petra *l. cit. n. 27.* & concessit Societati JESU Paulus III. *Const.* incipit, *Cùm inter*, *editâ 1545.* ibi *Facultatem concedimus singulis Societatis, Pœnitentiæ, Evchariſtiæ, & alia Ecclesiastica Sacramenta sine alicujus præjudicio ministrandi, Diœcesanorum locorum, Rectorum Pa-*

rochialium, & aliarum Ecclesiarum, aut quorumvis aliorum licentiâ desuper minimè requisitâ &c.

47 *Si priùs*, Suar. *tom. 4. de Relig. l. 9. c. 4. n. 8.* probabile censet posse etiam tum Missionarios in vim privilegiorum Infideles conversos baptizare, ex ratione, quòd Infideles non sint sub Jurisdictione Parochi, cui proinde nullum affertur præjudicium. *Verius* tamen est id non licere, ut nominatim tenet Pal. *tr. 19. D. un. p. 9. n. 3.* Passerin. *de stat. homin. tom. 2. q. 187. art. 1. n. 13.* Vincent. Petra *l. cit. n. 28.* & hoc teste respondit S. Congr. Concil. *in Manilensi Baptismi 5. Jul. 1681.* in qua fuit rejecta instantia cujusdam Missionarij in Insulis Philippinis, petentis facultatem sibi soli concedi baptizandi, & matrimonio jungendi Infideles inibi conversos, cùm tamen ibi extent Episcopi. *Argumentum* contrarium nimium probat; probat enim, quòd Missionarij Baptismum administrare possint etiam in terris fidelium, non solùm infidelibus, sed etiam infantibus parentum fidelium, cùm tam de his, quàm de illis dici valeat, non esse determinatè sub administratione Parochi ante Baptismum susceptum: unde administratio Baptismi non est actus Jurisdictionis determinatè in ipsum baptizandum; aliàs sequeretur, quòd sicut invalida est absolutio à peccatis, si Sacerdos Jurisdictionem in pœnitentem non habeat, ita invalidum fore Baptismum à proprio Parocho non ministratum, ut considerat Gonzal. *in c. 1. num. 11. de Cleric. non ordin. ministr.*

48 Quæritur 6. quo *modo*, *tempore*, & *loco* administrari Baptismus debeat? *Et 1. quidem dubitatur*, an Minister Baptismi debeat esse unus, an verò plures simul eundem baptizare possint? ℟. posse unius Baptismi plures Ministros esse, si plures simul absolutè, & nulla inter se constituta dependentia baptizandum abluant, & formam proferant, eámque perficiant, eodem puncto, & instanti; quia eo casu non se invicem impediunt, sed potiùs coadjuvant, sicut cùm duæ causæ totales ad eundem effectum concurrunt, quarum una deficiente, alia effectum produceret. Laym. *l. 5. tr. 2. c. 7. n. 5. concl. 1.* Pal. *tr. 19. D. un. p. 9. n. 14.* & alij apud istos. Secus, si intentionem haberent inter se dependentem, eò quòd unusquisque nollet ablutionem, & formæ prolationem à se factam valere, nisi simul alterius ablutio, & formæ prolatio effectum habeat; quia ea intentio obstat Christi institutioni per Ecclesiam declaratæ, juxta quam Baptismus ita est institutus, ut unius Ministri ablutio, & formæ prolatio sufficiens sit ad illius constituti onem: unde siquis vellet Baptismum ex sua, & alterius ablutione, & formæ prolatione confici, manifestè repugnaret institutioni Christi. Pal. *l. cit.*

49 Dub. 2. utrum necessarium sit ad valorem Baptismi, ut in ejus administratione materia proxima, videlicet ablutio, eodem tempore cum verborum forma concurrat? Tres sunt sententiæ. *Prima* Gloss. *in can. detrahe 54. caus. 1. q. 1.* juxta quam Sacramentum incipit, ac desinit esse eodem ultimo instanti temporis, quo forma verborum absolvitur; & hinc vult non valere Baptismum, si infans extractus sit ex aqua, cùm ultimum verbum profertur. *Altera* Scoti *in 4. dist. 6. q. 2. art. 2.* Richard. *Dist. 3. art. 4. q. 2.* Cajetan. *opusc. 1. tr. 26. de collat. Ordin.* Navar. *c. 22. Man. n. 7.* defendit, materiam, & formam saltem secundùm aliquam sui partem debere simul concurrere: conf. juxta istam sententiam invalidè conferetur Baptismus, si post factam ablutionem statim sequatur prolatio formæ, vel pronuntiatâ formâ mox sequatur ablutio. *Tertia*, eáque probabilior est Victor. *de Baptism. n. ult.* Sot. *in 4. dist. 3. q. un. art. 8.* Henriq. *l. 1. c. 9. n. 10.* Suar. *D. 2. sect. 2.* Vasq. *D. 148. c. 7.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 7. n. 7. q. 3. ℣. tertia*, Pal. *tr. 19. D. un. p. 9. n. 16.* juxta quam ad valorem Sacramenti sufficit, si moraliter, i. e. secundùm humanum agendi, & loquendi modum concurrat actio ministri cum pronuntiatione formæ, etsi una alteri succedat; nam & in simili verè dicere censetur, *Ego bibo*, qui poculum manu capit, statim illud applicaturus ori bibendi causâ.

50 Dub. 3. ubi Baptismus conferendus sit? ℟. non est conferendus in privatis domibus, sed duntaxat in Ecclesijs, ubi sunt Fontes Baptismales ad hoc specialiter deputati, adeò, ut Navar. *Man. c. 22. n. 7.* putet peccari mortaliter, si alibi, quàm in Ecclesia administretur Baptismus ob *Clem. un. h. tit.* *Exceptio* tamen duplex est facienda. 1. Nisi subfuerit necessitas: sufficit autem non solùm quodcunque probabile periculum, sed etiam quiscunque prudens timor, præsumptio, & conjectura periculi, ne infans decedat sine Baptismo, vel etiam ne contrahat morbum, si ad Ecclesiam deferatur. Gobat. *tr. 2. de Sacram. n. 498.* König *hic n. 12. ℣. locus in fin.* 2. Nisi fuerint Regum, aut Principum filij; nam his *Clem. cit.* conceditur, ut domi suæ baptizari possint. Quod Engl *hic n. 11.* extendit etiam ad alias personas illustres, & potentes, admittitque verum esse, si talis in aliquo loco consuetudo vigeat.

51 Quæritur 7. quis sit *Effectus* Baptismi? ℟. Baptismi validè suscepti Effectus triplex præcipuè est. 1. Enim tollit non solùm Peccatum Originale, sed omnia personalia tam mortalia, quàm venialia *can. firmissimè 3. & c. de consecr. dist. 4. c. firmiter 1.* & *Clem. un. de summ. Trinit. c. Majores 3. h. tit.* & definitur à Florent. *in Decret. Fid.* ubi loquens de Baptismo dicit, *sacramenti effe-*

ctus

tus est remissio omnis culpæ Originalis, & actualis: Fuitque hic semper Ecclesiæ sensus, fundatus in Scriptura; sic enim *Ezech. 36.* dicitur, *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*; quod *Theodoret. Hieron. Cyprian. Athanas.* de aqua Baptismi intelligunt.

52 2. Simul cum culpa aufertur totus reatus pœnæ. Ita rursus *in Decret. cit.* statuit Flor. & Trid. *sess. 5. can. 5.* Hinc Ecclesia nulla imponit baptizato opera satisfactoria: & ratio à priori est; quia Baptismus est Sacramentum perfectæ regenerationis. Relinquit tamen hujus vitæ pœnalitates, tum ut membra conformarentur Capiti, tum ut haberet homo Christianus, quod vinceret.

53 3. Præter gratiam, & Characterem quem indebiliter imprimit animæ, confert dona, & virtutes, atque præterea auxilia specialia ad Jugum Christi suaviter ferendum: qui effectus per se conveniunt Sacramento, nisi per obicem suscipientis impediantur. Si obex adsit, Character quidem imprimitur animæ, ut propterea iterari Baptismus nequeat, gratia tamen non confertur, nisi ubi remotus fuerit obex, & tum Sacramentum etiam reliquos effectus sortitur juxta modum remoti obicis; nam si ante Baptismum baptizatus tantùm retractaret peccata mortalia, non etiam levia, istorum reatus maneret, donec per attritionem obex quoad venialia tolleretur.

54 Dub. 1. quibus casibus repeti Baptismus possit? ℟. ordinariè non potest repeti; quia, ut *n. præc.* dictum est, de illis est Sacramentis, quæ Characterem in anima recipientis imprimunt, sicut est Confirmatio, & Ordo. Trid. *sess. 7. de Sacr. in gen. can. 9.* Sunt tamen aliqui casus, in quibus iterari Baptismus potest. Et 1. quidem, quando certum est in priori Baptismo aliquid essentiale omissum fuisse; nam tunc non tam repetitur, quàm de novo confertur, v. g. quia non est adhibita debita materia, vel forma. 2. Quando dubium est, an primus Baptismus revera sit administratus, ut si infans sit expositus sine Baptismi indicio, vel à matre in captivitate Infidelium constituta natus &c. 3. Quando constat quidem susceptum esse Baptismum, sed dubitatur, an rite susceptus sit; quia v. g. collatus est cum materia, aut forma dubia, vel in parte non principali, vel quòd aqua nudum non contigerit, nisi in parte minima, aut quia qui illum contulit, ex post facto confessus, aut convictus fuit, quòd plurimos illegitimè baptizaverit &c. His ergo, & similibus casibus Baptismus repeti potest, & debet, non quidem absolutè, sed sub illa conditionata forma verborum, quæ præscribitur *c. de quibus 2. h. tit.* videlicet, *Si baptizatus es, non te baptizo; si non baptizatus es, baptizo te &c.* Unde monet Barbosa *de Offic. Parocb. c. 17.* quòd, si infans in casu necessitatis baptizatus est, Parochus diligenter inquirere debeat, quis, quâ materiâ, quâ forma, in qua parte &c. contulerit Baptismum.

55 Dub. 2. an sufficiens causa repetendi Baptismum sit, quòd ille collatus sit ab Hæretico? *Videtur esse*, præsertim apud Calvinistas; cùm enim isti negent Baptismum esse Sacramentum efficax gratiæ collativum, & peccatorum remissivum, affirmentque puerum, ex parentibus Christianis progenitum, in materno utero justificari, ita, ut Regnum cœlorum assequi valeat, etsi ante Baptismum decedere eum contingat, ut voluit Calvin. *l. 4. Inst. c. 15.* videntur ipsi non velle facere, quod facit Ecclesia, & sic Baptismum ex defectu intentionis invalidum esse. *Sed dicendum*, si Hæretici, etiam Calvinistæ, materiam, & formam ab Ecclesia præscriptam adhibeant, & nulla alia causa rationabile dubium faciat, talem Baptismum habendum pro valido; hoc ipso enim talis Hæreticus præsumitur habere intentionem baptizandi, aliàs non baptizaret. Ita post *Bellarm.* & *Vasquez* docet Fagnan. *in c. siquis puerum 1. n. 18. h. tit.* idemque elicitur ex sententia *S. Aug.* relati *can. satis 48. de consecr. dist. 4.* & sentire visa est S. Congr. *in dubijs Baptismi 27. Mart. 1683.* ubi ad dubium, an, & quibus casibus Hæretici, si ad Fidem Catholicam convertantur, sub conditione rebaptizari debeant, respondit, non esse rebaptizandos, nisi adsit probabile dubium invaliditatis. Et de Calvinistis Sanctissimus ex sententia Congr. quæ plures TT. consuluit, respondit, quotiescunque constat, baptizatos à Calvinistis fuisse in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, adhibitâ debitâ materiâ, Baptismum ab his collatum esse verum Baptismum, & ideo ab ipsis baptizatos non esse denuo baptizandos. Petra *tom. 4. comment. fol. 284. n. 9.*

56 Dub. 3. quid faciendum casu, quo infans in casu necessitatis baptizatus est ab obstetrice? ℟. cessante periculo, ad Ecclesiam deferri debet, ut suppleantur solennitates; sed ipsa substantialia Baptismi non aliter repetenda sunt, quàm si aliqua rationabilis suspicio sit, Baptismum non esse collatum modo legitimo, ut quia baptizans persona rudis est, aut verba inconsueta protulit, vel si experientiâ constat, in aliquo loco complures esse obstetrices veneficas, quæ studio Baptismum invalidum conferrent. *Catech. Rom. Pij V. de Baptism. p. 2. c. 2. n. 43.* Engl *hic n. 8.*

57 Dub. 4. quid tenendum, quando de adulto aliquo dubitatur, an baptizatus sit, vel non? ℟. si ex fidelibus parentibus natus, & inter fideles educatus sit, quamvis de ipsius Baptismo non certò constet, nihilominus baptizatus præsumitur, idque tam violenter, ut hæc præsumptio pro certitudine habenda sit, donec evidentissimis argumentis contrarium probetur *c. fin. de Presbyt. non*

baptiz. Petra *tom. 3. comment. fol. 457. n. 25. & 26.* Neque in tali periculum damnationis subest, si forsan revera baptizatus non esset; quia per Baptismum Flaminis salvatur, si verum desiderium Baptismi habeat, sicut ille, qui baptizari desiderans, morte prævenitur: de quo *S. Aug.* relatus *c. Apostolicam 2. tit. cit. Baptismus*, inquit, *invisibiliter ministratur, quem non contemptus Religionis, sed terminus necessitatis excludit.* Aliter sentiendum de ijs, qui ex parentibus infidelibus nati sunt; nam etsi isti inter Christianos educati sint, & in communi hominum opinione pro baptizatis habeantur, non exinde tamen tales præsumendi sunt, nisi Baptismus probetur. Cantera *quæst. crim. de Hæret. n. 5.* Sanctarell. *de Hæres. c. 1. dub. 2. n. 5.* Dian. *p. 4. tr. 8. resol. 113.* Petra *l. cit. fol. 458 n. 28.* exceptis ijs locis, quibus Judæi, & alij infideles habitare non permittuntur, quemadmodum est in Lusitania, ubi Judæi non tolerantur, nisi fuerint baptizati, & Christianè vixerint. Petra *n. 29.*

Dub. 5. an repeti debeat, cons. invalidus sit Baptismus per vim, & metum collatus? R. si collatus sit via absoluta, & omnino nolenti, invalidus est, prout constans DD. sensus est, & decisum *c. majores §. item quæritur ℣. illis verò h. tit.* quia ad ejus valorem in homine usu rationis prædito requiritur consensus. *Secus*, si vi conditionali tantùm, seu metu adactus consensum baptizatus præstitit; nam tunc validum esse constat ex §. & ℣. *citt.* ubi Pontifex docet per Baptismum sic susceptum characterem imprimi, quod non fit, nisi quando Baptismus collatus est validè. *Cons.* quia tali casu consensus baptizandi non deest, cùm coacta voluntas sit voluntas *l. si mulier 21. §. si metu 5. ff. quod met. caus.* Proinde talis cogendus erit ad observantiam Legis Christianæ juxta *can. Judæis 5. dist. 45.* Pirh. *hic n. 9. ℣. denique.* 58

De Patrinis, qui in Baptismo adhiberi solent, horum numero, & obligationibus locus agendi proprius erit *in L. 4. tit. 11. de Cogn. Spirit.*

TITULUS XLIII.

De Presbytero non Baptizato.

SUMMARIUM.

1. *Baptismus est janua ad Ordines, & reliqua Sacramenta.*
2. *An ad ista suscipienda necessarius sit Baptismus Fluminis?*
3. *Defenditur affirmativa.*
4. *Solvuntur Argumenta oppositа.*
5. *An valeant actus, gesti à Presbytero non baptizato?*
6. *Valent, qui Ordinem non exigunt, si interveniat communis error.*
7. *Non valent, qui Ordinem rite susceptum supponunt.*
8. *Qua necessitate susceptioni Ordinum præmitti debeat Confirmatio?*
9. *Quale peccatum committat, qui hac omissa ordinatur?*

1 SIcut Baptismo ad cœlum secundùm dicta *tit. præc. num. 8.* sic per eundem etiam ad cætera Sacramenta via aperitur, cùm ad utrumque janua sit *can. siquis per ignorantiam 59. can. si Presbyter 60. & c. caus. 1. q. 1. c. majores 3. pr. ℣. cautè de Baptism. & ç. fin. h. tit.* adeo, ut qui per eum ingressus non est Ecclesiam, neque ad Ordines, & cætera Ecclesiastica Sacramenta possit ascendere, ut ex unanimi DD. Orthodoxorum sensu observat S. Thom. *3. p. q. 35. art. 3.*

2 Quæritur 1. an ad Ordines, & cætera Sacramenta percipienda necessarius sit Baptismus Fluminis, an verò sufficiat Baptismus Flaminis? Fuêre olim, qui in dubium hoc revocarent. 1. Quia etiam per Baptismum Flaminis quis membrum Christi efficitur, qui est fundamentum, cui *sicut salutifera opera, sic etiam quælibet Ecclesiastica sacramenta possint superædificari*, prout habetur *c. fin. ℣. porrò h. tit.* 2. A non baptizatis Matrimonij, & Evchariſtiæ Sacramenta recipi possunt, ut *℣. porrò cit.* dicitur. Ergo etiam alia, & ipsi Ordines. 3. Christus Apostolos suos, antequam Baptismum susceperissent, ordinavit Sacerdotes, & post gloriosam Resurrectionem suam, ut quidam volunt secundùm dicta *tit. præc. n. 3.* primùm Baptismum instituit, cùm ipsis diceret, *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti.*

Sed in contrarium stat aperta Juris 3 decisio *can. siquis* & *can. si Presbyter citt. c. siquis 1.* & *c. fin. ℣. quia verò h. tit.* ubi præcipitur, ut Presbyter, qui Baptismo non recepto, in Sacerdotem ordinatus est, baptizetur, & denuo ordinetur. *Ratio est*, quia verus Baptismus Fluminis fundamentum, & janua cæterorum Sacramentorum est, ut disertè nuncupatur *cap. per Catechismum 2. de Cognat. Spirit. in 6.* & Trid. *sess. 14. de Pœnit. c. 2.* & hinc primo loco inter cætera à Flor. *in Decret. Union.* & Trid. *sess. 7. can. 1.* S. Thom. *3. p. q. 65. art. 2.* & alijs DD. Orthodoxis refertur.

Neque obstant allata Argumenta. *Ad* 4 *1.* Baptismus Flaminis hominem facit Christi

sti membrum quoad conjunctionem cum illo internam per gratiam; Fluminis autem quoad conjunctionem externam per signum sensibile, & per hoc signum ad cætera primùm Sacramenta, & communia bona Ecclesiæ jus acquiritur. Gonzal. *in c. fin. cit. n. 4.* Wiestner *hic n. 5.* *Ad 2.* Matrimonium à non baptizatis contractum Sacramentum non est, sed Contractus merè Civilis; & Evchariſtia ab ipsis de facto tantùm, & non de Jure, & licitè sumi potest, utpote quæ præfigurata fuit per Manna, quod manducare populus Israëliticus ante transitum maris rubri non potuit. *Ad 3.* ut *tit. præc. n. 4.* ostendi, Baptismus ante mortem Christi est institutus; non est autem credibile; quòd Christus baptizaverit alios, & non ipsos suos Discipulos.

5 Quæritur 2. An valeant consecrationes Evchariſtiæ, absolutiones à peccatis, & similes actus, gesti à Presbytero non baptizato? ℣. distinguendo inter actus, qui ab Ordine verè suscepto, ac proinde à Baptismo ex Divina institutione non pendent, & inter illos, qui à Sacramentis illis Jure Divino pendent, qualis est consecratio Evchariſtiæ, absolutio Sacramentalis &c.

6 *Priores*, si exerceantur ab eo, qui communi errore pro Presbytero, tali potestate prædito, habetur, propter utilitatem publicam subsistunt, ut *arg. l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prætor.* & *can. infames §. verum tamen cauſ. 3. q. 7.* docui supra *libr. 2. tit. 1. n. 20. & duob. ſeqq.* Ex quo sequitur, non esse repetendum Baptismum, quem talis Sacerdos contulit; quia ejus Minister potest esse quivis homo viator, etiam non baptizatus, habens intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, ut dictum est *tit. præc. n. 40.* Item nec Matrimonium, cui talis Sacerdos adstitit; quia in Matrimonio Parochus, & Sacerdos non requiritur, ut Minister Sacramenti, quippe quod contrahentes ministrant sibi ipsis, sed per modum excellentis testis ex præcepto non Divino, sed Ecclesiæ, quæ hoc casu ob bonum publicum defectum Ordinis supplere censetur, sicut ex sententia Sanch. *de Matr. l. 3. D. 22. n. 91.* supplet in eo, qui revera est Laicus, communi tamen errore creditur esse Sacerdos, & Parochus,

7 *Posteriores* actus pro irritis verius habent Abb. *in c. Apostolicam 2. h. tit. n. 1.* Decius *in c. fin. de Constit. n. 64.* Paludan. *in 4. dist. 17. q. 6. art. 1. n. 6.* Barbos. *in c. 2. h. tit. n. 2.* Engl *hic n. 3.* Honor. *n. 2.* Pirh. *n. 2. not. 3.* Wiest. *n. 10.* quia Ecclesia defectum Sacramentorum, quæ ad valorem hujusmodi actuum Jure Divino necessaria sunt, supplere, & circa Sacramentorum substantialia immutare nil potest, ut colligitur ex Trid. *sess. 21. c. 2. de Sacr. Evchar.* Existimat quidem *S. Thomas* apud Sylv. *V. Baptismus 6. n. 3.* piè credi posse, summum Sacerdotem Christum suppleturum defectum quoad ultimos effectus Sacramentorum, nec diu permissurum, ut defectus iste occultus maneat, ne grave damnum immineat inde Ecclesiæ; sed ut probè advertit Sot. *in 4. dist. 24. q. 1. art. 4. §. ad tertium*, pia hæc credulitas in SS. Paginis, aut SS. Canonibus fundata vix reperitur.

8 Quæritur 3. qua necessitate primæ Tonsuræ, & susceptioni Ordinum præmittendum sit Sacramentum Confirmationis? ℣. Sine hoc Ordinationem quidem validam esse, cùm nusquam reperiatur, quòd ad valorem Ordinationis Character Confirmationis necessariò requiratur; esse tamen illicitam, prout constat ex Trid. *sess. 23. c. 4. de reform.* Ratio est, quia hoc Sacramentum baptizatum planè perficit, eique ad Spiritualem pugnam auxilium, & robur confert. *can. omnes 1.* & *can. de his 3. de consecr. dist. 5.* debent autem hoc auxilio præ cæteris fidelibus muniri Clerici,

9 Quale peccatum committatur ab eo, qui non suscepto Confirmationis Sacramento, susciput Ordines, vel primam Tonsuram, non omnino conveniunt DD. Tanner. *de Sacram. D. 4. q. 4. n. 88.* Pont. *de Sacr. Conf. c. 3. n. 6.* & alij putant peccare graviter, quod colligunt ex diligenti inquisitione, quam præmittere de hoc Prælati Ecclesiastici solent, & cavere, ne isto Sacramento non suscepto, quisquam ad Ordines, & primam etiam Tonsuram admittatur: & confirmant etiam ex eo, quòd videatur Præceptum istud esse in materia gravi, cùm ex Christi institutione Confirmatio plurimùm conferat ad conservandam Fidem, & Charitatem, quibus Virtutibus Clerici præ alijs fidelibus excellere solent. Alij tamen cum Laym. *l. 5. tr. 3. c. 5. n. 4.* Pal. *tr. 20. D. un. p. 8. n. 6. fin.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 2. n. 15.* putant, secluso contemptu, & speciali necessitate, ejus omissione solùm peccari venialiter: de quo aliqua dixi *Libr. 1. Tit. 11. n. 35. ℣. quinto.*

TITU-

TITULUS XLIV.

De Custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.

SUMMARIUM.

1. *Explicatio Rubricæ.*
2. *An bene Eucharistia asservetur in Ecclesijs?*
3. *Defenditur Orthodoxa sententia.*
4. *Exceptio.*
5. *Respondetur ad Rationes dubitandi.*
6. 7. 8. *Causæ, ex quibus olim asservata in Ecclesijs sit Eucharistia.*
9. 10. *An is, qui Eucharistiam apud se retinet, de Hæresi suspectus haberi, & puniri debeat à Tribunali S. Officij?*
11. 12. 13. *Quomodo asservari illa in Ecclesijs debeat?*
14. 15. *Quomodo chrisma, & Oleum Infirmorum?*
16. 17. 18. *In quibus Ecclesijs?*
19. *An etiam in Conservatorijs Mulierum?*
20. *In Grangijs?*
21. *In Ecclesijs Collegiatis?*
22. *Aut alijs non Parochialibus?*
23. 24. *Quid circa hoc possit consuetudo?*
25. 26. 27. *Quis teneatur ad præstationem olei, & conservationem lampadis ardentis ante Venerabile?*
28. 29. *Penes quem debeant custodiri claves Tabernaculi, in quo Eucharistia custoditur?*
30. 31. *Quomodo deferri debeat, cùm ea muniendus est infirmus?*

1 EXplicatis Eucharistiæ, & Baptismi Sacramentis, subjungitur *de Custodia Eucharistiæ, chrismatis, & aliorum Sacramentorum*: ubi verba *aliorum Sacramentorum* accipienda sunt impropriè, & in lata acceptione pro Oleo Extremæ Unctionis, & rebus, quæ Sacramentorum usibus deputatæ sunt; Chrisma enim, Oleum infirmorum, & similia Sacramenta non sunt, sed tantùm Sacramentalia. Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 2. fin.*

2 Quæritur 1. an bene Eucharistia asservetur in Ecclesijs? Insurgunt in contrarium Hæretici nostri temporis, blaterantes, Eucharistiam solùm in usu consistere, & tunc primùm Panem, ac vinum consecrata dici, quando comeditur, & bibitur. Argumenta, quibus probari videtur, quòd Eucharistia in Ecclesijs non bene asservetur, tria sunt. 1. quia hoc alienum est à facto Christi Domini, qui, ut Origenes, seu Cyrillus *Homil. 5. in Levit. c. 7.* meminit, *Panem, quem Discipulis dabat, non distulit, nec differri jussit in crastinum.* Ergo non rectè ab Ecclesiæ PP. jubetur custodiri. 2. idem mos contrarius est disciplinæ Ecclesiæ antiquæ; nam à primis Ecclesiæ incunabulis constat Eucharistiam non asservatam, sed peracto Missæ Sacrificio consumptam: & hinc S. Clemens *in Epist. 2.* jubet, *ut tot ponantur in Altari holocausta, quot populo sufficere videantur; siquid autem superest post Communionem, non servetur in crastinum.* 3. *c. Presbyter 1. de celebr. Missar.* præcipitur, ut Presbyter, *si voluerit, exeat ad opus rurale jejunus*, ut scilicet, quemadmodum DD. hunc textum explicant, iterum celebrare, & sic *necessitatibus - - - infirmorum - - succurrere possit.*

3 Verùm hunc Eucharistiam asservandi ritum firmiter Catholici retinent, eúmque à tempore Concilij Nicæni Ecclesiæ usitatum fuisse recensent PP. Concilii Trid. *sess. 13. c. 6. de Euchar.* qui proinde *ibid. can. 7.* anathema pronuntiant in eum, qui *dixerit, non licere S. Eucharistiam in Sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessariò distribuendam*; quod confirmatur ex D. Clem. *l. 8. Const. Apost. c. 13.* ubi jubetur, peracta Communione, quod superest de Corpore Domini, reponi à Diaconis cum debita reverentia in Pastophorio, seu Tabernaculo. Imò primis Ecclesiæ temporibus, quòd fideles ob Gentilium persecutiones ad Sacram Communionem unà convenire non poterant, ijsdem permissum fuit, ut particulas Eucharistiæ ad proprios Lares deferrent, & ibi privatim asservarent, ut singulis diebus, prout moris tunc erat, se Sacro hoc Epulo possent reficere. Hieron. *Epist. 50.* Tertull. *libr. de Orat. sub. fin.* & *libr. 2. ad uxorem*, Cyprian. *libr. de lapsis n. 92.* & *lib. de spectaculis.* Vincent. Petra *tom. 3. Comment. fol. 298. n. 4.* qui mos, tepescente paulatim pristina Fidelium Charitate, cùm quandoque Venerabile Sacramentum minori reverentia conservaretur, aliquando etiam adhiberetur ad horribilia quædam, & nefaria, paulatim abolitus, & præceptum est, ut in Ecclesia tantùm Eucharistia asservaretur, prout patet ex Concil. Cæsaraug. *II. can. 3.* Tolet. I. *can. 14.* Wormatiens. relato *can. 93. de consecr. dist. 2.* & *c. statuimus 1. h. tit.* quem deinde morem asservandi Eucharistiam in Ecclesijs generali postea totius Ecclesiæ consuetudine receptum testatur Baron. *ad annum Christi 57. n. 151.*

4 Hinc in locis sub dominio Infidelium vel Hæreticorum, ne exponatur periculo irreverentiæ tantum Sacramentum, illud non retinetur in Ecclesia, aut domi, sed tantùm Olea sacra apud Parochos, ut retulit practicari in Diœcesi Tribinien. sub Turcarum ditione Episcopus Macharensis, & Tribinien. in relatione facta occasione visitationis sacrorum Liminum *die 11. Sept. 1706.* Refer-

tur

tur tamen Summus Pontifex olim indulsisse, Mariæ Scotorum Reginæ, ut Evchariſtiam penes ſe retinere poſſet, dum erat in carceribus, ut ſi ad Martyrium raperetur, ſe eâ reficere, & armare ad luctam poſſet, prout referunt Card. de Lug. *de Sacram. diſq. 19. ſect. 1. n. 25.* Vaſq. *in 3. p. D. 119. c. 1. n. 218.* Hurtad. *reſol. mor. tr. 5. c. 6. reſol. 638. n. 1438.* de qua tamen diſpenſatione dubitat P. Averſa *de Sacram. q. 10. ſect. 3. fin. ℣. non enim.*

5 Ad Argumenta *n. 2.* allata facilis eſt reſponſio. *Ad 1.* multa per ſe Chriſtus Dominus non juſſit, quæ poſtea per Apoſtolos diſpoſuit, etiam circa Sacramentum Evchariſtiæ, ut teſtatur S. Auguſtinus *Epiſt. 118.* Nec Origenes hoc agebat, ut probaret, non poſſe Evchariſtiam conſervari, ſed cùm docere vellet, placere Deo Sacrificium laudis recens, & novum, ac ſpirituale, non vetus, uſus eſt exemplo Domini, qui Evchariſtiam à ſe conſecratam continuò manducari juſſit, ut exponit Bellarm. *l. 4. de Evchar. c. 5.* Accedit, quia in his Homilijs Origenis, & Cyrilli Rufinus, qui eas vertit, plura adjecit, & ſuſtulit, ut ipſe teſtatur. *Ad 2.* Olim Evchariſtiæ Sacramentum aſſervari prohibitum fuit, quòd propter perſecutiones Gentilium exponi illud publicè non potuerit, cùm periculum eſſet, ne ab ijsdem apprehenderetur, & conculcaretur. *Ad 3.* antiquitus, ut benè notat Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 7.* deſiderabatur jejunium non ſolùm in celebrante Miſſæ ſacrificium, & recipiente Corpus Domini, ſed etiam in adminiſtrante: & ideo licèt Evchariſtia ſervaretur pro infirmis, tamen, ut rite illis adminiſtrari poſſet, jubetur à PP. Conc. Agath. ut Presbyter, ſeu Parochus jejunus ſit.

6 Quæritur 2. Ex quibus cauſis olim aſſervata in Eccleſijs Evchariſtia ſit? ℟. plures hujusmodi cauſas Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 7.* & alij referunt. 1. Ut, quando petitur, vel neceſſarium eſt, miniſtrari petentibus, præſertim infirmis poſſet.

2. Ut fideles ſemper haberent Chriſtum præſentem etiam quoad Humanitatem, ad implendam ipſius promiſſionem, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Matth. *28. v. 20.*

3. Ut deferretur ad Monachos, & Moniales, vitam ſolitariam in eremis agentes: cujus rei meminit S. Baſilius *in Epiſt. ad Cæſariam Patritiam*, & Imperator *Novell. 123. c. 36. ℣. fœminis autem.*

7 4. Ut peregre profecturis daretur in Viaticum: ex qua cauſa S. Satyrus SS. Evchariſtiam, ab Ambroſio fratre ſuo acceptam, orta in mari tempeſtate, è collo ſuſpenſam geſſit, prout refert ipſe Ambroſius *de ipſius obitu c. 7.* & Beda *in Martyrolog. die 15. Aug.* refert Tharſicium Martyrem cùm deferret ſecum Evchariſtiam, & incidiſſet in Gentiles, maluiſſe eripi ſibi vitam, quàm Evchariſtiam, quæ è manibus Gentilium evolavit.

5. Ut fidelium vita functorum ori, vel pectori impoſita eisdem conſepeliretur: quod factum fuit tum ad fugandos ab eorum ſepulchris Dæmones, tum ad extirpandum ritum Gentilium, qui defunctorum ori inſerebant trientem Charonti pro naulo. Raynaud. *Heterocl. Spirit. p. 2. ſect 1. p. 10. n. 7.*

6. Pro ijs diebus, quibus, ut in pleris 8
que Quadrageſimæ fiebat, Miſſæ Sacrificium non peragebatur Balſamon apud Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 7.*

7. Pro Presbyteris, & Diaconis primùm ordinatis, ut per 40. dies à ſua ordinatione ejus particulas ſumerent. Hallierius *de Sacr. Elect. c. 7. art. 2. §. 3.*

8. Denique pro adoratione publica, in Altari illam exponendo, & in Proceſſionibus circumferendo. Gonzal. *in c. 1. cit. n. 7. fin.*

Ex his cauſis, antiquatis cæteris, hodiè ferè tantùm prima, ſecunda, & ultima manſit, quinta verò ſolùm pro die Paraſceves; nam in cæteris per annum diebus Eccleſia Latina Sacrificium Miſſæ ſemper offert.

Quæritur 3. an is, qui ſacroſanctam 9
Evchariſtiam apud ſe retinet, de Hæreſi ſuſpectus haberi, & puniri debeat à Tribunali S. Officij? ℟. diſtinguendo: Vel enim id fecit ex ſimplicitate, & mera devotione, vel ex alio fine. *Si primum*, & ita Evchariſtiam apud ſe retinens aliunde benè ſentit de hoc Sacramento, is non erit ſuſpectus de Hæreſi, & per conſequens illius cauſa non ſpectat ad S. Officium: proinde ſponte comparens interrogatur, an de Evchariſtiæ Sacramento credat, quod credunt Catholici, & ſi circa hoc nullum habeat errorem, dimittitur à ſacro Tribunali, ut reſolutum refert *ſub die 25. Febr. 1659. Card. Albit. de Inconſt. in Fid. c. 32. n. 136. & 137.* apud Vincentium Petram *tom. 3. comment. fol. 299. n. 9.*

Si ſecundum, videndum, ex quo fi- 10
ne retineat quis ſacram Hoſtiam; nam ſi retineat ob finem illicitum, v. g. ad lucrum reportandum in ludo, aut ſe impenetrabilem reddendum armis hoſtilibus &c. eo caſu procederet S. Officium; quia abuteretur SS. Sacramento: & ſic à S. Officio ad triremes condemnatos fuiſſe hujusmodi reos meminit Card. Albit. *l. cit. n. 138.* Si autem finis non eſt illicitus, tunc minuitur pœna, prout ei, qui contra morbum peſtis Hoſtiam conſecratam deferebat, fuerunt injunctæ pœnitentiæ ſalutares, prævia gravi monitione, ut patet ex *Decreto 21. Jul. 1631.* apud Card. Albit. *n. 139.*

Quæritur 4. quomodo aſſervari in 11
Eccleſijs Sacramentum Evchariſtiæ debeat, ut eidem debitus honor, & reverentia exhibeatur? ℟. 1. Aſſervari debet in Tabernaculo, ad id decenter ornato, ſecundùm S.

Clementis Conſtit. *l. 8. c. 20.* quod Tabernaculum in medio Altaris collocari mandatum fuit in Concil. Turon. *can. 3.*

2. Claudi debet in Pixide benedicta, ſeu, ut vocamus Ciborio, quod non ligneum ob periculum fractionis, neque lapideum ob humiditatem, & ponderoſitatem, ſed argenteum, & inauratum eſſe debet, & quandoque gemmis diſtingui ſolet. Sauſay *Panopl. Sacerdot. p. 1. l. 9. c. 4. §. de Ciborijs.* Et poni Pixis iſta cum S. Evchariſtia debet ſuper Altari viatico, vel ad minùs ſuper Corporali. Zerol. *p. 1. V. Evchariſtia ad 1.* Vallens. *hìc n. 2.* Schambog. *n. 2.* In Parochialibus Eccleſijs in Tabernaculo poni ſolet Pixis duplex, in quarum altera cuſtoditur Evchariſtia, in altera ad infirmos defertur.

3. Ne tempore corrumpatur, frequenter, & ſaltem ſingulis ſeptimanis ſemel renovandum, ita, ut antiquæ ſpecies ſumantur, novæ conſecrentur. Fuſcus *de Viſitat. l. 1. c. 5. n. 3.* Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 9.* Vallenſ. *hìc n. 2.* Schambog. *n. 2.* Engl *n. 2.* Et procedit hoc etiam tempore interdicti, & in Eccleſia ſpecialiter interdicta per *c. permittimus 57. de ſent. Excom.* Gonzal. *l. citt.*

12 4. Ne periculum ſit alicujus irreverentiæ, & ſcelerati homines ad nefaria opera abutendi anſam accipiant à Concil. Later. ſub. Innoc. III. conſtitutum eſt, ut Sacerdos illam, & ſacrum Chriſma habeat ſub clavi, & fideli cuſtodia *c. ſtatuimus 1. h. tit.* & *c. ſanè 10. de celebr. Miſſar.* quam cuſtodiam ſi neglexerit, tribus menſibus ab Officio jubetur ſuſpendi, & ſi per incuriam ejus aliquid nefarium, v. g. furtum ſacrilegum, aut fortilegia contigerint, graviùs (ad arbitrium Judicis, cùm certa pœna non determinetur *in c. ſtatuimus cit.*) puniendus eſt. Gloſſ. *ibid. v. gravior*, Pirh. *hìc n. 1.* Schambog. *n. 1.*

5. Ante Altare, vel Tabernaculum, in quo Evchariſtia depoſita cuſtoditur, generali Eccleſiarum uſu, & aliquarum etiam Statuto ardere debet diu, noctúque lampas, tum, ut Eccleſiam ingreſſi ſciant, quo potiſſimùm loco adoranda ſit præſentia Servatoris; tum verò, ut per hoc moneantur adeſſe ibi candorem Lucis æternæ, & ſic ad venerationem tanti Myſterij excitentur. Navar. *de Orat. c. 18. n. 67.* Poſſevin. *de Offic. Curat. c. 12. n. 68.* Engl *hìc n. 2.* Wieſtner *n. 6. ibid.*

13 6. Ipſæ Eccleſiæ, & Altaria, in quibus hæc Sacra Myſteria peraguntur, & proponuntur, decenter ornanda, curandúmque Sacerdotibus, & cæteris Eccleſiæ Miniſtris eſt, ut vaſa, veſtimenta, & ornamenta Sacra ſint munda, & nitida *can. veſtimenta 41. can. vaſa 43.* & *c. de conſecr. diſt. 1.* quia nimis abſurdum foret, ſordes negligi in Sacris, quæ non tolerantur in profanis *c. fin. h. tit.* Honor. *hìc n. 4.* Zœſ. *n. 2.* Schambog. *n. 1. fin.* Wieſt. *n. 8.* Hinc in ijsdem Eccleſijs non reponatur ſupellex, vel bona profana, niſi cogat neceſſitas, v. g. ob hoſtiles incurſus, aut repentina incendia, qua ceſſante, denuo ab Eccleſia tollenda ſunt *c. fin. cit.* nam quod ob certam cauſam conceſſum eſt, debet illa ceſſante revocari. Abb. *in c. fin. cit. n. 3.* Barboſ. *ibid. n. 1.* & *2.* Gonzal. *n. 4.* Vallenſ. *hìc n. 4. fin.* Zœſ. *n. 3.* Pirh. *n. 2.* Schambog. *n. 1.*

Quæritur 5. quomodo aſſervari de- 14
beat Sacrum Chriſma, & Oleum infirmorum? R. olim Chriſmate fideles utebantur pro medela in ſuis infirmitatibus: quem uſum improbârunt PP. Concil. Arelat. *6. can. 8.* Moguntin. *can. 27.* Pontific. Roman. *tit. de Offic. V. Feriæ in Cœna Domini*, ibi, *Jubet Epiſcopus Presbyteris attentè, ut juxta Canonum traditionem Chriſma, & Olea ab ipſo Epiſcopo in ea die conſecrata fideliter cuſtodiant, & nulli ſub prætextu Medicinæ, vel maleficij tradere præſumant; alìàs honore privent,* Rationem reddidit S. Cyprianus *in Serm. de Unct. Chriſmal.* ibi, *Non hæc medendis corporibus eſt unctio inſtituta, - - - ſed virtus Divina potentiùs operatur.*

Quare 1. ne Sacrum Chriſma, & 15
Oleum ab Epiſcopo benedictum à Laicis alijs uſibus, præſertim impijs, & ad maleficia, ut ſæpe fiebat, applicetur, *c. ſtatuimus 1. h. tit.* conſtitutum eſt, ut illud *ſub fideli cuſtodia clavibus adhibitis conſervetur.*

2. Vaſa, in quibus Chriſma, & Oleum infirmorum aſſervatur, debent eſſe argentea, ubi facultates Eccleſiæ ſuppetunt, vel ſaltem ſtannea bene cooperta, & cum inſcriptione ſua de oleo, quod in unoquoque vaſculo continetur, ne in adminiſtratione confuſio eveniat, errórque ſuccedat, unum pro alio adminiſtrando. Barboſ. *in c. 1. h. tit. n. 2.*

3. Aſſervari Chriſma, & Olea benedicta debent in loco honeſto, & decenti, non tamen in Tabernaculo S. Evchariſtiæ; nam in hoc nihil ſtare præter ipſam debet: Barboſ. *l. cit.*

Quæritur 6. in quibus Eccleſijs aſſer- 16
vari Evchariſtia poſſit? R. 1. poteſt, & debet in Eccleſijs Parochialibus, ſi tamen actu tales ſint; nam ſi habitu tantùm Parochiales ſint, & populum non habeant, aſſervari Evchariſtia in ijs regulariter, & absque diſpenſatione Apoſtolica nequit; quia S. Evchariſtia præcipuè aſſervatur in uſum infirmorum, quæ neceſſitas ceſſat in Eccleſijs, quæ habitu ſolùm Parochiales ſunt. Vincentius Petra *tom. 3. comment. fol. 300. n. 15.*

2. In Eccleſijs Cathedralibus; quia di- 17
cuntur primæ Parochiæ Diœceſis. Sed in his collocari Sanctiſſimum debet extra Altare majus in alia Capella decente, ídque propter functiones Pontificiales, quæ neceſſariò ſunt faciendæ ab Epiſcopo retrorſum ad Altare majus, & ne neceſſarijs genuflexionibus Epiſcopus magis defatigetur, & interrumpatur functio: ſicque obſervatur in Eccleſijs Patriarchalibus Urbis, & teſte Petra *l. cit. n. 16.* deciſum eſt à S. Congr. Epiſc. *in Lucenſi*

censi 10. Febr. 1779. in Aquilana 29. Aug. 1594. in Cacertana 28. Nov. dicti anni, & noviſſimè in Congregatione particulari à Sanctiſſimo deputata in Caſalenſi ſub die 16. Maij 1708. quod idem Petra n. 17. ſuadet etiam pro Eccleſijs Collegiatis, ubi ait, ob Miſſas cantatas meliùs aſſervari Evchariſtiam in alia Capella, quàm, prout ſolet, ut tempore Miſſæ cantatæ deferatur ad aliud Altare, ne hujusmodi aſſidua translatione irreverentia committatur.

18 3. In Eccleſijs Regularibus; quia cenſentur Parochiales reſpectu Regularium in Monaſterio degentium. Pellizar. Man. Regul. tr. 3. c. 6. n. 1. & 2. Petra l. cit. fol. 301. n. 18. & ſic vel ex ipſa fundatione idem tributum cenſetur, vel ex generali permiſſione, cùm ſervatis ſervandis erigi debeant, ut idem Petra l. cit. monet. Procedítque hoc etiam in Eccleſiis Monialium, in quibus tamen ex Decreto Trid. ſeſſ. 25. de Regular. c. 10. aſſervari Evchariſtia debet non intra Chorum, vel ſepta Monaſterij, ſed in Eccleſia publica, non obſtante quocunque indulto, aut privilegio. Addit tamen Vallens. hic n. 3. quòd ex cauſa, ut in die aliquo feſto, cum licentia Prælati ad devotionem fortè Monialium illic exponi poſſit.

19 Contrà aſſervari Evchariſtia ſine diſpenſatione Apoſtolica nequit 1. in Conſervatorijs Mulierum, quæ non approbantur à Sede Apoſtolica, in quibus Jura Parochialia reſervantur Parocho, aliquibus permiſſis Capellano, prout teſte Petrâ l. cit. n. 21. reſolvit S. Congreg. Concil. in Salernitana 19. Aug. 1702. ad 2. in Neapolitana Conſervatorij. 2. Jul. 1707. & in eadem, repropoſita cauſâ, reſcripſit ſub die 28. Jul. 1708.

20 2. In Grangijs, ſeu Domibus Ruralibus Regularium, ut patet ex Ulyſſiponens. 3. Sept. 1707. nam cùm PP. Oratorij S. Congregationi ſupplicâſſent pro Indulto retinendi Evchariſtiam in Oratorio ejus Grangiæ, in qua ſolebant morari aliqui Patres vel ob infirmitatem, vel recreationis causâ, maxima difficultas in conceſſione orta eſt, & demum conſiderando, quòd locus principaliter deſtinatus erat pro infirmis, & votum favorabile Nuntij Apoſtolici concurreret, ut poſſet concedi tempore, quo adeſſent infirmi, Sacr. Congreg. reſcripſit juxta votum arbitrio ejusdem Nuntij, limitando tamen, ad ſeptennium ſalvis Juribus Parochialibus.

21 3. In Eccleſijs Collegiatis ſæcularibus, ſi non actu Parochiales ſint; nam in his S. Congr. Concil. reſpondit, SS. Evchariſtiæ Sacramentum non poſſe aſſervari absque privilegio, ſeu legitima facultate Sedis Apoſtolicæ, prout patet in ejus Decreto 7. Sept. 1652. libr. 19. Decret. fol. 207. tom. 1. apud Petram l. cit. n. 24. Neque obſtat reſolutio Sacræ Congregationis Rituum in Tuſcanenſi Præeminentiarum 19. Aug. 1619. ad 4. ubi reſponſum eſt debere Collegiatam conſervare SS. Sacramentum; quia Collegiata illa, ut ibidem explicatur, habebat Parochiam. Unde quoad hoc Eccleſiæ Collegiatæ Sæculares differunt à Regularibus; nam iſtis conceditur aſſervatio propter infirmos, quæ ratio ceſſat in Collegiatis nullum habentibus populum.

4. In cæteris Eccleſijs non Parochia- 22
libus; nam in his nullo modo licitum eſt Sanctiſſimum aſſervare, niſi cum licentia Sedis Apoſtolicæ, cùm Ordinario non ſit licitum contra Canones ire, ut ex can. tribus 23. §. tanta de Conſecr. diſt. 2. & alijs Juribus docent Barboſ. in c. ſanè n. 3. de celebr. Miſſar. & ad concil. Trid. ſeſſ. 23. de reform. c. 6. n. 3. & de poteſt. Epiſc. alleg. 22. n. 8. Riccius in collect. deciſ. p. 4. collect. 1216. & in prax. rer. Eccl. poſt. reſolut. 495. M. Ant. Genuenſ. prax. Cur. Arch. Neapol. c. 110. impreſſ. Venet. & c. 92. in alibi impreſſ. Pignatell. tom. 9. conſult. 86. n. 16. Ventrigl. prax. tom. 2. annot. 21. §. un. per totum, Petra tom. 3. cit. fol. 303. n. 29. & hoc teſte reſolvit S. Congr. in Tarracon. 27. Jun. 1697. in Nonantulana 16. Jan. & 17. Febr. 1685. ad 5. in Acheruntina, ſeu Materan. 3. Maij 1668. in Bononiens. 5. Maij 1689. in Juſtinopolit. 27. Maij 1634. Hinc nulla eſt licentia conceſſa ab Ordinario, ut eadem S. Congr. ad inſtantiam Genuenſis reſpondit in Neapolitana Anno 1609. quam reſolutionem ſecuta fuit Congreg. memorata in Neapolitana Conſervatorij cit. in qua cauſa fuit producta licentia Vicarij Generalis, & reſponſum, hujusmodi licentiam fuiſſe nullam.

Quæritur 7. an ſi concurrat con- 23
ſuetudo Evchariſtiam aſſervandi in alia Eccleſia Parochiali, id continuari poſſit, etſi non conſtet de indulto Apoſtolico? & diſtinguendo: Vel enim conſtat ab initio fuiſſe aſſervatam ex ſola licentia Ordinarij, conſ. titulus infectus productus eſt, vel non fuit productus titulus infectus. Si primum, & poſſeſſio innitatur licentiæ Ordinarij, ea non ſuffragabitur poſſidenti; quia poſſeſſio non ſuffragatur, niſi quia præſumere facit licentiam Sedis Apoſtolicæ, quæ præſumptio ceſſat, dum conſtat de licentia Ordinarij. Petra tom. 3. comment. fol. 304. n. 32. & fuit reſolutum in cit. Neapolitana apud Genuenſem, & in eadem Neapolitana Conſervatorij, ubi adducebatur poſſeſſio ultra Sæculum, & tamen, cùm producta fuerit licentia Vicarij, & Decretum Cardinalis Archiepiſcopi ſucceſſivum, ut non moleſtaretur Conſervatorium pro aſſervatione Sanctiſſimi Sacramenti, poſſeſſio hæc canonizata non fuit.

Si ſecundum, poſſeſſio inducet præ- 24
ſumptionem tituli, & privilegij Apoſtolici. Dubium tamen eſt, quanti temporis debeat eſſe illa poſſeſſio? Ad quod Vincent. Petra l. cit. fol. 104. n. 32. & tribus ſeqq. putat non ſufficere tempus quadragenarium ſine titulo, ſed requirit titulum ſaltem putativum inducentem bonam fidem, & hoc deficiente, poſſeſſionem immemorialem, vel centena-

riam ; nam talis requiritur in præſcribendo aliquo præjudiciali Eccleſiæ Romanæ.

25 Quæritur 8. quis teneatur ad præſtationem olei , & conſervationem lampadis, quæ, ut *n. 12.* dictum eſt, ardere coram Venerabili Sacramento diu , noctúque debet ? ℟. ſi conſuetudo ſit in aliquo loco, ut Parochiani ad conſervationem lampadis certas oblationes facere ſoleant , illa omnino obſervanda erit. Si autem conſuetudo legitimè probari non poſſit , Engl *hic n. 3.* putat decidi poſſe quæſtionem ex Concil. Trid. *ſeſſ. 21. c. 7. de reform.* ubi generaliter conſtitutum eſt , ut conſervatio Eccleſiæ primò deſumatur *ex fructibus , & proventibus quibuscunque , ad easdem Eccleſias quomodocunque pertinentibus ; qui ſi non fuerint ſufficientes , omnes Patronos , & alios , qui fructus aliquos , ex dictis Eccleſijs provenientes , percipiunt , aut in illorum defectum Parochianos omnibus remedijs opportunis ad prædicta cogendos.*

26 *Neque obſtat* , quòd *cit.* Decretum in ſpecie non loquatur de conſervatione lampadis : nam cùm generaliter loquatur de inſtauratione Eccleſiæ , utique de omnibus, quæ in Eccleſia neceſſaria ſunt , intelligendum erit ; quia ut *l. nam ut 13. ff. de LL.* Ulpianus ait , *Quotiens lege aliquid , unum , vel alterum introductum eſt , bona occaſio eſt , cætera , quæ tendunt ad eandem utilitatem , vel interpretatione , vel certè Jurisdictione ſupplere.*

27 Quodſi neque populus Parochianus vires ſufficientes habeat , poteſt Epiſcopus uti facultate transferendi Parochias ad Matricem , vel aliam Eccleſiam ex Decreto Trid. *c. 7. cit.* Sed antequam hoc medio utatur, expediens duxit S. Congr. Concil. *in Spoletan. 12. Aug. 1604. lib. 10. pag. 91.* ut *quando Evchariſtiæ Sacramentum in omnibus Parochialibus - - - aſſervari pro tenuitate redituum nequit , Epiſcopus decernat , ut in ſingulas ternas , quaternásque vicinas Parochiales id onus diſtribuatur , & in una quidem ex eis habeatur Auguſtiſſimum Sacramentum , ad impenſam verò lampadis , & hujusmodi cæteræ vicinæ contribuant , illóque , ubi caſus ſe obtulerit , perinde uti Rectores poſſint , acſi in propria Parochiali illud aſſervaretur.*

28 Quæritur 9. penes quem claves Tabernaculi , in quo Evchariſtia clauditur, cuſtodiri debeant ? ℟. in Parochialibus Eccleſijs eas retinere privativè quoad alios debet Parochus , prout reſolvit S. Congr. Concil. *in Aſculana 25. Jun. 1689. libr. 39. Decret. pag. 218.* & *in Neapolitana 14. Nov. 1693. libr. 43. Decretor. pag. 548.* in non Parochialibus retinentur claves à Capellanis , ſeu Rectoribus, nunquam autem à Monialibus , & Laicis. Gloſſ. *in can. ſin. cauſ. 24. q. 1.* etiamſi Patroni ſint , cùm nullo Jure uti valeant in Eccleſia, niſi præſentandi , & alijs conceſſis per Trid. *ſeſſ. 24. c. 3. in fin. de reform.* quod procedit etiam in Feria V. Cænæ Domini. Pignatell. *tom. 6. conſult. 87.* ubi plures S. Congr. Rit. reſolutiones refert, nempe *in Pacen. 30. Jan. 1610. in Civitate n. 22 Dec. 1631.* & *in Calagurit. 13. Sept. 1642.*

Excipitur , ſi adeſſet generalis , ac im- 29
memorialis conſuetudo in aliqua Provincia, ut claves ad Sanctiſſimum eſſent penes Laicos ; tunc enim hoc tolerandum eſſet , modò perſona , penes quam claves ſunt, ſit honeſta , & gravis. Pignatell. *l. cit. n. 9. & 10.* Petra *tom. 3. comment. fol. 306. n. 44.* qui notat id ſervari in Eccleſia S. Jacobi Hiſpanorum in Urbe , & ferè etiam in Hiſpania, & in Regno Siciliæ , ac etiam in Neapolitano.

Quæritur 10. quomodo deferri S. Ev- 30
chariſtia debeat, cùm eâ in Viaticum æternitatis muniendus eſt infirmus ? ℟. deferri debet à Parocho, vel ejus Cooperatore, decenti habitu , & ſuperpelliceo induto , in vaſe, vel calice argenteo, ſerico cooperto, cum omni reverentia , & devotione , præcedente lumine , tintinnabulo ſonante , & ſi fieri poteſt , cum cantu , ut eo admoniti fideles genua flectant , & ſub ſpeciebus panis latentem Deum adorent. Fuſcus *de Viſit. l. 1. c. 5. n. 10.* Piaſec. *prax. Epiſc. p. 2. c. 3. num. 24.* Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg. 22. n. 4. & 5.* monens , non unam tantùm , ſed duas Hoſtias conſecratas deferendas ad ægrotum , ut iſte earum unâ reficiatur , alteram à populo adorandam ad Eccleſiam Sacerdos reportet.

Præterea non eſt deferendum San- 31
ctiſſimum per plateam , ubi Judæi habitant, prout reſpondit S. Congr. teſte Vallenſ. *hic n. 4.* Schamb. *ibid. n. 4.* neque ad infirmos, ut cùm ob tuſſim , vel aliud impedimentum illud ſumere nequeant , illud adorent, Vall. Schamb. *l. citt.*

TITU-

TITULUS XLV.

De Reliquijs, & Veneratione Sanctorum.

PRæter Evchariſtiam, Chriſma, & Oleum benedictum in Eccleſijs cuſtodiri, & publicæ venerationi exponi ſolent Reliquiæ Sanctorum: imò in quovis Altari Reliquiarum aliquid reconditum aſſervari debet *can. placuit 26. de conſecr. diſt. 1.* Porro ut Reliquiæ ad Cultum publicum exponi poſſint, requiritur, ut ſint alicujus Sancti, vel Beati. Hinc antequam de Reliquijs quid dicatur, præmittendus

§. I.

De Veneratione, & Canonizatione Sanctorum.

SUMMARIUM.

1. *Quid ſit Canonizatio?*
2. *Cujus authoritate fieri debeat?*
3. *Reſpondetur eam pertinere ad Summum Pontificem.*
4. *Et quidem privativè.*
5. *Solvuntur Objectiones.*
6. 7. *An cultu privato venerari liceat non canonizatum?*
8. *Ad Canonizationem requiritur Vitæ ſanctitas, & miracula.*
9. *Nec ſufficiunt ſola miracula.*
10. *Nec ſola ſanctitas vitæ.*
11. 12. 13. *Quando de his cenſeatur ſufficienter conſtare?*
14. *Ad Canonizandum Martyrem debet conſtare de Martyrio.*
15. *Materiali, ſeu morte obita.*
16. *Et formali tam ex parte Tyranni.*
17. *Quàm ex parte paſſi.*
18. *An in Canonizatione Martyris requirantur Miracula?*
19. *Reſpondetur affirmativè.*
20. *Exceptio.*
21. *An quævis incorruptio corporis defuncti.*
22. *Aut ſuaveolentia odoris præbeat indicium ſanctitatis?*
23. &c. *Quæ ſit forma procedendi ad Beatificationem?*
33. &c. *Quomodo poſt Beatificationem procedatur ad Canonizationem?*
39. *Prærogativæ Sanctorum Canonizatorum*

1 QUæritur 1. quid ſit *Canonizatio?* R. *Canonizatio* eſt Ritus, quo aliquis Sanctus per Papam Albo, ſeu numero Sanctorum adſcribitur, & publicè, ac ſolenniter, canonicè, & regulariter (præmiſſa ſcilicet diligenti inquiſitione ſuper vitæ, morúmque probitate, & miraculorum veritate juxta *c. venerabili 52. de teſtib.*) declaratur, definitur, ac ſtatuitur, ut tanquam Sanctus ab omnibus honoretur, & de ipſo, ſicut de alijs Sanctis ejuſdem conditionis certa die quot annis ſolenne Officium celebretur, ut cum Hoſt. *in c. 1. h. tit. V. venerantur poſt princ.* tradit Pirh. *hic n. 2.* Differt à Beatificatione; quia Beatorum cultum Pontifex ſolùm permittit, indulget, vel concedit uni loco, Regno, vel Provinciæ, Sanctorum verò venerationem pro Eccleſia univerſali (quæ tenetur Pontifici obedire) decernit, & definit. Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 47. n. 2.*

2 Quæritur 2. cujus authoritate canonizatus eſſe debeat, ut pro Sancto quis publicè coli poſſit? Videtur ad hoc ſufficere authoritas Epiſcopi, ſaltem cum conſenſu Cleri, & populi; nam ejus authoritate conſtitutæ feſtivitates celebrandæ ſunt *can. pronuntiandum 1. de conſecr. diſt. 3.* & *c. fin. de Ferijs. Conf.* ex veteri more Eccleſiarum, pro Sanctis colentium, quos Epiſcopi cum Clero, & populo publicæ venerationi propoſuerunt.

3 Sed dicendum, ut pro Sancto coli ali quis poſſit publicè, neceſſarium eſſe, ut is canonizatus, vel beatificatus ſit ab ipſo Summo Pontifice. Ita Vivian. *in c. audivimus 1. h. tit. pr.* Barboſ. *ibid. n. 1. & 3.* Fagnan. *n. 1. & 20.* Gonzal. *n. 3.* Zœſ. *hic n. 4.* Honor. *n. 2.* Pirh. *n. 3.* König *n. un.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 47. n. 1.* Vincent. Petra *tom. 1. comment. fol. 532. n. 26. & ſeqq.* & ſtatutum expreſsè eſt *c. audivimus cit.* Ratio ſic ſtatuendi fuit 1. quia Canonizatio eſt una ex cauſis majoribus, quæ inter Chriſtianos moveri poſſunt. Gloſſ. *in c. un. V. Sedis h. tit. in 6.* atqui cauſæ majores Sedi Apoſtolicæ reſervatæ ſunt *c. majores 3. pr. de Baptiſm.* 2. in Canonizatione Sanctorum faciendum eſt diligens examen miraculorum *c. venerabili 52. de teſtib.* in quibus præ cæteris Virtutibus operatur Fides, juxta illud Apoſtoli, *Si habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam & c. 1. Corinth. 13. v. 2.* Fidem autem examinare præcipuè ad Sedem Apoſtolicam pertinet *can. quoties 12. cauſ. 24. q. 1.* 3. Ad Papam ſpectat declarare dubia SS. Scripturarum *c. per venerabilem 3. ỳ. rationibus. Qui filij legitimi.* ergo multo magis dubia Sanctitatis: quia circa majora majus pericu-

riculum vertitur *c. ubi periculum 3. pr. de Elect. in 6.* 4. Per Canonizationem Sanctus ad cultum proponitur fidelibus universis. igitur cùm his omnibus præsit solus Papa, ad eum solum spectabit Canonizatio Sanctorum. 5. Si Canonizatio Sanctorum permitteretur Episcoporum examini, & discussioni, fideles obnoxij essent deceptioni, & confusioni; & facilè contingeret, ut alij pro Sanctis colerent, quos alij damnarent tanquam reprobos, sicut factum est in casu. *audivimus cit.*

4 Et quidem hæc potestas canonizandi Sanctos Summo Pontifici competit privativè, ut DD. *citt.* notant. Ex quo sequitur, quòd Episcopi non possint canonizare aliquem, etiam pro suis diœcesibus tantùm: imò nec Legatus à Latere, etiam ex speciali commissione Summi Pontificis; quia is non potest delegare alteri res fidei. Nec denique etiam Concilium generale, absque Romani Pontificis authoritate Barbos. *in c. 1. h. tit. n. 7. & 8.* Pirh. *hic n. 3. v. ex quo infertur*, Schambog. *ibid. n. 6.* Vicent. Petra *tom. 2. comment. fol. 533. n. 37. & 40.* Libri quoque de gestis, miraculis, revelationibus, & similibus talium hominum, in opinione Sanctitatis existentium, non prius imprimi debent, quàm Ordinarius, adhibito consilio TT. & aliorum piorum virorum, illos recognoverit, eáque de re instructionem ad Sedem Apostolicam miserit, ac responsum ejusdem acceperit. Engl *hic n. 4. v. libri quoque.*

5 Ad rationem dubitandi *n. 2.* allatam, Episcopi quidem indicere Festa possunt, sed non nisi de Sanctis à Sede Apostolica aliquando approbatis; nam licèt à Papa canonizati omnes colendi sint, non tamen omnium, & singulorum Festa coluntur in omnibus Ecclesijs, prout notat Host. *in c. 1. h. tit. n. 8.* Joan. Andr. *ibid. n. 6.* Fagnan. *n. 23.* Wiestner *hic n. 23.* *Ad Conf.* expositio illa ad publicum cultum non fuit vera Canonizatio, sed publicum quoddam, non tamen infallibile testimonium de hominis Sanctitate; neque enim decernebant eos esse Sanctos, vel Beatos, sed hoc etiam illis temporibus fiebat authoritate Pontificis, approbatione sua quasi tacitè canonizantis eum, quem vox populi Sanctum clamavit, & ut talem est venerata.

6 Quæritur 3. an cultu privato venerari liceat aliquem, cum Sanctitatis publica existimatione defunctum, sed in Sanctorũ, vel Beatorum numerum nondum Apostolica authoritate relatum? In partem negativam nonnulli allegant Abb. *in c. 2. h. tit. n. 3.* ubi ait, non licere aliquem, etiam miraculis in vita, & post mortem editis illustrem, pro Sancto colere sine Romani Pontificis authoritate. Verùm id, ut ipse *Abbas* se statim explicat, intelligi debet de cultu publico, & Ecclesiæ totius nomine tali homini exhibito: qualis esset, si ejus imago, præsertim cum radijs, aliúsque Sanctitatis signis depicta, in Ecclesijs, Sacellis, Altaribus, vel alijs locis proponeretur ad venerationem, si eidem appenderentur tabellæ pictæ miracula continentes, vel alia Anathemata, si commemoratio ejus fieret in Divino Officio in, vel extra Chorum, aut in Sacrificio Missæ, si cum alijs Sanctis invocaretur in Litanijs, & similibus precibus &c. quem cultum prohibitum constat *c. fin. h. tit.* ibi, *Nemo publicè venerari præsumat.*

7 Quare dicendum, ejusmodi cultum privatum permitti, prout argumento à sensu contrario ex verbis *c. fin. cit.* ducto desumunt Gloss. *in c. un. V. Sedis h. tit. in 6.* Innoc. *in c. fin. cit. n. 1.* Anton. de Butrio *ibid. n. 6.* Abb. *in c. 1. h. tit. n. 3.* Sylv. *V. reliquiæ pr.* Azor *p. 1. l. 9. c. 8. q. 8. fin.* Sanch. *l. 2. mor. c. 43. à n. 4.* Vivian. *in c. 1. cit. pr.* Barbos. *in c. fin. cit. n. 5.* Fagn. *n. 4.* Valens. *hic n. 4.* Zoes. *n. 4.* Pirh. *n. 2.* Schambog. *n. 5.* Wiestner *n. 7.* Quòdsi ex privata devotione, vel Divino instinctu talem piè defunctum venerentur, & invocent, atque gratias, vel miracula sibi obvenisse affirment, tabellas offerant &c. licebit Episcopo super assertis veritatem indagare testes, & documenta recipere, oblata in seperato, & privato loco asservare, ut desuper suo tempore Sedes Apostolica informari possit. Engl *hic n. 4.*

8 Quæritur 4. quænam debeant concurrere ad hoc, ut aliquis à Rom. Pont. titulo Beati decoretur, & in Sanctorum numerum adscribatur? R. id expressit Gregorius IX. in Canonizatione S. Antonij de Padua *Const.* incipit, *Cùm dicat Dominus 4. Bullar. tom. 1. §. 3.* & alij Pont. in alijs Constitutionibus simili ex causa editis, juxta quas canonizari is tantùm potest, de cujus excellentia vitæ, & miraculis per probationem plenissimè constat *c. venerabilis 52. de testib.*

9 Et quidem quòd miracula sola non sufficiant, certum est apud omnes; quia ista, vel his similia prodigia aliquando faciunt etiam mali, & peccatores, ut patet ex exemplo Magorum Pharaonis, Judæ Proditoris, & aliorum reproborum. Fagnan. *in c. 1. h. tit. n. 5.* Petra *tom. 2. comment. fol. 211. n. 10.* Pirhing. *hic n. 4.* Ratio à priori est; quia in Miraculis præ alijs virtutibus operatur Fides, & quidem aliquando sine Charitate, ut insinuat S. Paulus *1. Corinth. 13. v. 2.* dicens, *Si habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum.* Fides autem sine Charitate ad sanctitatem non sufficit in adultis teste eodem Apostolo, & S. Jacobo *c. 2. v. 14.* Ex quo sequitur, ut pro Sancto coli aliquis possit, necesse esse, ut præterea de excellentia vitæ, h. e. Virtutum, & meritorum constet.

10 An verò sola vitæ Sanctitas sufficiat, dubium moveri posset, & rationem dubitandi facit illud *Apocal. 2. v. 10.* ubi Dominus Angelo Smyrnæ, *Esto fidelis*, inquit, *usque*

que ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ: in quo textu sola perseverantia in bono petitur. Sed esto, id verum sit, ut quis Sanctus sit apud Deum, non tamen sufficit, ut quis Sanctus habeatur, & ut talis solenniter proponatur hominibus in Ecclesia militante, sed præter Sanctitatem vitæ etiam exiguntur miracula, non quasi hæc Sanctum efficiant, sed quia ostendunt Sanctitatem, & manifestant Deum velle, ut talis in Ecclesia militante publica veneratione colatur; cùm enim ex una parte multi in hac vita sint lupi rapaces sub vestimentis ovium, & opera pietatis faciant non amore virtutis, sed ob Hypocrisin, & vanam gloriam, ex altera verò Deus non omnes justos, sed electos tantùm à se tali cultu decorare velit, ut Ecclesia cultum publicum decernere alicui possit, signo indiget, quo tam Sanctitatem vitæ veram, quàm voluntatem Dei volentis honorem istum alicui exhiberi cognoscat: non potest autem utrumque humanitus cognosci meliùs, nisi ubi cum existimatione publica Sanctitatis concurrerint etiam miracula, ad invocationem talis Sancti consecuta. ergo &c.

11 Quæritur 5. quando censeatur sufficienter constare de Sanctitate Vitæ, & miraculis? R. 1. constare debet de integritate Fidei: & hinc ex *Decretis generalibus Urbani VIII.* §. *præterea* apud Mattam *p. 4. de Canoniz. c. 7. n. 9. & seqq. illud etiam diligentissimè indagandum est, an ille, vel illa, pro cujus canonizatione instatur, scripserit aliquos libros, tractatus, opuscula, meditationes, vel quid simile. nam si scripsisse constiterit, non prius est ad aliquem actum inquisitionis deveniendum, quàm tales libri diligenter* in S. Congr. *examinentur, utrum contineant errores contra Fidem, vel bonos mores, vel doctrinam aliquam novam, & peregrinam, atque à communi sensu Ecclesiæ, & consuetudine alienam.* Si tamen is, qui hujusmodi Libros, vel Tractatus scripsit, adjecerit protestationem, quâ seipsum, & scripta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ judicio, & authoritati submittit, error, siquis fortè irrepserit, canonizationi non obest; quia protestatio probat, quòd scribens errorem illum non voluerit defendere cum pertinacia. Matthæucc. *Official. Eccl. c. 47. n. 38.* *Excipitur*, si liber, & protestatio sit viri docti, & contrarium illi, quod scripsit, sit manifestum, & definitum reperiatur ab Ecclesia; quia de tali viro præsumptio est, quòd definitionem Ecclesiæ non ignoret; cons. protestatio illa, tanquam contraria facto, non sublevaret. Matthæucc. *l. citt.*

12 2. Constare debet de cæteris Virtutibus tam Theologicis, quàm Moralibus, quæ debent esse Charitate formatæ, in gradu excellenti, & heroico: in quo gradu reputantur esse, quando homo perfectè per Charitatem Deo, & Divinis stabiliter inhærendo, cum adjutorio Divinæ gratiæ operatur, cum perfecto dominio suarum passionum, refrænando, & supprimendo motus inordinatos, nec deliberatè consentit alicui imperfectioni morali, cui insit ratio aliqua peccati, etiam levissimi. Esparza *Theol. tom. 1. l. 6. de Virt. moral. q. 5. §. infertur, art. 21.* Pascucc. *tom. 1. de Canoniz. Sanctor.* Matthæucc. *c. 47. cit. n. 5. & trib. seqq.*

13 3. Miracula probari debent per duos saltem testes, non singulares, neque de auditu alieno, sed de visu, vel auditu proprio, & juratos. Matthæucc. *n. 16. & quatuor seqq.* Sufficiunt autem ad Beatificationem, si ita probentur duo saltem miracula: ut autem ab hac procedi possit ad Canonizationem, de necessitate requiruntur alia duo ad docendam continuationem miraculorum post indultam Beato venerationem. De quibus plenissimè constare debet, esse supra vires naturæ, saltem quoad modum.

14 Quæritur 6. de quibus constare debeat, cùm agitur de canonizando Martyre? R. Martyrem canonizare, seu in Sanctorum Album adscribere, aliud non importat, quàm actum declarationis Martyrij; cùm eo ipso, quòd quis sit Martyr declaratus ab Ecclesia, cultum Sanctis debitum ab ipsa Ecclesia consequi soleat. Petra *tom. 3. comment. fol. 91. n. 1.* Ut talis declarari aliquis possit, duo requiruntur, ut scilicet constet sufficienter de ipso actu physico passionis, seu mortis secutæ, qui dicitur *Martyrium materiale*, & de causa, ac modo, quo quis passus est mortem, qui appellatur *Martyrium firmale.*

15 Ut sufficienter constare dicatur *de Martyrio materiali*, necesse est, ut probatio mortis sit concludens, cons. plena, vel in se ex depositione duorum saltem testium de visu, vel ex alijs adminiculis; nam si testes de visu haberi nequeant, quia e. g. agitur de re antiqua, in tali casu etiam testes de auditu robur probationis habent *arg. c. licèt 47. de testib.* si deponant non ex auditu incerto aliorum, sed ab ijs, qui Martyrio adfuerunt, ut dicunt Rotæ Auditores apud Lezan. *consult. 1. n. 235.* Et possunt ad deponendum de actu Martyrij admitti etiam Infideles; quia ut bene Lezan. *consult. 13. n. 36. Veritas, quæ ab inimico pectore, & ore interdum extorquetur, gratior esse solet*: præsertim si agatur de Martyrio illato inter Infideles, ubi non adfuisse fideles liquet, qui deponere possent. Petra *tom. 3. comment. fol. 94. n. 14.* ubi tamen monet consultò esse procedendum in hujusmodi testimonijs Infidelium, nam possent hujusmodi facta falsò asserere, ut deinde veritas Cultûs à nobis dati Martyribus obumbretur: hinc eorum depositiones attendi solummodo debent pro adminiculis, & per viam potiùs Notorij.

16 *Martyrium formale* in eo consistit, quòd Servus DEI passus sit mortem ex odio Fidei, vel alterius Virtutis, quatenus hæc ordinem ad DEUM supernaturalium authorem

horem habet. Et hinc, ut factum *in Japonenſi 25. Jan. 1687.* diſputari duplex dubium ſeparatum debet: unum eſt, an conſtet de Martyrio ex parte Tyranni, alterum, an de eo conſtet ex parte paſſi. *Ad primum* requiritur, ut Tyrannus mortem intulerit verè ex odio Fidei, aut Virtutis ſupernaturalis; nam ſi ex fine ſolùm politico vim inferat, & perſequatur fideles, mortem paſſi ex iſta cauſa Martyres dici non poſſunt, ut bene Petra *tom. 3. cit. fol. 95. n. 21.* Et hinc Martyres non dicuntur ij, qui moriuntur in bellis, quæ per Principes Germaniæ contra Acatholicos, vel etiam contra Turcas moventur, *Excipitur*, ſi in actu, ex Politica intentato, miſceatur odium particulare Fidei, ut ſi tentetur patiens ad eam denegandam ſub vitæ præmio; quia tunc videtur reſpicere Tyrannus ad extorſionem denegationis Fidei, & ſic mortem inferre ex odio in illam, ut optimè Suar. *ad Reg. Angl. l. 6. c. 11. n. 3.*

17 *Quoad ſecundum* ex parte paſſi Martyrium formale conſtabit, ſi probetur, quòd Martyr ſponte, & alacriter mortem ſubierit propter Chriſtum, & perſeveraverit in Charitate, & fortitudine usque ad extremum Spiritum; quia ut D. Chryſolog. *Serm. 128. non tam mors, quàm fides, & devotio Martyrem facit.* Petra *l. cit. fol. 94. n. 18.* Adeoque requiritur 1. ut qui ita mortem ſubijt, fuerit verè fidelis; nullus enim verè Hæreticus, aut Infidelis Martyr cenſendus eſt, etiamſi occidatur ex eo motivo, quòd Idolis ſacrificare renuat; Martyrium enim eſt opus externum, per quod patiens eſt teſtis Fidei, & Veritatis Chriſtianæ. 2. ut ſit in Charitate; nam ſine hac non acquiritur Martyrium. Sufficit autem, ſi concomitanter eam habeat, accedente ſc. Martyrio, quod plenitudinem gratiæ confert diſpoſito: & hinc ſufficit, ſi attritus ſit ſupernaturaliter, etiamſi antè non fuerit in gratia. Petra *tom. 3. cit. fol. 129. n. 14.* Ex quo ſequitur, quòd probato Martyrio, non ſit opus probare Virtutes; quia jam conſtat de perfectiſſima Charitate, juxta illud, *Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Joan. 15. & cùm Charitas ſit cæterarum Virtutum forma, & perfectio, etiam aliæ Virtutes videntur probatæ, ſaltem in habitu. Matta *p. 2. c. 14. n. 22.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 47. n. 27.* Petra *tom. 2. fol. 107. n. 11.* & *tom. 3. fol. 129. n. 14.* & *duob. ſeqq.* 3. ut ſi adultus ſit, voluerit pati pro Fide, vel pro actu Virtutis, in quo Fides elucet: Talis autem voluntas elicitur ex actu externo, recipiendo mortem voluntariè: & hinc ſiquis ſomno correptus, vel rationis incapax, nulla præcedente voluntate patiendi pro Chriſto, occidatur, non obtinet coronam Martyrij. In infantibus defectum voluntatis ſupplet Eccleſia: & hinc Innocentes Martyres, tanquam verè tales, veneratur Eccleſia. Petra *tom. 3. cit. fol. 32.* & *duob. ſeqq.*

Quæritur 7. an requirantur Miracula in Canonizatione Martyrum? Negant aliqui, in Martyre requiri miracula apud Auguſt. Triumph. *de poteſt Eccl. q. 16. c. 3.* Cantelor. *ad Bull. Alex. III. pro Canoniz. S. Thom. Cantuar. Archiep. Schol. 2.* Felix Caſtellan. *de Canoniz. Sanct. c. 21. n. 5.* Lezan. *conſult. 16. n. 13.* Bordon. *contr. 13. n. 34.* & *alios.* Rationem dant; quia ſigna, & miracula debent adeſſe, & probari ad indicandam Sanctitatem canonizandi, quæ Sanctitas elucet ex ſolo actu Martyrij. 18

Sed defendenda eſt affirmativa, quam etiam tuentur Cantelor. *l. cit. n. 11.* & *c. 14.* Caſtellan. *de Canoniz. tit. 5. n. 25.* Matta *ſimil. tr. p. 1. c. 7. n. 37.* & *c. 21. ac 22.* Lucas Caſtellin. *de certitud. Glor. Sanctor. c. 8. p. 22.* Vermigliol. *conſ. 422.* & *472.* Pignatell. *tom. 4. conſult. 73. n. 9.* Petra *tom. 2. fol. 128. n. 16.* & *Pignat.* ac *Petra* teſtibus decrevit *S. Congr. Rit. 13. Sept. 1642.* fuitque practicatum *in Hiſpalenſi*, ſeu *Marochitana 29. Maij 1688.* ubi S. Congregatio, etſi conſtitiſſet de Martyrio, & cauſa ipſius, voluit etiam videri de Miraculis: quod ipſum obſervatum fuit *in Japonenſi anno 1690.* eſtque hæc praxis jam antiqua Eccleſiæ, ut videre eſt in Bulla Canonizationis S. Stanislai Martyris; nam cùm Innocentius IV. in Civitate Aſſiſij tractaret de ejus Canonizatione, & ab aliquibus dubitaretur, delatus fuit puer mortuus ad Eccleſiam D. Franciſci, & Pontifex DEUM rogavit, ut dignaretur hanc dubietatem tollere, prout etiam factum eſt, dicto puero reſuſcitato ad vitam, ut referunt Raynald. *ad annum 1253. n. 18.* Joan. Longin. *Hiſt. Polon. l. 7. anno 1253.* Petra *tom. 3. comment. fol. 131. n. 26.* ubi plura hujusmodi exempla refert. 19

Excipit Card. Lauræa *in 3. ſent. tom. 3. p. 2. D. 20. art. 8. n. 127.* & *ſeq.* ſi plenè conſtet de eſſentialibus Martyrij; tunc enim non eſt tanta neceſſitas miraculorum. Imò cùm requiruntur miracula ad tollendam dubietatem Martyrij, ea ad Canonizationem Martyris non requiruntur eo modo, quo requiruntur in Canonizatione Sanctorum non Martyrum, ſed ſufficiunt minora, imò ſigna, & prodigia, ut dictum fuit in *Hiſpalenſi cit.* & ſenſerunt *Auditores Rotæ in Relatione 26. Martyrum Japonenſium art. 3.* ubi dixerunt de aliquibus mirabilibus, quæ evenerunt ante, & poſt Martyrium: quod innuit etiam praxis Eccleſiæ; nam ubi in Canonizatione Sanctorum non Martyrum datur dubium, *An conſtet de miraculis*, in Martyribus interrogatur, *An conſtet de ſignis, ſeu miraculis:* Porro quæ differentia ſit inter Signa, & Miracula, latè explicat Card. de Lauræa *D. 20. cit.* 20

Quæritur 8. an quævis incorruptio corporis defuncti, aut fragrantia, ſeu ſuavitas 21

vitas odoris quæ percipitur in apertione arcæ, urnæ, vel sepulchri, in quo Corpus est Servi Dei, præbeat indicium Sanctitatis? R. negativè; quia corporum integritas, & incorruptio etiam naturaliter potest contingere: Sed tunc solùm illa Sanctitatis præbebit indicium, cùm probatâ excellentiâ vitæ, corpus incorruptum invenitur, maximè si sit molle, flexibile, & incorruptum secundùm partes molliores, & humidiores, easque, quæ aliàs ad putrefactionem magis aptæ sunt. Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 47. n. 31.*

22 Idem dicendum de suaveolentia odoris; nam hæc tunc solùm supernaturalis est judicanda, quando plenè probata sanctitate vitæ, constiterit, quod non potuerit provenire ex causa aliqua naturali, in arca, vel Capella secreto reposita, præsertim si ex peritorum, & percipientium testimonio talis fuerit, ut excedat quemcunque odorem naturalem, & nulli sit similis; fueritque non modo in naribus suavis, sed etiam manus, ac vestes ita affecerit, ut per plures horas, vel dies permanserit: & concludentius, si eo percepto, aliquis fuerit illico sanitati restitutus. Matthæucc. *l. cit. n. 32.*

23 Quæritur 9. quæ sit forma procedendi ad Beatificationem, vel Canonizationem Sanctorum? R. hæc præscribitur in Decretis Generalibus editis *sub Urbano VIII.* & registratis *in Const. 41. ejusdem tom. 5. Bullar.* & *in Constit. 180.* Juxta hæc ergo, & subsequentium Pontificum, maximè Innocentij XI. Decreta. 1. S. Congregatio Rituum deinceps procedere in causa Canonizationis, seu Beatificationis non potest, nisi post 50. annos ab obitu Servi DEI: quod temporis intervallum antiquitus non fuit observatum; nam Canonizatio S. Petri Martyris ex Ordine S. Dominici facta fuit post annum unum ab ejus obitu. Vincent. Petra *tom. 3. comment. fol. 92. n. 4. & 5.*

24 2. Intra hos annos tamen, ne probationes pereant, processus fieri valent tam authoritate Ordinaria, quàm S. Congr. super fama, virtutibus, & Miraculis Servi DEI. Si agatur de Martyre, loco discussionis virtutum, disputatur dubium, an constet de Martyrio, & ejus causa. Petra *tom. 4. fol. 19. n. 40.* Ante omnia autem discuti quæstio debet de non cultu, & paritione Decretorum suprà relatorum, utrum scilicet nullus cultus Servo DEI tributus sit, nec ullus actus gestus contra formam dictorum Decretorum. Petra *tom. 4. cit. fol. 14. n. 16.* Si cultus ei delatus sit, exhiberi debet processus super cultu immemoriali ante dicta Decreta, vel si Beatus sit per Indultum Apostolicum, produci Breve Pontificium Beatificationis. Matta *p. 5. c. 4. n. 30.* & sine prædictis non est locus introductioni causæ. Petra *fol. 15. n. 23.*

3. Facti ab Episcopis Processus 25
transmittendi sunt ad Sedem Apostolicam in Copia sigillata, & autographa, relictis Originalibus sub clavibus diversis in Archivio Episcopali: & unà producuntur preces, instantiæ, & litteræ Regum, Principum, & aliorum petentium Beatificationem, vel Canonizationem Servi DEI, quas preces ex antiquo ritu fuisse in more, notat Petra *fol. 14. n. 18.*

4. Præsentatis Processibus Episcopo- 26
rum, & precibus Principum, sequitur commissio super introductione causæ, quæ tamen, ut declaratum fuit ab Innocentio XI. non est signanda, nisi post decem annos à die præsentationis processûs, Ordinaria authoritate fabricati, & habitis post decennium novis Litteris Episcoporum circa percrebrescentiam famæ, sanctitatis, & miraculorum, ac devotionis populi, nisi ex speciali causa tempus à Papa fuerit abbreviatum, quod fieri solet in Martyribus, vel in alijs, cùm urgentiores fuerint instantiæ Principum, & populorum. Petra *fol. 14. n. 19.*

5. Facta commissione super introdu- 27
ctione causæ, Sacra Congregatio Rituum juxta ordinarias facultates procedere valet ad apertionem Processuum, quæ apertio fieri debet coram Cardinali Ponente, & hoc absente coram Cardinali Præfecto, citato Promotore fidei, & coram Notario consignandorum à Secretario, & Notarius illos exhibet Protonotario deputato, per quem aperiuntur. Petra *fol. 15. n. 20.*

6. Apertis processibus, fit relatio 28
contentorum per Cardinalem Ponentem citato Promotore fidei, & discutitur, an Processus super fama, virtutibus, & miraculis, Ordinaria, vel Apostolica authoritate facti, sint validi: ubi notandum, si defectus non sit notabilis, non hoc ipso vitiari Processum, sed tolerari à S. Congr. prout factum est *in Cartag. Servi DEI Petri Claver*, *in Viennensi Servi DEI Francisci Regis*, & *in Limana Servi DEI Nicolai de Aylon*, teste Pet. *fol. 17. n. 30.*

7. Quodsi Processus sint validi, te- 29
stes rite examinati, & Jura legitimè compulsata, clauduntur Processus, & obsignantur Sigillo S. Congr. nec aperiuntur, nisi post lapsum dicti temporis 50. annorum ab obitu Servi Dei. Pet. *fol. 13. n. 15.* & *fol. 19. n. 39.* Et hinc toto eo tempore de hujusmodi causis Beatificationis, Canonizationis, seu Declarationis Martyrij agi nequit, nec priùs potest, nisi habitâ licentiâ expressâ Summi Pontificis, quæ debet esse specialis in Rescripto directo dictæ Sacræ Congregationi. Petra *n. 15. cit.*

8. Lapsis 50. annis ab obitu Servi DEI 30
proponitur dubium, an constet de Virtutibus Theologicis, & Cardinalibus, cæterisque annexis, in gradu heroico, quod discutitur primò in Congregatione Antepræpa-

ratoria coram Cardinali Ponente, deinde in Præparatoria coram S. Congreg. cum Voto Consultorum, & ubi visum fuerit constare de Virtutibus, fit Congregatio coram Sanctissimo cum discussione dubij, *an constet de Virtutibus.* Petra *fol. 19. n. 41.*

31 9. Discusso dubio de Virtutibus, discutitur coram Papa dubium, *An constet, & de quibus miraculis &c.* & fit relatio omnium miraculorum distinctim, & solent etiam in præparatorijs aliquando audiri relationes Medicorum, & Peritorum, qui deputantur ex officio à Cardinali Relatore, ut notat Card. de Luca *disc. 18. n. 15. in Relat. Cur. Rom.* Dictæ Congregationes fiunt coram Summo Pont. & proferunt Vota Consultiva Cardinales, & tandem solus Papa. Factum autem miraculorum Cardinales approbare non solent, nisi concurrant saltem duæ partes Consultorum: idémque servat Papa, nisi concurrant ferè omnes Cardinales. Petra *l. cit.*

32 10. Post miracula approbata, posset quidem de Jure veniri ad Canonizationem, ordinariè tamen solùm Papa impartitur licentiam venerandi Servum DEI ut Beatum, expedito Brevi, & convocatis Cardinalibus Sacr. Congr. & Consultoribus in Basilica Vaticana, illúdque præsentatur, & ex Ambone legitur, ac publicatur à Notario Capituli ejusdem Basilicæ, præsente Notario S. Congr. & tunc exponitur Imago Beatificati, & canitur Hymnus *Te DEUM* cum Missa de eodem Beato, de quibus publicum fit Instrumentum, quod in Archivijs S. Congr. & Capituli conservatur. Petra *l. cit.*

33 Quæritur 10. quomodo post Beatificationem decretam procedatur ad Canonizationem? R. 1. ad hanc non devenitur, nisi percrebrescente, & continuante fama Sanctitatis, devotione, cultu populorum, & superventu novorum miraculorum, saltem duorum.

2. Requiruntur novæ Instantiæ, & preces Summorum Principum, Episcoporum, & Populorum, Romano Pontifici, viri Beati facta, & miracula explicantium, & petentium, ut canonizetur.

3. His habitis, fit Relatio omnium in causa gestorum per Eminentissimum Relatorem, & hac deposita, signatur commissio à Papa, & expediuntur litteræ remissoriales super novis Processibus per Delegatos Apostolicos faciendis super dictis noviter probandis.

34 4. His Processibus productis, proponitur dubium, an constet de relevantia contentorum, quoad ea, quæ supervenerunt post indultam venerationem: quæ discutiuntur in duabus Congregationibus præparatorijs, ut *suprà 30. & 31.*

5. In his Congregationibus ubi favorabilis resolutio data fuerit, tunc causa censetur esse in statu, & terminis, ut quandocunque Sanctissimo placuerit, ad solennem Canonizationem deveniri possit: quæ tamen ut plurimum differri solet, ut plurium Beatorum Canonizatio simul fiat, ad parcendum expensis.

6. Ubi Pontifex voluerit ad solennem 35
Canonizationem devenire, celebratur tertium Consistorium semipublicum, in quo Papa audit sententias S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & Abbatum, qui habent usum Mytræ, & Pastoralis, in Urbe adstantium, ad instar parvi Concilij: à quibus antequam Suffragia ferantur, Summus Pontifex è solio suo habet orationem, in qua de re, ad tam gravem, támque arduam actionem pertinente, verba facit; deinde pro Sancto canonizando sententias dici jubet.

7. Ubi quisque suo ordine sententiam 36
dixit, assignat Pontifex diem certam pro Canonizatione, omnésque tam Cardinales, quàm Prælatos cohortatur, ut orationibus, ac jejunijs, alijsque pijs operibus operam navent, DEUM humillimè obsecrantes, ut de Canonizatione proposita, omniúmque sententijs comprobata, quid faciendum sit, Sancti Spiritus doceat illustratione.

8. Ipso die Canonizationis Pontifex 37
in Templo destinato genuflexus aliquantulum orat, deinde ascendit ad thronum, ibíque Cardinalium, Prælatorum, & Nobilium susceptâ reverentiâ, habet sermonem, & recitat acta Sancti Canonizandi, implorátque pluribus precibus, ac deprecationibus, ut DEUS assistat tam arduo negotio, cantato Hymno, *Veni Creator Spiritus &c.*

9. Tandem Sanctum declarat Pa 38
pa, & Sanctorum Catalogo adscribit, cantatur Hymnus Ambrosianus: pòst Cardinalis Diaconus Versiculum intonat *Ora pro nobis Sancte N.* cui respondetur *Ut digni &c.* Papa adjungit Orationem propriam: mox Diaconus dicit *Confiteor*, & addit *atque Beato N. & omnibus Sanctis:* dein Papa intonat Tertiam, quam Chorus decantat. Interea ad Missam celebrandam paratur Papa, & specialis Missa appropriatur Sancto à Doctore Cathedræ, & ab ipso Summo Pontifice cum Oratione singulari: ad Offertorium magnificæ oblationes præsentantur à Cardinali Promotore, & alijs, qui nomine Regum, & Principum magnorum institerunt. Completâ Missâ, conceditur Indulgentia plenaria, & Papa solenniter deportatur in Palatium, præcedente Senatu Cardinalitio: de quibus vide Gonzal. *in c. audivimus 1. h. tit.* Card. de Luca *in Relat. Cur. Rom. disc. 18.* Pignatell. *tom. 10. consult. 196.* Petram *tom. 2. fol. 77. n. 8.* & *tom. 3. fol. 130. n. 23.*

Porro honores, qui ex vi Decreti, & 39
ipso Sanctorum jure exhibentur Canonizatis, sunt. 1. jubentur ab omnibus publicè coli, ac dici Sancti. 2. in publicis

Ec-

Ecclesiæ precibus invocantur. 3. Templa, & Altaria Deo in eorum memoriam, & honorem eriguntur. 4. Sacrificia, & Officium Divinum, quod Horæ Canonicæ nuncupatur, Deo in honorem illorum offeruntur. 5. Dies festi in illorum honorem celebrantur. 6. Imagines eorundem pinguntur, addito certo quodam lumine in signum gloriæ, quam habent in cælo. 7. eorundem Reliquiæ, pretiosis thecis inclusæ, publicè in Ecclesia proponuntur: quæ omnia ferè etiam conveniunt Beatificatis. Pignatell. *l. cit. n. 7.*

§. II.

De Reliquijs Sanctorum, earúmque Veneratione.

SUMMARIUM.

40. *Quid intelligatur nomine Reliquiarum?*
41. *An rectè colantur?*
42. *Affirmativa defenditur contra Hæreticos.*
43. *Solvuntur istorum Argumenta.*
44. *Quid requiratur, ut Reliquiæ Sanctorum coli possint?*
45. 46. 47. *Quid, ut exponi publicæ veneration̄i possint de novo inventæ?*
48. 49. 50. *Quid præterea circa approbationem Reliquiarum notandum?*
51. 52. 53. 54. *An si cum Reliquijs approbatis misceantur aliæ non approbatæ, liceat eas populo colendas exponere?*
55. 56. *Quid observandum in earum ostensione?*
57. 58. 59. *An possint vendi?*
60. 61. 62. 63. 64. *An transferri ab una Ecclesia in aliam?*
65. *Quale peccatum sit furtiva earum subtractio?*

40 QUæritur 1. quid intelligatur nomine *Reliquiarum*? R. Reliquiarum nomine intelliguntur Sanctorum corpora, & quælibet ipsorum particulæ, aut ossium, carnium &c. item capilli, ungues, dentes, cineres, pulveres, in quæ conversa sunt; item ea, quibus tempore vitæ usi sunt, ut vestes, vela, panni &c. & denique alia quæcunque, quæ ad eorum corpora, vel ossa adhibentur, vel quæ ipsa tetigêre, aut aliquo modo ad ea pertinent. Ita Sanch. *l. 2. mor. c. 43. n. 2.* Vallens. *hic n. 1.* Schambog. *n. 2.*

41 Quæritur 2. an rectè colantur Sanctorum Corpora, & Reliquiæ? Insurgunt adversùs istarum cultum Novatores, & in contrarium opponunt 1. *c. 34. Deut.* ubi refertur, Moysen *sepultum fuisse in valle terræ Moab contra Phogor, nec cognovisse hominem sepulchrum ejus usque in præsentem diem*, cujus facti ratio ea communiter traditur, ne ab Hebræis adoraretur. ergo si Deus voluit sepulchrum Moysis latere, ne adoraretur, sequitur, quòd Sanctorum corpora non sint adoranda. 2. quia apud *Matth. 22. v. 24. & Luc. c. 11. v. 48.* Scribæ, & Pharisæi reprehenduntur tanquam Hypocritæ, quòd ædificarent sepulchra Prophetarum, & ornarent monumenta justorum. 3. quia nullum reperitur præceptum Christi Domini de Reliquijs venerandis. ergo quia venerandæ non sunt.

42 Sed certa est Catholicorum sententia, approbata à S. Synodo Trid. *sess. 25. in Decret. de invocat. & venerat. Sanctor. Sanctorum Martyrum & aliorum cum Christo viventium Sancta Corpora - - - à fidelibus veneranda esse, ita, ut affirmantes, Sanctorum Reliquijs venerationem, atque honorem non deberi, vel eas, aliáque Sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis implorandæ causâ Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandi sint, prout jam pridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia. Ratio*, quam Trid. *l. cit.* innuit, est tum quòd *viva membra fuerint Christi, & Templum Spiritûs Sancti*, tum quia per illa multa Beneficia à DEO hominibus præstantur; si enim sudarijs, & semicinctijs S. Pauli, etiam à corpore ejus separatis, tantam vim attribuit DEUS, ut faceret recedere languores, & egredi Spiritus nequam. *Act. 19. v. 11. & 12.* si umbræ corporis D. Petri datum, ut ab infirmitatibus liberaret. *Act. 5. v. 15.* quidni & ipsis Corporibus tantum attribuere potest DEUS, ut eorum attactu pristina redeat sanitas, hoc modo honorando eos, qui ipsius DEI Hominis vestigia secuti sunt? unde & S. Basilius, & Leo Imperator *l. decernimus 26. C. de Episc. & Cler.* edixerunt, Sanctorum Reliquias esse pretiosas, & propterea illas non in locis voluptatis, sed in templis jusserunt reponi, sicut & Catholica Ecclesia à sui initio summa cum reverentia eas semper fuit prosecuta.

43 Neque in contrarium urgent Argumenta Novatorum. *Ad 1.* fateor DEUM voluisse latere sepulchrum Moysis, ne à Judæis, tanquam DEUS, adoraretur, & sic laberentur in Idololatriam: per hoc tamen non prohibuit, ne coleretur, ut DEI famulus. *Ad 2.* Sepelire aliquis occisum potest, ut honoret, & sepelire potest, ut compleat actum homicidæ: sepelijt Enoch Adamum, ut honoraret; sepelijt Cain Abelem, ut scelus suum occuleret. Judæi, etiamsi dicerent se ædificare sepulchra Prophetarum, ut eos honorarent, facto tamen contrarium indicabant, & propterea jure re-

prehendebantur, quòd sub specie Religionis Prophetas insectarentur, prout eventus docuit, quia Christum, ejúsque Discipulos occiderunt. *Ad 3.* etsi præceptus à Christo cultus Reliquiarum non sit, statutus tamen reperitur per SS. Canones ab Ecclesia, cui parendum est.

Quæritur 3. quid requiratur, ut Reliquiæ Sanctorum coli possint? R. ut cultu privato colere aliquis Reliquias Sanctorum possit, satis est viri probi, & Religiosi authoritas, qui eas tradidit, vel quælibet alia conjectura prudens, unde judicari prudenter possit sic esse. Ita Suar. *in 3. p. q. 25. art. 6. D. 55. ¥. at verò ut Reliquiæ.* Vasq. *de Adorat. Imag. l. 3. D. 3. c. 8. n. 114.* Azor *p. 1. l. 9. c. 8. q. 8.* Sanch. *l. 2. c. 43. n. 13.* qui addit, sufficere hanc certitudinem, ut tales Reliquiæ adorari etiam possint cultu absoluto, & sine conditione adjecta. *Rationem dat*; quia in rebus moralibus non est petenda major certitudo, quàm quæ requiritur, & sufficit ad exercendos alios Virtutum actus: & quamvis hæc certitudo sit conjuncta cum periculo erroris, formaliter tamen non erratur, cùm formalis ratio Cultûs sit ipsa Sanctitas. 44

Difficultas est, quid requiratur, ut venerationi publicæ possint exponi Reliquiæ de novo inventæ? Videtur sufficere authoritas Episcopi. 1. quia juxta Trid. *sess. 25. in Decret. de Invocat. & Reliq. Sanctor.* prohibentur illæ exponi ad cultum publicum, sine approbatione Episcopi, igitur si Episcopus eas approbaverit, ita exponi possunt Reliquiæ. 2. Trid. *l. cit.* eodem modo loquitur de novis Reliquijs, & de novis miraculis, atqui novorum miraculorum discussio permittitur Episcopis per idem Trid. ergo & approbatio Reliquiarum pro cultu publico. 3. in eodem Decreto Episcopo, tanquam Privilegium, concessa est potestas approbandi Reliquias de novo inventas, sed nisi Decretum hoc accipiatur de Reliquijs Sanctorum etiam non canonizatorum, nullum foret hoc privilegium; quia quando certum est, quòd sint Reliquiæ alicujus Sancti canonizati, eas approbare Episcopus de Jure communi jam ante Trid. poterat. 45

Sed distinguendum est inter Reliquias omnino novas, & antiquas alicujus Sancti de novo inventas. *Priores* publicæ veneration exponi sine Sedis Apostolicæ authoritate nequeunt *c. fin. ¥. inventas h. tit. De posterioribus* videndum, an ex scriptura, vel instrumento publico cum ipsis reperto, vel aliunde certò constet eas alicujus Sancti antiquitus approbati esse, vel an dubium illud sit. *Si primum*, sufficit authoritas Episcopi eas recognoscentis, & approbantis juxta *Decretum Synodi Trid. cit.* & *Const. Sixti V.* incipit *Dominus 88. Bullar. tom. 2. Si secundum*, procedit dispositio *c. fin. cit.* quâ statuitur, ut Reliquias, *de novo inventas, nemo publicè venerari præsumat, nisi priùs authoritate Romani Pont. fuerint approbatæ.* 46

Neque contrarium probant Argumenta oppositа. *Ad 1.* Decretum Trid. intelligendum est de Reliquijs Sanctorum canonizatorum noviter inventis; non verò de alijs alicujus inter Sanctos nondum relati: nam has approbando ad Cultum publicum, Episcopus indirectè Sanctum canonizare videretur pro sua Diœcesi contra textum *c. audivimus 1. h. tit.* & unanimem DD. sensum. *Ad 2.* Episcopo inquisitionem, & receptionem testium super alicujus non canonizati miraculis permittit Jus commune *c. venerabili 52. de testib.* ad expositionem autem Reliquiarum non canonizati noviter inventarum Apostolicam authoritatem diserte requirit *c. fin. cit.* Unde cùm Trid. pari modo de miraculis, & Reliquijs noviter inventis loquitur, ad evitandam correctionem Jurium id intelligendum est de Reliquijs Sancti Canonizati noviter inventis. Schamb. *hic n. 15. Ad 3.* hoc Decreto nullum Episcopis concessum in hoc negotio est novum privilegium contra Jus commune, cùm nullis usum sit verbis derogatorijs, sed præscribitur tantùm forma servanda in approbandis Reliquijs Sancti canonizati noviter inventis; ut notat Suar. *D. 55. cit. sect. 2. ¥. sed quæret aliquis.* Philiarc. *de Offic. Sacerd. tom. 1. p. 2. l. 3. c. 9. fin.* Azor *p. 1. l. 9. c. 8. q. 8.* Sanch. *l. 2. mor. c. 43. n. 10.* qui *n. 11.* addit, sufficere tamen, si de sanctitate personæ per traditionem, aut universalem Ecclesiæ consensum constet; quia hæc Canonizationi æquipollent. 47

Quæritur 4. quid præterea circa Reliquiarum approbationem notandum? R. 48
1. fieri debet modo, quem *in Decreto cit.* præscribit Trid. nempe, ut Episcopus approbaturus Reliquias consulat Theologos, & alios viros probos & doctos, & illis consultis, exequatur, quæ veritati, & pietati consentanea videbuntur. Ex quo colligit Sanch. *l. 2. mor. c. 43. n. 15.* auditâ Theologorum sententiâ, decisionem esse penes solum Episcopum, nisi grave aliquod dubium suboriatur; nam Trid. solùm petit, ut eos Episcopus in hoc negotio adhibeat in consilium. at ubi consilium petitur, non oportet illud sequi *l. cùm pater 77. §. mando 24. ff. de Legat. 2.* unde Episcopus etiam contra TT. vota potest decernere.

2. Si gravis aliqua suboriatur quæstio, cogendum erit Concilium Provinciale, & hujus sententia exspectanda, antequam controversiam Episcopus dirimat. Dirimetur autem ad majorem partem Suffragiorum; nam constitutum à majori parte Concilij dicitur constitutum esse ab ipso Concilio *c. Apostolicâ 12. dist. 56.* 49

3. Hanc approbationem potest Episcopus, etiam extra Diœcesim suam existens, facere, & licentiam concedere, ut in

in Diœcesi collocentur venerandæ; quia hic actus est Jurisdictionis voluntariæ, non contentiosæ; qui proin non exercetur inter partes invitas. Sanch. *l. cit. n. 10.* & apud hunc DD.

50 4. Si semel approbatæ legitimè sunt Reliquiæ Bullâ Apostolicâ, aut testimonio Episcopi, cùm transferuntur in aliam Ecclesiam, non debent iterum approbari ab hujus Episcopo, sed tantùm examinari, an sint eæ Reliquiæ, quæ in Litteris Apostolicis, vel Episcopi testimonio continentur; quodsi veritatem inveniat Episcopus, licentiam dare potest publicè eas collocandi in sua Diœcesi, neque ad hoc eidem opus erit aliorum consilio. Sanch. *l. cit. n. 18.*

5. Suppositâ approbatione legitimè facta, Reliquiæ coli possunt absolutè, & sine conditione adjecta. Suar. *D. 55. cit. sect. 2.* Ratio est quia prudenter, & piè creditur, DEUM non permissurum errorem in publico cultu: & si contingeret etiam talis error, materialis tantùmmodo esset, & sine culpa, cùm procedatur ex certitudine, quâ major in humanis nulla est requirenda. Idque verum ait *cit.* Suar. etsi Corpus alicujus Sancti dicatur esse in diversis locis; quia intelligi hoc potest de Sanctis diversis ejusdem nominis, vel solùm de diversis partibus ejusdem Sancti, cùm ferè nusquam in uno loco sit totum Corpus alicujus Sancti.

51 Quæritur 5. an si cum Reliquijs approbatis misceantur aliæ non approbatæ, liceat eas populo colendas proponere? Videtur, posse hoc fieri ob paritatem cum aqua benedicta, & oleo consecrato; nam si aquæ benedictæ misceas non benedictam, & oleo consecrato misceas non consecratum, totum manet benedictum, & consecratum *c. quod in dubijs 3. de consecr. Eccl.* & *ibi* Glossa: & ratio est; quia dignius trahit ad se minùs dignum, præsertim si benedictum, & consecratum sit in majori quantitate. igitur idem dicendum est, cùm Reliquiæ approbatæ miscentur non approbatis.

52 Sed dicendum, tali casu posse quidem eas Reliquias, quas constat esse alicujus Sancti, & quæ approbatæ sunt, coli, non verò illas, quæ approbatæ non sunt: & hinc istæ simul cum approbatis ad venerationem proponi non possunt publicè. Ita Suar. *D. 55. cit. sect. 2. ℣. at verum.* Sanch. *l. 2. mor. c. 43. n. 12. & 19.* Bonacin. *D. 3. q. 1. p. 4. n. 6.* Pal. *D. 1. de Adorat. p. 6. n. 12.* Ratio est; quia Reliquiæ coli non possunt, nisi verè fuerint alicujus Sancti. atqui per hoc, quòd misceantur cum veris Reliquijs, non fiunt Reliquiæ alicujus Sancti. ergo &c.

53 Unde non est paritas cum aqua benedicta, & oleo consecrato; nam prærogativa ista procedit in solis liquoribus ob intimam illorum inter se mixtionem. In Reliquijs diversa est ratio; nam ratio colendi istas sola est, quia pertinent ad aliquem Sanctum, ut paulò antea dixi. atqui Jus positivum non potest facere, ut quælibet Reliquiæ, per mixtionem positæ inter alias veras Reliquias, ad ipsum Sanctum pertineant. ergo licèt ob *c. cit.* aqua non benedicta affusa aquæ benedictæ debeat haberi pro benedicta, non tamen ob eundem textum Reliquiæ non approbatæ, mixtæ cum approbatis, haberi possunt pro approbatis, & ad cultum proponi publicè. 54

Dixi autem, *posse Reliquias, quas constat esse alicujus sancti, coli, & proponi ad cultum*; nam si dubium sit, quænam sint veræ, nullæ proponi ad cultum publicum possunt, sed omnes in loco decenti custodiri, & separari à certò veris. Addidi, *tales Reliquias ad venerationem non posse proponi publicè*; nam ut Sanch. *n. 17.* & cum eo Dian. *V. Reliquiæ* docent, non est illicitum proponere adorationi Crucem ornatam varijs Reliquijs, etiam non approbatis; tum quia sic usus videtur obtinuisse; tum quia in tali casu non Reliquiæ, sed Crux adoranda proponitur, & siquis eas adoret, hoc erit per accidens, & pertinebit ad cultum privatum. Contrarium tamen sentit Bonacina, & etiam tali casu Ordinarij approbationem desiderat.

55 Quæritur 6. quid observandum in ostensione Reliquiarum? ℣. 1. Reliquiæ antiquæ, dum populo ostenduntur, non debent extrahi ex capsa, seu loculo, quo reconduntur *c. fin. ℣. ne in posterum*, ubi etiam ratio redditur, ne populus, videns ossa pelle, & carnibus denudata, adorationem detrahat, putans non esse Reliquias Sancti, quæ ita vetustate consumptæ sunt, cùm tamen meminisse deberent, omnibus generaliter dictum esse, *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Gen. *3.* exceptis illis, qui ex speciali gratia à corruptione sunt præservati. Host. *in c. fin. cit. ℣. extra capsam*, Abb. *ibid. not. 2.* Sanch. *l. 2. mor. c. 43. n. 21.* Pal. *D. 1. de adorat. p. 6. n. 13.* Pirh. *hic n. 10. not. 2.*

56 2. In earum exhibitione vitanda est omnis avaritiæ species. Hinc pro pretio ostendi non possunt: & si quidem Oblationes deducerentur in pactum, aut principaliter intenderentur, tanquam pretium ostensionis, ista Simoniaca foret. Quodsi tamen sine pacto, & non tanquam pretium ostensionis, præcisè tanquam donum gratuitum reciperentur, & sperarentur, vel intenderentur, probabiliùs non committeretur Simonia; quia Simonia est emptio venditio, quæ non datur sine pretio. Sanch. *c. 43. cit. n. 22.* Gonzal. *in c. fin. cit. n. 8.* Pirh. *not. 2. cit.* Schamb. *n. 13.* Wiestner *n. 12.*

57 Quæritur 7. an Sanctorum Reliquiæ exponi venales possint? Affirmativam videntur evincere Historiæ. sic enim 1. tunicam Christi inconsutilem pretio pecuniario ab Infidelibus redemerunt Christiani, ut re-

fert Baronius *ad annum Christi 54.* 2. ossa S. Augustini Ecclesiæ Doctoris à Sarracenis magno pretio accepit Luitprandus, & Ticinum transtulit, ut narrat Paulus Diaconus *l. 6. de gest. Longobard. c. 46.* 3. eodem Baronio teste *ad annum 725.* Reliquiæ S. Ignati Martyris pretio mediante sub Traiano Imp. Antiochiam translatæ sunt Anno 111. 4. Henricus Imperator non solùm aurum Rudolpho misit, sed Sueviæ quoque partem illi dedit pro Lancea, quâ Christi latus perfossum est. 5. brachium S. Joannis Baptistæ 140. libris argenti; & alterum brachium S. Augustini uno auri, & 100. argenti talentis est comparatum apud Raynaud. *Heteroclyt. Spirit. p. 1. sect. 3. p. 8. n. 20.* Gonzal. *in c. fin. h. tit. n. 7.*

58 Sed distinguendum est, an pretium pecuniarium petatur ratione Sanctitatis defuncti, ratione benedictionis, aut alicujus fructûs Spiritualis ex ipsis percipiendi, an solùm ratione auri, argenti, gemmarum, quibus exornatæ sunt, vel in compensationem expensarum, quæ factæ sunt in ijs asportandis, aut ornandis. *Si primum*, certum est, pretium pecuniarium non posse peti sine Simoniæ vitio, prout clarè patet ex *c. fin. h. tit. & l. nemo 3. C. de SS. Eccl.* Ratio clara est; quia Reliquiæ Sanctorum æstimabiles tantùm sunt propter relationem ad animam Sancti, qui fuit Templum Spiritûs Sancti, ac proinde annexæ sunt Spirituali. sed res Spirituales, ac Spirituali annexæ vendi non possunt, cùm æstimationem non recipiant. Gloss. *in c. fin. cit. V. Simonia.* Host. *ibid. pr.* Ant. de Butrio *n. 8.* Vivian. *pr.* Gonz. *n. 7.* Barbos. *n. 3.* Fagnan. *n. 1. & 2.* Pirh. *hic n. 10.* Schambog. *n. 11.* Wiestner *n. 9.* *Si secundum*, ratione talium ornamentorum, & expensarum pretium peti, & augeri potest, cùm talia ornamenta, & expensæ sint aliquid merè temporale, & æstimationem recipiant. Sanch. *l. 2. mor. 43. n. 29.* cum *citt.*

59 Ad exempla in contrarium allata dictæ Reliquiæ ab Infidelibus, & his similibus injustis detentoribus non tam emptæ, quàm ab injuria & Sacrilega contrectatione vindicatæ sunt, ita, ut pecunia, pro ijs adnumerata, non tam pretium, quàm instrumentum redemptionis ab injusta vexatione fuerit: cujusmodi redemptionem à Simonia immunem esse *arg. c. dilectus 28. de Simon.* communis DD. sensus est. Quando Catholici à Catholicis Reliquias Sanctorum, pecuniâ persolutâ, comparârunt, excusari debet per ignorantiam, & simplicitatem solventium; vel dici debet, quòd ea pecunia non pretij, sed antidori, pro insigni munere accepto dati, rationem habuerit, ut rectè observat Raynaud. *n. 20. cit.*

Quæritur 8. an Corpora, & Reliquiæ 60
Sanctorum ab una Ecclesia in aliam transferri ab Episcopo possint sine Sedis Apostolicæ authoritate? Facilè consentiunt DD. plerique, ita transferri posse, antequam tradita sint in sepulturam perpetuam *arg. l. si necdum 10. C. de Relig. & sumpt. fun.* Gloss. *in can. corpora 37. V. Principis de consecr. dist. 1.* Sylv. *V. Reliquiæ n. 1.* Sanch. *l. 2. mor. c. 43. n. 25.* Pal. *D. 1. p. 6. n. 14.* Pirh. *hic n. 12.* Schambog. *n. 21.* Wiestner *n. 15.*

Si perpetuæ sepulturæ tradita jam sint, 61
Gloss. *V. cit.* Host. *in Summ. n. 2.* Joan Andr. *n. 2.* ad translationem requirunt authoritatem Papæ *arg. l. fin. C. de Relig. & sumpt. funer.* ubi Principis authoritas ad id requiritur: quod confirmatur ex *can. Corpora cit.* ubi requiritur consilium *Principis*, quo nomine Gloss. *cit.* intelligit Papam.

Sed melius id etiam hoc casu per- 62
missum Episcopis docent Angel. *V. Reliquiæ n. 1.* Sylv. *n. 3.* Sanch. *n. 25. cit.* Fagnan. *in c. fin. h. tit. n. 15.* Pirh. *hic n. 12.* Schambog. *n. 19.* Wiestner *n. 16.* Ratio est; quia Reliquiarum translatio non est de causis Ecclesiæ majoribus, ut propterea Episcopis negata censeri debeat.

Neque obstant textus in contrarium 63
allegati; nam *in can. Corpora cit.* ut alij convenientiùs explicant, nomine Principis non Papa, vel alia persona Ecclesiastica, sed Princeps Sæcularis significatur, & hujus quidem non licentia (cùm translatio actus Spiritualis sit) sed consilium duntaxat adhiberi jubetur.

Ut tamen rite translatio ista fiat, 64
præter consensum Episcopi opus est justâ causâ, & consensu Capituli; nam hoc *in can. Corpora cit.* nomine *Synodi* venit, ut existimat *Turrecrem.* & alij *arg. can. placuit. 12. q. 2.* & ratio est; quia ipsarum translatio est species quædam alienationis, ad quam juxta dicta *Tit. 13. n. 54. &c.* justa causa, & Capituli, sive majoris partis ejusdem consensus requiritur. Fagnan. *in c. fin. cit. n. 29.*

Quæritur 9. quale peccatum sit fur- 65
tiva subtractio Reliquiarum? R. est peccatum Sacrilegij, nisi essent in locis Infidelium conditæ; quia aufertur Sacrum de loco Sacro, vel Sacrum de non Sacro: quod fieri non potest sine injuria Ecclesiarum, in quibus sunt conditæ, & perpetuæ Sepulturæ traditæ. *Neque refert*, etsi talis subtractio devotionis causâ sit facta; quia devotio exercenda est sine injuria alterius: hinc ut ex tali etiam fine licita sit ablatio, cum Superioris legitima authoritate fieri debet. Turrecrem. *in can. Corpora cit.*

TITU-

TITULUS XLVI.

De Observatione Jejuniorum.

SUMMARUM.

1. Duplex acceptio Jejunij.
2. Divisio in Naturale, Morale, Liberum, & Ecclesiasticum.
3. In quo delectus ciborum, in Jejunio Ecclesiastico requisitus, consistat?
4. 5. 6. An requiratur etiam delectus in potu?
7. 8. 9. An ubi licita est comestio lacticiniorum, etiam permissus sit usus sagiminis, & lardi?
10. Quorum animalium carnes prohibeantur die Jejunij?
11. Quo Jure introductum sit præceptum unicæ refectionis, requisitæ ad Jejunium Ecclesiasticum?
12. Quomodo peccet, qui in hac refectione comedendo excedit limites temperantiæ?
13. 14. 15. Quomodo refectio debeat esse unica, ut dicatur impleta præcepti hujus substantia?
16. 17. 18. An cui licitus est esus carnium, etiam permissa sit secunda refectio, & esus cæterorum ciborum, qui diebus esurialibus aliàs prohibentur?
19. 20 Quo tempore refectio die Jejunij sumenda sit?
21. 22. 23. An, & quale peccatum sit Cœnæ horam in die Jejunij prævertere?
24. Quo Jure introductus sit usus Collatiunculæ Vespertinæ:
25. 26. Quantum cibi sumere in illa liceat?
27. An in Vigilia Nativitatis, & Paschatis plus sit concessum?
28. 29. Quid in eadem refectiuncula observandum circa qualitatem ciborum.
30. An ordine mutato, collatio sumi possit circa meridiem, cænâ ad occasum Solis dilatâ?
31. Jejunium celebrat Ecclesia in Quadragesimâ.
32. Ferid IV. VI. & Sabbato quatuor temporum.
33. In Vigilijs certarum Festivitatum.
34. Ferid VI. & Sabbato per annum abstinet à carnibus.
35. In Adventu, & Rogationibus non est obligatio jejunandi.
36. 37. An Jejunium die Dominica licitum sit?
38. An vovens Jejunium, aut abstinentiam die Veneris, id observare etiam teneatur, quando Festum Nativitatis in hunc diem incidit?
39. Deciditur Quæstio.
40. Solvuntur Argumenta opposita.
41. Obligatio Jejunij est per se sub peccato mortali.
42. Excusat autem primò ætas.
43. Secundò Corporis Infirmitas.
44. Tertiò Necessitas proveniens ex paupertate.
45. Quartò Labor Corporis.
46. Quintò Pietas.
47. Sextò Consuetudo.
48. Septimò Dispensatio.
49. Quæ necessaria est ad comedendas carnes etiam illi, qui ob infirmitatem &c. non tenetur jejunare.
50. Exceptio.

1 INter actus, qui celebrari in Ecclesia solent, est etiam promulgatio Vigiliarum, & Jejuniorum, quæ nonnullis Christi Domini, & Sanctorum Festivitatibus, ad excitandam devotionem majorem, & ampliorem gratiam promerendam, ex Ecclesiæ præcepto præmittuntur *c. consilium 2. h. tit.* Porro Jejunij vox abstinentiam significat: & duplex Jejunium ea voce significatur: unum *impropriè*, ac *Metaphoricè dictum*, quod est abstinentia *ab iniquitatibus*, & *illicitis voluptatibus sæculi*, ut loquitur S. Augustinus relatus *can. Jejunium 25. de consecr. dist. 5.* ubi *magnum*, *generale*, & *perfectum* jejunium istud appellat. Alterum *propriè dictum*, quo significamus abstinentiam à cibis, sive moderationem, & parsimoniam victûs in quantitate, & qualitate.

2 Quæritur 1. quotuplex sit Jejunium in hoc secundo sensu acceptum? R. ex communi aliorum sententia Laym. *l. 4. tr. 8. c. 1. n. 1.* illud dividit in Naturale, Morale, Liberum, & Ecclesiasticum.

Naturale est abstinentia ab omni cibo, & potu in stomachum transmisso: & tale à media nocte, seu duodecima noctis servari debet usque ad celebrationem Missæ, & Eucharistiæ sumptionem, ut dictum est *Tit. 41. n. 20.*

Morale, quod etiam *Virtutis* dicitur, consistit in abstinentia, sive moderatione cibi, & potûs, secundùm Leges prudentiæ, in illis mediocritatem sectantis: & tale Jejunium, ut quotidianum sit, omnibus temperantiæ studiosis commendatur *can. non dico 17. can. sint tibi 18. & 19. dist. cit.*

Liberum quod secundùm rectam rationem, ex motivo alicujus Virtutis, sine præcepti obligatione suscipitur: cujusmodi modus jejunandi, seu abstinendi à delectationibus cibi, & potûs varius esse potest: de qua varietate videri possunt S. Irenæus *apud Euseb. l. 5. c. 24.* Philo *l. de Vit. Theoric.*

ric. S. Auguſt. *Epiſt. 118. ad Januar.* Epiphan. *in compendiar. doctrin.* & alij apud Marcellum Francolinum *de Hor. Canon. c. 38.*

Eccleſiaſticum denique, quod ſecundùm formam ab Eccleſia præſcriptam inſtituitur, & definiri ſolet apud *Abbatem*, & alios *Canoniſtas*, quòd ſit *abſtinentia à carnibus &c. & prandij, ac poſt cœnam cujuslibet cibi ſubtractio, uſque in diem ſequentem.* Ex quo ſequitur tria omnino ad Eccleſiaſticum jejunium (de quo ſolo hìc ſermo erit) requiri, ſcilicet 1. delectum ciborum. 2. unitatem refectionis. 3. tempus Cœnæ: de his plura diſcutienda ſunt; & hinc

3 Quæritur 2. in quo delectus ciborum, pro Jejunio Eccleſiaſtico requiſitus, conſtituatur? ℟. 1. & præcipuè ſitus eſt in abſtinentia à carnibus *can. ſtatuimus 4. diſt. 4.* & *can. de eſu 10. de conſecr. diſt. 3.* quæ ſemper, & omnibus jejuniorum diebus ubique obſervatur, ac de jejunij eſſentia præcipuè eſſe cenſetur. 2. prohibetur comeſtio eorum, quæ ſementinam carnis originem trahunt, ut ſunt ova, lac, butyrum, caſeus. *can. fin. ℣. par. eſt diſt. 4.* ſaltem in Quadrageſima; nam extra Quadrageſimam jus commune ova, & lacticinia permittit. Laym. *l. 4. tr. 8. c. 1. n. 3.* Fagnan. *in c. conſilium 2. h. tit. n. 54.* Vallenſ. *hic n. 2.* Schamb. *n. 2.* Imò etiam in Quadrageſima in quibusdam, & plerisque Germaniæ noſtræ Provincijs, ex conſuetudine paſſim recepta, propter piſcium, & olei penuriam, ova, butyrum, & cætera lacticinia permiſſa cenſentur. Laym. *l. cit.* cum *alijs.*

4 Dub. 1. an ſicut ad Jejunium requiritur delectus ciborum, ita etiam potûs? ℟. diſtinguendo inter potum propriè talem, ſeu illum, qui non ad alendum corpus, ſed ad cibi diſtributionem, & ſanguinis refrigerationem per ſe ordinatur, & inter potum, qui cibum admixtum habet, & ob nutriendi vim, quâ pollet, potiùs eſt cibus, uti eſt lactis, & juſculorum &c. *Potus poſterioris generis* extra Cœnam prohibentur, ut rectè Paludan. *in 4. diſt. 15. art. 4. concl. 3.* Azor *p. 1. l. 7. c. 8. q. 7. ℣. ſciendum*, Wieſtner *hic n. 6. ℣. alia.* & communis cæterorum.

5 *Prioris generis Potus* Jejunio, prout illud ab Eccleſia inſtitutum, & hodie receptum eſt, non obeſt, licèt & ipſe aliquando nutriat; nam id per accidens eſt, & Eccleſia in jejunio id ſolùm reſpicit, quod per ſe alit, & in cibum, atque alimentum ſumitur. Vallenſ. *hic n. 3.* Schambog. *n. 5.* Wieſtner *n. 6. cit.* Hinc vini ſumptio, ſi moderata ſit, quacunque diei horâ licita hodie eſt; ſi immoderata, temperantiæ quidem, non tamen jejunij Eccleſiaſtici præcepto adverſatur. Azor *q. 7. cit. princ.* Fagund. *de 4. Eccl. præcept. c. 2. n. 7.* cum *allegatis.*

6 Addidi *Hodie*; quia primis Eccleſiæ temporibus Chriſtiani diebus jejunij, præſertim Quadrageſimalis, etiam abſtinuerunt à vino, prout ex S. Clement. *Conſt. Apoſt. libr. 5. c. 17.* Tertullian. *de jejun. c. 6.* Cyrill. Hieroſol. *Catecheſ. 14.* Gregor. Nyſſen. *Orat. de Jejun.* Baſil. *homil. 1. de Jejun.* Auguſt. *ſerm. 64. de temp.* notant Laym. *l. 4. tr. 8. c. 1. n. 4.* Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 6.* Wieſtner *l. cit.* Imò ſex diebus Hebdomadæ Sanctæ populus Chriſtianus cibis tantùm aridis, pane videlicet, ſale, & oleribus, atque aquâ in potum victitabat; duobus verò ultimis diebus, Paraſceve videlicet, & Sabbato omnino jejuni perſeverabant, teſte Clem. *l. cit.* Alcuino *de Offic. Divin. c. de Cœn. Dom.* Laym. *n. 4. cit.*

Dub. 2. an in locis, in quibus conſuetudine, vel privilegio licita diebus jejuniorum eſt comeſtio lacticiniorum, etiam permiſſus ſit eſus ſanguinis, ſagiminis, & pinguedinis ex lardo porcino, aut adipis anſerum, vel aliorum animalium? Affirmant Gloſſ. *in can. Presbyter 5. V. ſanguine diſt. 82.* Hoſt. *in Summ. de Obſervat. Jejun.* Abb. *in c. conſuluit 7. de Judæis n. 2.* Sylv. *V. Jejunium n. 16.* Fagund. *de 4. Eccl. præcept. c. 2. n. 20.* Dian. *p. 1. tr. 9. reſol. 21.* qui proinde pro Regula tradunt, quòd cui conceditur uſus ovorum, caſei &c. intelligatur etiam conceſſus uſus ſagiminis, ſeu lardi. *Rationem* Diana dat *l. cit.* quia pinguedo, & ſimilia, licèt carni affinia, caro tamen non ſunt ſecundùm Ariſtotelem *l. 2. de Generat.* perinde, ut ova, & lacticinia. igitur non erunt prohibita ijs, quibus iſta permiſſa ſunt.

Verùm licèt ſententia iſta ſpeculativè 8
probabilis videri poſſit, probabilior tamen multò eſt negativa: quam confirmat Germaniæ conſuetudo, quâ eſus lacticiniorum, & ovorum permiſſus eſt, prohibitus eſus ſanguinis, & adipis: & meritò; nam ſi iſtâ liceret veſci, non leve periculum foret, ne hominum gula ad farcimina etiam, & juſcula carnium paulatim extenderetur, maximo ſcandalo, & jejunij Eccleſiaſtici detrimento. *Ratio à priori eſt;* quia conſuetudo veſcendi ovis & lacticinijs, cùm ſit contra *Jus*, ſtrictæ interpretationis eſt; conſ. ad caſus alios extendi non debet. Laym. *n. 5.* Engl *n. 2.* König *n. 13.* Wieſtner *n. 9.*

Poterit tamen, ut Laym. *l. cit.* ob 9
ſervat, ſententia DD. affirmantium Confeſſario in his Regionibus ad tria inſervire. 1. Ut pauperibus facultatem talibus veſcendi faciliùs concedat ob paupertatem. 2. Ut etiam ditiores propter uſum ſagiminis, ſeu lardi in cibis condiendis non facilè mortalis peccati condemnet; quia licèt conſuetudo apud nos non ita lardi, & ſagiminis, ſicut ovorum, caſei, & butyri uſum concedat, eſt tamen etiam perſuaſio, minorem eſſe lardi, & ſagiminis, quàm carnis ipſius prohibitionem. 3. Quòd ancillis, quæ juſſu herarum lardum porcinum, aut anſerum pingue,

guedinem diebus jejuniorum loco butyri adhibent, si imperium detrectare nequeant, facilè permittere possint, ut coquant, & comedant.

10 Dub. 3. quorum animalium carnes prohibeantur die Jejunij; Sunt, qui Regulam statuunt, & putant, prohibitam comestionem carnium tantùm ex animalibus terrestribus, sive ijs, quæ diu extra aquam vivere possunt; non verò ex aquatilibus, seu illis, quæ nequeunt diu extra aquam vivere, quòd hæc piscium potiùs nomine veniant.

Sed Regula hæc universalis non est; nam limacibus, & testudinibus in die jejunii licitè vescimur, licèt extra aquam diu vivant; contrà sine jejunii violatione nemo vescitur fulicis, & similibus animalibus extra aquam non diu viventibus.

Hinc ista in re præ oculis habenda est mens Ecclesiæ, prohibentis comestionem carnium, quæ carnes prohibendo intendit subtrahere fidelibus alimenta, quæ multùm nutriunt, & vires hominum admodum reficiunt. Deinde attendenda communis hominum existimatio, & usus, qui testudinum, & limacum comestionem permittit, fulicarum autem, & aliorum similium, quæ in aquis ut plurimùm degunt, prohibet. Wiestner *hic. n. 10.*

11 Quæritur 2. quo Jure introductum sit præceptum unicæ refectionis, ad Jejunium Ecclesiasticum requisitæ? Refundunt hoc aliqui in Jus Ecclesiasticum scriptum, & pro se allegant *can. Quadragesima 16. de consecr. dist. 5.* Sed quia nec iste, nec alij textus Juris Sacri clarè ejusdem præcepti meminerunt, hinc dicendum, quòd ortum habeat ex universali, antiquissima, & Apostolis coæva consuetudine. Sylv. *V. jejunium n. 9.* Azor *p. 1. l. 7. c. 9. q. 1.* Less. *l. 4. de J. & J. c. 2. n. 9.* Wiestner *hic num. 11.* Rationem dat S. Thom. *2. 2. q. 147. art. 6.* quòd jejunium introductum sit ad domandum, non destruendum corpus: quod omnino contingit, si cibum bis sumere solitus, eum semel duntaxat in die sumat; cùm corpus non domaretur, si eum sumeret bis, & si nihil sumeret, destrueretur. Et in hac quidem refectione ex communi DD. sensu plus cibi, intra temperantiæ tamen limites, sumi potest, quàm alio tempore singulis refectionibus consuevit. Laym. *l. 4. tr. 3. c. 1. n. 5. ℣. alterum.* Engl *hic n. 3.* Wiest. *l. cit.*

Dub. 1. quomodo peccet, qui in hac 12 refectione comedendo excedit limites temperantiæ? *Ratio dubitandi* est; quia ita excedendo agit contra finem præcepti, sive domationem, & mortificationem carnis: ut adeo non videatur præceptum implere. *Sed dicendum*, excessum istum adversari quidem virtuti temperantiæ, per eum tamen adversùs Legem Jejunii Ecclesiastici non peccari; quia sic excedens revera unica refectione contentus est. Ita Innoc. *in hanc Rubr.* Medin. *C. de jejun. q. 11. §. sequitur etiam*, Less. *l. 4. de Just. c. 2. n. 10.* Laym. *l. 4. tr. 3. c. 1. ℣. alterum*, Wiestner *n. 11. cit. ℣. ea autem* cum cæteris. *Ad Rationem dubitandi* finis præcepti non cadit sub præceptum: cons. istud impleri potest, etsi finis præcepti non obtineatur. Solùm ergo sequitur, quòd amittatur meritum jejunii vel ex toto, si excessus mortalis sit, vel ex parte, si venialis, ut notant Less. Laym. *l. citt.*

Dub. 2. quomodo refectio debeat 13 esse unica, ut dicatur impleta præcepti hujus substantia? ℣. debet esse continuata moraliter, licèt physicè nonnunquam interrumpatur. Et hinc refectio iterata non censetur 1. Si à cœna nondum finita quis surgat ad conficiendum occurrens negotium, & eo confecto post modicum tempus v. g. unius quadrantis, aut etiam dimidiæ horæ ad illam perficiendam redeat; quia adhuc esse censetur eadem refectio moraliter. Cajetan. *V. Jejunium §. accidit tamen.* Azor *p. 1. l. 7. c. 9. q. 1.* Less. *l. 4. de Just. c. 2. n. 11. ℣. infertur 4.* Laym. *l. 4. tr. 3. c. 1. n. 6.* Wiestner *hic n. 12.*

2. In Monasteriis, si Lector, vel Minister Mensæ, antequam isto fungatur munere, modicum cibi, v. g. jusculum sumat: tum quia hoc ad officium illud melius obeundum conducit; tum quia sumptio illa prævia est quædam inchoatio cœnæ, quæ præstatione servitii intervenientis moraliter non interrumpitur. Navar. *Man. c. 21. n. 13.* Azor *q. 1. cit. in fin.* Less. *n. 11. ℣. infertur tertiò.* Laym. *n. 6. ℣. tertium.* Wiest. *n. 13.*

3. Si coquus, aut Dapifer Princi- 14 pis prægustet cibos sumendos ab ægrotis, aut appositos mensæ Principis, etsi tales sint cibi, qui diebus jejunii prohibentur; quia hæc prægustatio non ad refectionem, sed ex officio Charitatis, aut muneris ratione fit, ne quid malè præparatum æger, aut toxicum cibis admixtum Princeps sumat. Fagund. *l. 1. c. 4. n. 2.* Wiestner *l. cit.*

4. Si cùm quis extra tempus cœnæ quacunque ex causa bibit, addat paucas buccellas panis; quia id fieri solet, ne noceat haustus: ac proinde rationem medicinæ potiùs, quàm cibi habet, etsi per accidens etiam nutriat. Less. *n. 11. ℣. infertur quinto*, Laym. *n. 7. ℣. Quintum.* Wiestner *l. cit.*

6. Si quis accipiat medicinam: vel 15 sumat modicum quid electuarii, aromatis, confectionis ex saccharo ad debilis stomachi confortationem, conservationem vocis, aut aliâ simili causâ; quia non ut alimenta, sed ut medicamenta potiùs ad naturæ confortationem sumuntur, ut adeo substantia jejunii adhuc maneat integra, S. Thom. *2. 2. q. 147. art. 6.* Bellarm. *l. 1. de Jejun. c. 1.* Less. *n. 10. ℣. infertur secundò*, Laym. *n. 7. ℣.*

quintum. Beyerlink *in theatr. V. jejunium tom. 4.* Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 6.* Wiestner *l. cit.* *Excipitur*, si hujusmodi electuaria, & confectiones sumerentur in magna quantitate? tunc enim cibi potiùs, quàm medicinæ rationem haberent, & sic ex DD. *citt.* & aliorum communi sensu illarum sumptione violaretur jejunium.

16 Dub. 3. an cui ob infirmitatem judicio Medici, aut vi privilegij, vel dispensationis licitus est esus carnium, etiam permissa sit secunda refectio, & esus cæterorum ciborum, qui diebus esurialibus aliàs prohibentur? Videtur non esse permissum; quia præceptum abstinendi à carnibus, & à secunda refectione sunt dividua: & hinc, cui speciali Jure permissa est secunda refectio, aut esus aliorum ciborum, qui diebus esurialibus prohibentur, non hoc ipso

17 permissus est esus carnium.

Sed melius affirmativam defendunt Cajetan. *2. 2. q. 147. art. 1.* Azor *p. 1. l. 7. c. 10. q. 3. ℣. arbitror.* Fagund. *de 4. Eccl. præc. c. 2. n. 5. in fin.* Wiestner *hic n. 7.* Ratio est; quia per dispensationem ad esum carnium auferetur essentia jejunii Ecclesiastici: cons. etiam ejus præceptum, & obligatio ab ipso pendens cessat *arg. Reg. accessorium*

18 *42. in 6.*

Hinc negatur paritas instituta in *Ratione dubitandi.* Disparitatis ratio est; tum quia semper major causa exigitur, ut esus carnium permittatur, quàm ut permittatur secunda refectio, aut esus aliorum ciborum prohibitorum; tum quia ex communi fidelium sensu ei, cui permissa est secunda refectio, jejunium commutatum censetur in abstinentiam Ecclesiasticam, quæ carnium esum excludit.

19 Quæritur 3. quo tempore refectio die jejunij sumenda sit? ℟. olim extra Quadragesimam nonâ, quæ nostræ tertiæ pomeridianæ respondet; in Quadragesima autem vespertinâ horâ, sive in Solis occasu peragebatur, ut ex *can. solent. 50. de consecr. dist. 1.* S. Aug. *l. de morib. Eccl. c. 41. n. 39.* Hieron. *Epist. ad Eustoch. de custod. Virg.* Basil. *orat. 1. de jejun.* Benedict. *Regul. c. 41.* Bernard. *serm. 3. de Quadrag.* ostendunt Azor *p. 1. l. 7. c. 11. q. 2. ℣. mihi*, Laym. *l. 4. tr. 8. c. 1. num. 8. ℣. nam olim.* Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 8.* Engl *hic n. 4.* Wiestner *n. 14.* cujus observantiæ causam Fagnan. *in c. consilium 2. h. t. n. 52.* ex *Hug. Archidiac.* & *Abb.* affert exemplum Christi, qui 40. diebus jejunavit nihil omnino comedens, quod cùm humana fragilitas non patiatur, statuit Ecclesia, ut saltem per omnes 40. dies fictè sumptos fideles jejunarent; nam post Vesperas expletas dies fictè expletus dicitur, cùm aliud Officium diurnum non superfit.

20 Posterioribus Sæculis, cùm decrescentibus paulatim corporis humani viribus, & infirmitatibus ingravescentibus, homines sine refectione tamdiu ægerrimè perseverarent, & perferendis consuetis laboribus ac functionibus pares non essent, inductum est, ut refectio sumeretur sub meridiem, relicto cœnæ nomine, quâ etiam occasione simul in Quadragesima anticipatæ sunt Vesperæ, ut jam dicantur tempore antemeridiano, quæ olim, ut dictum, etiam in Quadragesima dicebantur sub occasum Solis Less. *l. 4. de J. & J. c. 2. n. 12.* Laym. *n. 8. cit. ℣. verum*, Fagnan. *in c. consilium cit. n. 50.* Engl. *n. 4. hic*, Wiest. *n. 15.* Quod tamen tempus, ut Less. *l. cit.* notat, requiritur, non positivè, quasi necesse sit eâ horâ cibum sumere; quia possumus tota die abstinere, si velimus: sed negativè, ne videlicet ante illam sumamus, notabili temporis spatio illam prævertentes.

Dubitatur, an, & quale peccatum 21
sit cœnæ horam in de jejunii prævertere? Videtur non esse peccatum; quia ex Navar. *Man. c. 21. n. 27.* Sylv. *V. jejunium n. 14.* & aliorum DD. communi sententia, licitè, imò, ut Fagund. *de 4. Eccl. præcept. c. 3. n. 3.* notat, laudabiliter, & prè pro cujusque arbitratu differri potest in Solis occasum. ergo præveniri etiam hora consueta poterit.

Sed distinguendum est, an cum, vel sine justa causa hora cœnæ anticipetur. *Si primum*, quia v. g. iter faciendum, hospes excipiendus, vel dimittendus, Concio, vel Lectio habenda, negotium conficiendum &c. conveniunt DD. licitè anticipari: & notat Less. *n. 13.* sufficere quamvis causam honestam; additque in multis Monasterijs ex privilegio, vel consuetudine receptum esse, ut sesqui horâ, vel amplius ante meridiem in jejunio prandeant.

Si secundum, interest, an anticipatio 22
sit notabilis, an verò non. *Si non est valde notabilis*, iterum conveniunt DD. eam anticipationem, etiamsi sine causa fiat, peccatum veniale non excedere. *Si verò notabilis sit*, v. g. duarum, aut unius horæ, inter se diffident; nam Innoc. *in hanc Rubr. n. 3.* Archidiac. *in can. unum orarium V. Jejunantibus dist. 25.* Angel. *V. jejunium n. 2.* Tolet. *l. 6. c. 2. n. 9.* Less. *n. 13. cit. ℣. contraria*, Vall. *hic n. 5.* Engl *n. 4.* Schamb. *n. 8.* & teste Laym. *l. 4. tr. 8. c. 1. n. 11.* plerique alij putant ad summum esse veniale; quia ut Less. *l. cit.* dicit, non violatur substantia jejunii, quæ solùm in abstinentia ab esu carnium, & secunda refectione consistit, sed circumstantia quædam accidentalis, cum cujus violatione substantia jejunii Ecclesiastici potest consistere.

Contrà Covar. *4. var. c. 20. num. 14.* 23
fin. Navar. *n. 27. cit.* Vivald. *Append. aur. de jejun. Quadrag. n. 27.* Cajet. *2. 2. q. 147. art. 7.* Sylv. *V. ejunium q. 4. ℣. tertium*, Palud. *in 4. dist. 15. q. 4. art. 4.* Azor *p. 1. l. 7. c. 11. q. 4.* Fagund. *c. 3. cit. num. 4.* Wiestner *hic n. 16.* volunt prævention em illam esse graviter peccaminosam. *Rationem* dant, quia

quia qui jejunium Ecclesiasticum violat, graviter peccat. sed notabili refectionis anticipatione violatur Jejunium Ecclesiasticum, ut expresè Concil. Cabilon. *can. solent. cit. de consecr. dist. 1.* ergo &c.

Mediam ex his viam init Laym. *l. 4. tr. 8. c. 1. n. 11. ℣. quare omnino*, ubi olim fuisse mortale tempus refectionis notabiliter anticipare, sive cœnam mutare in prandium: nunc autem, spectata hodiernæ Ecclesiæ consuetudine, per quam Cœna in prandium, sive tempus, quo communiter homines prandere solent, translata est, non videri tertium istud requisitum ad substantiam Jejunii admodum pertinere, sed vel accidentarium esse, vel saltem secundarium, cujus prætermissio, adeoque anticipatio temporis comedendi censeri tantùm debeat culpa venialis.

Ad Rationem dubitandi; quia per dilationem acceditur ad primævam jejunii institutionem, & ipse ejus finis magis obtinetur, cùm refectionis dilatione inedia, & corporis afflictatio productior, & gravior evadat: quod non fit in præventione horæ.

24 Quæritur 4. quo Jure introducta sit Collatiuncula Vespertina, quæ sumi in diebus Jejuniorum solet? R. ut anticipatio Cœnæ, de qua hactenus, ita etiam Collatiunculæ vespertinæ usus inductus est consuetudine: cujus ratio fuit, quòd homines, qui post refectionem tam maturè sumptam, toto reliquo die ab omni cibo abstinere deberent, difficulter noctu somnum caperent, & periculum esset, ne potus, quem sitis levandæ, & sanguinis refrigerandi necessitas poscret, valetudini facilè noceret. Laym. *l. 4. tr. 8. c. 1. n. 8. ℣. verùm*, Gonzal. *in c. 1. b. tit. n. 7.* Wiest. *hic n. 7.* Hinc eadem Collatiuncula, sicut consuetudine introducta est, ita etiam consuetudine regulari, & secundùm quantitatem, & qualitatem sumendorum definiri debet. Layman. *l. cit.*

25 Dub. 1. quantum cibi sumere in Collatiuncula ista liceat? R. varias circa hoc esse DD. sententias; maximè autem dividi bifariam possunt: nam aliqui certam assignant, alii nullam certam assignant quantitatem. Ex iis, qui nullam certam quantitatem Collatiunculæ Vespertinæ assignant, omnes ferè in hoc conveniunt, eam mensurandam esse juxta personarum, & regionum qualitatem, occupationes jejunantium, vires corporis, & maximè consuetudinem, quæ apud homines bonos, & timoratæ conscientiæ communiter viget. Ita existimant Azor *p. 1. l. 7. c. 8. q. 8.* Bonacin. *tom. 2. D. ult. de præcept. Eccl. q. 1. p. 3. n. 2. fin.* Less. *l. 4. de J. & J. D. 2. c. 2. n. 11.* Tolet. *l. 6. c. 2. n. 4.* Laym. *l. 4. tr. 8. c. 1. n. 9.* Cottonius *l. 1. contr. 17. c. 6. n. 66.* & plures alii.

26 Qui certam aliquam quantitatem assignant, non conveniunt; nam 1. aliqui cum Graff. *p. 1. l. 2. c. 37. n. 29.* & Lezan. *Regul. qq. tom. 3. V. jejunium* tantùm permittunt tres uncias. 2. Alii cum Homobon. *p. 1. tr. 6. c. 20. q. 90.* & Emman. Saà *V. jejunium n. 8.* putant non excedendam quantitatem quatuor unciarum. 3. Villalob. *tom. 1. tr. 23. dub. 7. n. 4.* concedit sex uncias. 4. Septem uncias admittit Tamburin. *de præcept. Eccl. tr. 4. c. 6. n. 9.* atque sic nostra ætate practicari à timoratis, & hoc doceri à plurimis, *Henriq. Trull. utroque Sanch. Dian. Turrian.* & aliis apud *Pasqualig.* 5. Ad octo omnino uncias extendunt Fagund. *p. 4. l. 1. c. 4. n. 13. & 19.* Dian. *p. 1. tr. 9. resol. 1.* Joan. Sanch. *D. 52. n. 7.* Mendo *dissert. 8. q. 1. n. 1.* Pellizar. *tom. 2. tr. 5. n. 10. fin.* Escobar. *tr. 1. Exam. 13. circa 4. Eccl. præcept.* 6. Denique, quæ à priori non multùm abludit, & idcirco plures etiam ex ipsis sibi Patronos habet, cum Reginald. *prax. tom. 2. l. 14. n. 185.* Filliuc. *tom. 2. tr. 26. p. 2. c. 3. q. 7. n. 33.* Layman *l. 4. tr. 8. c. 1. n. 9.* Busenbaum *l. 3. tr. 6. c. 3.* Sporer *in appendic. ad 3. præcept. Eccl. sect. 2.* Illsung. *tr. 4. D. 1. n. 40.* Wiestner *hic n. 18.* pro Regula quantitatis in Collatiuncula vespertina adhibendæ assignat quartam, aut quintam partem consuetæ comestionis: quam sententiam judico practicè probabilem esse, & propterea quemvis eandem sequi securè posse. Comestio autem illa hìc sumi debet, quæ justa est, seu quâ quis, consideratâ corporis sui, & regionis, ac aliarum rerum constitutione indiget: & hinc sequitur, cùm cibi quantitas in cœna non sit omnibus eadem, sed aliqui majore opus habeant, alij minore, ob eam causam etiam quantitatem Collatiunculæ pro diversitate hominum diversam esse.

27 In Vigilia Nativitatis Domini ampliùs aliquid, & ferè duplicatam refectiunculam permittunt *Azor*, *Sanchez uterque*; *Fagundez*, *Tamburinus*, *Cottonius*, *Pellizarius*, *Diana*, *Sporer l. citt.* & confirmat praxis tot annis tolerata, usitata hominibus piis, & timoratis, imò etiam Ecclesiæ Pastoribus, & Prælatis. *Ratio*, ob quam induci potuit hæc consuetudo, partim fuit lætitia tantæ festivitatis, partim verò, quia, ut ait *Azor*, omnes in ea nocte vigilabant, & in Templo Divinis Officiis interfuerant. *Extendunt* hoc 1. *Sanchez uterque Pellizarius*, *Tamburinus* etiam, cùm Vigilia Nativitatis jejunatur in die Sabbati quatuor temporum, & Festum agitur Feriâ 2. *Rationem* dant; quia magis dignum trahit ad se minùs dignum, & causa inducendi hanc consuetudinem lautioris refectiunculæ fuit excellentia Festi, non verò solus labor nocturni Officii. *Extendunt* 2. etiam ad Vigiliam Paschatis *Azor*, *Victorellus*, *Fagundez*, *Pellizarius*; quia etiam jejunium Vigiliæ Paschatis est jejunium lætitiæ; lætitia enim incipit in ipsa Vigilia, ubi non jam præparatio ad Festum Resurrectionis, sed ipsa Resurrectio celebratur, Missa

solennis in paramentis albis dicitur, cantatur Alleluja, & omnia plena sunt lætitiâ: unde ajunt etiam jejunium debere esse mixtum lætitiâ, atque adeo cum ampliori refectiuncula. Ego judico, attendendam locorum consuetudinem, quæ unica ratio fuit permittendi majorem cænulam: & quidem si hæc alicubi vigeat, omnino licebit utramque extensionem facere, neque ad Vigiliam Paschatis solùm, sed etiam ad Pentecostes.

28 Dub. 2. quid in Refectiuncula vespertina observandum sit circa qualitatem ciborum? Aliqui existimant non ita strictè prohiberi cibi qualitatem, ut prohibetur quantitas. Ita Bonacin. *ult. de præcept. Eccl. q. 1. p. 3. n. 3.* Tambur. *de præcept. Eccl. tr. 4. c. 6. n. 21.* & *l. 4. Decal. c. 5. §. 3. n. 3.* Pasqualig. *decis. 115.* Petr. Marchant. *Trib. tom. 2 tr. 12. tit. 3. q. 3. dub. 1.* Joan. Marchant. *Resol. Pastor. p. 2. c. 5. fol. 220.* Rationem dant; quia adhuc subsistit substantia jejunii; hæc enim in eo posita est, ut abstineatur à carnibus, & ut sumatur una refectio: quod sit, quicunque in refectiuncula sumantur cibi esuriales, modò refectiuncula illa in cœnam non abeat. Rigidiùs sentiunt Azor *p. 1. l. 7. c. 8. q. 8.* Dian. *p. 1. tr. 9. resol. 1. & p. 9. tr. 6. resol. 8.* Fagund. *l. 1. in 4. Eccl. præcept. c. 4. n. 18.* Pellizar. *Man. Regul. tom. 1. tr. 5. c. 5. n. 15.* Cassian. à S. Elia *V. jejunium 1. num. 48.* Mendo *dissert. 8. q. 1. n. 3.* Escobar. *tr. 1. Exam. 83. circa 4. præcept. Eccl.* Busenbaum *l. 3. tr. 6. c. 6.* Sporer *in Appendic. ad 3. præc. Eccl. sect. 2. n. 30.* Wiestner *hic n. 18.* qui omnes volunt in collatiuncula solùm adhiberi posse illos cibos, qui ante, & post prandium, vel cœnam bellariorum loco apponi solent.

29 Ego hìc iterum judico attendendam pro Regula esse consuetudinem: juxta quam in collatiuncula vespertina 1. licet adhibere panem. Ita communis contra quosdam apud Azor *c. 8. cit. q. 7.* qui panem tunc solùm concedunt, ubi fructus defuerint, vel soli nocerent. *Neque obstat*, quòd panis multùm nutriat; nam in lege jejunii, ut sæpe dixi, plurimùm consuetudo valet. 2. Licet adhibere fructus arborum, herbas, electuaria, & in Germania nostra etiam caseum; nam hæc omnia in secundis mensis apponi solent. Wiest. *n. 18. ℣. de qualitate.* 3. Comedi potest piscículus, aut exigua pars piscis majoris; nam ita mos est, scientibus, & non repugnantibus Pastoribus, & Prælatis. Azor *q. 7. cit.* 4. Ubi consuetudo est comedendi ova, permittitur modica quantitas ovi duri cum acetario. Cottonius *l. 1. contr. 17. n. 77.* 5. *Pellizarius*, *Escobar*, *Diana*, *Arsdekin*, *Sporer* permittunt jusculum, modò coctum non sit in cibo vetito, & quantitas pro collatiuncula taxata non excedatur; nam illud passim etiam timorati adhibent.

Dub. 3. an ordine mutato, collatio, sive refectiuncula vespertina sumi possit circa meridiem, cœnâ ad occasum Solis dilatâ? *Certum est*, id fieri licitè posse, si illud exigat, aut suadeat justa causa, v. g. itineris faciendi, negotij conficiendi, præsertim si accedat Superioris authoritas. Idem permissum nonnulli volunt etiam cessante ejusmodi causa, quòd ea mutatione substantia jejunij non mutetur. 30

Sed frequentiùs, & meliùs DD. alij hanc ordinis mutationem à culpa veniali non excusant, quòd tempus Cœnæ, & Collatiunculæ sit approbatum consuetudine universali Ecclesiæ, à qua siquis sine justa, & rationabili causa recedat, à nota temeritatis, & levitatis, consequenter à culpa saltem veniali excusari non potest. Cajet. *V. Jejunium c. 1. prop. fin.* Navar. *Man. c. 21. n. 14* Llamas *p. 3. meth. c. 5. n. 15.* Tolet. *l. 6. c. 2. n. 9.* Laym. *l. 4. tr. 8. c. 1. n. 10.* Vallens. *hic n. 4.* Zœs. *n. 14.* Schambog. *n. 7.* Wiestner *n. 19.*

Quæritur 5. quibus anni diebus jejunium fidelibus ab Ecclesia præceptum sit? *R.* 1. antiquissimum, & apud omnes Patres, & Scriptores Ecclesiasticos maximè testatum est Jejunium Quadragesimale, quod, ut clarè docet S. Ignatius *in Epist. ad Philippens.* ab Apostolis institutum est ad exemplum Christi, Moysis, & Eliæ 40. dies jejunantium. Hujus jejunij diversis temporibus diversa fuit observantia; nam olim ante Gregorium Jejunium Quadragesimæ inchoatum fuit à prima Dominica Quadragesimæ, prout testatur S. Ambros. *serm. 34. de Quadrag.* Cassian. *collat. 21. c. 24. 27. & 28.* Alcuin. *l. de Divin. Offic. c. de Quadrag.* apud Laym. *l. 4. tr. 8. c. 2. n. 1.* Quia verò, demptis Dominicis sex, in quibus solùm est abstinentia à carnibus, item ab ovis, & lacticinijs, ubi quoad ista Legi jejunij derogatum non est, non sunt dies 40. ut Sacer numerus 40. dierum, quem Dominus, & Salvator noster suo Sacro Jejunio consecravit, ab omnibus adimpleretur, à Gregorio I. vel ut alij malunt, à Gregorio II. adjecti fuerunt dies quatuor proximè antecedentes Dominicam Quadragesimæ, ita ut jejunium sit à die Cinerum usque ad Sabbatum Sanctum inclusivè, quem morem jejunandi recepit universalis Ecclesia; Mediolanenses tamen, ita permittente Summo Pontifice, retinuerunt morem antiquum, qui proinde hodiedum Quadragesimam, & jejunium in ea præscriptum inchoant à prima ejus Dominica, excluso quatriduo præcedente. 31

2. Celebrat Ecclesia Jejunium Feriâ quartâ, sextâ, & Sabbato quatuor temporum, ex usu pariter antiquissimo; nam, ut probat Laym. *l. cit. n. 4.* hoc quatuor Temporum jejunium partim ab Apostolis, par- 32

partim non multo post Apostolorum tempora institutum est. *Ratio* hujus institutionis assignatur triplex, 1. quia etiam Hebræi quatuor in anno jejunia instituebant, quamvis non eisdem omnino temporibus, ut testatur S. Hieronymus relatus *can. jejunium 7. dist. 76.* 2. ut in quatuor temporum partibus jejunia trina pro mensium numero DEO offerentes, omnes totius anni actiones, & eventus nostros à DEO pendere profiteamur, sicut indicat S. Leo *serm. de jejun. decim. mens.* relatus *can. hujus 6. dist. cit.* & explicat Azor *p. 1. l. 7. c. 14. q. 3.* Laym. *c. 2. cit. n. 5. q. 2.* 3. ut quia illis temporibus ordinantur Clerici, DEUS illis majores conferat gratias, quibus obtentis melius Ecclesiæ valeant inservire: cujus jejunij exemplum sumptum est ab Apostolis; nam hi ordinationes, nisi præmisso jejunio, non celebrabant, ut observavit Leo I. *Epist. 81. ad Dioscor. Alexandrin.* Amalar. *l. 2. de Offic. Eccl. c. 1.* & colligitur ex *Act. Apostol. c. 13. v. 3.* ibi, *Jejunantes, & orantes, imponentésque eis manus, dimiserunt illos*, Saulum nempe, & Barnabam.

33 3. Jejunio honorat Ecclesia Vigilias præcipuarum quarundam per annum Festivitatum: & 1. quidem Nativitatis Domini, & Pentecostes. 2. Assumptionis B. V. & SS. Apostolorum, *præter Vigilias Apostolorum Philippi, & Jacobi, & B. Joannis Evangelistæ: quoniam ipsorum solennitas intra solennitatem Paschalem* (intra quam nullum est jejunium ex necessitate obligans, præter Vigiliam Pentecostes) *istius autem intra Natalem Domini celebratur*, ut dicitur *c. consilium 2. pr. h. tit.* 3. S. Joannis Baptistæ, S. Laurentij, & omnium Sanctorum: de quibus quidem in Jure Canonico nihil reperitur, observanda tamen sunt propter generalem Ecclesiæ Latinæ consuetudinem, ut communiter notant DD. *ad præsentem Rubricam.* Si harum Vigiliarum aliqua incidat in diem Dominicam, jejunium cum Officio Vigiliæ anticipatur, & observatur antecedente Sabbato juxta *c. ex parte 1. h. tit.* quia in Dominica propter reverentiam diei jejunium celebrari non solet. Similiter si Vigilia S. Joannis Baptistæ incidat in Festum Corporis Christi, est anticipandum jejunium feriâ 4. ex declaratione Urbani VIII. *sub die 13. Octobr. 1638.* impressâ *in Bullar. tom. 5. Const. 232.* Eandem anticipationem cum *Diana*, & *Gavanto* permittit Laym. *l. 4. tr. 8. c. 3. n. 8. fin.* casu, quo Vigilia S. Matthiæ incidit in feriam II. aut III. Quinquagesimæ; tunc enim putant Episcopum posse jejunium Vigiliæ transferre in Sabbatum præcedens, si prævideat, id ferijs illis à paucis observandum. Sed contrarium bis respondit. *S. Rit. Congr.* nempe *sub diebus 23. Jan. 1694.* & *11. Julij 1699.* quod Decretum impressum est *in Bullar. Const. Innoc. XII. 92.* de quo videantur Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 21. n. 11.* & Monacell. *p. 2. tit. 16. form. 4. n. 12.* Aliud dicendum, si in Vigiliam aliquam incidat Festum aliquod solenne, v. g. Titularis, aut Patroni Ecclesiæ, vel Diœcesis; tunc enim Cajetan. *Summ. V. jejunium c. 9. fin.* Sylvius *2. 2. q. 147. art. 4.* Trullench. *l. 3. Decal. c. 2. dub. 5. n. 19.* Fagn. *in c. consilium cit. n. 31.* Pignat. *tom. 3. consult. 14. n. 2.* putant authoritate Episcopi transferri jejunium posse in diem proximè præcedentem, prout etiam facit Ecclesia Ratisbonensis, cujus primarius Patronus est S. Wolfgangus; nam cùm ejus festum semper incidat in Vigiliam SS. omnium, Jejunium illius Vigiliæ in ea Diœcesi celebratur pridie. Et ex simili causa translatio jejunij facta est à *S. Congr. Rit. 24. Sept. 1638.* & *26. Maij 1659.* & *9. Jun. 1668.* apud Pignatell. *l. cit.*

4. Cum abstinentia à carnibus celebrat 34
Ecclesia singulas Ferias VI. ob memoriam Passionis Domini *can. de esu 11. can. Sabbato 12. de consecr. dist. 3.* & *c. fin. h. tit.* & Sabbatum in honorem tum Sepulturæ Christi, tum B. V. *can. Sabbato cit.* & *can. quia dies 31. de consecr. dist. 5. Excipitur*, si Festum Nativitatis Domini incidat in Feriam VI. aut Sabbatum; tunc enim more per Honorium III. *c. fin. h. tit.* approbatum, licet vesci carnibus, propter excellentiam Festivitatis, & diei omnium felicissimæ, quâ Verbum Caro factum ex B. Mariæ virginali utero prodijt, & Orbem universum novæ lucis, & optatæ pacis serenitate, æternæque Salutis spe de cælo recreavit. Fagnan. *in c. consilium 2. h. tit. n. 44.* Gonzal. *in c. 1. eod. n. 1.* Zœs. *hic n. 6.* Pirh. *n. 3.* Wiestner *n. 26.*

5. Præter hæc jejunia olim Romæ 35
celebrabatur Jejunium Adventûs, ut patet ex *c. consilium cit.* ibi, *Jejunium etiam apud nos in Adventu Domini agitur:* ejúsque consuetudinis vestigium adhuc apparet, tum in Ritu Romani Breviarij, in quo Preces ad Horas singulas recitantur, sicut in diebus jejuniorum; tum in Regulis quorundam Religiosorum Ordinum, qui jejunium Adventûs, perinde ac Quadragesimæ celebrant. De præcepto Ecclesiæ hodie nulla est jejunij hujus obligatio: unde circa hoc cujusque loci consuetudo spectanda est. Host. *in c. consilium cit. V. apud nos*, Abb. *ibid. not. 3.* Pirh. *hic n. 2.* Idem dicendum de Ferijs Rogationum. Abb. *in Rubr. h. tit. n. 6.* Fagnan. *in c. consilium cit. n. 24.* Barbos. *ibid. n. 3.* Pirh. *n. 2. cit.*

Dub. 1. an jejunium die Dominica li- 36
citum sit? R. olim vetitum fuisse satis constat ex *can. post Pascha 10. dist. 76. can. placuit 9. can. nequis 15.* & *c. de consecr. dist. 3. can. Quadragesima 16. de consecr. dist. 5.* Ratio prohibitionis fuit partim lætitia concepta ex memoria Resurrectionis Domini, à qua illa dies nomen accepit; neque

enim cum festivæ illius diei publica hilaritate jejunio se macerantium squalor, & pœnitentia videbatur convenire, ut Petrus Damiani *Opusc. 55. c. 5.* & post eum S. Thom. *2. 2. q. 147. art. 5.* advertunt; partim verò, & præcipuè, ne Ecclesia communicare, aut saltem idem sentire videretur cum Hæreticis, ex quibus die Dominica Paulianistæ, & Montanistæ ex superstitione, Manichæi ex errore, Eustachiani ex contemptu jejunabant, ut insinuatur *can. siquis 7.* & *can. fin. dist. 30. can. Sacerdos 6. caus. 26. q. 7.* &c. Barbos. *in can. siquis cit. n. 2.*

37 Unde Hæresibus illis cum tempore extinctis, & sublato cum ipsis scandalo fidelium, ea Ecclesiæ prohibitio hodie cessat. Quare dicendum, Jejunium die Dominica, privata saltem devotione, hodie observari posse. Bellarm. *l. 2. de Bon. Operib. in partic. c. 23.* Sanch. *l. 2. mor. c. 37. n. 12.* Bonacin. *de præcept. Eccl. q. 1. p. 5.* Fagund. *præcept. 4. Eccl. c. 5. n. 2.* Laym. *l. 4. tr. 8. c. 2. n. 9.* Raynaud. *Heterocl. Spirit. p. 3. punct. 2. fol. 413.* Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 11.* Wiest. *hic n. 23.* & colligitur *arg. c. fin. h. tit.* ubi dicitur, *non esse reprehendendos, qui ea die ob devotionem ex voto, vel regulari observantia à carnibus voluerint abstinere.* igitur abstinentia à carnibus, & cons. etiam Jejunium ea die est de meliori bono; aliàs non esse posset materia Voti, & Regulæ Religiosæ, cujus finis est ad Perfectionem conducere.

38 Dub. 2. an vovens Jejunium, aut abstinentiam die Veneris, id observare etiam teneatur, quando in hunc diem incidit Festum Nativitatis Domini? ℣. hoc pendere ex intentione voventis; nam si diem illam voluit comprehensam Voto, obligabitur; si excluſam, non obligabitur jejunare. Fagnan. *in c. consilium h. tit. n. 14. & 15.* Wiest. *hic n. 26. ℣. dubium.*

Difficultas est, quando dubium est de intentione voventis: quo casu ad jejunium, vel abstinentiam adhuc obligari hac die ventem defendit Abb. *in c. fin. h. tit. n. 3.* Barbos. *ibid. n. 2.* Sanch. *l. 4. mor. c. 11. n. 61.* Vasq. *1. 2. D. 30. n. 4.* quorum sententiam tutiorem putat Suar. *l. 4. de Vot. c. 20. n. 7.* Videtur istud suaderi triplici Argumento. 1. siquis simpliciter vovisset, nunquam vesci carnibus, his vesci non posset etiam in die Nativitatis Domini, ex recepta doctrina Gloss. *in c. fin. cit. V. Voto.* ergo nec vesci ijsdem poterit, qui vovit, quòd ijs vesci non velit die Veneris. 2. cùm Festum Nativitatis feriâ sextâ occurrit, Minimi S. Francisci de Paula non vescuntur carnibus ob Regulam suam, ergo etiam vovens ab earum comestione impedietur ob Votum suum. 3. tale Votum sic intellectum videtur esse vanum, & inutile, cùm Jus commune obligationem abstinendi â carnibus reliquis diebus Veneris jam antè impoſuerit. ergo debet intelligi de usu licito, nempe quòd vovens velit abstinere à carnibus etiam illo die Veneris, quo licitum est comedere carnes.

Sed probabiliùs ab obligatione Jejunij, & abstinentiæ ea die ita voventem absolvunt Joan. Andr. *in c. fin. h. tit. n. 4.* Azor *p. 1. l. 2. c. 20. q. 3.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 272. n. 3.* Fagund. *c. 6. n. 6.* Dian. *p. 1. tr. 9. resol. 22.* Fagnan. *in c. fin. cit. à n. 16.* & præsertim *n. 24.* Gonzal. *ibid. n. 3. prop. fin.* Pirh. *hic n. 5.* Wiestner *n. 27.* & alij. 1. quia quando de voventis intentione non constat, Votum interpretationem accipit ab usu, seu moribus Ecclesiæ ex doctrina Suar. *tom. 2. de Relig. l. 4. c. 7. n. 9.* sed Ecclesiæ moribus, ut dictum est *n. 34.* Feriâ VI. quando in eam incidit Natalis Domini, neque jejunium, neque abstinentia à carnibus observatur. ergo &c. 2. qui vovit jejunare pridie alicujus Sancti, si dies ille pridianus Dominicus sit, non tenetur isto, sed præcedente Sabbato jejunare juxta morem Ecclesiæ, & textum *c. ex parte 1. h. tit.* ergo qui vovit jejunare singulis ferijs VI. neque ipse tenebitur jejunare feriâ illâ VI. in quam Natalis Domini incidit, cùm & ipse censeatur jejunium vovisse secundùm Ecclesiæ morem. 3. in dubio non censentur generali promissione inclusa illa, quæ si alicui fuissent specialiter proposita, verisimiliter non promissa, sed excepta fuissent *c. fin. de Offic. Vicar. in 6.* & *l. obligatione 6. ff. de Pignorib.* atqui de vovente in casu præsentis dubij meritò præsumi potest, quòd si interrogatus fuisset, an Voto suo voluerit includi Natalem Domini, quando is incidit in Feriam VI. hanc diem Voto suo non voluerit esse inclusam. ergo &c.

Neque contrarium efficaciter probant Argumenta opposita. *Ad 1.* ratio disparitatis est; quia qui simpliciter vovit nunquam vesci carnibus, voluit se privare libertate comedendi carnes, etiam diebus aliàs permissis: unde ex vi Voti etiam die Paschatis tenetur abstinere, & cons. etiam die Nativitatis Domini. At verò qui specialiter vovit abstinere à carnibus die Veneris, vovit abstinentiam illis diebus, quibus aliàs est prohibitus esus carnium ab Ecclesia: ergo non censetur vovisse abstinentiam die Nativitatis Domini, incidentis in Feriam VI. cùm ea die esus carnium ab Ecclesia non sit prohibitus. *Ad 2.* constat, quòd Minimi ad abstinentiam à carnibus, ultra Ecclesiæ morem servandam, se specialiter voluerint obligare Voto suo. Accedit, quia non desunt Religiosi alij, qui die Natalis Domini, in Dominicam incidente, comedunt carnes, quibus aliàs vi Regulæ totâ vitâ non vescuntur. *Ad 3.* potest utiliter præcipi, vel prohiberi Jure humano, quod antecedenter præceptum, vel prohibitum est Jure Divino, igitur pari modo adstringere se ali-

39 40

aliquis Voto potest ad abstinendum à carnibus diebus illis, quibus aliàs præcepta est hæc abstinentia, ut novo vinculo obstrictus, tanto magis abstineat, qui fortè non abstineret propter solum præceptum: & hinc Confessarij solent interdum suadere pœnitenti, qui frequenter in peccatum aliquod labitur, ut voveat ad tempus à peccato illo abstinere, ut vel sic se contineat à relapsu: idque fit non sine fructu; quia funiculus triplex, aut etiam duplex difficiliùs rumpitur c. *treugas 1. de treug. & pac.*

41 Quæritur 6. quanta sit obligatio jejunij observandi diebus ab Ecclesia præceptis? R. ex unanimi DD. sententia est gravis. Colligitur ex *can. 68. Apostol.* ubi violatores jejunij, si Clerici sint, jubentur deponi, si Laici, excommunicari. *Ratio* hujus obligationis quoad omnes est, quòd omnes, saltem ut plurimùm, egeant castigatione carnis, ut Spiritui subsit, satisfactione pro peccatis, & aptitudine mentis ad orandum; ad hoc autem instituta, & præcepta sunt jejunia. Vallens. *hic n. 1. in fin. Excipitur*, nisi causa à DD. approbata excuset. Et quidem ne mortale incurratur peccatum in transgressione istius præcepti, excusat materiæ parvitas, ut exploratum est apud omnes. Si sæpius iteretur modicus cibus, distinguendum est, an eadem die iteretur, an diversis. Si diversis diebus modica fiat comestio cùm præcepta sint dividua, illam faciens non incurrit peccatum mortale; quia sic iteratæ comestiones non faciunt continuationem. Zœs. *hic n. 9.* Si verò eadem die, censentur continuari, & cons. plures parvæ notabilem faciunt violationem.

42 Porro causæ, quæ ab obligatione præcepti istius eximunt, complures sunt. 1. *Ætas* viginti, & uno annis minor, & sexaginta, vel saltem septuaginta annis major, prout ex communiori sententia docent. Azor *p. 1. l. 7. c. 17. q. 2. & 4.* Laym. *l. 4. tr. 8. c. 3. n. 1.* Vallens. *hic n. 1.* Zœs. *n. 9. & 10.* Schamb. *n. 9.* König *n. 4. & 5.* Wiest. *n. 29.* Ratio est, quia minores viginti, & uno annis indigent multo nutrimento propter necessitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti; senes verò, quamvis indigeant minore cibo, ob naturam tamen jam declinantem opus habent adminiculo cibi frequentiùs sumpti, ut sic tam præsenti consulatur statui, quàm futuro. Quodsi tamen jejunium requiratur pro consequendis Indulgentijs Jubilæi, concessi à Summo Pont. tam juvenes, quàm senes jejunare, secluſa dispensatione Confessarij, debent, si commodo Jubilæi frui velint; quia tunc Jejunium requiritur tanquam conditio, quæ necessariò implenda est ad consequendum finem. Zœs. *n. 9. cit.*

43 2. *Corporis infirmitas*, prout habetur *can. Quadragesima 16. de consecr. dist. 5.* ibi, *Nisi quem infirmitas impedierit*, & c. *consilium 2. h. tit.* ibi *debilibus, & infirmis.* *Ratione* hujus à lege Jejunij soluti sunt non solùm, qui ex morbo decumbunt, aut graves dolores patiuntur, sed etiam convalescentes, & alij, qui debili sunt complexione, vel ex stomachi vanitate laborant vertigine, aut somnum capere non possunt, si secundam refectionem sumant: uti etiam prægnantes, lactentes, & qui Medici judicio cibo fortiore, aut frequentiore refectione indigent S. Thom. *in 4. dist. 15. q. 3. art. 2. q. 4.* Richard. *ibid. art. 3. q. 4.* Cajetan. *in Summ. V. jejunium* & *2. 2. q. 174. art. 4.* Sylv. *V. jejunium q. 4.* Navar. *Man. c. 21. n. 16.* Azor *p. 1. l. 7. c. 17. q. 5.* Fagund. *c. 18. n. 12.* Laym. *l. 4. tr. 8. c. 3. n. 3. ℣. altera*, Zœs. *hic n. 11.* Schamb. *n. 9.* König *n. 6.* Wiestner *n. 29.*

44 3. *Necessitas* proveniens ex paupertate c. *consilium cit.* ibi, *Propter inopiam - - - carnes comedere sunt coacti.* Ratione hujus ejunij legibus non obstringuntur, qui victum ostiatim mendicant, & universim, quibus non suppetit cibus sufficiens ad unam congruam refectionem, ut qui non habent, nisi duos, vel tres leviores cibos v. g. offam cum olere, vel pulmento. S. Thom. *2. 2. q. 147. art. 4. ad 4.* Sylv. *V. jejunium n. 24.* Navar. *c. 21. n. 16.* Azor *q. 6.* Laym. *n. 3. ℣. tertia.* Zœs. *hic n. 11* König. *n. 7.* Wiestner *n. 30.* Atque his licitus quoque esset usus carnium, si alium cibum invenire non possent. Quodsi tamen pro aliquo die haberent congruam sustentationem, ad jejunium obligarentur, quandoquidem cessante causa, solvente præcepti obligationem, incipit ligare præceptum. König *l. cit.*

45 4. *Labor corporalis*, qui cum jejunio facilè non consistit: ratione cujus à jejunio excusantur agricolæ, fabri lignarij, & ferrarij, scriniarij, cursores, viatores; item famuli, & famulæ, qui majoribus laboribus occupantur: non verò qui fila ducunt, vestes sarciunt; aut pictores, tonsores, sartores. *Neque refert*, an labor ille sit corporis, an verò animi; nam ab accurata observatione jejunij etiam eximuntur Concionatores, ter aut sæpiùs in hebdomada ad populum dicentes, Confessarij; qui tota die Confessionibus pœnitentium sunt expositi, Professores Scholarum inferiorum, & Superiorum etiam, quando Lectiones, & alias Exercitationes Litterarias, ut in Universitate nostra Professores Jurium, in hebdomada sæpiùs habent. *Neque* interest, utrum labor iste suscipiatur ex obligatione officij, an verò oblata peropportuna, & aliàs non occurrente occasione damni vitandi, vel lucri acquirendi, ut si mercator proficiscatur ad nundinas, aut ad alia negotia, quæ commodè differri non possint. Sylv. *l. cit. n. 24. & 26.* Azor *q. 8.* Laym. *n. 3. ℣. Quarta*, Tolet. *l. 6. c. 4.* Tambur. *l. 4. Decal. c. 5. §. 9. n. 26.* König *n. 8. hic.* Zœs. *hic n. 11.* Schamb. *n. 9.* Wiestner *n. 30.*

46 5. *Pietas*, quæ causa ferè comprehenditur in priori: qua ratione obligatio jejunij cessat, ut operi præstantiori, vel majoris momenti possis incumbere, quod cum jejunio non facilè consistit, nec commodè differri potest. Quale imprimis est opus misericordiæ corporalis, vel Spiritualis, ut Infirmarij, Concionatoris, Professoris &c. de quibus *n. præc. 2.* opus Justitiæ, si conjux jejunans conjugi id petenti, & fortè aliàs in periculo incontinentiæ constituto debitum non possit reddere, quia infirmâ complexione est. Cajet. *Summ. V. jejunium.* Sà *V. eod. n. 9.* Tolet. *c. 4. cit. n. 6.* Laym. *n. 4. ℣. quinta, cum alijs.* 3. opus Charitatis, ut si uxor mariti iram, & contentionem effugere non possit, nisi cum ipso cænet, modò jejunium non prohibeat ex Religionis contemptu, sed ob aliam causam. Abb. *in Rubr. h. tit. n. 8.* Cajet. *V. jejunium §. excusantur infirmi*, Sylv. *n. 25.* Navar. *n. 19.* Laym. *l. cit.* Ratio horum omnium est, quia non oportet jejunium, ab Ecclesia indictum, majoris alicujus boni esse impeditivum.

47 6. *Consuetudo*, ut pluries insinuatum est; nam eâ non tantùm certo aliquo tempore, vel die novum jejunium induci, & antè inductum in alium diem, vel tempus transferri, sed mitigari etiam, vel omnino abrogari valet, ut *in c. consilium cit.* advertit Gloss. *V. consuetudinem*, Abb. *ibid. n. 5.* Host. *in Summ. n. 5.* Zœs. *hic n. 11.* Wiest. *ibid. n. 31.* Ex quo tamen non sequitur, Quadragesimale Jejunium, & alia solennia consuetudine omnino abrogari posse; quia non apparet, quomodo talis consuetudo possit esse rationabilis. Host. *in c. consilium cit. col. 1.* Joan. Andr. *ibid. n. 8.* Fagnan. *n. 46.* Pirh. *hic n. 4.* Wiestner *n. 31. cit.*

48 7. Denique *Dispensatio.* Dispensare autem in Lege jejunij potest 1. Summus Pontifex, etiam sine justa causa, saltem validè. 2. Episcopus, vel Capitulum Sede vacante, & ex utriusque commissione Vicarius Generalis, & Parochus, ex justa tamen causa: quæ propterea debet esse vera, vel saltem rationabiliter existimata, aliàs dispensatio Ob- vel Subreptionis vitio concidet. Si dispensetur cum uno, vel paucis, sufficit minor, & privata causa; si cum tota communitate, debet esse major, & publica, ut rectè observat Laym. *l. cit. n. 8. ℣. ad extremum.*

Porro causæ, quas dixi, ob infirmitatem, laborem &c. excusantes à lege jejunij, plerumque locum duntaxat habent secundùm eam præcepti partem, quæ alteram refectionem prohibet, in quo dijudicare ordinariè cujusque conscientiæ relinquitur, Sed ad comedendas carnes declaratio, vel dispensatio Episcopi, aut eo longiùs distante, proprij Parochi accedere debet, ne si res cuilibet privato arbitrio committatur, nimis quisque partialis in propria causa Judex sit, & paulatim abstinentia Quadragesimalis, Christi Domini exemplo introducta, Ecclesiæ continuo usu, & PP. doctrinâ confirmata è medio tollatur. Vivian. *in c. consilium cit. ℣. propter necessitatem*, Fagnan. *ibid. n. 8.* Laym. *l. cit. n. 8.* Honor. *hic n. 9.* Engl *n. 5. ibid. ℣. istæ causæ*, & definitum est *in Concil. Tolet. 8. c. 9.* 49

Excipit Fagnan. *n. 10.* nisi certum sit, 50 quem jejunare non posse ex causæ evidentia; nam tunc potest propria authoritate jejunium dimittere, nisi subesset periculum scandali; nam hoc stante, etsi causa deobligans foret evidens, petenda dispensatio esset. Si dubium sit, & Episcopus, vel Parochus adiri nequeat, consulendus est vir bonus, & peritus, puta Medicus, aut Confessarius, vel alius, & si illius judicio causa sit evidens, similiter potest frangi jejunium propria authoritate; nam & eo casu causa evidens dici potest.

TITULUS XLVII.

De Purificatione post Partum.

SUMMARIUM.

1. *Purificatio post partum in veteri Lege fuit præcepta.*
2. *Ejus ritus.*
3. *Ab hac eximebatur B. V.*
4. *In novo Testamento honestè observatur, non tamen ejus est obligatio.*
5. *Ad quem pertineat Purificatio mulierum post Partum?*
6. *Respondetur pertinere ad Parochum privativè ad Regulares.*
7. *Solvuntur Argumenta opposita.*

JEjunia indicta sunt ob reverentiam Festivitatum, Purificatio post partum ob reverentiam Templi per Legem Mosaicam.

Quæritur 1. quid circa Purificationem mulieris puerperæ in veteri Lege sit constitutum? ℣. hac Lege mulier, si masculum peperit, quadraginta, si fœminam, octoginta diebus immunda censebatur. *Levit. 12. v. 2.* Dierum tamen istorum immunditia æqualis non erat; nam si masculum

lum peperit, septem, si fœminam, quatuordecim à partu diebus à domesticorum, & ipsius etiam viri consuetudine fuit separata; cæteris verò triginta tribus diebus, si masculum, & sexaginta sex diebus, si fœminam enixa est, solùm à sanctuario remota, domi se continebat: quod discrimen significabatur diversitate nominum; nam septem, vel quatuordecim primi dies *Separationis*, triginta tres, vel sexaginta sex ultimi *Purificationis* dies appellabantur, ut *in Levit. c. cit.* notat Cornelius *in fin. v. 2. & 5.* Gonzal. *in c. un. h. tit. n. 4.*

2 His Purificationis diebus expletis, puerpera ingressa, & consistens in atrio immundorum deferebat agnum anniculum offerendum Deo in holocaustum, & pullum columbæ, vel turturem pro peccato, sive liberatione ab immunditia Legali: à qua purificata, offerebat infantem Deo, eúmque redimebat. *Levit. c. 12. cit.* & Cornelius *ibi v. 8. fin.* Gonzal. *l. cit. in fin.* Wiestner *hic n. 2.*

3 Quæritur 2. de subjecto istius Legis. R. subjectum istius Legis erant mulieres veteris Testamenti, *quæ suscepto semine, pepererunt*, ut habet vulgata, & legunt Septuaginta. *Hinc sequitur 1.* quòd Lege hac non fuerit obligata B. V. Maria; quia ejus partus purissimus, & ab omni sorde, atque immunditia immunis fuit. Ex devotione tamen, & humilitate ipsa se huic Legi spontè subjecit, occasionémque dedit institutioni Festivitatis, quâ ejus memoriam annua veneratione colimus; dein etiam devotioni mulierum in novo Testamento, quâ post partum ab Ecclesiæ ingressu, & Divinis Mysterijs abstinent, donec per consuetas Ecclesiæ Orationes, & Ritus purificatæ fuerint, juxta *c. un. h. tit.* nam cùm Lex ista Ceremonialis fuerit, ejus obligatio Christi morte extincta est. Et hinc

4 *Sequitur 2.* ea Lege mulieres novi Testamenti non obligari, quamvis privata devotione honestè ab illis observetur. *Neque obstat*, quòd Præceptum hoc Purificationis, ut *n. præc.* dixi, inter Ceremonialia connumeretur, quæ non solùm nunc mortua, sed etiam mortifera appellantur, ita, ut licitè non ampliùs observentur; nam distinguendum est inter Leges Ceremoniales veteris Testamenti, quarum aliquæ Religiosæ sunt, aliæ Typicæ: utræque licèt dicantur mortuæ, solæ tamen Typicæ, ut Circumcisionis Agni Paschalis &c. mortiferæ appellantur, quòd harum tantùm observatio Fidei nostræ veritati præjudicet, secundùm quam confitemur, istis præfigurata Mysteria completa jam esse Zœs. *hic n. 2.* Pirh. *ibid. n. 2.* Porro Lex Purificationis, non Typica, sed Religiosa fuit: & hinc honestè adhuc in Lege Gratiæ observatur, & præcipi etiam posset, si Ecclesia authoritate sua resuscitare eandem vellet, & obligationem Purificationis inducere: quod tamen hactenus non est factum. Hinc non peccat mulier, si secluso contemptu, ritu Ecclesiæ se ita purificari negligat *c. un. h. tit.*

5 Quæritur 3. ad quem pertineat Purificatio mulierum post partum? Videtur, quòd ad eam in propriis Ecclesiis admittere mulieres possint etiam Religiosi, prout volunt Lezan. *qq. Regul. tom. 1. c. 12. n. 41.* Peyrin. *de privil. Minim. tom. 2. in Const. 7. Pij V.* Pasqualig. *ad Lauret. de Franch. p. 2. q. 69. n. 2.* Cesped. *de Exempt. Regular. c. 7. dub. 152. n. 12.* Wiestner *hic n. 6.* R. Quia admissio mulierum post partum ad Purificationem non est functionis Parochialis. 2. Quia non est necessitatis, sive præceptus, sed devotionis actus. 3. Quia sic in specie declaravit S. Congreg. Concil. *2. Jul. 1620. ad 1.* ubi expresè dicitur, *Regulares non prohiberi in eorum Ecclesiis mulieres post partum ad Purificationem admittere.*

6 Sed dicendum, ubi consuetudo contrarium non præscripsit, Regulares in suis Ecclesiis non posse admittere puerperas pro benedictione post partum, sed quoad ipsos soli Parocho id privativè competere. Ita Lauret. de Franch. *Contr. int. Episc. & Regular. p. 2. q. 69. n. 1.* Nicol. *in Flosc. V. Parochus n. 17.* Pignatell. *tom. 5. consult. 76. n. 2. & seqq.* Monacell. *p. 1. tit. 10. form. 18. n. 10. & duob. seqq.* & apud hunc respondit S. Congr Concil. *in Antuerpien. 19. Nov. 1661.* & S. Congr. Visit. Apost. *in Romana Jurium Parochialium 15. Sept. 1695. & 23. Jan. 1698.* in qua, articulo partibus informantibus bene discusso, decisum fuit, Benedictionem puerperarum spectare privativè ad Parochum S. Nicolai in Carcere ad exclusionem Ecclesiæ, & Ministrorum Hospitalis B. M. Consolationis. *Rationem* præter alias Pignat. & Monacell. *l. citt.* dant istam; quia cùm Benedictio hæc fiat cum superpelliceo, stola, & aqua benedicta, ac cum oblatione candelæ, quæ sunt signa Jurisdictionis, ad solum Parochum, intra fines Parochiæ suæ tanquam Jurisdictionem, & fundatam intentionem in omnibus Oblationibus habentem, spectare debet.

7 Ex quo patet *ad 1. Argumentum* sententiæ oppositæ. *Ad 2.* etiam Benedictio nuptiarum est de consilio. Trid. *sess. 24. c. 1. de reform. Matr.* & probat Navar. *Man. c. 22. n. 83.* & tamen à proprio Parocho fieri debet. Idem videtur dicendum de Benedictione ovorum, & tanto magis domorum, cùm fiat extra Ecclesiam in Parochia, in quam non possunt se intromittere Regulares, sed habenda est ratio consuetudinis legitimè introductæ juxta *c. fin. de consuet. Ad 3.* respondet Pignatell. *l. cit. n. 17.* declarationem illam emanâsse vigore concordiæ inter Parochos, & Regulares Civitatis Bononiensis, & vigore consuetudinis legitimè præscriptæ: conf. extra Civitatem Bononiensem Declaratio hæc vim suam non extendit.

TITULUS XLVIII.

De Ecclesijs ædificandis, & reparandis.

POstquam recensuimus actus, qui maximè in Ecclesiis celebrari solent, redimus nunc ad easdem Ecclesias, in quibus primò se offert necessitas eas constituendi, & reparandi.

§. I.

De Ecclesiarum, præsertim Parochialium, ædificatione.

SUMMARIUM.

1. *Cujus authoritate indigeat novarum Ecclesiarum constructio?*
2. *Deciditur indigere authoritate Episcopi Diœcesani, si locus non sit exemptus.*
3. *Nisi Papa privilegium concesserit construendi Ecclesiam, consensu Episcopi non requisito.*
4. *Sufficit autem consensus Episcopi tacitus.*
5. *Solvuntur objecta in oppositum.*
6. *Non potest Episcopus consensum negare sine justa causa.*
7. *Maximè si Ecclesia jam constructa sit amplianda.*
8. *Causæ justæ negandi consensum.*
9. *Quæ sint causæ justæ intra fines Ecclesiæ Parochialis erigendi aliam Parochialem novam? Resolvitur quòd sit unica sc. necessitas.*
10. *Talis esse censetur distantia nimia habitationis Parochianorum quorundam ab Ecclesia Parochiali.*
11. *Intercedens fluvius, vel torrens, qui pontem non patiatur.*
12. *Difficilis accessus ob portas de nocte clausas.*
13. *In leprosis.*
14. *In excrescentia populi Parochiani, ut quidam volunt, sed contra communem.*
15. *Si Parochus Cooperatorem mittat ad longè dissitos, ut Divina ministret diebus festis, evitari potest necessitas erigendi novam Parochiam.*
16. *Præter consensum Episcopi ad novam Parochiam erigendam requiritur competens Parochianorum numerus, & Dos congrua.*
17. *Citatio Rectoris Parochiæ, intra cujus fines nova est erigenda.*
18. *Consensus Patroni.*
19. *Ecclesiæ Matrici pro facultate loci servari debet competens in ea honor.*
20. 21. *An ad novæ Parochiæ intra fines alterius erectionem requiratur consilium, aut consensus Capituli?*
22. 23. 24. *Quanta Ecclesiæ novæ Dos assignanda, & unde sumenda sit?*
25. 26. *An ad ejus erectionem procedi possit invito etiam Rectore, & Patrono Matricis Ecclesiæ?*
27. 28. 29. *Cui acquiratur Jus Patronatûs in Ecclesia Parochiali nova?*
30. 31. 32. *Quid observandum in constructione novæ Ecclesiæ?*

1 QUæritur 1. cujus authoritate indigeat novarum Ecclesiarum constructio? *Videtur* libera esse omnibus; quia sanctissimum, maximéque commendandum opus est; talia autem opera non solent prohiberi. ergo &c. *Conf.* à pari cum Oratoriis, quæ quisque in domo sua extruere, Episcopo non requisito, potest *can. unicuique 33.* & *can. si quis 35. de Consecr. dist. 1.*

2 Sed dicendum, novarum Ecclesiarum constructionem indigere authoritate Ecclesiastica, Pontificis quidem, si in loco exempto *c. authoritate 4. v. inhibemus de Privil. in 6.* Episcopi Diœcesani autem, si in loco non exempto Ecclesia construenda sit *c. authoritate cit. pr.* Et hoc verum est, etiamsi, qui novam Ecclesiam volunt construere, exempti sint; nam si in loco non exempto ædificare Ecclesiam velint, etiam ipsi consensum Episcopi habere debent *c. authoritate cit.* & *ibi* DD. aliàs ædificatum acquiretur Episcopo *c. cùm olim 14. v. præterea junct.* Gloss. *V. revocari de Privil.* Fagnan. *in c. ad audientiam h. tit. num. 43.* Monacell. *in append. p. 2. decis. 37. n. 8.* Engl *hìc n. 4.*

Excipitur, si volens erigere novam 3
Ecclesiam, habeat privilegium novas Ecclesias erigendi, non requisito consensu Episcopi loci; quia tunc consensum Episcopi Papa, quâ pollet, authoritate supplet: necesse tamen tunc est, ut in Indulto specialiter exprimatur, quòd constructio novæ Ecclesiæ fieri possit sine consensu Episcopi; nam si simpliciter concedatur, ut construi possit nova Ecclesia, id intelligitur, ut fiat sine præjudicio Episcopi. Graff. *consil. 3. de Jur. Patr. conf. un. n. 1.* Tambur. *de Jur. Abb. tom. 1. D. 15. q. 7. n. 16.* Pasqual. *ad Lauret. de Franch. p. 1. n. 507.* Monacell. *p. 1. tit. 6. form. 10. n. 2.* & hoc teste respondit S. Congr. Concil. *in Sulmon. Interdicti 24. Jan. 1699.* contra Præceptorem S. Spiritûs in Sa-

Saxia, qui Ecclesiam construxerat absque licentia Episcopi, nixus privilegio Papæ.

4 Non tamen requiritur consensus Episcopi expressus, sed sufficit tacitus, sive quòd is Ecclesiam construi sciverit, & non impediverit, neque contradixerit, cùm sine incommodo posset. Roch. de Curte *de Jur. Patr. q. 8.* Selva *de Benef. p. 1. q. 6. n. 21.* Azor *p. 2. l. 9. c. 3. q. 6.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 26. n. 2.* Vincent. Petra *tom. 1. comment. fol. 384. n. 25.* Vallens. *hic §. 1. n. 3.* Engl *n. 4.* Pirh. *n. 2.* Schambog. *n. 4.* Wiest. *n. 3.* contra Abb. *in c. cura 11. n. 4. de Jur. Patr.* qui sufficere hujusmodi consensum tacitum negat, quòd putet, rem hanc odiosam esse. *Sed melius negatur* odiosa esse; quia etsi tunc Ecclesia non fiat liberæ collationis, id tamen in bonum Ecclesiarum cedit, ut Laici excitentur ad ædificandas, & fundandas Ecclesias: cons. SS. Canones præsumuntur meritò contenti esse consensu tacito, ob favorem specialem piæ intentionis. Quin imò sufficit, si Episcopi consensus accedat, postquam Ecclesia est constructa, vel cùm consecratur. Azor *c. 3. cit. q. 6.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 2. n. 15.* Pirhing, *l. cit.* Et in dubio præsumitur interveniisse consensus Episcopi. Azor *q. 9.* Engl, Pirh. Schamb. *l. citt.*

5 Ad Rationem dubitandi *n. 1.* allatam dico, etiam opus bonum de se illicitum fieri posse, si non fiat modo debito. *Ad Conf.* talia Oratoria privata quidem pro cujusque devotione erigi permittuntur, Divina tamen ibidem celebrari nequeunt, nisi Episcopalis consensus accedat *can. unicuique cit.* & Trid. *sess. 22. in Decret. de celebr. Miss. ℣. neminem.* unde ab horum paritate potiùs confirmatur nostra assertio.

6 Quæritur 2. utrum Episcopus petitum pro novæ Ecclesiæ extructione consensum negare possit? ℟. non posse sine justa causa; & casu, quo sic novæ Ecclesiæ constructioni resisteret, aut ea, quæ sui muneris sunt, per se, vel per alium præstare renueret, recurri ad Superiorem, sc. Metropolitanum, vel S. Congr. Concil. posset, ut vel consensum supplerent Ordinarij, vel illum authoritate sua ad faciendum officium suum compellerent *arg. c. nullus 17. de Jur. Patron.* Vincent. Petra *tom. 1. fol. 383. n. 11. & trib. seqq.* Monacell. *p. 1. tit. 6. form. 10. n. 3.* Vallens. *hic §. 1. n. 3.* Engl *n. 4.* Pirh. *n. 2.* Wiestner *n. 3.*

7 Quod multo magis verum est, si sine rationabili causa Episcopus se opponeret Ecclesiæ jam extructæ, & sufficienter dotatæ dilatationi, vel per adjecta nova ædificia exornationi, cùm id cedat in Divini Cultûs augmentum, & in hujusmodi amplificatione ferè cessent rationes, ob quas novarum Ecclesiarum constructio justè impediri potest. Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 26. n. 2.* & hoc teste decisum est à Rota.

Dixi autem *sine causa justa*; nam ex causa justa, & rationabili consensum suum 8 negare Episcopus, & novæ Ecclesiæ ædificationi potest resistere, præsertim si Parochialis illa futura esset, & erigenda intra fines alterius Parochialis. Porro causæ justæ, & rationabiles impediendi extructionem novæ Ecclesiæ sunt. 1. Si ei non attribuatur necessaria dos *can. nemo 9. de consecr. dist. 1.* 2. Si hujusmodi constructio fiat non tam devotionis, & Cultûs Divini, quàm quæstûs cupiditate *c. fiquis 10. dist. cit.* 3. Si vicinarum ædium officiat luminibus, aut ad illas accessus impediatur; nam Religionis favor, etsi summus sit, ad normam tamen Justitiæ revocari debet: ideoque & novæ Ecclesiæ novi operis nuntiatio fieri potest, & si post novi operis nuntiationem factam aliquid fuerit extructum, illud erit diruendum, sive injuriâ, sive etiam jure extructum fuerit *c. intelleximus 1.* & *c. seq. de nov. oper. nunt.* Vallens. §. *1. n. 5.* Schamb. *n. 6.* 4. Si constructione ejus alteri Ecclesiæ, præsertim Parochiali, inferatur præjudicium; *providendum enim est Episcopo, ut aliæ Ecclesiæ antiquiores propter novas suam Justitiam, aut Decimam non perdant, sed semper ad antiquiores Ecclesias persolvatur*, ut dicitur *can. quicunque 44. caus. 16. q. 1.* Sola tamen diminutio concursûs, inde proveniens Ecclesiis aliis, etiam Parochialibus, non attenditur, & Parochi semper succumbunt, quoties hoc titulo curabunt se opponere ædificationi novarum Ecclesiarum. Monacell. *p. 1. tit. 6. form. 10. n. 8. & seqq.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. n. 5.*

Quæritur 3. quæ sint causæ justæ intra fines Ecclesiæ Parochialis erigendi aliam 9 Parochialem novam? ℟. sunt complures, quæ tamen ad unicam ferè reducuntur, éstque Parochianorum magna difficultas adeundi Ecclesiam Parochialem pro percipiendis Sacramentis, & audiendis Officiis Divinis. Fagnan. *in c. cùm dicat 2. h. tit. n. 23.* Pirhing. *hic n. 8. ℣. præterea.* Et ob istam causam nova erigi Ecclesia potest, non obstante Juramento de rebus Ecclesiæ non alienandis *c. fin. h. tit.* Ratio est, quia Juramentum illud non debet extendi ad hunc casum novum, & necessarium, cùm eo casu constructio novæ Ecclesiæ omitti nequeat sine periculo, ac detrimento salutis animarum. Gloss. *in c. fin. cit. ℣. Juramenti.* Imò etsi Episcopus expressè jurásset non exstruere novam Ecclesiam, non obligaretur servare hujusmodi Juramentum, cùm ex officio suo sit adstrictus populo providere de loco, in quo possit Sacramenta suscipere, & Divina Officia audire. Host. *in c. fin. cit. in fin.* Vivian. *ibid. in Ration.* Gonzal. *n. 1.* Barbos. *n. 1.* Vallens. *hic §. 1. n. 6.* Zœs. *n. 7.* Pirh. *n. 9.* Schambog. *n. 6.*

Porro talis necessitas esse censetur 1. 10 si villa, seu locus habitationis Parochianorum

rum ab Ecclesia sua ita remotus sit, ut hiberno, vel alio simili tempore ad eam sine magno incommodo confluere, aut quando infirmantur, pro consuetis Ecclesiæ Sacramentis ad illam in tempore recurrere non facilè possint, Abb. *in c. ad audientiam 3. h. tit.* n. 3. Butrio *ibid. n. 3.* Vivian. *in Ration.* Fagnan. *n. 1. 2. & præcipuè 17.* Barbos. *n. 2.* Gonzal. *n. 4.* Vallens. *hìc* §. *1. n. 6.* Zœs. *n. 7.* Honor. *n. 2.* Pirh. *n. 5. & 6.* Schamb. *n. 6.* Wiest. *n. 8.* Monacell. *p. 1. tit. 2. form. 3. n. 2. & 3.* & habetur *c. ad audientiam cit.* cui consonat Trid. *sess. 21. c. 4. de reform.* nam illud solùm possumus, quòd commodè possumus *l. nepos 105. in fin. ff. de V. S.* Neque requiritur, ut Parochianus aliquando sine Sacramentis decesserit, sed sufficit periculum, ne contingat, cùm *melius sit occurrere in tempore, quàm post exitum vindicare*, ut dicitur *l. liberam 1. C. quando liceat sine Judice &c.* & ita censuit S. Congreg. Concil. teste Fagnan. *n. 17. cit.* & Monacell. *n. 3.* Quanta autem ea distantia, vel Parochiæ amplitudo esse debeat, ut sine magno incommodo adiri non possit, id Judicis arbitrio determinandum relinquitur, cùm Jure definitum non sit. Fagn. *n. 18.*

11 2. Si inter ejusmodi locum, & Ecclesiam decurrat flumen, vol torrens, qui pontem non patiatur, & vado transiri sæpe non possit. Fagnan. *l. cit. n. 19.* Pirhing *n. 6.* Wiest- ner *n. 8.* Quæ causa sufficiens est etiam sine distantia loci; undecunque enim proveniat magna difficultas percipiendi Sacramenta, dicitur subesse justa causa erigendi novam Parochiam: & hinc Trid. *c. 4. cit.* alternativè loquitur ibi, *Ob locorum distantiam, sive difficultatem*, ita, ut propterea alterutrum sufficiat. Fagnan. *l. cit.*

12 3. Si Parochianorum complures familiæ sint extra urbis mœnia, Ecclesia autem Parochialis intra illa, & portæ urbis noctu sint clausæ, ita, ut existentes extra mœnia non facilè possint manè ad Officia Divina accedere, & in repentina necessitate necessaria animæ habere subsidia. Lap. *alleg. 66. incipit, Quoddam Monasterium.* Fagnan. *n. 20.* Pirhing. *n. 6.* Wiestner *n. 6.*

13 4. Si alicubi plures simul leprosi degant; nam hi Ecclesiam cum cœmeterio sibi construere, & proprium Presbyterum, absque præjudicio tamen Ecclesiæ Parochialis, sibi construere permittuntur *c. cùm dicat 2. h. tit.* Vivian. *ibid. pr.* Barbos. *n. 1.* Gonzal. *n. 2.* Fagnan. *l. cit. n. 22.* Vallens. *hìc* §. *1. n. 8.* Honor. *n. 5.* Zœs. *n. 9.* Pirh. *n. 8.* Schamb. *n. 8.* quia cùm lepra sit morbus contagiosus, non decet eâ infectos habitare cum sanis, & non leprosis, ne isti ab ipsis inficiantur.

14 5. Aliqui cum Gloss. *in can. nulli 2. dist. 99.* addunt, si multitudo Parochianorum ita excrescat, ut unus Presbyter non sufficiat universis. Sed verius Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. §. 2. n. 10.* Zypæus *in Analys. h. tit. n. 15. ℣. igitur*, Fagnan. *l. cit. n. 24.* Pirh. *n. 6.* Wiest. *n. 7.* docent, hanc causam non sufficere: & ita declaratum est à *S. Congr.* teste Fagnan. *l. cit.* potest enim tunc populi ita numerosi necessitati succurri medio præscripto à Trid. *c. 4. cit. pr.* ubi hujusmodi Parochiarum Rectoribus injungitur, ut *sibi tot Sacerdotes* Coadjutores *ad hoc munus adjungant, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & Cultum Divinum celebrandum.*

15 Imò etiam in præcedentibus casibus ad novæ Ecclesiæ Parochialis erectionem non devenitur necessariò, si Parochus ita distitis, vel accedere ad Parochialem Ecclesiam commodè non valentibus, in Capella accessu facili Divina ministret per se, vel per alium à se deputatum, & ab Ordinario approbatum Sacerdotem. Ricc. *prax. for. Eccl. p. 1. resol. 486. n. 6. ℣. limitatur.* Card. de Luca *annot. ad Concil. Trid. Disc. 16. n. 2.* & *Paroch. Disc. 34. per tot.* Monacell. *p. 1. tit. 6. form. 3. n. 4.* qui tamen *n. 6.* addit, quando Parochianorum pars, vel communitas ob distantiam loci, & magnam incommoditatem itineris petit, & congruè dotat novam Parochiam erigendam, ad dismembrationem formalem sæpe deveniri: cons. oblatio Capellani, sive Coadjutoris, pro administratione Sacramentorum diebus festis, per Rectorem ad dismembrationem vitandam facta tunc non erit sufficiens ad retardandam Parochiæ novæ erectionem, sed ad istam, illa non obstante, justè procedetur, ut declaravit S. Congr. Concil. *in Januensi 16. Januar. 1694.*

16 Quæritur 4. quænam alia præter consensum Episcopi, & justam causam requirantur ad Parochiæ novæ intra fines alterius erectionem? ℣. 1. requiritur competens Parochianorum numerus; de quo actum *tit. 29. n. 7.*

2. Dos congrua *can. nemo 9. de consecr. dist. 1.* aliàs Episcopus in constructionem illius consensum dare non potest, & si det, atque Ecclesiam sine dote consecret, congruam ei dotem assignare ipse de proprio tenebitur *c. cùm sicut 8. de Consecr. Eccl.* Lambertin. *de Jur. Patron. l. 1. p. 1. pr. q. 5. art. 10. n. 4.* Azor *p. 2. l. 9. c. 3. q. 7.* Fagnan. *in c. ad audientiam 3. h. tit. n. 31. & seqq.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 70. n. 29.* Petra *tom. 1. comment. fol. 392. n. 84.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. n. 5.* Vallens. *hìc* §. *1. n. 3. & 4.* Engl *n. 5.* Schambog. *n. 4. & 5.* Wiest. *n. 14.*

17 3. Citatio Rectoris Parochiæ Matricis, intra cujus fines nova est erigenda *arg. can. multis 51. caus. 16. q. 1.* & ita censuit *S. Cong. Conc.* apud Fagnan. *l. cit. n. 29.* Estque eo non vocato, & non requisito, novæ Parochialis erectio non solùm illicita, sed etiam invalida, & nullius momenti. Gloss. *fin. in can. nulli 2. dist. 99.* Lap. *alleg. 66. n. 3.* Garc. *p. 12. de Benef. c. 3. n. 3. & seqq.* Conrad. *prax.*

Be-

Benef. l. 3. c. 2. n. 5. & seqq. Nicol. *Lucubr. can. l. 3. c. 48. de Eccl. ædif. n. 1. ℣. non verò*, Petra *tom. 1. fol. 386. n. 41. & seqq.* Monacell. *p. 1. tit. 2. form. 3. n. 9.* Zypæus *Analys. b. tit. n. 14. ℣. ædificatio* Fagnan. *l. cit. n. 30.* Pirh. *n 11.* Wiest. *n. 15.* Rota *decis. 745. n. 2. p. 2. recent.*

18 4. Consensus Patroni, saltem si nova Parochia dotanda sit ex reditibus dotatæ ab eo Ecclesiæ Matricis; quia ejus interest, cùm redituum parte in novam translatâ, antiquæ, sive Matricis Ecclesiæ Beneficium minùs reddatur æstimabile, & minùs grati futuri sint Clerici ad id præsentati. Wiest. *n. 16.*

19 5. Ecclesiæ Matrici pro facultate loci servari debet competens in ea honor *can. nemo 9. de Consecr. dist. 1. c. ad audientiam 3. h. tit.* quod fiet vel per solutionem annuæ pensionis, vel per recursum ad eam pro Baptismo, & Sepultura, vel per præstationem aliorum Jurium, in erectionis limine ipsi reservatorum. Gloss. *in c. ad audientiam cit. V. honor*, Host. *ibid. n. 3. ℣. proinde*. Joan. Andr. *n. 10.* Abb. *n. 6.* Fagnan, *n. 8.* Gonzal, *n. 6.* Pirh, *n. 13.* Wiestner *n. 17.* Monacell. *form. 3. cit. n. 13.* Quem autem ex his honoris signis debeat impendere Ecclesia filialis erga Matricem, prudentiæ Episcopi in dismembratione facienda relinquitur, qui perpensis loci, Ecclesiæ, Rectoris, distantiæ, incolarum facultatibus, moribus, qualitatibus, & congruentijs, unum ex recensitis reservabit, ut cum Gloss. *in c. ad audientiam cit. V. Honor.* notat Monacell. *l. cit. n. 14.*

20 Quæritur 5. an ad novæ Parochiæ intra fines alterius creationem requiratur consilium, aut consensus Capituli? ℣. distinguendo inter Jus antiquum, & novum Trid. *sess. 21. c. 4. de reform. Jure antiquo* requirebatur consensus Capituli *arg. c. pastoralis 7. in fin. de Donation.* est enim species quædam alienationis, cùm per illam Ecclesiæ Matricis Jura, & sæpe etiam reditus diminuantur.

Jure novo Trid. distinctio altera est adhibenda, & videndum, an Ecclesia Parochialis, intra cujus fines nova erigitur, sit exempta, an verò subjecta Episcopo. *Si exempta, est*, ad novam intra ejus fines excitandam procedere Episcopus, Capituli consensu, aut etiam consilio non requisito, potest; quia eo casu, ut Trid. *l. cit.* permittit, procedit Episcopus, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, & gerit vices Papæ, qui ad ejusmodi consensum, vel consilium adhibendum adstrictus non est *arg. l. quæcunque 1. §. qui mandatam 1. ff. de Officio ejus, cui mandat. &c.*

21 *Si verò est subjecta Episcopo*. ad novam Ecclesiam intra fines alterius erigendam, ut antiquo, ita etiam hodierno Jure necessarius est consensus Capitularis, quia circa hunc casum Jus antiquum à Trid. non est immutatum: procedet ergo tunc Episcopus ad dismembrationem faciendam Jure Ordinario. ubi autem Jure ordinario procedit Episcopus ad actum, qui alienationis speciem habet, opus est, ut adhibeat consensum Capituli: unde hoc casu procedat *arg. c. Pastoralis cit.* & confirmatur paritate cum unione, quæ sine consilio, & consensu Capituli fieri nequit.

Vide Ægid. Bellamer. *decis. 514.* Marian. Socin. *in c. sicut 8. de excess. Prælat. art. 6. pr. concl. 14. n. 104.* Fagnan. *in c. ad audientiam cit. n. 53.* Pirh. *hic n. 10. ℣. secundò*, Wiestner *ibid. n. 9. & 10.*

22 Quæritur 6. quanta Ecclesiæ novæ Dos assignanda, & unde sumenda sit? ℣. Dos ejusdem tanta esse debet, ut ex ea luminaria, cæteráque ad Sacrum ministerium necessaria haberi, Ministri ejusdem commodè sustentari, Jura Episcopalia persolvi, in pauperes liberalitas, & in peregrinos, aliósque hospitalitas exerceri, & similia onera supportari valeant *can. nemo 9. de consecr. dist. 1. c. non liceat 2. de Præb. c. suscepti 1. eod. in 6. c. statuto 2. §. ubi autem 2. de Decim. in 6.* Azor *p. 2. l. 9. c. 3. q. 7.* Læl. Zecch. *de Rep. Eccl. c. 28. de Parocho n. 4.* Rebuff. *tr. congruæ portionis n. 65.* Barbos. *de Offic. Paroch. c. 1. n. 40.* Honor. *hic n. 8.* Schamb. *n. 4.* Wiest. *n. 14.*

23 Assignanda autem hujusmodi Dos est ab Episcopo, cujus authoritate novæ hujusmodi Ecclesiæ eriguntur *cc. citt.* De Jure, si alius non adsit, qui velit Ecclesiam novam dotare, vel reditus antiquos augere, sumenda Dos est ex reditibus Ecclesiæ Matricis, ita tamen, ut huic remaneat competens sustentatio *can. quicunque 44. caus. 16. q. 1. c. ad audientiam 3. h. tit.* & Trid. *sess. 21. c. 4. de reform.*

Quodsi ista reditibus non abundet, ad congrua vitæ subsidia, Rectori novæ Ecclesiæ constituenda, contribuere debent subditi ejus Parochiani, ex mente Trid. *sess. 24. c. 13. ℣. in Parochialibus de reform.* Potéstque ad hoc ipsos, si ita necesse fuerit, Episcopus compellere opportunis Juris remedijs. Fagnan. *in c. ad audientiam cit. n. 5.*

24 Si Parochianos excuset inopia, onus congruæ sustentationis contribuendæ incumbet Abbati, vel Præposito, & similibus, quibus Parochia subjecta est in temporalibus *can. fin. ℣. fiquæ dist. 70.* Fagnan. *n. 6.*

Quodsi verò & hi deficiant, aliunde tali novæ Ecclesiæ de dote ab Episcopo est providendum, & quidem, si aliter nequeat, ex reditibus suæ mensæ *c. inter cætera 15. de Offic. Ordin.* & *c. fin. h. tit.* Fagnan. *l. cit.* Wiestner *n. 13.*

Si verò nec iste valeat succurrere, novus Rector artificio, vel manuum labore victum debebit quærere *can. Clericus 3. & c. dist. 91.* Host. *in c. ad audientiam cit. n. 3.* Joan. Andr. *n. 8.* Abb. *n. 3.* Fagnan,

nan. *n. 7.* & hoc teste declaratum est *à S. Congr.*

25 Quæritur 7. an procedi ad novæ Parochialis Ecclesiæ erectionem possit etiam invito Rectore, & Patrono Ecclesiæ Matricis? R. si novæ Ecclesiæ erectionem causa justa exigat, & Rector, vel Patronus citati contradicant, ijs etiam invitis procedi ad novæ erectionem potest. Ita de Rectore Host. *in c. ad audientiam 3. h. tit. n. 3. V. obventiones.* Joan. Andr. *ibid. n. 7.* Abb. *n. 6.* Fagnan. *n. 11.* Pirh. *hic n. 7.* Wiest. *ibid. n. 15.* & clarè satis traditur ab Alexandro III. *c. ad audientiam cit.* ubi Archi-Episcopo Eboracensi jubet, ut *Ecclesiam novam ædificet, & in ea Sacerdotem, sublato appellationis obstaculo, ad præsentationem Rectoris Ecclesiæ majoris instituat.* Concordat Trid. *sess. 21. c. 4. de reform.* ibi *Etiam invitis Rectoribus.* Ex quo ducitur Argumentum ad Patronum.

26 Ratio pro utroque est; quia causa, ob quam nova Ecclesia Parochialis erigi intra fines alterius potest, est publica, sc. incommoditas, & periculum animæ apud Parochianos. atqui utilitati publicæ cedit bonum privatum, & præjudicium personæ particularis attendi non debet.

27 Quæritur 8. cui acquiratur Jus Patronatûs in Ecclesia Parochiali, intra fines alterius erecta? Videtur generaliter competere Rectori Matricis Ecclesiæ. 1. per textum *c. ad audientiam 3. h. tit.* ibi *In ea Sacerdotem ad præsentationem Rectoris majoris Ecclesiæ instituas.* 2. paritate; quia eidem Rectori simul cum constructore, & dotatore acquiritur Jus Patronatûs in Capellam, siqua in Ecclesia ipsius constituatur.

28 Sed respondendum est distinguendo: vel enim Ecclesia nova constructa est in fundo, & ex proventibus Matricis Ecclesiæ ædificata, aut dotata, vel sumptus ad hoc suggessit alterius, aut aliorum liberalitas. *Si primum*, Jus Patronatûs pertinebit ad Rectorem Matricis Ecclesiæ; *Si secundum*, illud non isti, sed illi tribuendum est, qui eam fundavit, construxit, dotavit. Abb. *in c. ad audientiam cit. n. 9.* Fagnan. *ibid. n. 35.* Pirh. *n. 12.* Wiest. *n. 19.* & teste Fagnan. *l. cit.* respondit *S. Congr. Concil.* Ratio est, quia, ut *Tit. 38. n. 32.* dictum est, Jus Patronatûs ex tribus solùm causis, fundatione, dotatione, constructione acquiritur.

29 Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad 1.* ibi meritò Jus Patronatûs Rectori Ecclesiæ Matricis conceditur; quia ex hujus reditibus nova Ecclesia dotata fuit. *Ad 2.* negatur paritas; nam eo casu Ecclesia pro Capella intra illam ædificanda confert fundum, & sic Rectori ejusdem Jus Patronatûs competit ratione fundationis.

Quæritur 9. quid observandum in 30
constructione novæ Ecclesiæ? R. 1. debet Episcopus in loco construendæ Ecclesiæ Crucem Dominicam figere, designare atrium, & lapidem primarium ponere *can. nemo 9. de consecr. dist. 1.* junctâ Gloss. *ibid. V. veniet*, & *Novell. 65. n. 5.* Neque obstat, quòd in his textibus de primo lapide ab Episcopo ponendo non fiat expressè mentio; nam in dicto sensu Constitutiones *citt.* teste Azor *p. 2. l. 9. c. 3. q. 4.* communiter interpretantur DD. Potest autem Episcopus primarium lapidem ponere, & Crucem figere vel per se, vel per alium, ut cum Gloss. & Azor *citt.* advertunt Zerol. *prax. Episc. V. Ecclesia p. 1.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 26. n. 1.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 7. n. 5.* Vallens. *hic §. 1. n. 3.* Honor. *n. 7.* Engl *n. 3.* Pirh. *n. 3.* Schamb. *n. 4.* König *n. 4.*

2. Ex more recepto ab ipsis nascen- 31
tis Ecclesiæ incunabulis, teste S. Clem. *l. 1. Const. Apost. c. 59.* erigenda est in formam navis oblongam, quòd ejus, tanquam navis tutissimo sinu defensi, ex hoc mundo, in quo tanquam in procelloso mari fluctuamus, per occurrentia tempestatum pericula ad æternæ salutis portum perringamus. Azor *l. cit. q. 12.* Engl *hic n. 6.* Pirh. *n. 3.* Schamb. *n. 4.* König *n. 7. V. forma externa.*

3. Ex Apostolica traditione, quan- 32
tum situs loci patitur, Templa ita construenda essent, ut Summum Altare collocetur versùs Orientem. Vall. *hic §. 1. n. 8.* Engl *n. 6.* cum cæteris *suprà*: cujus traditionis multiplex assignari ratio potest. Præcipua est, quia Christus cælos ascendit ad Orientem, & in Cruce suffixus ab Oriente spectandum se exhibuit, teste Basil. *l. de Spirit. Sanct. c. 13. & 27.* Et hinc teste Baron. *ad annum Christi 57. n. 103.* etiam Christiani in novæ Legis primordio soliti sunt suas Orationes versùs Orientem dirigere. Verùm hoc non est necessarium, & non desunt exempla veterum Ecclesiarum, quarum Altaria diversam ab Orientali plagam respiciunt. Hinc in Ecclesiarum constructione potiùs ad commoditatem loci, & fabricæ decentiam, quàm certum mundi cardinem attendendum est, ut cum *Stephan. Durant.* & *Frances* notat P. Wiest. *hic n. 22.*

§. II.

§. II.

De Eccleſiæ, & Ædium Parochialium reparatione.

SUMMARIUM.

33. &c. *Quis concurrere debeat ad reparationem Eccleſiæ Parochialis?*
40. 41. *Quis ad reparationem Eccleſiæ Cathedralis?*
42. 43. 44. *Quis ad ampliationem Eccleſiæ?*
45. *Quid veniat nomine reparationis?*
46. *An etiam Ædes Parochiales?*
47. *Ex quibus bonis Eccleſiæ Parochialis Rector, & Clerici debeant concurrere ad reparationem illius?*
48. *Neceſſaria ad conſervandum ſtatum accidentalem ad Clericatum non detrahuntur.*
49. *Præferuntur tamen alimenta Parochi reparationi Templi.*
50. *Utrum ad reparationem Eccleſiæ teneantur concurrere Patroni?*
51. *Deciditur Quæſtio.*
52. *Solvuntur Argumenta oppoſita.*
53. *An ad reparationem Eccleſiæ Parochialis debeant concurrere etiam Decimatores?*
54. *Si Patroni non ſint?*
55. *Vel Eccleſiaſtico extraneo competant?*
56. *Quid dicendum de ijs, qui obtinent Decimas Laicales?*
57. 58. *Reſpondetur ad oppoſita.*
59. 60. 61. *Quo ordine ex Decimarum fructibus ſuccurrendum ſit ad reparationem Eccleſiæ Parochialis?*
62. *Quando ad concurrendum vocandi ſint Parochiani?*
63. 64. 65. *Quomodo concurrere illi debeant?*
66. 67. *Quando deveniendum ad translationem Eccleſiæ Parochialis ad aliam vicinam?*

83 QUæritur 1. quis concurrere debeat ad reparationem Eccleſiæ Parochialis, vetuſtate, vel alio caſu collapſæ, aut ruinam minitantis? R. 1. & ante omnia ſervanda eſt recepta loci conſuetudo, & particularia Statuta, vel Conventiones, ſiquæ adſint, ut rectè notant Hoſt. *in c. 1. h. tit. n. 1.* Abb. *ibid. n. 3.* Barboſ. *n. 3.* Gonzal. *n. 7.* Vallenſ. *hic §. 2. n. 1. & 2.* Zœſ. *n. 4.* Honor. *n. 17.* Engl *n. 7.* Schamb. *n. 11.* König *n. 5.* Wieſt. *n. 41.* Monacell. *p. 2. in append. deciſ. 37. n. 1.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 9. n. 3.*

34 2. His ſeclusis, illarum reparatio facienda eſt de portione proventuum, ſeu redituum, ad fabricam deputata *can. decrevimus 10. cauſ. 10 q. 1.* & *can. placuit 1. can. priſcis 2. can. unio 3. cauſ. cit. q. 3.* Lambertin. *de Jur. Patron. l. 3. q. 7. art. 2. n. 2. & 7.* Azor *p. 2. l. 9. c. 3. q. 10.* Barboſ. *in c. 1. cit. n. 4.* Sperell. *deciſ. 67. n. 1.* Vallenſ. *hic §. 2. n. 3.* Engl *n. 5.* Pirh. *n. 14.* Schamb. *n. 11.* Wieſt. *n. 42.* Monacell. *deciſ. cit. n. 1.* & hac quidem ſufficiente, nullus eſt moleſtandus, ut idem Sperell. *l. cit.* plurimis alijs allegatis notat; quia per ſe reparatio Eccleſiæ fieri debet ex bonis Eccleſiaſticis, atqui bona, ad fabricam Eccleſiæ deputata, procul dubio ſunt bona Eccleſiaſtica, ergo.

35 3. Si Eccleſia reditus alios, quàm qui ad Cultum Divinum neceſſarij ſunt, nullos habeat, contribuere ad reparationem Eccleſiæ Parochialis debebunt illius Rector, & alij, qui Beneficia Eccleſiaſtica in illa habent, ut ſtatutum eſt *c. quicunque 1.* & *c. de bis 4. h. tit.* Sumitur etiam ex Trid. *ſeſſ. 21. c. 7. de reform.* ubi S. Synodus Epiſcopos monet, ut *Parochiales Eccleſias -- collapſas refici, & inſtaurati procurent ex fructibus, & proventibus quibuscunque, ad easdem Eccleſias quomodocunque pertinentibus.* tales autem ſunt etiam illi, quos Rector, & alij Beneficiati intuitu ipſarum percipiunt. Riccius *prax. Neapol. p. 4. Reſponſ. q. 82 n. 2. concl. 3.* Vivian. *in c. 1. h. tit.* Barboſ. *ibid. n. 1.* Gonzal. *n. 3.* Vallenſ. *n. 3. v. Quintò*, Honor. *n. 18. & 19.* Engl. *n. 7.* Zœſ. *n. 4.* Pirh. *n. 14. & 15.* Schambog. *n. 11.* König *n. 5.* Wieſtner *n. 43.*

36 4. Si hujusmodi Rector, & Beneficiati adeò tenues habeant reditus, ut deducta ſuſtentatione, non ſuperſit, quod ad Eccleſiæ reſtaurationem conferant, vel quod ſupereſt, in eam collatum non ſufficiat, ex Decreto laudatæ Synodi Trid. *c. 7. cit.* ad eam tenentur, & compelli poſſunt *Patroni, & omnes alij, qui fructus aliquos, ex dictis Eccleſijs provenientes, percipiunt.* Cittadin. *de Jur. Patron. art. 5. n. 173.* Surd. *conſil. 62. n. 6. volum. 1.* Lambert. *l. cit. n. 5.* Sperell. *n. 10.* Et hinc per Epiſcopum in Viſitatione poteſt fieri præceptum Patrono, ut intra competentem terminum reparet, ſub pœna privationis Juris Patronatûs. Genuens. *in Man. Paſtor. c. 36. n. 1. in fin.*

37 5. In defectum Rectoris, & aliorum, qui fructus ab Eccleſia percipiunt, ſuccurrere debent Parochiani Laici, qui à tali Eccleſia Sacramenta percipiunt. Trid. *c. 7. cit.* & quidem omnes, h. e. non ſolùm plebeij, ſed etiam Nobiles & aliàs exempti; quia Eccleſiarum reparatio eſt opus publicum, & concernens communem omnium utilitatem, ac neceſſitatem, à quibus operibus nemo excuſatur *arg. l. ad inſtructiones 7. C. de SS. Eccl.* Riccius *Deciſ. Neapol. p. 4. deciſ. 15. n. 4.* Barboſ. *in c. 4. h. tit. n. 3.* Val-

Vallens. *hic §. 2. n. 3. ℣. Sextò*, Pirh. *n. 15. ℣. denique*, König *n. 5.* Addunt nonnulli apud Barbos. *l. cit.* quòd quando non adsunt redditus superflui Clericorum ad restaurationem Ecclesiæ, nec aliunde appareat, quomodo hæc fieri possit, possit expendi pecunia ex Ærario publico Universitatis, & ea deficiente debeat deveniri ad Collectam à vicinis petendam.

38 6. Denique casu, quò ob notoriam paupertatem nemo ex prædictis contribuere valet, nec spes est reparationis, Ecclesia ruinosa omnino destrui poterit, ac ejus Jura, & fundi dotales ad Matricem Ecclesiam, si filialis sit; vel aliam viciniorem authoritate Episcopi transferri. Trid. *c. 7. cit.* Idémque de Beneficijs Simplicibus dicendum, quæ fuerunt in Ecclesia collapsa; nam ista arbitrio Episcopi alicui Altari vicinioris Ecclesiæ cum omnibus oneribus, & emolumentis, ac prioribus invocationibus applicari debent. Engl *hic n. 8. ℣. idémque.*

39 Porro circa hanc translationem, & destructionem tria sunt advertenda. 1. locus, ubi Ecclesia destructa stetit, profanus quidem reddetur, erigi tamen insignum, quòd Ecclesia aliquando ibi steterit, debet ibidem Crux ex Decreto Trid. *l. cit.* 2. In Ecclesia, ad quam fit translatio, erigendum est Altare sub eadem invocatione, sub qua fuit Ecclesia diruta. Barbos. *ad Trid. c. 7. cit. n. 19.* Monacell. *in Append. p. 1. fol. 273. n. 1.* Honor. *hic n. 22.* Schambog. *n. 11.* Engl. *n. 8. cit. ℣. quodsi*, König *n. 5. in fin.* 3. Ligna, & tigna destructæ Ecclesiæ olim non poterant ad alium, quàm Ecclesiasticum usum, sc. ad ædificationem alterius Ecclesiæ, vel ad profectum Monasterij applicari, ut dicitur *can. ligna 38. de consecr. dist. 1.* hodie tamen Trid. *c. 7. cit.* facultatem concessit, ut *Ecclesiæ dirutæ* i. e. tam locus ipse, quàm materialia. Rota apud Farin. *p. 1. in postum. decis. 107. n. 2.*) *in profanos usus, non sordidos converti* possint. Zypæus *in Analys. h. tit. n. 12. fin.* Engl. *l. cit. ℣. lapides*, qui *ibidem ℣. non posse* cum *Navar. Barbos.* excipit ligna picta, vel alia materialia, signo tali notata, ex quo nosceretur fuisse Ecclesiæ; nam hæc ad fabricam Laicalem sine scandalo adhiberi vix possent.

40 Quæritur 2. quis teneatur concurrere ad reparationem Ecclesiæ Cathedralis? *R.* 1. secluſa consuetudine, tenetur solus Episcopus ex quarta redituum suorum *can. quatuor 27. caus. 12. q. 2.* non solùm futurorum, sed etiam præteritorum, & si sit dives, etiam ultra quartam compelli potest.

2. Quodsi Episcopus non sit dives, & quarta illa pars non sufficiat, tunc etiam Canonici tenebuntur, & compelli possunt contribuere ex superabundantibus reditibus Præbendarum suarum (imò & Distributionum quotidianarum) vel aliarum rerum Capituli *juxta c. fin. de his, quæ fiunt à major. part. Capit.* Abb. *ibid. n. 7.* Pirh. *hic n. 19.*

3. Denique si neque reditus Episcopi, 41
& Canonicorum simul sufficerent ad reparationem, tunc posset Episcopus unà cum Capitulo decernere, ut alij inferiores Clerici ex superabundantibus fructibus, quinecessariæ sustentationi supersunt, contribuant ad fabricam; vel etiam posset Episcopus cum Capitulo tali casu pro fabrica Ecclesiæ Cathedralis deputare fructus Beneficiorum vacantium. Abb. *in c. 1. h. tit. n. 6.* Barbos. *ibid. n. 5.* Pirh. *hic. n. 19.* Schambog. *n. 16.*

Quæritur 3. an Episcopus virtute ar- 42
bitrij, quod ipsi commissum est, circa reparationem Ecclesiæ Parochialis, ampliare illam sumptibus eorum, qui ad reparationem tenentur, possit? Respondet Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 6.* in hac quæstione sequentes casus distinguendos esse.

1. Cùm stipulatione aliquis obstrictus reperitur: quo casu dicendum est, eum, qui refectionem promisit, non obligari ad ampliationem; quia verba stipulationis strictè accipienda sunt *l. quidquid 99. ff. de V. O.* est autem longè aliud reficere, & aliud ampliare *l. usufructuarius 44. ff. de Usufr. l. quid tamen 10. §. non tantùm 1. ff. quib. mod. Usufr.*

2. Quando fit ampliatio Ecclesiæ, 43
non quia necessaria, sed tantùm utilis est: quo casu similiter dicendum est, non posse compelli ad præstandos sumptus ampliationis eos, qui Jure ordinario teneatur ad refectionem, ut resolvit Stephan. Gratian. *tom. 1. Discept. for. c. 84. n. 21.* ea ratione; quia licèt res communis refici possit sumptibus sociorum, non tamen potest eis invitis ampliari *l. parietem 8. ff. de Servit. urban.* Et hinc consequens est, quòd ij, qui ad Ecclesiæ reparationem tenentur, prædictam ampliationem impedire possint, nisi caveatur pro futura reparatione loci ampliandi; nam irrogatur eis præjudicium propter futuras expensas reparationis, quæ ampliatâ Ecclesiâ majores fiunt. Peckius *de Eccl. reparand. c. 2. n. 4.*

3. Quando ampliatio necessaria est 44
propter populi multitudinem, quam Ecclesia antiqua non potest capere: quo casu Ripa *respons. 14. n. 10.* Aufrer. *Decis. Capell. Tholos. 449.* Peck. *l. cit.* existimant onus submini strandi sumptus pro ampliatione incumbere illis, ad quos spectat necessitas reparationis, pro modo facultatum suarum. Sed Gonz. *l. cit.* distinguit inter ampliationem, & reparationem Ecclesiæ sic ampliatæ; nam ampliationem, cùm hæc sit nova constructio, dicit faciendam sumptibus ejus, cui incumbit Ecclesias construere, videlicet Episcopi *c. fin. h. tit.* Reparationem verò Ecclesiæ sic ampliatæ ait spectare ad eos, qui ad reparationem Ecclesiæ veteris tenebantur,

cùm

cùm ipsi specialiter obstricti sint ad Ecclesiam reficiendam, ex qua fructus percipiunt, vel Sacramenta recipiunt.

45 Quæritur 4. ad quid reparandum prædicti ratione hactenus deductæ obligationis concurrere debeant? R. reparare Ecclesiam Parochialem debent in capite, & in membris. In specie obligatio ista complectitur.

1. Ipsam Ecclesiam cum parietibus, tecto, ac supellectili ad Cultum Divinum in ea peragendum necessaria; nam ad hæc, si reparatione indigeant, ab his, quos hactenus obligatos dixi, sumptus subministrandi sunt. Barbos. *in c. 1. h. tit. n. 2.* Engl *hic n. 8.* Pirh. *ibid. n. 16.* Monacell. *in Append. p. 2. decis. 37. n. 1.*

46 2. Sacristiam, turrim cum campanili, & cœmeterium; quia partes Ecclesiæ accessoriæ sunt, & accessorium principale sequitur *Reg. accessorium 42. in 6.*

3. Ædes, Rectoris habitationi destinatas. Barbos. *in c. 4. h. tit. n. 5.* Sperell. *decis. 68. n. 4.* Pirh. *n. 16.* Schambog. *n. 15.* & à *S. Congreg.* declaratum est teste Barbos. *de Offic. Paroch. c. 13. n. 12.* nam & ipsæ accessoriæ sunt ad Ecclesiam. Accedit, quia Rector Ecclesiæ Parochialis ad prædictos recurrere potest pro alimentis, & sustentatione. atqui sustentationis nomine non solùm cibus, & potus, sed etiam vestitus, & habitatio veniunt. ergo &c.

Verùm quoad hæc nulla poni Regula generalis potest, sed observanda est praxis, quæ in varijs Diœcesibus varia est. Alicubi Parochi, & alij Beneficiati quotannis certam reddituum suorum; vel pecuniæ summam v.g. 10 florenos in ædium Parochialium reparationem impendere, vel cùm necessitas exigit, impendendam pendere debent. Hinc Statuta, & consuetudines particulares cujusque loci spectandæ sunt.

47 Quæritur 5. ex quibus bonis Ecclesiæ Parochialis Rector, & Clerici in ea Beneficium obtinentes concurrere debeant ad reparationem illius? Conveniunt DD. ab ea obligatione libera esse bona Patrimonialia Clericorum, sed suggerendos ex ea obligatione tantùm sumptus pro Ecclesiæ reparatione ex bonis, & reditibus Ecclesiasticis: & quidem pro rata Beneficiorum, pro qua etiam eo tempore cessabunt Beneficiorum onera, ut post *Abbatum* tenet Genuens. *in Manual. Pastor. c. 36. n. 3.* & *in Prax. c. 54. n. 5.* Sperell. *For. Eccl. decis. 67. n. 7.*

48 *Dubium* est, quantum hujusmodi Clerici teneantur ex reditibus suis Beneficialibus subministrare pro reparatione Ecclesiæ suæ. Genuensis *l. cit.* putat insumendos esse fructus, etiam non relicta congrua sustentatione. *Sed communis* teste Sperell. *l. cit. n. 4. & seqq.* distinguit inter ea, quæ necessaria sunt Clerico ad sustentationem congruam suæ vitæ, & quæ necessaria eidem sunt ad tuendam conditionem, seu statum accidentalem ad Clericatum, e. g. quia Nobilis est. *Hæc posteriora* non detrahuntur, sed etiam ex ijs Ecclesiæ Rector, & Beneficiarij tenentur concurrere; quia necessitas Ecclesiæ præferenda est statui Parochi, vel alterius Beneficiati, & Beneficiorum fructus non ad creandos, aut augendos, vel fovendos mundanos titulos, seu status collecti sunt, sed ad pauperes alendos, & ad Divinum Cultum instituendum atque augendum. Comitol. *Respons. Mor. l. 1. q. 82. concl. 2.* Barbos. *in c. 4. h. tit. n. 3.* Pirh. *hic n. 14. fin.*

Priora detrahuntur, ita, ut alimenta Parochi, & aliorum Beneficiatorum præferenda sint reparationi Templi, si tamen Beneficiati resideant, vel aliud onus Beneficij impleant: alias secùs; quia ex quo non serviunt Altari, cessat ratio, ob quam detrahenda sunt alimenta etiam in casu fabricæ, cùm ea solùm præstentur propter servitium, ut aliis *citt.* notat Sperell. *n. 6.* qui tamen excipit, si Beneficiatus aliunde alimenta habeat; nam si non habeat, etiam non residens detrahere alimenta necessaria potest, ne cum dedecore Clericatus mendicare cogatur. Porro, quòd Rector Ecclesiæ, & Beneficiati ultra congruam sustentationem non teneantur succurrere ad restaurationem Ecclesiæ, colligitur *ex c. de his 4. h. tit.* ibi, *Si eis superfint*; nemo enim tenetur subtrahere necessitatibus suis, ut eroget in causas pias. Host. *in c. de his cit. V. superfint.* Pirh. *hic n. 14.* 49

Quæritur 6. utrum ad Ecclesiæ reparationem teneantur concurrere Patroni, quibus Jus Patronatûs competit ex fundatione, constructione, dotatione? Affirmant Bellet. *Disquis. clericat. p. 1. tit. de Cleric. debit. §. 14. n. 10.* Barbos. *de Offic. Paroch. c. 13. n. 8.* Schambog. *hic n. 17.* & videtur istud probari 1. ex Trid. *sess. 21. c. 7. de reform.* quod deficientibus Ecclesiæ redditibus, Patronos generaliter, & indistincte ad eam obligat. 2. Talibus Patronis incumbit cura Ecclesiæ à se fundatæ. atqui hæc non tantùm conservationem, sed etiam reparationem ejusdem exigit. 3. Etiam ipsi percipiunt aliquos fructus Ecclesiæ à se fundatæ; quia habent Jus præsentandi, prærogativam in Sede, processionibus &c. & cùm ad inopiam vergunt, percipere alimenta ab Ecclesia possunt juxta dicta *Tit. 38. n. 105.* 4. Si Ecclesia corruerit, & Patronus eam non reextruat, sed alius, reextruens acquirit Jus Patronatûs. ergo Patronus reparare eam tenetur, si Ecclesiæ aliunde non sit provisum. 50

Sed tenenda est negativa sententia, 51 quam etiam defendunt Lambert. *de Jur. Patron. l. 3. q. 7. art. 2. n. 5.* Zypæus *in Analys. h. tit. n. 12.* Pirh. *hic n. 20.* Wiestner *n. 45.* & meritò, ne Beneficium Ec-

clesiæ impensum eisdem sit oneri. *Excipitur*, nisi aliquid percipiant de Ecclesiæ bonis v. g. Pensionem annuam in fundationis limine reservatam; tum enim & ipsi concurrere debent ad reparationem Ecclesiæ, prout clarè desumitur ex Trid. *c. 7. cit.* & ratio est; quia cùm percipiant Ecclesiæ commoda, æquum est, ut etiam subeant onera.

52 Neque aliud probant Argumenta contraria. *Ad 1.* Trid. ibi tantùm loquitur de casu, quem modò excepi; quia Patronos solùm obligat ratione fructuum, quos percipiunt ex Ecclesiis. *Ad 2.* cura quidem Ecclesiæ Patronis incumbit, sed non onus, si commodum inde non ferant. *Ad 3.* nomine fructuum, ratione quorum Patroni obligantur à Trid. ad reparationem Ecclesiæ, intelliguntur reditus, & proventus temporales, & ad hujusmodi reparationem conducentes. *Ad 4.* negatur paritas; nam per omnimodam destructionem Ecclesiæ Jus Patronatûs titulo constructionis acquisitum extinguitur; non extinguitur, si Ecclesia ruinosa solummodo reparetur.

53 Quæritur 7. an, & quinam Decimatores teneantur concurrere ad reparationem Ecclesiæ Parochialis? *Certum est*, teneri concurrere Decimatores, qui simul Patroni sunt, & eo titulo Decimas in limine Fundationis sibi reservatas habent. Patet ex *n. 51. & 52. præc.* & Trid. *c. 7. cit.* ubi ad ita concurrendum obligantur Patroni omnes, saltem ij, qui de Ecclesiis, quarum Patroni sunt, aliquid temporale percipiunt.

54 *Dubium est* de Decimatoribus, qui Patroni non sunt. Generaliter eosdem obligant Peckius *de reparat. Eccl. c. 14.* Barbos. *ad Trid. sess. 21. c. 7. de reform. n. 9. V. verùm*, & *de Offic. Paroch. c. 13. n. 2.* Surd. *consil. 62. per totum l. 1.* Jacob. Emerix *decis. 407. n. 2.* & videtur colligi ex *c. de his 4. h. tit.* ubi reparatio Ecclesiæ dicitur facienda de ejus bonis; & Trid. *c. 7. cit.* ubi ad eam compelli jubentur, qui percipiunt aliquos fructus ex ea provenientes, atqui talia bona, & fructus sunt etiam Decimæ hujusmodi; quia Jure communi debentur Ecclesiæ, ex cujus prædiis colliguntur. ergo &c. *Confirmant* ex consuetudine locorum, quâ passim invaluisse dicunt, ut Decimatores ad Ecclesiarum reparationem adstringantur.

55 Sed distinguendum videtur inter Decimatores Ecclesiasticos, & Laicos. *Ecclesiastici* rectè obligantur ad concurrendum pro reparatione Ecclesiæ Parochialis, cujus Decimas percipiunt; quia quamdiu Decimæ non separantur à titulo Spirituali, censentur esse bona Ecclesiæ, ex qua proveniunt; conf. onus reparandi secum deferunt ad Ecclesiasticos etiam extraneos illarum possessores, & cum hoc onere iisdem concessæ censentur, nisi in separatione illarum aliter expressè constitutum sit; censentur enim Ecclesiæ extraneæ concessæ esse cum minimo, quo fieri potest, præjudicio Ecclesiæ illius, ad quam de Jure pertinent.

56 Contrà *Decimas Laicales*, teste Zypæo *de Paroch. consult. 4. n. 2.* plerique DD. adstruunt esse omnino liberas ab isto, & aliis Ecclesiasticis oneribus. Navar. *de redit Eccl. n. 5. & 57.* cùm inter bona Laicorum Patrimonialia referantur, & eâdem, quâ cætera hujusmodi bona, immunitate possideantur. Molinæus *de consuet. Paris. pr. n. 104. & S. 68. n. 24.* *Neque refert*, etsi ejusmodi Decimæ, postquam ita separatæ à titulo Spirituali sunt, per donationem, infeudationem, emptionem, venditionem, vel alium contractum reversæ sint ad Ecclesiam aliquam, vel Ecclesiasticos; nam pro æstimatione ejusmodi servitutum, & onerum adhuc penes Laicos, eorúmque Successores esse censendæ sunt: ideoque eatenus eximendæ à contributione, præsertim quando & ipsi Laici legitimo, & onerosо titulo eas obtinuerunt, quippe quem continuare censentur Ecclesiastici, ad quos ita transierunt. Zyp. *l. cit. n. 3.* & sic impediuntur, ut ad Ecclesiam reversæ, recuperent naturam primigeniam, quòd aliàs fieret.

57 Ad *c. de his 4.* & *Trid. c. 7.* in contrarium allegata dico textus istos Decimas Laicales, seu à titulo Spirituali legitimè, & perfectè aliquando separatas non afficere; cùm ita separatæ non amplùs sint bona Ecclesiastica, sed Patrimonialia Laicorum; conf. contributioni pro reparatione Parochialis Ecclesiæ non aliter obnoxia, quàm sint bona illorum Patrimonialia reliqua: Ex quo fit, quòd possessores illarum, si Parochiani non sint, nullo modo ad concurrendum compelli possint, etsi compelli Laici Parochiani possint ex suis Patrimonialibus aliquando concurrere; nam hi tenentur ad hoc, quia Divina ab Ecclesia illa percipiunt, quæ ratio in Laicis Decimatoribus, qui extranei sunt, omnino cessat. Innuit responsionem istam Trid. ipsum *l. cit.* ubi obligat eos, *qui fructus aliquos, ex dictis Ecclesijs provenientes, percipiunt*; nam si Decimæ aliquando legitimo titulo separatæ, in manus Laicorum sint traditæ, non percipiuntur amplius ab Ecclesijs, sed ex ipsorum Patrimonio

58 *Ad conf.* responsio data procedit, secluſa consuetudine, vel Statuto contrario, quam ubique *n. 33.* attendendam dixi: sed quia talis consuetudo, & statutum est facti, probari debet. antequam Decimator Laicus, vel Ecclesiasticus, qui Decimas ab illo accepit, ad concurrendum pro reparatione Ecclesiæ Parochialis adstringatur.

59 Quæritur 8. quo ordine ex Decimarum fructibus succurrendum sit Ecclesiarum indigentiæ pro reparatione illarum? *V.* juxta tradita à Zypæo *consult. 4. cit.* quem citat, & sequitur P. Wiestner *hic n. 49.* hic ordo servandus est.

1. Ne-

1. Necessaria pro reparatione Ecclesiæ Parochialis sumenda sunt ex Decimis Novalium; quia hæ magis propriè sunt Parochorum *c. quoniam 13. de Decim.*

60 2. Si istæ non sufficiant, conferendæ sunt illæ, quæ postremo loco ab Ecclesia avulsæ sunt, & alijs locis pijs applicatæ, ex paritate cum donatis inofficiosè, & alienatis in fraudem creditorum, ex quibus semper ea, quæ ultimo loco donata, vel alienata sic sunt, ante alia repeti debent §. *item si quis in fraudem 6. Inst. de action.* & *l. si mater 7. C. de inoffic. donat.* ubi tamen notandum, nec Decimatores hujusmodi Ecclesiasticos reparationibus uno, eodémque tempore ita gravandos, ut subtrahatur ijsdem sustentatio, pro qua ab Ecclesia Parochiali ad ipsos translatæ sunt Decimæ.

61 3. Demum, & postremo loco, si consuetudine, aut Statuto sic introductum sit, recurrendum ad eas, quæ sunt in manibus Laicorum; quia hæ, ut *n. 56.* ostendi, de Jure communi ab onere isto omnino exemptæ sunt: cons. cùm consuetudo, & Statuta contraria Juri communi ita explicanda sint, ut, quantum fieri potest, minimè eidem obvient, vi talis consuetudinis, vel Statuti Decimæ Laicorum tantùm erunt subsidiariæ, neque ad sustentationem Rectoris, vel reparationem Ecclesiæ vocari poterunt, nisi casu, quo aliunde media pro hoc fine desunt.

62 Quæritur 9. quando ad concurrendum pro reparatione Ecclesiæ Parochialis vocandi sint Parochiani? ℣. etiam circa hos attendenda est consuetudo. Quodsi consuetudo in aliquo loco recepta est, ut suis impensis Ecclesiam reparent, illi ad id tenebuntur etiam ante Clericos, & ad illam consuetudinem servandam compelli possunt *arg. c. ad Apostolicam 47. de Simon.* Abb. *in c. 1. b. tit. n. 3. & 4.* Sylv. *V. Ecclesia 2. q. 4.* Azor *p. 2. l. 9. c. 3. q. 10.* Pirh. *hic n. 15. ℣. denique.* Jure communi non tenentur ipsi concurrere, nisi in defectum Rectoris, & aliorum, qui fructus ab Ecclesia percipiunt, ut dictum est *suprà n. 37.*

63 *Dubium* est de modo, quo contribuere Parochiani debent ad reparationem Ecclesiæ Parochialis? Sunt, qui putant, nulla facultatum habita ratione, ab omnibus æqualiter succurrendum, ex ratione; quia omnibus æqualiter ab Ecclesia Parochiali ministrantur Divina, nec minorem in ea locum obtinet pauper, quàm dives, plebejus, quàm nobilis.

Sed meliùs Leo *Thesaur. for. Eccl. p. 64 2. c. 16. n. 73. & seqq.* P. Wiest. *hic n. 53.* & alij docent, contributionem hujusmodi faciendam à Parochianis, attentis eorum facultatibus, ita, ut ad plus conferendum teneatur dives, quàm pauper, vel alius mediæ conditionis. *Ratio est*, quia, ut *suprà n. 37.* monui, est opus publicum. atqui ad operis publici constructionem concurrere loci incolæ debent pro rata Patrimonij, ut habetur *l. omnes 12. de operib. publ.* & probat ratio, quia hujusmodi onera, utilitatem, & usum publicum concernentia, æquiparantur ordinarijs, & merè realibus *l. omnes 5. C. de annon. & tribut.* ad quæ collectæ fieri debent, non secundùm numerum personarum, sed secundùm quantitatem bonorum, & patrimonij *l. ad inferiorum 1. ℣. hoc etiam,* & *ibi* Gloss. *V. inopes C. de Apoch. publ.*

Ad Argumentum in contrarium al- 65 latum dico, etsi Ecclesiæ Sacramentis non minùs pauperes, quàm divites gaudeant, divitibus tamen, & Nobilibus plerumque illa majori promptitudine, decentia, & apparatu ministrari: præterea ijdem plerumque primum in subsellijs, Processionibus, & oblationibus locum obtinent, infimum plebeij, & pauperes, ut adeo meritò illi magis graventur, quàm isti in ordine ad contribuendum pro reparatione Ecclesiæ.

Quæritur 10. an si dicto hactenus modo 66 succurri Ecclesiæ ruinam minitanti non possit ex collectis Clericorum, Decimatorum, & Parochianorum, statim descendere Episcopus debeat ad translationem illius ad aliam vicinam Ecclesiam, sicut posse dictum est *n. 38.* ℣. non debere statim ad hoc deveniri, sed duplex adhuc tentari medium posse pro Ecclesiæ talis paupertate juvanda; nam

1. Potest Episcopus fructus, ac proventus Capellarum, sub ipsa Ecclesia existentium, ad ejus refectionem deputare, Capellanis, unde honestè vivant, reservata congrua, & competenti portione. Trid. *sess. 21. c. 7. de reform.* & *S. congr.* quam refert Zerol. *p. 3. V. Visitatio dub. 9. incipit, Si populus nolit*, Vallens. *hic* §. *2. n. 3. ℣. septimò.*

2. Potest etiam eo casu Episcopus, 67 quæ pro malè partis accepit à Testatore aliquo, in reparationem Ecclesiæ convertere. Eodémque modo potest Concubinarios condemnare ad aliquam summam pro reparatione Ecclesiæ. Vallens. *l. cit. ℣. potest.*

TITULUS XLIX.

De Immunitate Ecclesiarum, Cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium.

UT sanctior sit Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum honor, plura tam his, quàm illis privilegia concessa sunt. Præcipuum ex istis est Immunitas, de qua presens Titulus: & quidem appositissimè, ut postquam de Ecclesiarum constructione, & reparatione in Titulo precedente vidimus, etiam, quæ Jura ijsdem ita constructis competant, cognoscamus.

§. I.

De Immunitate Ecclesiastica in genere, & in specie de Reali, & Personali.

SUMMARIUM.

1. Definitio Immunitatis Ecclesiasticæ.
2. Discrimen à Privilegio speciali.
3. Divisio in Personalem, Realem, & Localem.
4. Munera, & Onera sunt triplicis generis.
5. Merè Personalia.
6. Merè Realia.
7. Et Mixta.
8. Hìc sermo est de Oneribus Sæcularibus.
9. In quo consistat Immunitas Personalis?
10. An Clerici immunes sint à Tributo Capitationis?
11. A quibus alijs muneribus immunes sint?
12. An hospitium teneantur præbere militibus, vel ire ad bellum?
13. An, & quando cogi possint ad murorum custodiam?
14. A quibus alijs oneribus eximantur res, & personæ Ecclesiasticæ?
15. An etiam ab ijs, quæ rei connexa sunt?
16. Quotuplicis generis sint res, & bona Ecclesiarum?
17. An aliqua ex his ab oneribus, gabellis, & tributis Sæcularibus exempta sint?
18. Resolvitur affirmativa.
19. Rationes dubitandi solvuntur.
20. Ita immunia sunt bona, quæ ad fundationem, vel dotationem Ecclesiæ pertinent.
21. Cætera, quæ ex alijs titulis ad Ecclesias pervenerunt, immunia sunt ab oneribus novis.
22. Et regulariter etiam ab antiquis, quæ à Principe Laico imponuntur ex vi Jurisdictionis.
23. Non verò ab illis, quæ ex vi dominij, & pacti præcedentis imposita sunt ipsi rei in perpetuum, & invariabiliter.
24. Bona Clericorum Ecclesiastica immunia sunt ab oneribus Laicalibus.
25. Patrimonialia illorum bona oneribus realibus subjacent.
26. 27. 28 Eximuntur tamen ab oneribus novis, quæ ex vi solius Jurisdictionis à Principibus sæcularibus imponuntur.
29. Etsi ea bona acceperint à Sæcularibus.
30. Respondetur ad Argumenta contraria.
31. An Clerici ex bonis suis concurrere debeant pro reparatione pontium, murorum, viarum, & in alijs publicis necessitatibus?
32. Respondetur debere, si necessitas, & utilitas respiciat commoda tantùm privatorum.
33. Non teneri, si illa respiciat commoda totius Reipublicæ.
34. Ante consensum Pontificis, vel Episcopi.
35. Post istorum consensum tenentur.
36. Solvuntur Argumenta contraria.
37. An tempore famis, & charitatis annona Clerici à potestate Sæculari compelli possint ad frumentum &c. justo pretio vendendum?
38. Respondetur negativè.
39. Triplex Exceptio.
40. Idem dicendum, quando pestis grassatur, ad occurrendum contagioni.
41. Diluuntur Argumenta opposita.
42. An sit contra Libertatem Ecclesiasticam impositio Gabellæ in venditione carnis, frumenti, vini &c.
43. Quanam conditiones requirantur, ut Clerici, & aliæ personæ Ecclesiasticæ teneantur, & licitè possint contribuere ad sublevandam necessitatem publicam?
44. Quanta sit conditionum istarum necessitas?
45. Quando censeantur Laicorum facultates non sufficere?
46. An inconsulto Pontifice, sufficiat consensus Episcopi, & Cleri?
47. Quid nomine Cleri intelligatur?
48. 49. Quando, seclusa necessitate publica, Collectæ imponi Ecclesijs, & Ecclesiasticis possint?
50. An Principes Sæculares efficere prædia omnia, in territorio suo sita, tributaria possint, ita, ut cùm illa pervenerint ad Ecclesiasticos, sint obnoxia Collectis postea imponendis?
51. Quinam Immunitate Reali gaudeant?

52. An

52. *An etiam Coloni Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum?*
53. *Argumenta sententiæ negantis.*
54. *Propugnatur sententia affirmans.*
55. *Solvuntur Argumenta contraria.*
56. *Quo Jure Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum Immunitas sit introducta? Argumenta, quòd sit introducta Jure Divino.*
57. *Fundamentum sententiæ adscribentis eam Juri humano.*
58. *Defenditur Sententia media.*
59. *Solvuntur Objectiones.*
60. *&c. Quæ pœna statuta sit violantibus Libertatem Ecclesiasticam?*

1 QUęritur 1. quid sit *Immunitas Ecclesiastica* in genere, & quotuplex? R. *Immunitas in genere* nihil aliud est, quàm *exemptio, & libertas à munere, & onere, quo reliqua communitas premitur*, prout sumitur ex *l. qui ob hoc 1. ff. de Jur. immunit.* Unde *Ecclesiastica Immunitas*, de qua hoc Titulo sermo est, definiri solet, quòd sit *Jus, quo loca, res, vel personæ Ecclesiasticæ à communi onere, seu obligatione liberæ sunt, & exemptæ.* Abb. *ad hanc Rubr. pr.* Sylv. *V. immunitas 1. pr.* Covar. *l. 2. var. c. 20. pr.* Azor *p. 2. l. 9. c. 8. pr.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 1. pr. n. 1.* Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 10.* Engl *hic n. 1.* Schambog. *n. 2.* Wiestner *n. 1.*

2 Dixi, *Loca, res, vel personæ Ecclesiasticæ*: ubi duæ animadversiones sunt faciendæ: *una* quòd efferantur in numero plurali, altera, quòd distinctè ponantur loca, res, personæ. *Primum* immunitatem, de qua hìc agitur, secernit ab exemptione, & privilegio speciali, quâ locus, res, vel persona particularis eximitur ultra sortem communem; hæc enim Immunitatis nomen non meretur, sed illa tantùm, quæ toti Statui, vel generaliter omnibus ejusmodi locis, rebus, vel personis concessa est. Abb. *in c. noverit 49. de sent. Excomm. n. 2.* Laym. *n. 1. cit.* Wagnereck *ad Rubr. h. tit. not. 4.* Honor. *hic num. 34.* Wiestner *l. cit.*

3 *Alterum* innuit triplicem esse Immunitatem Ecclesiasticam, videlicet Personalem, Realem, & Localem. *Personalis* est, quæ personis ipsis competit, & versatur circa ea, quæ corporis labore, animi sollicitudine, vigilantiâ perficiuntur, ut Tutela, Curatela, portarum, vel murorum custodia, & defensio. *Realis* competit rebus, quæ ad personas, vel loca Ecclesiastica pertinent, eásque à tributorum, vectigalium, & similium onerum pensitatione liberat. *Localis* Ecclesias, & alia loca Sacra, aut Religiosa concernit, & in reverentiam illorum certas actiones fieri in ijsdem prohibet.

4 Quęritur 2. quotuplicis generis sint *Munera*, seu *Onera*, à quibus Ecclesiastica Immunitas loca, res, vel personas Ecclesiasticas liberat? R. ex communi, & recepta doctrina Canonistarum, & Legistarum triplicia sunt Munera, seu Onera, quæ imponi possunt, & solent, scilicet vel Personalia tantùm, vel merè Realia, vel Mixta i. e. partim personalia, partim realia, prout videre est apud Abb. *in c. 4. h. tit. n. 12. & seqq.* Franc. *in c. 1. n. 6. eod. in 6.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 6. n. 5.* Pirh. *hic n. 54.* & alios passim.

5 *Onera merè personalia* sunt, quæ personis tantùm, & quidem subditis sine ordine, sive respectu ad bona Patrimonialia imponuntur; & aliquando consistunt in labore personæ sine sumptu pecuniæ, ut tutela, vel cura; aliquando in solutione certæ alicujus pecuniæ: & tale onus merè personale est *Capitatio* civium, quâ certum quid imponitur singulis capitibus, sive personis, sine respectu ad bona Patrimonij; nam solvi debet etiam ab illis subditis, qui nulla bona immobilia habent in territorio Principis imponentis *l. un. C. de capitat. civ.*

6 *Onera merè realia* sunt, quæ sine habetudine, vel respectu ad personæ qualitatem sunt imposita ipsis rebus, seu bonis tantùm, sive bonis propter bona, eísque jure perpetuo secundùm se inhærent, & inseparabiliter ea comitantur, adeoque perpetua, & invariabilia sunt, ita, ut tamdiu durent, quamdiu durant res ipsæ, quibus inhærent. Et tale onus merè reale imponi potest à quolibet, etiam privato, domino rei suæ, v. g. domui, vel fundo, per pactum, seu Contractum Censualem, Feudalem, Emphyteuticum; nam quilibet est rei suæ moderator, & arbiter *l. in re 21. ff. mandat.*

7 *Onera mixta* duplicis sunt speciei. *In prima* sunt ea, quæ tam corporis ministerio, quàm gerentis sumptu sustinentur, ut ire ad bellum proprijs sumptibus. *In secunda* sunt, quæ personis subditis imponuntur, sed cum ordine, & respectu ad bona, quæ possident, sive quæ imponuntur personis pro modo fructuum, ita, ut immediatè ipsis personis subditis, mediatè verò, & consequenter etiam ipsis bonis illarum, sive personis propter res, seu bona imponantur juxta *l. rescripto 6. §. fin. ff. de muner. & honor.* Et talia onera sunt Collectæ, contributiones, & exactiones etiam illæ, quæ ob occurrentem gravem, & publicam necessitatem v. g. belli, vel aliam similem à Principibus, & Magistratibus Sęcularibus exiguntur, vel imponuntur, ut rectè, & latè probat Pirh. *hic n. 71.*

8 Hìc sermo duntaxat est de Muneribus, & Oneribus Sęcularibus, quæ ab Imperatore, Rege, Principe, aut Magistratu temporali imponi solent; non autem de ijs, quæ à Summo Pont. vel ex ejus licentia, aut Juris

concessione ab inferioribus Prælatis Ecclesiasticis exigi possunt à suis subditis Ecclesiasticis ; nam exemptio Clericorum non est à potestate Pontificia, seu Ecclesiastica, sed à Civili, & Sæculari. Suar. *l. 4. de immunit. c. 18. n. 2.* Pirh. *hìc n. 55.*

9 Quæritur 3. in quo consistat Personalis Immunitas Clericorum, & aliarum personarum Ecclesiasticarum ? R. consistit præcipuè in quinque sequentibus. 1. in privilegio Canonis. 2. in privilegio fori, seu exemptione à foro Sæculari. 3. in exemptione ab obligatione Legum Civilium. 4. in exemptione ab oneribus personalibus. 5. in exemptione ab oneribus Patrimonialibus, quæ imponuntur ratione rerum, quas quis possidet, cujusmodi diximus esse Tributa, Vectigalia, Tallias, seu Collectas. Primum genus Exemptionis explicari solet *in Libr. 5. Decret. Tit. 39. de Sent. Excom.* De Secundo dictum est *in Libr. 2. Tit. 2. à n. 73.* De tertio actum *in Libr. 1. Tit. 2. n. 37. & 38.* Quare duo solùm posteriora Exemptionis genera examinari hic debent.

10 Dub. 1. utrum Clerici immunes sint à Tributis, Muneribus, & obsequijs personalibus ? Tributa personalia, ut *n. 5.* dixi, sunt Capitationes. Munera, & Obsequia, personalia verò sunt triplicis generis : aliqua *sordida*, ut mundandæ cloacæ, purgandi stabuli, arenæ fodiendæ &c. alia *honorabilia*, ut regendæ Civitatis &c. alia *indifferentia*, ut Officium Tutoris, Curatoris &c.

Quòd Clerici, & personæ Ecclesiasticæ immunes sint à *Tributo Capitationis*, si Princeps Sæcularis illud imponat, exploratum est apud DD. & decisum habetur in utroque Jure, Canonico quidem *c. quia nonnulli 1. h. tit. in 6.* ubi *Jurisdictionem temporalem obtinentes --- prohibentur exactiones quascunque personis Ecclesiasticis imponere* : Civili autem *l. juxta 1. l. omnis 2. & Auth. item nulla C. de Episc. & Cleric.* ubi eadem fit prohibitio, adjunctâ pœnâ, ut qui contrarium *fecerint, & requisita ab Ecclesia, vel imperio emendare contempserint, triplum refundant, & nihilominus bona Imperiali hanno subjaceant, quod absque satisfactione debita nullatenus remittatur. Ratio est* ; quia Tributum hoc imponitur titulo Jurisdictionis, quam tamen Princeps Sæcularis in personam Clerici nullam habet. *Accedit*, quia Capitationis Tributum imponitur propter actiones lucrosas ; Clericorum autem actiones non sunt ordinatæ ad lucrum temporale faciendum, sed ad Divinum Cultum, & animarum salutem. *Neque obstat*, quòd pro talibus ministerijs stipendium aliquod temporale accipiant ; nam illud non est per modum lucri temporalis, sed per modum justæ, & congruæ sustentationis, quod non potest subtrahi, vel diminui per impositionem Tributi ; quia accessorium est Spirituali, & ideo hujus naturam, conf. etiam exemptionem participat. *Denique* non oportet Clericos magis gravari, quam Laicos ; quod tamen fieret, si Principibus Sæcularibus Tributa deberent solvere cum Laicis, & Episcopo nihilominus Subsidium Charitativum, si petat, pendere, quod Laici non debent.

11 De *Muneribus*, & *Obsequijs* respondendum est secundùm distinctionem munerum, & obsequiorum *n. præc.* datam ; nam ad *Munera sordida* Clerici nec obligari possunt, nec ea acceptare debent ; quia eorum Dignitatem, & Statum dedecent *l. maximarum 12. C. de excus. muner.* imò nec ipsorum mancipia, & domestici ad hæc munera compelli possunt *l. omnis 2. C. de Episc. & Cleric.* Quod attinet ad *Munera*, & *Obsequia secundi, & tertij generis*, ab ijs suscipiendis excusantur Clerici, nisi velint illa ultro suscipere, ut constat ex *l. 1. 2. 9. 10. & 11. C. tit. cit.* præcipuè verò *l. placet 17. C. eod.* ubi Impp. Arcadius, & Honorius, *Placet*, inquiunt, *nostræ clementiæ, ut nihil commune Clerici cum publicis actionibus, vel ad Curiam pertinentibus, cujus corpori non sunt annexi, habeant* : & *l. generaliter 52. C. eod.* specialiter eximuntur à Tutelis, & curis Pupillorum, & adultorum. *Ratio* hujus exemptionis est, ut sic Clerici majori quiete Orationi, & obsequijs suis Spiritualibus vacare possint.

12 Quæ etiam causa est, quòd 1. cogi non possint, ut hospitium militibus præbeant in domibus suis *l. juxta 1. C. de Episc. & Cleric.* Idque procedit etiam de domibus Clericorum patrimonialibus juxta sententiam *S. Congreg. Concil.* apud Barbos. *l. 1. Jur. Eccl. c. 39. §. 5. n. 70. & 71.*

2. Quòd non teneantur per se ire ad bellum, ut pugnent contra hostes *can. reprehensibile 19. caus. 23. q. 8.* imò ad ita pugnandum ipsos inhabiles reddit Clericatus *c. ex multa 9. §. fin. de Voto.* Abb. *in c. 2. h. tit. n. 5.* Vallens. *hic n. 2.* Pirh. *ibid. n. 83.* Quodsi tamen onus, & obligatio sistendi, vel ad bellum mittendi certum numerum militum sit annexa Castro, aut fundo, eo ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticos transeunte, etiam ista, cum Castro, & fundo transit : unde eo casu, sicut ad alia onera merè realia, ita etiam ad hoc obligabuntur Clerici.

13 3. Quod ordinariè non possint cogi ad murorum custodiam, & vigilias agendas *can. reprehensibile cit.* ubi ratio redditur, quia *militum Christi est Christo servire, militum verò sæculi sæculo. Ordinariè*, inquam ; nam in casu valde magnæ necessitatis publicæ, ut cùm Civitati grave periculum imminet ab infidelibus, aut Hæreticis, & mœnia a Laicis solis absque ope Clericorum satis defendi non possunt, ad excubias adhiberi possunt ; quod tamen fieri debet approbante Epis-

Episcopo, & coactio, si necessaria illa sit, per ipsum & non per Laicum Magistratum: & hoc modo *c. pervenit 2. h. tit.* intelligunt Abb. *ibid. n. 6.* Azor *p. 2. l. 9. c. 11. q. 1. v. tertium privilegium*, Pal. *tr. 12. D. un. p. 9. n. 11.* Barbol. *l. 1. Jur. Eccl. c. 39. §. 5. n. 46.* Vivian. *in c. pervenit cit.* Fagnan. *ibid. n. 4.* Gonzal. *n. 2.* Wagnereck *not. 2.* Honor. *hic n. 23.* Engl *n. 28.* Pirh. *n. 84.* Wiest. *n. 189.*

14 Dub. 2. à quibus alijs oneribus eximantur res, & personæ Ecclesiasticæ? ℟. 1. eximuntur ab Angarijs, & Parangarijs, Frondienst / Scharwerck / Robalten / aliisque hujusmodi servitijs personalibus, ne illa per se, vel suos proprijs, vel alienis sumptibus præstare cogantur *c. non minùs 4.* & *ibi* Gloss. *V. angarijs h. tit. l. omnis 2. l. Presbyteros 6.* & *Auth. item nulla C. de Episc. & Cleric.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 6. n. 6.* Fagnan. *in c. non minùs cit. n. 5.* Pirh. *hic n. 82.* König *ibid. n. 25.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Jur. Eccl. c. 4. n. 58.* 2. à Vectigalibus, & præstationibus Teloniorum *c. quanquam 4. de Censib. in 6. Clem. fin. eod.* & *Auth. cit.* ubi DD. nomine *Exactionum* notant venire Teloniorum præstationes. Engl *hic n. 29.* Pignatell. *tom. 2. cons. 34. n. 2.* Luculentius eandem Immunitatem tribuit Imp. Sigismundus apud Goldast. *in ejus Vit. p. 1. Const. Imper.* ubi à Vectigalibus immunem pronuntiat einen Priester / einen Ordens-Mann / darumb daß sie dessen Diener seynd / von dem unser Freyheit kombt: itaque usu observant Principes, ac Status Imperij, etiam Acatholici, teste Knipschild *l. 2. de Jur. & privil. Imp. Civit. c. 18. n. 18.* 3. ab omnibus oneribus personalibus, & mixtis; cons. etiam à Collectis, Contributionibus, & Exactionibus, quæ ob occurrentem gravem, & publicam necessitatem, v. g. belli, vel aliam similem à Principibus, & Magistratibus Sæcularibus imponuntur ad tempus; nam hæc onera, non realia, ut perperam quidam volunt, sed mixta sunt, ut dictum est *n. 7.* Plura de hoc casu vide *infrà n. 31. & seqq.*

Dixi *Personalibus, & Mixtis*; nam si 15
realia sint, & rei connexa, ab his non eximuntur, ut *n. 22.* ostendetur. Atque hinc 1. Clerici, & Ecclesiæ non sunt immunes à Tributis, Vectigalibus, & alijs oneribus, quæ imposita sunt rei, à Principe, vel alio Domino directo concessæ in Feudum; cùm enim hujusmodi bonorum dominium directum penes talem Feudi dominum sit, ratione eorum, sicut coram isto conveniri possunt, sic etiam ei Clerici, & Ecclesiæ præstare obsequium, & alia onera Feudalia perinde, ut Vasalli Laici debent. Abb. *in c. dilectus 34. de Præb. n. 4.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 5. n. 2.* Wiestner *hic n. 196.* 2. immunitatem non habent res, etiam non Feudales, quæ à Principe, vel alio Domino Sæculari Ecclesiæ, vel Monasterio in prima fundatione, vel postea donata sunt non omnino liberè, sed cum reservatione Jurisdictionis, & pristini Juris contributiones imponendi; talis enim conditio, tanquam justa, est observanda *arg. c. verùm 4. de condit. appos.* Suarez. *l. 4. de Immunit. c. 14. n. 13.* Laym. *c. 5. cit. n. 4.* Engl *hic n. 24. v. illud tamen.* Pirh. *n. 82. fin.* Wiestner *n. 197.* 3. similiter bona quæcunque, si, antequam ad Ecclesiam, vel personas Ecclesiasticas pervenirent, habuerunt annexum sibi onus reale pendendi Census, Canonis, Pensionis &c. eidem oneri subjecta manent, etiam postquam ad Clericos pervenerunt; cùm enim nemo possit plus Juris transferre in alium, quàm ipse habet *Reg. 79. in 6.* is, qui ea bona, tali oneri obligata, possedit, & in Ecclesiam, vel Ecclesiasticos illa transtulit, etiam cum obligatione illa transtulisse censetur, quòd notissimi Juris sit, rem cum onere ipsi inhærente ad quemcunque possessorem transire *c. ex litteris 5. fin. de Pignor.* Gloss. *in can. tributum 22. V. de exterioribus caus. 23. q. 8.* Abb. *in c. 4. h. tit. n. 15.* Suar. *c. 20. n. 6.* Laym. *c. 6. n. 9.* Wiestner *n. 198.*

Quæritur 3. an, & quæ res, vel bo- 16
na Ecclesiarum sint exempta ab oneribus, gabellis, & tributis sæcularibus? *Et 1. quidem dubitatur*, quotuplicis generis sint res, & bona Ecclesiastica? ℟. triplicis maximè generis distingui posse. Nam 1. aliqua sunt consecrata, benedicta, vel certè ad Cultum Divinum, tanquam instrumenta illius, ab Episcopo deputata, ut sunt ipsæ Ecclesiæ, Cœmeteria, Sacella, Oratoria, Monasteria, vasa, & vestes Sacræ &c.

2. Sunt res, & bona temporalia ipsarum Ecclesiarum, Monasteriorum, & similium locorum, à fidelibus oblata in eum finem, ut ipsa, vel eorum proventus in Cultûs Divini conservationem, & augmentum, Templorum, & Altarium ornatum, reparationem fabricæ, sustentationem Religiosorum, salaria Ministrorum, & pauperum alimenta impendantur, ut sunt fundi Ecclesiarum, & alia tum mobilia, tum immobilia.

3. Sunt res, & bona Clericorum: & hæc iterum sunt duplicis generis; aliqua enim acquiruntur ab ipsis ex titulo temporali, v. g. hæreditate, donatione, contractu &c. alia ex titulo Spirituali Beneficiorum, aut functionum Spiritualium, ut sunt ipsi reditus Beneficiales, stipendia, Decimæ, Primitiæ, Oblationes &c. Priora *Patrimonialia* appellantur, posteriora ad priorum disjunctionem vocantur *Ecclesiastica.*

Dub. 2. an aliqua ex bonis prædictis 17
exempta sint ab oneribus, gabellis, & Tributis Sæcularibus? Nemo facilè dubitat de bonis primi generis, nempe de Ecclesijs, Cœmeterijs &c. quòd immunia sint ab omni

ni prorsus sæculari onere; quia nullum usum temporalem pretio æstimabilem habent. Unde quæstio procedit de reliquis. Et *Rationem dubitandi* faciunt varij textus Juris Canonici, & Civilis, qui Tributa, ex bonis Ecclesiasticis danda, dominis temporalibus concedunt. 1. *can. si tributum 27. caus. 11. q. 1.* ubi S. Ambrosius, *Si tributum*, inquit, *petit Imperator, non negamus; agri Ecclesiæ solvunt tributum.* 2. *can. tributum 22. caus. 23. q. 8.* ubi Urbanus Papa, *De exterioribus*, inquit, *Ecclesiæ, quod constitutum antiquitus est, pro pace, & quiete, quia nos tueri, & defendere debent, Imperatoribus persolvendum est.* 3. *can. sancitum 25. caus. & quæst. cit.* specialiter dicuntur exemptæ à Tributis Ecclesiæ cum hortis, atrijs, & domibus sibi conjunctis, & mansis earum, & postea additur; *Et si aliquid amplius habuerint, inde majoribus suis debitum servitium impendant?* 4 *l. placet 5. C. de SS. Eccl. l. de his 3. C. de Episc. & cleric. l. fin. C. de exactor. tribut.* quibus omnibus obligatio pendendi tributa, & similia onera Clericis, & Ecclesijs decernitur.

18 Sed his non obstantibus, dicendum, & tanquam certum retinendum est, aliquam bonis Ecclesiasticis à tributis, & oneribus Laicalibus exemptionem deberi. Patet ex *c. non minùs 4.* & *c. adversùs 7. h. tit. c. quia nonnulli 1.* & *c. Clericis 3. eod. in 6. Auth. item nulla C. de Episc. & cleric.* & pluribus alijs Juris utriusque textibus: quibus accedunt Bulla Cœnæ *can. 18.* & Constitutio Urbani VIII. incipit *Romanus edita 23. Sept. 1641.*

19 Neque obstant textus in Ratione dubitandi allati. *Ad 1.* verba illa Suar. *l. 4. de immunit. c. 21. n. 12.* Barbos. *in can. tributum cit. n. 1.* & alij dicunt ab Ambrosio dicta esse permittendo potiùs, quàm probando, & jus confitendo; addit enim: *Imperatori non dono, sed non nego.* *Ad 2.* quidquid respondeant alij, placet explicatio *Suarezij*, qui *l. cit. n. 14.* vult Urbanum ibi locutum fuisse juxta morem sui temporis, quando Imperatores erant Ethnici, & Ecclesia nondum sibi libertatem ab hujusmodi Tributis vindicaverat. *Ad 3.* per *Majores*, vel ut alij legunt, *Seniores* Glossa, & Joan. Andr. *in c. 1. de Censib.* intelligunt antiquos Dominos, à quibus res transjerunt cum onere suo. *Ad 4.* Leges illæ abrogatæ sunt per Constitutionem Friderici relatam *Auth. item nulla cit.* imò Suar. *l. cit. n. 16.* probabiliùs putat, eas fuisse omnino nullas etiam ante abrogationem; quia disponebant in materia Ecclesiastica, & in Ecclesiæ præjudicium, quod Leges Civiles non possunt.

20 Dub. 3. quænam bona Ecclesiarum, & à quibus tributis sint exempta? R. distinguendo inter Ecclesiarum ipsarum bona; nam aliqua ad fundationem, vel dotationem Ecclesiæ pertinent; aliqua ex alijs titulis ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticos pervenerunt.

De *Bonis primi generis* certum est, immunia illa esse ab omnibus prorsus oneribus, & tributis Laicalibus, si cum consensu Dominorum, quibus tributaria erant, in Ecclesiam translata sunt, ut cum cæteris sentiunt Gloss. *in c. 1. de Censib. in cas. fin.* Innoc. *ibid. V. servitio*, Host. *V. eod.* Joan. Andr. *n. 8.* Fagnan. *in c. non minùs 4. n. 8. h. tit.* Wagnereck. *in c. 1. eod. V. Ecclesijs not. 2.* Pirh. *tit. de Censib. n. 43. & 44. & h. tit. n. 56.* Schambog. *ibid. n. 57. & 62.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Jur. Eccl. c. 4. n. 81.* & patet ex *c. sancitum 1. de Censib.* *Ratio est*; quia tali casu Dominus tacitè censetur Tributum remittere. *Idque procedit* non tantùm in Tributis, & oneribus publicis, & Regijs, sed multo magis etiam in privatis, & ab antiquo impositis, ut habetur *c. secundùm 24.* & *can. seq. caus. 23. q. 8.* & tenet *Rota* apud Fagnan. *l. cit.* Pirh. *n. 56. hic.* Huic tamen exemptioni non obstat, quòd minùs fundator Ecclesiæ cum Episcopi consensu præstationem aliquam moderatam ex fundatione sibi reservet, nam ejusmodi pacta, & conditiones servari debere, colligitur apertè ex *c. verùm 4. de condit. apposit. c. cùm dilecti 6. de Donation. c. præterea 23. de Jur. Patron.* junct. Gloss. *ibid. V. institutos.*

Quoad *Bona secundi generis* distin- 21
guendum est inter onera nova, & antiqua. *Nova onera* ijs bonis, postquam ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticos pervenerunt, imponi haud ampliùs possunt *c. non minùs 4. h. tit.* Abb. *ibid. n. 16. fin.* Suar. *l. 4. de Immunit. c. 20. n. 2.* Barbos. *l. 1. Jur. Eccl. c. 39. §. 5. n. 8.* Fagnan. *in c. non minùs cit. n. 10.* Wagnereck *in c. 1. eod. in 6 ℣. legitimè hactenus not. 1.* Pirh. *tit. de Censib. n. 44. not. 2. & h. tit. n. 56. ℣. verùm.* Engl *ibid. n. 25.* Schamb. *n. 62.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Jur. Eccl. c. 4. n. 86. & tribus seqq.* Ratio est, quia postquam hæc bona legitimè, & absolutè aliquando in Ecclesiam, vel Ecclesiasticos translata sunt, nulla ampliùs sæcularium in ea bona Jurisdictio est. *Procedit quæ hoc*, etsi ea bona, cùm adhuc à Laicis possiderentur, fuerint descripta in eum finem, ut proportionaliter in casu necessitatis collectari possent; nam postquam ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticos transierunt, collectari non ampliùs ex hujusmodi causa & necessitate possunt, nisi saltem defacto certa quantitas in perpetuum à tota Provincia, vel territorio solvenda à Principe determinata fuerit. Sylv. *V. immunitas 1. n. 19.* Felin. *cons. 46. n. 18.* Fagnan. *in c. non minùs cit. n. 10.* König *hic n. 27.*

Circa *Onera antiqua*, & imposita re 22
bus, antequam transirent ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticos, iterum distinguendum est, an hæc illis imponantur à Principe, vel Magistratu Sæculari ex vi Jurisdictionis, an ex vi dominij, & pacti. *A prioribus*, quæ à Prin-

Principe, vel Magistratu Sæculari imponuntur ex vi Jurisdictionis, bona Ecclesiastica exempta sunt; quia Jurisdictio exercetur in personam, & in res propter personam, conf. Tributa, quæ titulo Jurisdictionis exiguntur, non sunt onera merè realia, sed aliquo modo personalia, vel saltem mixta, ab his autem Ecclesiæ, & personæ Ecclesiasticæ exemptæ sunt, cùm in eas Principi, & Magistratui Sæculari nulla competat Jurisdictio. Schamb. *hic n. 63. Proceditque hoc*, etsi ea bona, cùm sæcularia erant, fuerint subjecta oneri Tributorum, ut cum *cit.* Schambog. advertit Suar. *c. 20. cit. n. 19.* Pirh. *n. 65.* & alij, & colligitur ex *c. quia nonnulli 1. h. tit. in 6.* ubi Magistratus Sæculares prohibentur quascunque Collectas, vel contributiones imponere, vel exigere ex bonis Ecclesiasticis, ergo non solùm est prohibitum has imponere, sed etiam exigere, quæ jam impositæ erant, priusquam Ecclesia bona illa acquireret; hoc ipso enim, quòd transeant ad Ecclesiam, liberantur à Jurisdictione Laica, sicut eximitur Servus ab onere servitutis eo ipso, quòd initietur SS. Ordinibus. *Neque refert*, quòd per talem exemptionem Princeps, vel alius Dominus Sæcularis, qui jus collectandi in aliquo territorio habet, patiatur magnum detrimentum, & diminutionem in suis reditibus, dum non ampliùs Collectas potest accipere, unde antea poterat. *Nam respondetur*, damnum illud, vel diminutionem non fieri in bonis proprijs Principis, vel Magistratûs Sæcularis; quia dum bona hujusmodi ad Ecclesiam transeunt, non jus proprietatis, quod actu Princeps Sæcularis habet, sed Jurisdictio solùm diminuitur, dum bona illa per hujusmodi transitum à Jurisdictione ejusdem subtrahuntur. atqui ex nulla obligatione Justitiæ tenetur is, penes quem est dominium proprietatis, curare, ut bona sua maneant sub Jurisdictione Principis, vel Magistratûs Sæcularis, cùm de illis, si non Feudalia, vel Emphytevtica, sed Allodialia sint, liberè disponere possit, præsertim donando Ecclesiæ vel locis pijs. Pirh. *n. 65. cit.*

23 *Posteriora onera*, seu quæ ex vi dominij, & pacti præcedentis imposita sunt in perpetuum, & invariabiliter, ex eo, quòd bona his onerata ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticos transeant, non cessant, sed etiam ab his præstari debent, ut antea præstari debebant à Laicis *can. tributum 22. caus. 23. q. 8.* quia res cum onere suo transit *c. ex litteris 5. de Pignor.* Abb. *in c. non minùs cit. n. 15.* Suar. *l. 4. de immunit. c. 20. n. 6. & seq.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 6. n. 3.* Barbos. *l. 1. Jur. Eccl. c. 39. §. 5. n. 37.* & *in c. non minùs cit. n. 6.* Fagnan. *ibid. n. 9.* Vivian. *in c. 1. h. tit. in 6. ỳ. sed si dices*, Wagnereck *ibid. ỳ. legitimè not. 2.* Pirh. *tit. de Censib. n. 45.* & *h. tit. n. 56.* Honor. *ibid. n. 26.* Engl *n. 25.* Schambog. *n. 62.* König *n. 27.* Ratio est, quia tali casu nulla est specialis exemptio, vel exceptio; neque enim in favorem causæ piæ ordo Justitiæ interverti, & alter jure suo privari debet. Debent autem duo hoc casu concurrere, ut onera hujusmodi etiam Ecclesiasticos, & Ecclesias premant. 1. debent esse onera verè realia, i. e. ipsis fundis infixa, & imposita bonis propter bona: & hinc Laym. *l. 4. tr. 9. c. 5. n. 3.* advertit errare illos, qui onera, & obligationes tributi, quas Princeps Sæcularis Lege ordinaria, & perpetua indixit subditis præstanda de bonis suis, existimant unà cum bonis, & possessionibus transire ad Ecclesiasticos. *Ratio est*, quia onus ejusmodi Tributa solvendi non est merè reale, sed rebus convenit propter personas, hujusmodi autem onera solùm incumbunt subditis. igitur si bona talibus tributis onerata transeant ad non subditos; obligatio talia tributa pendendi cessabit. Atque hinc, quando in Regula dicitur, quòd *res transeat cum suo onere*, intelligendum hoc est, si onus illud sit merè reale, & res in talem statum non transferatur, in quo oneris talis fiat incapax. Pirh. *hic n. 57. ỳ. Quare.* 2. onera ista debent esse certa, perpetua, & invariabilia. Fagnan. *in c. non minùs cit. n. 9.* & hoc teste Rota *in Brundusina Gabellæ 13. Febr. 1604.* quam decisionem uti Magistralem in hac materia passim amplectitur *S. Congr. sup. Controv. Jurisdictional.* ut asseritur *decis. 339. cit. p. 6. recens.* Sufficit autem, quod obligatio illa onera, ex conditione à domino apposita, subeundi sit certa, & invariabilis; nam ipsa onera, ad quæ datur hujusmodi obligatio invariabilis, possunt esse incerta, & variabilia pro varietate temporum, & circumstantiarum. Patet in Feudo; nam licèt auxilia, quæ ratione hujus præstare Principi Vasallus ad bellum debet, incerta, & variabilia sint, quia tamen obligatio illa præstandi, in feudo fundata, certa, & invariabilis est, idcirco ad illa præstanda ratione feudi, & secundùm istius conditionem etiam Ecclesiastici obligantur. Pignatell. *tom. 2. consult. 54. n. 24.*

Quæritur 4. an, & quæ bona Clericorum exempta sint à tributis, & oneribus sæcularibus? 24 R. etiam hic distinctione opus est; nam aliqua illorum bona *Ecclesiastica* appellantur, ut quæ ex Decimis, & prædijs Ecclesiasticis colliguntur: aliqua verò dicuntur *Patrimonialia*, quæ ex alijs titulis ad eosdem veniunt.

De *Bonis Ecclesiasticis*, quòd exempta sint ab omnibus oneribus, & tributis, certum est apud omnes Catholicos, sive titulum intueamur, sive personam; nam titulus, quo quæsita sunt, Sacer, & Spiritualis est; personæ autem, quarum ea sunt, à Jurisdictione sæculari sunt exemptæ *c. Ecclesia 10. de Constit. c. noverit 46. de sent. Excomm. c.*

quanquam 4. de Cenſib. in 6. c. fin. h. tit. eod. & Trid. *ſeſſ. 25. c. 20. de reform.* Accedit ipſum Jus Civile *Auth. item nulla C. de Epiſc. & Cleric.* ubi Imp. Fidericus prohibet Collectas, vel exactiones imponere Eccleſijs, vel Eccleſiaſticis perſonis.

25 *Difficultas* igitur eſt de Bonis Patrimonialibus, ſeu temporalibus Clericorum, an etiam ipſa exempta ſint? Ubi iterum convenit inter DD. quòd illa onera, & tributa realia, quæ ipſis rebus, ſeu bonis patrimonialibus, & immobilibus Clericorum inhærent, ipsísque impoſita ſunt ex vi alicujus pacti, ſeu Contractûs, priusquam in poteſtatem Clericorum venirent, etiam ad Clericos, aliásque perſonas Eccleſiaſticas tranſeant; quia res cum onere ſuo tranſit, ut ex communi docet Suar. *l. 4. c. 25. n. 1.* Pirh. *hìc n. 58.* & patet ex dictis *n. 23.* nam ſi his oneribus obnoxia ſunt bona ipſarum Eccleſiarum, titulo ſpirituali, ac jure Eccleſiaſtico ad Clericos pertinentia, multo magis erunt ipſis obnoxia Bona patrimonialia Clericorum, quæ titulo merè temporali poſſident, & minùs ſunt privilegiata.

26 Quare punctum Difficultatis in id tandem recidit, utrum Bonis Patrimonialibus Clericorum, poſtquam illa propria iſtorum facta ſunt, imponi à Principe vel Magiſtratu Sæculari poſſint onera nova, & quæ priùs, cùm illa bona in manibus Laicorum erant, bonis illis non adhæſerunt? *Rationem dubitandi* faciunt 1. textus *Matth. 17.* ubi Chriſtus ſoli Petro præcepit hamum mittere, & ſtaterem inventum in ore piſcis tollere, atque eo tributum ſolvere: in quem locum Ambroſius relatus *can. ſi tributum 27. cauſ. 11. q. 1. Magnum*, inquit, *& ſpirituale documentum, quo Chriſtiani viri ſublimioribus poteſtatibus docentur debere eſſe ſubjecti, ne quis Conſtitutionem terreni Regis putet eſſe ſolvendam.* Et videtur Clericos comprehendere; nam ſubjungit: *Si enim Cenſum Filius DEI ſolvit, quis tu tantus es, qui non putes eſſe ſolvendum?* 2. *Leges Civiles*, quæ frequenter ſtatuunt, hæc tributa ſolvenda eſſe à Clericis ex bonis temporalibus, quando generaliter ſimilibus bonis impoſita ſunt, uti ſumitur ex *l. de bis 3. C. de Epiſc. & Cleric. l. ad inſtructiones 7.* & *l. neminem 11. C. de SS. Eccl.* quibus accedit Epiſtola Valentiniani apud Theodoret. *l. 4. Hiſt. c. 7.* dicentis: *Epiſcopi vectigalia, ut Leges poſtulant, penſitare non recuſant.* 3. *Ratio*; quia etſi ipſi Clerici ſint exempti, bona tamen eorum temporalia ſunt Civilia, & conſ. ſubjecta Principibus temporalibus, qui licèt ipſimet Clericos, ſi Tributa dare renuerint, non poſſint cogere, ipſos tamen apud Judicem ſuum, i. e. Eccleſiaſticum, convenire poterunt, & ſi hoc non ſufficiat, ipſa bona occupare, non tam Jurisdictionis, quàm defenſionis titulo, ne jure ſuo priventur, prout in multis Regnis fit, Paſtoribus Eccleſiæ ſcientibus, & tacentibus.

Sed dicendum, Clericos etiam ſecun- 27
dùm bona Patrimonialia eximi â tributis, & alijs oneribus non merè realibus, quæ non ex vi pacti, ſive ex conventione partium, ſed ex vi ſolius Jurisdictionis Lege publica, & ordinaria à Principibus Sæcularibus imponuntur. Ita Abb. *in c. Eccleſia 10. de Conſt. n. 21.* Sylv. *V. immunitas 1. n. 9.* Navar. *Man. c. 17. n. 203.* Leſſ. *l. 2. de J. & J. c. 33. n. 18.* Suar. *l. 4. de immunit. c. 24. n. 4.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 6. n. 9.* Sperell. *for. Eccl. deciſ. 42. n. 10.* Barboſ. *l. 1. Jur. Eccl. c. 39. §. 5. num. 29.* & *in c. non minùs 4. h. tit. n. 6.* Fagnan. *ibid. n. 16.* Gonzal. *n. 10.* Ranbeck *Panopl. D. 3. c. 1. §. 3. n. 6.* Pignatell. *tom. 2. conſult. 54. n. 55.* Illſung. *tr. 5. D 2. n. 275.* Engl *hìc n. 24.* Pirh. *n. 59. & 66.* Schambog. *n. 65.* König *n. 21.* Wieſt. *n. 194.* Reiffenſtuel. *n. 248.* & apud hos *Decius, Felinus, Bartolus, Paul. de Caſtro, Greg. Lop. Medin.*

Probatur Reſponſio iſta 1. ex *c. non* 28
minùs 4. c. adversùs 7. h. tit. c. quia nonnulli 1. eod. in 6. c. quanquam 4. de Cenſib. in 6. & præcipuè ex *Clem. un. eod.* quibus textibus expreſsè aſſeritur Clericis immunitas à tributis: & quamvis Gloſſ. *marg. in c. quanquam cit.* excipiat res Patrimoniales, malè tamen has excipit; quia Jus inter has, & alias non diſtinguit: imò etiam Patrimoniales ſub exemptione hac comprehendi clarè patet ex Bulla Urbani VIII. incipit *Romanus editâ 23. Sept. 1641.* & teſte Pignatell. *l. cit.* deciſum eſt ſæpiùs à *S. Congr.* præſertim *in Tricarienſi 14. Nov. 1603.* ibi, *Patrimonium Clerici eſt exemptum inſtar bonorum Eccleſiaſticorum.* 2. *Ex Jure Civili*, maximè Conſtitutione Friderici *Auth. item nulla C. de Epiſc. & Cleric.* quæ Clericos eximens univerſaliter loquitur de exactionibus, vectigalibus, angarijs, & perangarijs: ſicque cæteris Legibus Civilibus, libertati Eccleſiaſticæ adverſantibus, derogavit. 3. *Ex Ratione*; nam tributa ſolvuntur in ſignum ſubjectionis, juxta illud Apoſtoli: *Subditi eſtote; ideo enim tributa præſtatis.* Rom. *13. v. 6.* ergo ſicut Clerici exempti ſunt à Jurisdictione poteſtatis Sæcularis, ita etiam ab onere ſolvendi tributa ex ſuis bonis. 4. *A pari*; ſi enim viri Nobiles in humana Rep. tributis eximi ſolent, cur non magis eximantur perſonæ dicatæ Deo?

Neque obſtat, quòd Clerici ea bona 29
acceperint à Sæcularibus; nam cum perſona poſſeſſoris mutatur etiam qualitas, ſeu conditio rei adhærentis perſonæ juxta illud: *Quæ Religioſis adhærent, Religioſa cenſentur*, ut habetur *l. quæ Religioſis 42. ff. de R. V. Conſ.* nam diſpoſitio Legis deſinit obligare, cùm in eum caſum devenit, in quo incipere non potuiſſet, dummodo eadem ſit ratio non perſeverandi, quæ erat non percipiendi. atqui

qui Lege Principis non comprehenduntur bona, quæ tempore, quo Lex de tributo pendendo fertur, ad Ecclesiasticos pertinent. ergo nec illa comprehenduntur amplius, quæ dum sub dominio subditorum extiterunt, tributis erant obnoxia, & postea ad Ecclesiasticos pervenerunt; nam cessat tunc ratio, quare ante tributis obnoxia fuerint, nempe Jurisdictio in personam possidentis, & Domini. *Item non obstat*, quòd tributa etiam dari soleant in compensationem protectionis, quâ à Principibus Sæcularibus fruuntur etiam Clerici; nam commoda hæc abunde compensantur per Spiritualia obsequia, quæ ipsi Principibus, & Reipublicæ Christianæ præstant.

30 Quæ in contrarium pro Ratione dubitandi afferuntur, non sunt efficacia. *Ad 1.* S. Ambrosius ibi loquitur de Laicis, & non de Clericis; subdit enim, *Tu, qui sæculi sequeris lucrum, sæculi obsequium non recognosces?* Vel si contendis, etiam de Clericis ibi sermonem esse, dici potest, sermonem esse duntaxat de Clericis negotiatoribus, quos respectu rerum, quibus negotiantur, à vectigalibus immunes non esse, *Tit. seq.* dicam. *Ad 2.* dicendum Leges illas Civiles per Constitutionem Friderici fuisse revocatas: vel potiùs eas semper fuisse invalidas; tum quia erant contra privilegia priùs Ecclesijs concessa ab anterioribus Imperatoribus, quæ revocari non poterant; tum quia disponebant in materia Ecclesiastica, adeóque extra limites potestatis suæ, & in Ecclesiæ præjudicium, quod per Leges Civiles fieri non potest. Suar. *l. 4. de immunit. c. 21. n. 16.* Pirh. *hic n. 70.* *Ad 3.* persona Clerici non tantùm, ut Clericus est, sed etiam, ut Civis est, exempta est. igitur eodem modo etiam bona. Quod additur de occupatione bonorum, si Clerici tributa ex ijs negent, dicendum, extra casum necessitatis hoc non licere Dominis, & Principibus temporalibus: & si alicubi in contrarium viget consuetudo, nisi vel per Pontificem approbata sit, vel in aliqua exceptione Juris fundata, ex genere suo injusta est, tanquam Ecclesiasticæ libertati contraria.

31 Quæritur 5. an Clerici ex bonis suis concurrere debeant pro reparatione pontium, murorum, viarum, & in alijs publicis necessitatibus, ubi tam Clericorum, quàm Laicorum bonis æquale periculum est? Affirmant plures Juris Civilis Interpretes, quos *Gutierez, Gregorius Lopez, & Azor* referunt. *Fundantur 1. authoritate Legum;* nam *l. placet 5.* & *l. ad instructiones 7. C. de SS. Eccl. l. fin. C. de quib. muner. & præstat. l. ad portus C. 7. de operib. publ.* expressè decernitur Ecclesias pro instructione pontium, reparatione viarum &c. cogi tributum solvere: videturque hoc approbatum etiam de Jure Canonico, dum *Lex placet cit.* inserta est ejus Corpori *can. generaliter 4. §. placet cauſ. 16. q. 1.* *2 Ratione;* quia hujusmodi contributiones neque exiguntur à Principe in suæ potestatis, & superioritatis signum, neque ab Ecclesijs, & Clericis præstantur in subjectionis suæ recognitionem, sed solummodo pro necessitate, vel utilitate communi, quæ Clericos non minùs, quàm Laicos afficit. 3. Quia æquum est, ut qui sentit commodum, etiam onus sentiat. *Reg. qui sentit. 55. in 6.* atqui tam Clerici, quàm Laici fruuntur beneficio viarum, pontium, fontium &c. ergo æquum est, ut non minùs illi, quàm isti ad horum reparationem concurrant.

Sed utendum est distinctione: Vel 32 enim necessitas, & utilitas hæc respicit commoda totius Reipublicæ, vel tantùm privatorum. *Si hoc secundum*, ut si agrorum ripæ adversùs vim fluminis muniendæ, si aperienda fossa, ut aquæ aliò deriventur, si ducendus rivus, quo prata irrigentur, si fodiendus puteus communis, aut fons per canales ducendus ad prædia, si via ante singulorum domos sternenda lapide, aut ad silvam, pascua &c. contribuere etiam Clerici debent pro rata, & quod necesse est ad succurrendum necessitati. Abb. *in c. non minùs 4. h. tit. n. 20.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 672. num. 4 concl. 1. & 2.* Less. *l. 2. de Just. c. 33. dub. 3.* Salàs *de Legib. q. 96. D. 14. sect. 11. n. 115.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 171. & in c. 7. h. tit. n. 4.* Gonzal. *in c. 4. cit. n. 13.* Pirhing. *hic n. 79.* Pignat. *tom. 1. consult. 50. n. 5* & hoc teste sæpiùs respondit *S. Congr. Immun.* atque hoc, non verò plùs probant Argumenta sententiæ affirmativæ. Veruntamen in his casibus Seculares non possunt Clericos per seipsos compellere ad contribuendum pro rata sua, sed debent id per Superiorem eorum efficere, ut contra Cæpol. *tit. de servit. viæ q. 26.* cum alijs rectè advertit Gutier. *l. 1. pract. c. 3. n. 10.* Imò si bona, seu prædia ad multos Ecclesiasticos pertineant, requiritur, ut contributio fiat cum consensu non solùm Laicorum, sed etiam Clericorum, habita deliberatione inter Episcopum, & Clerum; quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. Abb. *l. cit.* Molin. *concl. 3.* ubi additur, ad hujusmodi contributionem, quæ privatum commodum Ecclesiarum, & Clericorum respicit, non esse necessarium consensum Summi Pontificis. Pirhing *hic n. 79.* Schambog. *ibid. n. 75.*

Si primum, & necessitas respicit com- 33 moda totius Reipublicæ, ipsi Clerici in particulari, secluso consensu Pont. vel si hic adiri nequeat, Episcopi, & Cleri, hujusmodi contributiones solvere non tenentur; casu tamen, quo Pontifex, vel Episcopus judicat esse sufficientem causam, & necessitatem, debebunt consentire, & post consensum subvenire necessitati ex bonis suis. Ita

Suar. *l. 4. de immunit. c. 26. n. 15.* Pal. *tr. 12. D. un. p. 9. n. 5.* Barbos. *l. 1. Jur. Eccl. c. 39. §. 5. n. 37. & seqq.* & *in c. 2. h. tit. n. 7.* Fagnan. *in c. non minùs 4. h. tit. n. 51. & seqq.* Gonzal. *ibid. n. 14.* Pignatell. *cons. 50. cit. n. 3. & 6.* & *consult. 101. n. 11.* & hoc teste sępiùs resolvit *S. Congr.*

34 Et quidem quòd ante consensum Pontificis, vel Episcopi non teneantur concurrere, sumitur ex *c. non minùs cit.* ubi talium onerum impositio Rectoribus, & Consulibus Civitatum prohibetur sub pœna Excommunicationis. Idem traditur *c. adversùs 7. h. tit.* ubi subditur: *Propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex priùs consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere. Ratio est;* quia non apparet titulus, ex quo ad hæc onera obligentur: non enim obligantur ad hoc Lege Sæculari; quia ab hac exempti sunt secundùm dicta: non ex pacto aliquo inter Clericos, & Laicos; quia nullum tale extat: non ratione Beneficij, quod publicis vijs, & pontibus utendo percipiunt; quia præterquam quòd beneficium hoc abunde compensent suis obsequijs, non sequitur, quòd si commune est beneficium, etiam sumptus debeant esse communes: patet in militibus, & Magistratibus, qui ab his contributionibus communibus eximuntur. *Accedit*, quòd Summus Pontifex Clericis ob justam causam imponere tributum aliquod, quin etiam Episcopus Subsidium Charitativum possit: si ergo etiam deberent contribuere ad necessitates, vel utilitates publicas Civium, deterioris conditionis forent ipsi, quàm Laici, quippe qui duplici onere gravarentur, quod æquitati non satis convenit. *Proceditque hoc*, ut ne quidem contribuere teneantur ad hujusmodi necessitates etiam ex bonis suis Patrimonialibus; quia sunt accessoria ad personam Clerici, cons. eandem cum hac exemptionem participant.

35 Quòd verò Pontifex, & Episcopus in casu sufficientis necessitatis teneantur consensum dare, colligiturex textibus *n. præc.* allegatis: nam ibi eorum judicio res committitur; quod autem alicujus existimationi committitur, non relinquitur liberæ ejus voluntati, sed arctatur ad existimationem justam, & regulatam *arg. l. fideicommissa 11. §. quanquam 7. ff. de Legat. 3.* Ubi iterum notandum, casu, quo Pontifex, vel Episcopus judicaverint necessitatem esse tantam, ut Ecclesias, & Ecclesiasticos contribuere deceat, coactio istorum non fiat à Laicis, cùm contributiones istiusmodi non ut debitum, sed ut beneficium considerare debeant, prout patet ex *c. adversùs cit.* ibi, *Humiliter*, & *devotè recipiant cum gratiarum actione.*

36 Ad Argumenta *n. 31.* allata facilis est responsio. *Ad 1.* dico illas Leges vel esse correctas per *Auth. item nulla cit.* vel semper fuisse irritas, præsertim quæ de Ecclesijs, & Ecclesiasticis personis expressè disponunt, ob defectum potestatis, & quia derogant Immunitati Ecclesiasticæ. Neque verũ est, quòd dicta *l. placet 5. C. de SS. Eccl.* dum Gratianus illam inseruit Decreto suo, sit canonizata per Jus Canonicum, vel ab eo approbata; nam per hoc, quòd Decreto Gratiani inserta sit, aliam authoritatem non obtinuit, quàm priùs habebat. *Ad 2.* Clerici sublevare patriam debent, sed in Spiritualibus ministerijs Statûs sui proprijs, ratione quorum exempti fuerunt à tributis, & exactionibus Sæcularium. Et retorquetur argumentum in Subsidio Charitativo, ad quod tenentur soli Clerici, quamvis etiam Laici sint membra Ecclesiæ loci. *Ad 3.* Regula, *Qui sentit &c.* vera est, quando illi, qui commodum sentiunt, non aliunde gravantur, propter quòd æquum sit, ut in alio subleventur.

37 Quæritur *6.* an tempore famis, & charitatis annonæ ad frumentum, & alia victualia justo pretio vendenda cogi Clerici possint à potestate Sæculari? Affirmant nonnulli, & inter hos Curtell. *de Immun. Eccl. l. 2. q. 9. per totam.* Villadieg. *in Polit. c. 5. n. 90.* Ortiz *in Summ. c. 4. n. 9.* Valerus *differ. utriusq. for. V. Clericus differ. 3.* Joan. Salas *tr. de empt. & vendit. dub. 9. n. 2.* apud Delben. *de Immun. c. 9. dub. 14. n. 1.* & videtur coactionem istam legitimare 1. ipsa necessitas, & utilitas publica, cui cedere bonum privatorum debet. 2. Obligatio Juris naturalis, & Divini, quæ hoc casu Clericos ad succurrendum obstringit, ut adeo, si in hoc casu Principibus Laicis non obediant, mortaliter peccent.

38 Sed hujusmodi coactioni satis clarè resistit *c. non minùs 4.* & *c. adversùs 7. h. tit.* aliique his similes textus cùm suprà allegata *Const. Urbani VIII.* & *Bull. Cæn. can. 12.* & ratio est; quia explorati Juris est, quòd Clerici, cæteræque personæ Ecclesiasticæ Principum, aliorúmque Magistratuum Sæcularium Jurisdictioni, præsertim coactivæ, nequaquam subijciantur *c. Ecclesia 10. de Constit. c. fin. de reb. Eccl. non alien.* Non minùs prohibitus censeri debet violentus ingressus, & visitatio horreorum, & granariorum, præsertim quæ intra Ecclesiarum, & Monasteriorum ambitum sita sunt; quia Ecclesiæ, & Monasteria æquiparantur locis extra territorium Jurisdictionis Sęcularis existentibus, & ipsorum res dispositioni Laicorum non subijciuntur. Et hinc casu, quo tali necessitate urgente, frumentum, & alia victualia aliunde haberi non possunt, Sęcularis potestas debebit recurrere ad Episcopum, aliósque Superiores Ecclesiasticorum, per quos isti ad ea justo pretio vendenda compelli possunt. Atque ita docent Caball. *cent. 1. cas. 9. n. 10.* Ant. de Ripol. *resol. c. 11. de empt. & vendit. n. 91.* Molfes. *Summ. tom. 2. tr. 12. c. 5. n. 85.* Bellet. *Disquis. Cle-*

Cleric. p. 1. tit. 5. §. 2. n. 9. Madius *tr. de SS. Ordinib. c. 14. §. 38.* Duard. *in Bull. Cæn. l. 2. can. 15. q. 17. n. 45.* Guazzin. *reor. defens. 20. c. 9. n. 10.* Delben. *de Immun. c. 9. dub. 14. n. 1.* Wiestner *hic n. 205.* & alij communiter.

39 Exceptio tamen triplex est facienda. 1. Si id concessum sibi haberet Magistratus Sęcularis per Privilegium Apostolicum. 2. Si casu urgentis maximæ necessitatis Clerici à pauperibus rogati frumentum, & alia victualia vendere justo pretio recusarent, & potestas Ecclesiastica, à Sęculari debito modo requisita ad id faciendum, eos per forditiem non compelleret. 3. Si tempore ejusdem necessitatis urgentis adiri non posset potestas Ecclesiastica. Nam in his casibus Magistratus Sęcularis, in primo quidem authoritate Pontificia, in duobus cęteris potestate extraordinaria, non Jurisdictionis, quam in Ecclesiasticos nullam habet, sed justæ defensionis adversùs periculũ, quod communitati ex fame imminet, posset frumentum ex horreis Ecclesiasticorum extrahere, & indigentibus justo pretio vendere. Delben. *l. cit. n. 2.* Wiest. *n. 206.* & in simili casu docet Sot. *in 4. dist. 25. q. 2. art. 1.* Molin. *tr. 1. de J. & J. D. 31. n. 10.*

40 Idem dicendum, quando Pestis grassatur; nam regulariter eo tempore Princeps Sęcularis non potest adstringere Clericos ad observanda ipsius banna, pro bono publico, & pro tuenda sanitate promulgata; sed debet Episcopos pro executione dictorum rogare. Quodsi verò isti non faciant, quia nolunt, vel quia non possunt e. g. ob absentiam suam, tum demum Princeps Laicùs per Ministros suos exequi Statuta à se facta poterit, non tamen per modum Jurisdictionis, ut dixi, sed potiùs per modum naturalis defensionis. Delben. *l. cit. n. 7.* & hoc teste declaravit *S. Congr. Card.* facto verbo cum Sanctissimo *21. Jan. 1531.* Hinc idem Delben. *n. 8.* suadet, ut Episcopi tempore pestis vel potestatem suam in Ecclesiasticos, quantum ad arcendam contagionem, & conservandam sanitatem opus est, Magistratui Sęculari delegent, vel Laicis sanitati præsidentibus adjungant Assessorem Ecclesiasticum, qui in Ecclesiasticos exercere Jurisdictionem possit. Idémque dicendum in ordine ad vendendum frumentum tempore charitatis annonæ, & in omni alio simili casu.

41 Neque plus probant Argumenta *n. 37.* in contrarium allata. *Ad 1.* publica necessitas, præsertim quando periculum non est in mora, & Superior Ecclesiasticus nondum fuit in culpa, hoc operari nequit, ut Judici Sęculari, qui incapax est, tribuatur in Ecclesiasticos Jurisdictio, cùm isti per suos Judices ad succurrendum necessitati compelli possint. *Ad 2.* ex eo, quòd Ecclesiastici tali casu, non parentes Decreto Principis Sęcularis, peccent, solùm hoc sequitur, quòd ad id compelli possint per Judices suos, qui in ipsos Jurisdictionem habent, non autem per Judices Sęculares, qui Jurisdictionem in eos nec habent, nec possunt habere.

Quæritur 7. an sit contra Libertatem 42
Ecclesiasticam impositio Gabellæ in venditione carnis, frumenti, vini &c. Negant repugnare Libertati Ecclesiasticæ Richard. *quodl. 2. q. 30.* Astens. *Summ. l. 3. tit. 30. art. 4.* Rosell. *V. pedagium n. 17.* Angel. *V. immunitas 1. p. 6. ỳ. quarto.* Rationem dant; quia Clericis directè non imponitur, cùm alibi hæc possint emere. *Sed contrarium*, quòd scilicet ejusmodi Gabellæ extra casum necessitatis illicitæ sint, & Libertati Ecclesiasticæ adversentur, est longè probabilius, nisi statuatur modus, quo Ecclesiasticis refectio fiat. Ita Azor *p. 2. l. 9. c. 12. q. 1. ỳ. in dubium vocatur.* Hieron. Roderic. *compend. qq. Regul. resp. 63. n. 32.* Barbos. *l. 1. Jur. Eccl. c. 39. §. 5. n. 12.* Portel. *in addit. ad Dub. Regul. V. tributum n. 8.* Pall. *tr. 12. D. un. p. 9. n. 10.* Sperell. *decis. 37. n. 84.* ex ratione; quia secluſa hac refectione, Ecclesiastici moraliter coguntur Gabellam illam solvere non minùs, quàm cogantur eam solvere Laici; utrique enim sine rerum ejusmodi emptione moraliter loquendo non possunt vivere. Dixi autem *extra casum necessitatis*; nam in casu necessitatis publicæ Princeps absque metu Censuræ, & violatæ Libertatis Ecclesiasticæ potest, uti vectigalia, ita & Gabellas Laicis, & Ecclesiasticis permistim imponere, modò in imponendis gabellis observet conditiones, quæ in imponendis vectigalibus, quæ Ecclesiasticos tangant, servari debent. Atque hinc

Difficultas est, quænam conditiones 43
requirantur, ut Clerici, vel aliæ personæ Ecclesiasticæ sive Sęculares, sive Regulares teneantur, & licitè possint contribuere ad sublevandam necessitatem publicam? ỳ. plures conditiones requisitæ ad licitam contributionem Clericorum præscribuntur, ut videre est *c. non minùs 4.* & *c. adversùs. 7. h. tit.* & notant DD. atque inter hos Vivian. *in c. non minùs cit. ỳ. potest tamen*, Gonzal. *ibid. n. 14. & 15.* Fagnan. *n. 22.* Wagnereck *in c. adversùs cit. V. tallijs not. 1, & 2.* Engl *hic n. 27.* Pirh. *n. 72.* Schambog. *n. 74.*

1. Ut necessitas illa, vel utilitas sit communis Laicis, & Clericis *c. non minùs*, & *c. adversùs* ibi, *Ad relevandas communes utilitates, vel necessitates.* 2. Ut necessitas illa sit valde gravis, vel utilitas evidens, ut patet ex illis verbis, *Tantam necessitatem, & utilitatem perspexerint.* 3. Ut eidem necessitati relevandæ Laicorum facultates non sufficiant, ibi, *Ubi Laicorum non suppetunt facultates.* 4. Ut priùs Episcopus, & Clerus simul deliberent, an, & quantum contribuendum sit, ibi, *Verùm si quando Episcopus*

pus simul cum Clericis. Neque sufficit unius consensus sine altero; quia quod omnes tangit, ab omnibus approbandum est. *Reg. 29. in 6.* 5. Ut desuper consulatur etiam Summus Pontifex, ibi, *Propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex prius consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere.* 6. Ut Contributiones ab Ecclesiasticis fiant spontè, & absque ulla coactione, vel exactione *c. non minùs* ibi, *absque ulla exactione*, & *c. adversùs* ibi, *absque ulla coactione*, sæcularium scilicet: & hinc *c. adversùs* additur, *Humiliter*, & *cum gratiarum actione recipere*; quia quando Ecclesiæ, vel Clerici contribuunt pro necessitatibus Laicorum, illud faciunt ex gratia, & non ex debito. Abb. *in c. adversùs n. 5.* Pirh. *l. cit. ¥. quartò.*

44 Cæterùm, si una, vel plures ex prædictis conditionibus requisitis ad contributionem à Clericis faciendam Laicis desint, Clerici licitè, & illæsâ conscientiâ non possunt contribuere Laicis; quia omnes prædictæ conditiones requiruntur copulativè, ut patet ex *c. non minùs* & *c. adversùs citt.* Neque verò Clerici huic privilegio exemptionis ab omnibus Collectis, & Exactionibus quibuscunque Sęcularium renuntiare possunt, quippe quod concessum est in favorem totius ordinis Clericalis *arg. si diligenti 12. de for. competent.* Pirh. *n. 72. cit. ¥. Cæterùm.*

45 Quæritur 8. quomodo conditiones istæ in praxi sint observandæ? ℟. resolutio hujus Quæstionis pendet maximè ex solutione triplicis dubij. 1. Quando censeantur Laicorum facultates non sufficere? 2. An inconsulto Pontifice, sufficiat consensus Episcopi, & Cleri? 3. Quid nomine Cleri intelligatur?

Ad 1. Suar. *l. 4. de Immun. c. 26. n. 15.* & Pal. *tr. 12. D. un. p. 9. n. 6.* putant, tunc censeri Laicorum facultates non suppetere, quando non suppetunt facultates communes Civitatis. Verùm Diana *V. gabellas imponere n. 3.* hanc interpretationem improbat; quia aliàs Clerici talibus Gabellis, & Exactionibus ferè semper essent obnoxij, cùm Civitates in communi non sint tam opulentæ, ut pro communibus necessitatibus sufficiant: & sic pari passu Ecclesiastici cum Laicis incederent, neque illi speciale haberent privilegium. Putat ergo *Diana*, tunc censendum esse facultates Laicorum non sufficere, quando non sufficiunt facultates etiam ipsorum particularium, demptis ijs, quæ necessaria ipsis ad statum sunt. Consentiunt Marta *de Jurisdict. p. 4. cent. 1. cas. 2. n. 51.* Less. *l. 2. de Just. c. 33. dub. 3.* Gonzal. *in c. 4. h. tit. n. 14. prop. fin.*

46 *Ad 2.* Consensum Episcopi, & Cleri, etiam sine consensu Papæ, sufficere affirmat *Pontius*: idque in Gallia defacto practicari dicit Rebuff. *tom. 1. ad Constit. Gall. tr. de Sentent. provis. art. 3. gloss. 6.* At Suar. *c. 26. cit. n. 17.* & alij distinguunt: & quidem si adiri Pontifex possit, ajunt requiri etiam consensum illius, & sine hoc Clericos ad hujusmodi contributiones obligari non posse. Si verò adiri non possit commodè, & periculum sit in mora, pro prima gabellæ, & onerum ejusmodi impositione, & modica etiam duratione, dum Pontifex adiri possit, sufficiet consensus Episcopi, & Cleri. Imò ut Laym. *l. 4. tr. 9. c. 5. n. 7.* advertit, si necessitas sit nimis urgens, & directè bona Ecclesiarum, aut Ecclesiasticorum spectet, ut si hostes infideles, aut hæretici regiones Catholicorum, in quibus sunt prædia, & alia bona Ecclesiastica, devastent, aut nisi occurratur, devastaturi sint, tali casu speciali non opus est, ut Pontifex priùs consulatur, sed naturali Jure Clerici unà cum Laicis, præmissa tamen deliberatione ipsorum Clericorum, debebunt concurrere; quia ut Gloss. *in c. non minùs cit.* ait, in necessitate privilegium cessat. Addidi *pro prima gabellæ impositione*; nam si diutiùs continuanda sit, consulendus postea Pontifex erit. Wagnereck *in c. 7. ¥. Romanus not. 1. h. tit.*

47 *Ad 3.* variæ sunt sententiæ; nam Fagnan. *in c. non minùs cit. n. 24.* requirit consensum totius Cleri, quia quod omnes tangit, debet ab omnibus peculiariter approbari *c. cùm omnes 6. de Constit.* Barbosa *ad Rubric. h. tit. n. 7.* ait, requiri saltem consensum Capitulorum, & Vicariorum Foraneorum Diœcesis. Pal. *tr. 12. D. un. p. 9. n. 8.* dicit nomine Cleri intelligi probabiliter Capitulum Cathedrale: cui consentit Suar. *c. 26. cit. n. 16.* ubi addit, probabiliter sufficere, si consentiat consilium Officialium Episcopi, vel Clericorum, qui ad hoc deputati sunt, ut Episcopus cum ijs negotia Diœcesis graviora expediat. Quodsi Clerus renuat, non sufficit, si consentiat Episcopus; nam utriusque judicium æquanimiter postulatur. Si Pontifex consensum neget, nullo modo Clerici ad solvendas ejusmodi Contributiones cogi possunt; quia præsumendum est Pontificem judicâsse, vel non esse sufficientem necessitatem, vel Laicorum facultates sufficere.

48 Quæritur 9. quando, secluså necessitate publica, Collectæ, contributiones, & exactiones hujusmodi à Principe, vel Magistratu Sæculari imponi possint Ecclesijs, vel personis Ecclesiasticis? ℟. tres casus maximè referuntur.

1. Si Princeps, vel Dominus Sæcularis ex speciali privilegio, vel cum licentia expressa Summi Pontificis jus habeat imponendi Clericis tales Collectas, vel contributiones. Barbos. *in c. adversùs cit. n. 3.* Pirh. *hic n. 74.* Schamb. *n. 75.* König *n. 29.*

29. & sumitur ex *c. adversus cit.* ubi requiritur, ut Pontifex priùs consulatur. ergo cum consensu illius, ac licentia possunt Collectæ hujusmodi imponi Clericis, & ab illis exigi.

49 2. Si bona, quæ Ecclesia, vel personæ Ecclesiasticæ possident à Principe, vel alio Domino Sæculari sint data ipsis in Feudum; tunc enim Ecclesia quoad illa bona, non ut Ecclesia, sed ut Laicus consideratur, & cùm quoad illa bona non habeat privilegium fori, mirum etiam esse non debet, quòd ratione Jurium, & bonorum illorum etiam debeat contribuere. Piasec. *prax. Episc. p. 2. c. 4. art. 8. n. 6.* cum *citt.*

3. Si bona immobilia, etiam non feudalia, Ecclesiæ ab initio in prima fundatione à Principe aliquo Sæculari donata fuerint, non liberè, sed cum reservatione Jurisdictionis, & Juris imponendi, & exigendi ratione talium bonorum Collectas, & contributiones sive antiquas, sive novas, ordinarias, vel extraordinarias; nam talis conditio, vel pactio, cùm secundùm se, & ex objecto suo non sit illicita, vel injusta, omnino servanda est. Laym. *l. 4. tr. 9. c. 5. n. 4.*

50 *Dubium* moveri potest, an Principes Sæculares efficere tributaria possint prædia omnia, sita in suo territorio, ita, ut cùm postea ad Ecclesias pervenerint, sint obnoxia Collectis postea imponendis? Affirmat Bartol. *in l. rescripto 6. §. fin. n. 5. ff. de muner.* Sed hanc doctrinam, tanquam falsam, & Ecclesiasticæ Immunitati adversam cum communi cæterorum reprobant Barbos. *l. Jur. Eccl. c. 391. §. 5. n. 55. & seqq.* Fagnan. *in c. non minùs cit. n. 10. & 11.* Pirh. *hic n. 56. v. verùm.* Schamb. *ibid. n. 62.* Ratio est, quia sic indirectè permitteretur contra Libertatem Ecclesiasticam, quod directè omnino prohibitum est *c. quæ in Ecclesiarum 7. de Constit. Auth. cassa C. de SS. Eccl.*

Neque refert, quòd prædia eo tempore, quo totum territorium efficitur tributarium, sint sub Jurisdictione talis Principis, cons. & ipsa effici tributaria possint; nam hoc procedit tamdiu tantùm, quamdiu capacia sunt onerum, quæ ex vi Jurisdictionis eisdem imponuntur, atqui quamprimum ad Ecclesiasticos transeunt, nisi pacto speciali hoc exprimatur, ut dictum est *n. præc.* subducuntur ex Jurisdictione Sæculari, cons. incapacia fiunt onerum, quæ imponuntur ex isto titulo. ergo &c.

51 Quæritur 10. quinam Immunitate reali hactenus declarata, gaudeant? *Certum est* 1. eâ de Jure gaudere *Ecclesias, Monasteria*, cæteráque *Sacra*, & *Religiosa Loca.* 2. *Regulares utriusque sexûs:* etiam Novitios; quia sunt pars Communitatis Religiosæ, & sunt in via, ut perfectè, & indissolubiliter eidem uniantur. Et extenditur Immunitas hæc etiam ad Oblatos Religionum, qui habent obligationem serviendi in perpetuum alicui Ordini, etsi non sint Religiosi. Item ad FF. & Sorores tertij Ordinis S. Francisci, qui in communitate Religiosè vivunt. Nec non ad Commendatarios, & Equites Ordinum Militarium, ut tradit Rodriq. *tom. 2. q. 65. art. 14.* 3. *Clericos*, etiam in Minoribus constitutos, aut primâ solùm tonsurâ initiatos, si conjugati non sint, & à negotiatione Clericis prohibitâ abstineant. *Proceditque* hoc etiam de ijs Clericis, qui in minoribus constituti, conditionibus, quas Trid. *sess. 23. c. 6. de reform.* ad hoc, ut privilegio Fori Ecclesiastici gaudeant, destituuntur; nam hoc Decretum, utpote odiosum, sicut ad Canonis, ita ad alia quoque privilegia Clericorum non extenditur. Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 671. n. 5.* Barbos. *l. 1. Jur. Eccl. c. 39. §. 5. n. 15.* & *in c. adversùs 7. h. tit. n. 7.* Wagnereck *ibid. V. Ecclesiasticos viros not. 1.* Fagnan. *in c. pervenit 2. eod. n. 15.* Pirh. *hic n. 86.* Wiest. *ibid. n. 207.* Monacell. *p. 2. tit. 15. form. 4. n. 4.* & hoc teste sæpius declaratum est *à S. Congr.* *Excipiuntur* in Ecclesia Latina Clerici conjugati, etiam cum unica, eáque virgine, qui immunitate à tribu is non gaudent *c. un.* & *ibi* Gloss. *V. in cæteris de Cleric. conjug. in 6.* Aliud est de Clericis Græcis, sive Ecclesiæ Orientalis, qui utuntur Matrimonio, cum unica, & virgine contracto; ij enim quoad omnia habentur pro Clericis, adeoque omnibus privilegijs gaudent, & etiam uxores illorum. Barbos. *§. 5. cit. n. 19.*

52 *Controversia* est de Colonis, Ecclesiarum, vel Ecclesiasticorum, non quidem illis, qui perpetuò adscripti sunt glebæ, seu fundo colendo; nam cùm horum non sint fructus, non est, quòd propter ipsos tributis, & Collectis graventur fundi, & prædia Ecclesiarum, vel Ecclesiasticorum: sed de *Partiarijs*, seu ijs, qui pro certa parte fructuum agros colunt. Multi cum Sylv. *V. Excommunicatio 9. n. 48.* Remig. de Gonny *tr. de Charit. Subsid. q. 61. n. 20. & seq.* Boër. *decis. 215. n. 19.* Caroc. *de locat. p. 4. q. 25. de collect. n. 34. 35. & 43.* Menoch. *de arbitr. cas. 562. n. 21. & 33.* Barbos. *l. 1. Jur. Eccl. c. 39. §. 5. n. 30.* Pirh. *hic n. 88.* Wiest. *n. 208.* & alijs apud Sperell. *decis. 41. n. 42.* distinguunt, & dicunt colonos partiarios ab hujusmodi tributis, & oneribus absolvi quidem quoad partem fructuum præstandam Ecclesiæ, ijsdem tamen oneribus subijci quoad partem colonicam, seu illam, quæ ex conventione ipsis remanet.

53 *Fundantur* 1. quia separatorum separata debet esse ratio. igitur cùm portio fructuum colonica, ut separata à portione debita Ecclesiæ, vel Ecclesiasticis, sit aliquid

quid merè temporale, ratione illius collectari colonus poterit, sicut & decimari pro fructuum portione ad se spectante. 2. exemptio à vectigalibus non transit in emptorem, ergo nec in colonum pro portione colonica. 3. privilegium immunitatis est stricti Juris, & strictè interpretandum. igitur cum loquatur de solis Clericis, ad colonum extendi non debet. 4. coloni dicuntur negotiari, & quodammodo suis laboribus, & impensis emere partem colonicam fructuum, ergo sicut Clerici negotiatores, ita, & multo magis coloni subjacebunt Collectis. 5. Immunitas, Ecclesiasticis prædijs concessa, personalis est. igitur personam Clerici non egreditur, neque ad colonos transit. 6. mutata conditione personæ, etiam censetur mutata conditio bonorum, & cons. privilegium extinctum. talis mutatio fit quoad partem colonicam. ergo &c. 7. Emphytevta Ecclesiæ tenetur ad Collectas, licèt dominium directum sit penes Ecclesiam. ergo multo magis Colonus. 8. si res communis, & à Clerico, ac Laico pro indiviso possessa vendatur alteri, Laicus tenetur pro rata pretij ipsum tangente solvere gabellam, quamvis pro alia rata Clericus sit exemptus. ergo etiam ad Collectas tenebitur Colonus pro sua parte fructuum, licèt pro sua parte immunis sit Clericus. 9. Coloni Ecclesiarum sunt de Jurisdictione Principis Sæcularis, ac de illius foro, ita, ut Clerici eorum domini, si velint contra ipsos agere pro ipsa terrarum locatione, & societate, seu colonia, teneantur sequi forum illorum Laicum. igitur mirum etiam esse non debet, quòd debeant pro portione suâ etiam ferre onera, quibus alij Laici subjecti sunt. 10. Coloni prædicti ligantur legibus Laicorum, & hinc contra Statutum loci non possunt extra territorium asportare frumentum, teneatur solvere gabellam ad portam civitatis, quando portionem colonicam, ex bonis Ecclesiasticis sibi debitam, deferunt, & puniuntur, si contravenerint edictis Principis, tempore pestis editis.

54 Sed verius est Colonos Ecclesiæ, vel personarum Ecclesiasticarum ad Collectas, & similia onera Laicalia non posse compelli ratione etiam portionis suæ Colonicæ. Ita Bartol. *in l. placet in fin. C. de SS. Eccl.* Abb. *l. 1. cons. 9.* Gratus *l. 1. cons. 130.* Natt. *cons. 409. per totum.* Bursat. *l. 1. cons. 25. per tot.* Decian. *l. 3. cons. 51. n. 42.* Castrens. *cons. 740. n. 5. & seqq.* Capic. *decis. 12. fin.* Surd. *cons. 301. n. 79.* Lotter. *de re Benef. q. 31. n. 46.* Sperell. *decis. 41. n. 84.* ubi triginta octo pro hac sententia DD. refert, & ipsam *Rotam*, & addit *n. 85.* temerarium fore ab hac opinione in consulendo, & judicando recedere; tum quia magis communis est, tum quia melioribus fulcitur rationibus, imò authoritate Juris *l. omnis 2. §. verùm 1. C. de Episc. & Cleric.* Ostenditur 1. quia onera ista, cùm imponantur personæ pro rebus, sunt onera mixta, & personam quidem habent pro forma, rem verò pro materia. cons. ad hujusmodi onerum impositionem non tantùm persona, sed etiam res subjecta esse debet Jurisdictioni Principis imponentis. atqui in casu nostro ex parte rei, seu prædij Ecclesiastici est incapacitas. ergo &c. 2. si collectari Coloni possent, deberent collectari ita, ut non inde gravaretur Ecclesia, vel Ecclesiastici prædij ipsis locati domini. atqui hi exinde jam gravarentur saltem indirectè; cùm enim portio colonica colono detur in compensationem sumptuum, & mercedem laboris, in colendo prædio impensi, ut hæc justa sit, deberet augeri portio tantum, quantum per Collectas decedit Colono, & sic onus Collectarum potiùs Dominum Ecclesiasticum, quàm Colonum premeret. 3. si coloni immunes sint ab hujusmodi oneribus, meliori conditione conducunt Clericorum prædia, & tanto magis vacant colendo fundo, quanto minùs oneribus publicis distrahuntur: quam utilitatem tollere, cùm pretio illa sit æstimabilis, est indirectè onerare Ecclesiam, vel Ecclesiasticos, sed quod directè concedi nequit, nec per indirectum debet permitti. ergo &c. 4. in complexis immunitas concessa uni prodest etiam alteri, atqui casus præsens absque dubio in complexis versatur, cùm & coloni, & boves illius ordinati sint ad culturam, quæ ob illorum impedimentum, dum oneribus publicis distrahuntur, pati jacturam potest. 5. Contractus, inter Clericum, ejúsque Colonum partiarium initus, est contractus societatis. Bartol. *in l. si merces §. vis major ff. locat.* Ecclesia enim ponit prædia, colonus verò semina, animalia, & operas, ut fructus inde nascentes æqualiter, dividantur. atqui immunitas concessa uni ex socijs, communicatur etiam alteri, & ubi onus non contingit ex actu separato, sed ex ipso contractu, socius fruitur privilegio Socij, ut cum *Glos. Ceph. Gratian. Natt. Schrader.* advertit Sperell. *decis. cit. n. 76. & 77.* ergo & colonus fruetur privilegio Ecclesiæ, cujus colonus est.

55 Neque contrarium efficaciter probant Argumenta *n. 53.* allata. *Ad 1.* Argumentum illud fortassis procedit de onere imposito super fructibus à solo separatis, quos quia à Clericorum agris dependentiam nullam habent, sed patrimonium Colonorum effecti sunt, hujusmodi oneribus gravari posse concedunt aliqui, quamvis non ex mente *S. Congr. sup. controv. Jurisdictional.* apud Sperell. *l. cit. n. 4.* in præsenti quæstione sermo est de fructibus nondum separatis à fundo, super quibus onerari colonus non potest, nisi per indirectum etiam oneretur Ecclesia. Ad id, quod additur de Decimis, negatur paritas; quia Decimæ prædia-

diales sunt onus merè reale, onus collectarum verò, & similium est onus mixtum, & secundùm dicta *n. præc.* exigit, ut non tantùm persona, sed etiam res Jurisdictioni imponentis subjecta sit. *Ad 2.* negatur *Ant.* nam contrarium docent *Bald. Imol. Menoch.* & alij apud Sperell. *n. 7.* & meritò; nam si emptor à Gabella immunis non esset, per indirectum gravaretur Clericus venditor, & cogeretur rem viliùs vendere, utpote quæ minùs æstimabilis est subjecta, quàm absoluta ab his oneribus. *Ad 3.* Immunitas Ecclesiastica concessa est favore Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum, cujusmodi privilegia non strictæ, sed latæ interpretationis sunt. *Ad 4.* Immunitatem amittunt Clerici tantùm illi, qui exercent negotiationem illicitam contra SS. Canonum instituta: qualis non est, quæ instituitur inter Clericum locatorem, & colonum conductorem. *Ad 5.* onera, de quibus in præsenti sermo est, sunt onera mixta, quia indicuntur personæ pro rebus. ad hæc onera ut quis obligetur, requiritur, ut tam persona, quàm res Jurisdictioni imponentis subjecta sint. *Ad 6.* tum dicetur mutata persona, quando prædium ipsum ad manus Laicas devenit, vel quando onus nullatenus influit in dominos colonorum, & prædia eorum. *Ad 7.* negativam defendi *suprà Tit. 18. de Locat. & conduct. n. 118.* & esto verum esset *Ant.* disparitas inter Colonum, & Emphyteutam est; quia hic possidet pro suo, & habet fructus jure proprio. Colonus autem possidet pro domino, ipse verò nec naturalem, nec civilem possessionem habet. *Ad 8.* etsi socius ex rei communis venditione solvat gabellam, per hoc tamen Ecclesia nec directè, nec indirectè tangitur, sicut tamen saltem indirectè secundùm dicta *n. præc.* tangeretur, si Colonus ejus obligaretur ad onera civilia pro parte sua Colonica. *Ad 9.* argumentum tantùm probat, quòd Colonus Ecclesiæ secundùm personam suam, & res proprias subjaceat Jurisdictioni sæculari; ex hoc autem, quòd personam Princeps sibi subjectam habeat, non sequitur, quòd etiam supponere Jurisdictioni possit rem exemptam, in cujus possessione est persona non exempta. *Ad 10.* eatenus coloni ligantur Statutis Laicis, quatenus inde per indirectum non resultat dominorum læsio, sicut fit in exemplis allatis: aliàs secus; quia uno prohibito, censentur omnia prohibita, per quæ ad illud pervenitur *l. oratio 16. ff. de Sponsal. l. eos 26. in fin. C. de Usur. l. pupillus 5. §. sed si per interpositam 3. ff. de auth. & consens. tutor.*

56 Quæritur 11. quo Jure Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum Immunitas sit introducta? *Jure Divino* introductam affirmant Laym. *l. 4. tr. 9. c. 8. n. 1.* Barbos. *l. 1. Jur. Eccl. c. 39. §. 5. n. 5.* Fagnan. *in c. non minùs 4. b. tit. n. 4.* Delben. *de Immunit. tom. 1. c. 5. dub. 8. per totum*, Pignatell. *tom. 1. consult. 49. n. 1.* Emman. Correa *Ided Consiliar. D. 6. n. 1659. & seqq.* Engl *hic n. 23.* König *ibid. n. 20.* & apud hos plures alij. *Moventur 1.* textu *c. quanquam 4. De Censib. in 6.* ubi Bonifacius VIII. pronuntiat, quòd *Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum non solùm Jure humano, quin imò & Divino à sæcularium personarum exactionibus sint immunes.* 2. Trid. *sess. 25. c. 20. de reform.* ubi *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitas DEI ordinatione, & Canonicis sanctionibus* dicitur *constituta.* 3. verbis Christi, *ergo liberi* (à tributo, & censu) *sunt filij.* Matth. *17. v. 25.* h. e. Regum, & multo magis DEI: quales non solùm Christus, sed ejus etiam familiares Clerici sunt juxta illud, *Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes.* Psal. *81. v. 6.* 4. ratione; quia si Immunitas non Divino, sed humano duntaxat Jure constituta fuisset, Lege, vel consuetudine contraria tolli posset: quod tamen communis sententia TT. & Canonistarum negat.

57 Contrà humano duntaxat Jure introductam contendunt Alci. *t. in c. cùm non ab homine col. 2. de Judic.* Carol. Molinæus *in addit. ad Cons. Alex. 8. lib. 1.* Medin. *C. de restit. q. 15.* Farin. *prax. crim. q. 8. n. 2. v. limita 1. in fin.* Dian. *p. 1. tr. 2. resol. 1.* Gonzal. *in c. 4. h. tit. n. 8.* & alij ab his *citt. Nituntur* unico fundamento; quia in nova lege ne Jota quidem extat, quo res, & bona Ecclesiastica à Laicorum Jurisdictione, Exactionibus &c. libera pronuntientur: imò in primitiva Ecclesia his obnoxia fuisse constat ex generalibus Christi verbis, *Reddite ergo* (scilicet numisma tributi, & censûs) *quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Matth. *22. v. 21.*

58 Tenenda via media, & dicendum Immunitatem hanc constitutam ordinatione DEI, imò Jure naturali originaliter, quatenus Divinum, & Naturale Jus dictat, Ecclesias, & Ecclesiasticas personas, tanquam res DEO specialiter consecratas, cum rebus suis à sæculari potestate eximendas; humano autem perfectivè, quatenus hoc privilegium immediatè à Papa, & Imperatoribus constitutum est, ut cum Innoc. *in c. siquis 2. de major. & obed.* tradunt Covar. *pract. qq. c. 31. n. 2.* Molin. *tr. 1. de J. & J. D. 31. n. 6. & 7.* Less. *l. 2. de Just. c. 31. n. 2.* Pal. *tr. 12. D. un. p. 1. n. 5.* Wiest. *hic n. 211.*

59 Neque contrarium probant Argumenta primæ sententiæ. *Ad 1. & 2.* dico, textus illos explicandos in sensu mox dictæ responsionis. *Ad 3.* verba illa Christi solùm ipsum, tanquam Filium DEI naturalem, & ex speciali privilegio S. Petrum, tanquam ejus in terris Vicarium spectant; non verò reliquos Christi Discipulos, & Clericos universos: quod satis ex eo constat, quia staterem, in ore piscis inventum, pro solo se, & Petro, & non pro reliquis

Discipulis dari jussit, inter quos tamen nullum faciendum fuisset discrimen, si omnes à Censu, seu Tributo pendendo Jure Divino fuissent immunes. *Ad 4.* consuetudo immunitatem abrogans apertè inducit gravamen Ecclesiæ, eidémque hæc apertè resistit, igitur legitima esse non potest.

60 Quæritur 12. quæ pœna statuta sit violantibus Immunitatem, seu Libertatem Ecclesiasticam circa Exactiones, & alia Civilia onera? R. est Excommunicatio major. Et hanc ipso Jure, & facto incurrunt 1. qui hujusmodi Collectas, & Exactiones exigunt, vel imponunt Ecclesijs, aut personis Ecclesiasticis, si postquam commoniti fuerint, desistere noluerint, nec communioni fidelium restitui debent, donec satisfactionem fecerint competentem *c. non minùs 4. ℣. si autem h. tit.* ubi eadem Excommunicationis pœna extenditur etiam ad fautores illorum. Gloss. *in c. cit.* Abb. *ibid. n. 7. & 9.* Fagnan. *n. 36.* Zœs. *hìc n. 3.* Honor. *n. 28. & 29.* Pirh. *n. 90.* Schamb. *n. 76.* & renovatum est in *Bulla Cœnæ*, ut notat Pirh. *n. 94.* Et quia fraus, & dolus alicui patrocinari non debet, Excommunicatus ob prædicta, talis manet, etiam post depositum officium, nisi satisfecerit *c. adversùs 7. eod. ℣. propter imprudentiam.*

61 2. Eandem Excommunicationem incurrit etiam Successor in officio, nisi satisfecerit intra mensem, & istâ censurâ irretitus manet, donec satisfecerit competenter *c. adversùs cit. in fin.* ubi etiam ratio redditur, quòd *succedat in onere, qui in honore substituitur.* Abb. *in c. cit. n. 3. & 8.* Vivian. *ibid. ℣. Rectores*, Gonzal. *n. 2.* Honor. *n. 31.* Pirh. *n. 91.* & alij passim. Discrimen tamen faciendum est inter ipsum collectantem, & inter successorem ipsius; nam *prior* tenetur satisfacere, etiamsi commoditas proveniens ex delicto non ipsi, sed Universitati, vel Domino cesserit, ita, ut si non possit inducere Universitatem, vel Dominum ad satisfaciendum, ipse de suo satisfacere teneatur; quia non debuisset ad hoc præstare auxilium, vel consilium. Abb. *l. cit. n. 9.* Pirh. *n. 91. not. 1.* & colligitur ex *c. adversùs cit.* At *posterior* ex bonis proprijs satisfacere non tenetur, cùm ipse non deliquerit, nec aliquid ex Collectis, ab Ecclesia datis, usurpaverit: adeoque si intra mensem non potuerit satisfactionem procurare ab Universitate, vel Domino, non incurret Excommunicationem, utpote quæ ob solùm delictum fertur, quod in hoc casu nullum est. *Excipitur*, si successor in officio etiam sit hæres antecessoris, qui Collectam imposuit; nam hic teneretur ad satisfactionem præstandam Ecclesiæ, quæ damnum passa est in impositione Collectæ. Suar. *de Censur. D. 21. sect. 2. n. 101. in fin.* Barbos. *in c. adversùs cit. n. 5.* Pirh. *n. 91. not. 2.*

3. Constitutiones, & Sententiæ, quæ 62
à collectantibus Ecclesiasticos, & Clericos, ac compellentibus ad contribuendum, etiam pro necessitatibus communibus, sunt editæ, ipso Jure sunt irritæ, nec ullo unquam tempore valituræ *c. adversùs cit.* quia *ea, quæ fiunt à Judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt*, ut habet *Reg. 26. in 6.* Vivian. *in c. adversùs cit. ℣. sententiæ*, Gonzal. *ibid. n. 2.* Honor. *n. 30. & 35.* Pirh. *n. 90.* Schamb. *n. 76.* König *n. 28.* Imò Prælati, & personæ Ecclesiasticæ hujusmodi Collectas quocunque colore mutui, subventionis, subsidij, vel quovis alio prohibentur solvere, aut solutionem earum permittere absque authoritate Sedis Apostolicæ, sub pœna Excommunicationis, vel si Universitates sint, Interdicti ipso facto incurrenda, à qua nullus absolvi possit, præterquam in articulo mortis, absque speciali ejusdem Sedis licentia *c. Clericis 3. h. tit. in 6.* quod tamen *Extrav. un. int. comm. h. tit.* à Benedicto XI. restrictum est solùm ad eos, qui sponte hujusmodi Collectas dederint.

4. Similiter Excommunicationem ip- 63
so facto incurrunt Judices Sæculares, ac Domini temporales, & alij, qui eos, qui ita volunt, impediunt, ne super causis, quæ ad forum Ecclesiasticum de Jure, vel consuetudine pertinent, litteras à Sede Apostolica impetrent, vel super ipsis coram Ordinarijs, vel Delegatis litigent: ideoque hujusmodi litigantes, vel litigare volentes super dictis causis Ecclesiasticis, per se, vel per alios ad desistendum à lite, vel ad litigandum in foro Sæculari capiendo illos, vel res eorum, aut propinquos, vel alijs modis quibuscunque compellunt, aut compelli faciunt, seu procurant, vel ad prædicta facienda auxilium, consilium, vel favorem dant; à qua Excommunicatione nullatenus absolvi possunt, nisi priùs tam Judici Ecclesiastico, cujus cognitio fuit impedita, quàm parti, quæ turbata fuit in prosecutione juris sui, de injuria, damnis, expensis, & interesse integrè satisfactum fuerit *c. quoniam 4. h. tit.* Et hæc Excommunicatio inclusa est in *Censura 13. & 14. Bullæ Cœna*, quæ est contra impedientes Jurisdictionem Ecclesiasticam, & Ecclesiasticos Judices illâ utentes, ut notat Suar. *D. 23. de Censur. sect. 4. n. 4.* & hinc est reservata Papæ. Pirh. *n. 95.*

5. Denique Excommunicationem ip 64
so facto incurrunt ij, qui temporale dominium obtinent, si suis subditis prohibeant, ne Prælatis, aut Clericis, seu personis Ecclesiasticis quidquam vendant, aut emant aliquid ab eisdem, vel bladum, seu frumentum molant, panem coquant, aut alia obsequia exhibeant; quia talia in derogationem Ecclesiasticæ Libertatis præsumuntur *c. fin. h. tit. in 6.* Suar. *D. 21. de Censur. sect. 2. n. 93. fin.* Passerin. *in c. fin. cit. n. 2.* Pirh. *hic n. 96.* Et hæc Excommunicatio etiam lata est *in*

Bulla

Bull. Cœn. can. 15. & Papæ reſervata, ubi tamen ſolùm excommunicantur facientes, vel ſervantes Statuta Eccleſiaſticæ Libertati contraria: conſ. qui ſine Lege, vel Statuto prędicta obſequia prohibent exhiberi Clericis, incurrunt quidem Excommunicationem *c. fin. cit.* non tamen reſervatam. Pirh. *n. 96. cit. in fin.*

65 *Ex quo ſequitur* non poſſe Eccleſiaſticos prohiberi, ne vendant etiam minutim panem, & vinum; & ſi vendant, non obligari illos poſſe ad ſolutionem vectigalium, ſi ea colligant à ſuis bonis Patrimonialibus, aut Beneficialibus, prout expreſsè ſtatutum eſt *Clem. fin. de Cenſib.* & eſt certa ſententia TT. Canoniſtarum, & Juriſconſultorum à nemine ex Catholicis impugnata, teſte Pignatello *tom. 2. conſult. 34. n. 1.* Imò P. König *hìc n. 30.* cum alijs veriùs judicat, ex bonis Clericorum emigrantium, & ex hęreditatibus, Legatis, aut donationibus, quæ ad Clericos, Eccleſias, aut cauſas pias perveniunt, & extra territorium tranſportantur, non deberi impoſitiones illas, quas nos Germani vulgò Abzug/ Nachſteür / Abfahrt / Nachſchoß appellamus; quia revera ſunt onus mixtum, & extraordinarium, ad qualia onera ſecundùm hactenus diſputata Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ perſonæ obligari non poſſunt.

§. II.

De Immunitate Locali, & præcipuè de Jure Aſyli.

SUMMARIUM.

66. *Quotuplex privilegium Eccleſijs ratione Immunitatis Localis competat?*
67. *An omne opus profanum, in Templo factum, ſpeciem Sacrilegij habeat? Prima ſententia.*
68. *Secunda Opinio.*
69. *Deciditur quæſtio.*
70. *An furtum quodlibet prohibeatur in Eccleſia Sacrilegij nomine?*
71. *Prima Sententia.*
72. *Secunda Sententia.*
73. *Reſolvitur Dubium.*
74. *Quæ ſit pœna furantium in loco Sacro?*
75. *An in eos ſit aliqua Jure lata?*
76. *Exceptio.*
77. *Placitum non poteſt fieri in Eccleſia.*
78. *Vel ejus Domibus.*
79. *A Judice Sæculari; ſecus ab Eccleſiaſtico.*
80. *Quid veniat nomine Placiti?*
81. *In Eccleſia etiam non poteſt exerceri Mercatus.*
82. *Excipitur venditio candelarum, & aliarum rerum pietati inſervientium.*
83. *Ibidem prohibentur Concilia Univerſitatum, & Parlamenta.*
84. *Ludi Theatrales, & aſſervatio ſupellectilium.*
85. *Convivia, & alij actus profani.*
86. *Non poteſt Eccleſia converti ad uſus belli, & ædificari in modum Caſtri.*
87. *Ipſa, & Monaſteria immunes ſunt ab onere hoſpitandi.*
88. *Quid ſit Jus Aſyli, ſive Aſylia?*
89. *An bene, præſertim tam amplum ſit conſtitutum?*
90. *Affirmativa defenditur.*
91. *Reſpondetur ad Argumenta contraria.*
92. *Quo Jure Privilegium Aſyliæ competat Locis Sacris?*
93. 94. *Defenditur, quòd competat ſolùm Jure humano.*
95. *Reſpondetur ad Argumenta contraria.*
96. *An Conſtitutio Gregorij XIV. locum habeat in omnibus Provincijs?*
97. *Deciditur pro Affirmativa.*
98. *Solvuntur Objectiones.*
99. *An hoc Jus Aſyliæ per conſuetudinem tolli, vel diminui poſſit?*
100. *Concluditur pro parte affirmante.*
101. *Diluuntur argumenta oppoſita.*
102. *An privilegium Aſyli ſit ſtrictæ, vel latæ interpretationis?*
103. *Defenditur, quòd ſit Interpretationis latæ.*
104. *Reſpondetur ad argumenta Sententiæ adverſæ.*
105. *An cùm Jus Civile, & Canonicum in Caſu immunitatis non concordant, interpretatio ſit facienda ſecundùm Jus Canonicum, an verò ſecundùm Civile?*
106. *Quid, ſi dubium ſit Jus Canonicum?*

66 RAtione Immunitatis Localis duo Eccleſijs, & cęteris locis Sacris Privilegia competunt: *primum eſt*, quòd ob reverentiam, hujuſmodi locis debitam, certi quidam actus in ijſdem exerceri prohibeantur. *Alterum*, quòd ad ſe confugientibus Aſylum præbeant. Actus, qui in Eccleſia fieri prohibentur, ſunt duplicis generis; nam alij ſunt actus peccaminoſi, ut homicidium, effuſio ſanguinis, aut ſeminis humani, ſepultura Infidelis, aut fidelis Excommunicati &c. quibus polluitur Eccleſia ſecundùm dicta *Tit. 40. à n. 63.* Alij verò ſunt actus per ſe liciti, ſed qui in Eccleſia ob ſpecialem ejus Sanctitatem exerceri prohibentur.

Quæritur 1. an omne opus profa- 67
num, in Templo factum, ſit contra Sanctitatem loci, & ſpeciem Sacrilegij contrahat? *Diſtinguunt* aliqui inter actus peccaminoſos, & non peccaminoſos: & *peccaminoſos* quidem, ſi in Eccleſia fiant, omnes dicunt ex ipſa natura rei Sacrilegium eſſe; eos verò

actus , qui peccaminosi non sunt extra Ecclesiam facti , si fiant in Ecclesia , aliquos esse Sacrilegia ex prohibitione speciali Ecclesiæ , aliquos ex natura rei. Citantur pro hac sententia Sylv. *V. Confessio 1. q. 10.* Cordub. *Summ. q. 190.* Medin. *C. de Confess. q. de circumst. loc. Sacr.* Antonin. *3. p. tit. 14. c. 19. §. 7.* atque Suar. *l. 3. c. 2. n. 8.* sententiam hanc magis ad veritatem accedere. Pars ultima hujus sententiæ infert primam ; nam si aliqui actus , qui si fierent extra Ecclesiam , mali non essent , ob loci Sacri reverentiam Sacrilegi fiunt ex natura rei , multo magis Sacrilegia erunt peccata in Ecclesia facta ; magis enim opponuntur reverentiæ debitæ loco Sacro.

68 *Contrà* alij absolutè negant , ullum actum profanum , etiam peccaminosum , secluſa formali intentione operantis , ex natura sua opponi Sanctitati loci , sed siqua actio speciem Sacrilegij aliam , quàm ex intentione operantis habet , eam accipere non ex natura sua , sed ex positiva Lege Ecclesiæ , actum illum specialiter prohibentis. Citantur pro hac sententia Cajetan. *2. 2. q. 99. ad 5. dub.* Sot. *l. 2. de Just. q. 4. art. 4. §. sed ais.* Victoria *in Summ. 4. q. 169.* Angles *in Flor. q. 9. diff. an locus Sacer.* Navar. *Man. c. 6. n. 11. §. sextò* , Gutier. *l. 1. qq. c. 31. n. 35.* Sanch. *l. 9. de Matr. D. 37. n. 15.* & apud hos alij. *Rationem* dant ; quia non omne peccatum , in Ecclesia commissum , est Sacrilegium , sed aliqua quidem speciem Sacrilegij habent , ut pollui in Ecclesia , fornicari , vulnerare alium , aut occidere &c. aliqua verò non sunt Sacrilegium , ut mentiri , dare alapam alteri &c. atqui non est ratio ex natura rei , cur illi potiùs actus sint Sacrilegium , quàm hi ; quia si spectetur actuum ipsorum natura , non minùs posteriores Sanctitatem loci dedecent , quàm priores. ergo quòd illi sint Sacrilegium , non isti , solùm habetur ex prohibitione Ecclesiæ , constituente loci Sanctitatem in illis , & non in alijs.

69 Ego inclino magis in hanc secundam Sententiam , & moveor ad hoc maximè praxi , ut puto , communi fidelium ; nemo enim sibi putat obligationem incumbere explicandi circumstantiam loci Sacri in quibuscunque peccatis , sed in ijs solùm , quæ ob formalem repugnantiam ad locum Sacrum , vel ex Statuto Ecclesiæ speciali Sacrilegia sunt.

70 Dub. 1. an furtum quodlibet prohibeatur in Ecclesia Sacrilegij nomine ? Tribus modis contingere furtum potest. 1. Si fureris Sacrum de loco Sacro. 2. Si Sacrum de non Sacro. 3. Si non Sacrum de Sacro. *Secundo modo* non inhonoratur Locus Sacer , & propterea modus ille ad præsentem Quæstionem non spectat. *Primo modo* cùm res Sacra auferetur de Loco Sacro , Sacrilegium committi , nemo dubitat , & decisum est Lege tum Civili , tum Canonica.

Pro tertio Casu allegantur Jura in utramque partem : pro *Negativa* quidem Jus Civile ; nam per illud adversùs eum , qui res privatorum , in Ædem Sacram depositas , furantur , non Sacrilegij , sed furti solùm actio admittitur *l. Divi 5. ff. ad Leg. Jul. Peculat.* *Affirmativa* autem videtur colligi ex Jure Canonico ; nam *can. quisquis 21. caus. 17. q. 4.* Joannes Papa , *Sacrilegium* , inquit , *committitur auferendo Sacrum de Sacro , vel non Sacrum de Sacro , vel Sacrum de non Sacro.* Et quidem si liquida esset mens hujus decisionis , quidquid contrà per Jus Civile sancitum esset , certum foret pro Jure Canonico standum esse.

Sunt tamen variæ Sententiæ circa in- 71
tellectum *cit.* textûs. *Aliqui* distinguunt , & quidem si res non Sacra quasi sub jure , & potestate Ecclesiæ sit , quòd vel illi ad custodiam tradita , vel in pignus data , vel alio simili modo in Ecclesia deposita sit , affirmat rem illam furari in Ecclesia Sacrilegium esse ; negant verò esse Sacrilegium , si res aliqua merè temporalis per accidens , & casu sit in Ecclesia , vel quia ibi est persona , quæ illam secum defert , vel quia casu ibi relicta est. Ita tenent Victor. *in Summ. q. 196.* Fagund. *l. 4. c. 4. n. 9. circa fin.* Ant. à S. Spirit. *de Sacr. Pœnit. tr. 5. D. 8. n. 614.* & probabile hoc putant Azor *p. 1. l. 9. c. 27. q. 6.* Emman. Sà *V. Sacrilegium.* Less. *l. 2. de J. & J. c. 45. dub. 3. n. 14.*

Alij tamen sine ulla distinctione fur- 72
tum in loco Sacro Sacrilegium esse , ac subinde , nisi ex parvitate materiæ excusetur , ex genere suo mortale esse existimant : atque ita sentiunt Suar. *l. 3. c. 5. n. 7.* dicens esse communem , Dicastill. *D. 9. n. 663.* Perez *D. 30. sect. 2. n. 2.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 2. n. 3.* & citatur pro illa Sylv. *V. Sacrilegium §. secundum.* Angel. *V. eod. n. 1.* Armill. *n. 1. &c. Fundamentum* præcipuum hujus Sententiæ est ; quia *can. quisquis cit.* simpliciter , & sine limitatione ponitur species Sacrilegij esse furari non Sacrum de Sacro , ubi autem Lex non distinguit , neque nos distinguere debemus *l. de pretio 8. ff. de Publician. in rem action.* nisi vel alia Lex obliget , vel ratio cogat. ergo &c.

Ego in hac Sententiarum diversitate 73
certum imprimis judico Sacrilegium committi , cùm res ad custodiam deposita est in loco Sacro ; quia per ejusmodi traditionem quodammodo fit Ecclesiæ , & cons. res Sacra efficitur. Cùm verò casu res est in Ecclesia , puto ob rationem datam valde probabile esse , etiam tum Sacrilegij crimen committi : quod etiam confirmari ulteriùs potest ; textus enim *can. quisquis cit.* facit partitionem quandam rei Sacræ , & non Sacræ , & per utriusque furtum dicit committi Sacrilegij crimen. atqui res , quæ in Depo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

positum, vel custodiam Ecclesiæ datæ sunt, quatenus sic constitutæ sub Ecclesiæ patrocinio sunt, jam sunt aliquo modo Sacræ, & cons. illas furari est potiùs furari Sacrum de Sacro, quàm non Sacrum. igitur ut partitio textûs retineatur integra, necesse est alterum membrum de alijs rebus intelligere. Non nego tamen ob authoritatem DD. etiam alteram Sententiam probabilem esse, atque in praxi tutam.

74 Dub. 2. quæ sit pœna furantium in loco Sacro? Potest dubium hoc fieri dupliciter, de pœna Jure lata, & primùm ferenda per Sententiam Judicis. *De hac secunda* est communis Sententia DD. esse arbitrariam pro conditione furti, & qualitate personarum, ut colligitur ex *l. Lege Julia 4. §. mandatis autem 2. ff. ad Leg. Jul. Peculat.* & *ibi* docet *Gloss. Anton. Clar. Decian. Rub. Menoch. Diaz. Farinac.* Potéstque arbitrium istud Judex extendere usque ad pœnam mortis, & sic regulariter puniendum est Sacrilegium, quo res Sacra de loco Sacro surripitur, nisi levitas furti, & ætas minor delinquentis pœnæ diminutionem suadeant.

75 *Quæstio* igitur solùm est, an in hujusmodi fures sit pœna aliqua Jure lata? Qua in re putant aliqui, quoscunque fures Sacrilegos ipso Jure excommunicatos esse, & ita colligunt ex *can. canonica institutа 107. caus. 11. q. 3. can. omnes Ecclesiæ 5.* & *can. quisquis 21. v. siquis domum Dei caus. 17. q. 4.* Sed Azor *p. 1. l. 9. c. 27. q. 13.* Suar. *de Censur. D. 22. sect. 2. n. 6.* Bonacin. *D. 3. q. 6.* Pal. *p. 2. n. 4.* &c. putant Excommunicationem in fures Sacrilegos ipso Jure latam non esse, nisi simul Ecclesiam effringant. Et hæc sententia mihi tenenda videtur. Colligitur ex *c. fin. de furt.* ubi qui furatus fuit Calicem Ecclesiæ, nisi infamiâ publicâ notatus fuerit, admittitur ad Ordines, peractâ pœnitentiâ, absque ulla absolutione à Censura. Et *confirmatur* ex *c. conquestus 16. de for. compet.* ubi dicitur anathematis subijciendos esse invasores rerum Ecclesiæ, donec satisfecerint. igitur Excommunicatio in eos Jure lata non est. *Neque obstant* textus in contrarium allegati; nam ut eos DD. explicant, hoc solùm, & non illud, quod Adversarij intendunt, docent.

76 Dixi, *Nisi simul Ecclesiam effringant;* nam si cum furto sacrilego jungatur effractio, ut communis sententia ex *c. conquesti 22. de sent. Excomm.* colligit, incurritur Excommunicatio latæ sententiæ. Hæc tamen, antequam denuntietur, reservata non erit; quia, ut Pal. *p. 2. cit. n. 5.* notat, sic delinquens jubetur solùm post denuntiationem se Pontifici præsentare.

77 Quæritur 2. quinam actus ex aliàs licitis prohibeantur in Ecclesia? *Et 1. quidem dubitatur*, an Placitum fieri in Ecclesia, vel domibus ejus possit? *v.* non posse fieri sine Sacrilegij crimine à Judicibus Laicis, nisi in favorem causæ piæ Colligitur ex *c. ut in domibus 1. h. tit.* ubi dicitur, non posse Judices domos Ecclesiarum ad placitum faciendum vendicare: unde *Glossa*, & omnes DD. à fortiori colligunt, idem intelligi de ipsis Ecclesijs, tum quia majori ratione Immunitate hac gaudent Ecclesiæ, quàm earum domus, tum quia ipsa Ecclesia est quædam domus, quæ magis est sua, seu Juris sui, quàm domus ejus sint sub ipsius Jure. Clariùs verò hoc constat ex *c. decet 2. eod. in 6.* ubi Gregorius X. *Omnis*, inquit, *in Ecclesijs Sæcularium Judiciorum strepitus conquiescat, nulla inibi causa, criminalis maximè, per Laicos agitetur, sint loca eadem à Laicorum cognitionibus aliena.* Maximè autem in Ecclesia prohibetur exerceri Judicium sanguinis, & quidem *sub interminatione anathematis*, ut habetur *c. cùm Ecclesia 5. h. tit.* ubi ratio additur, quòd *absurdum sit, & crudele ibi judicium sanguinis exerceri, ubi est tutela refugij constituta.*

78 Dixi 1. *in Ecclesia, vel ejus domibus;* nam de utroque extant textus, ut vidimus & ratio, ob quam Placitum prohibetur exerceri in Ecclesia, etiam probat illud de domibus Ecclesiæ. Est autem ista; quia Ecclesia, & domus ejus sunt locus à Sæculari Jurisdictione exemptus, in loco autem à Jurisdictione sua exempto Jurisdictionem exercere Judex non potest, cùm locus ejusmodi æquiparetur loco existenti extra territoriũ. ergo &c. *Discrimen* tamen inter Ecclesiam, & domus Ecclesiæ duplex interjacet. *Primum* est, in Ecclesia Judex Laicus Judicium exercere nequit, etiam consentiente ejus Prælato; at in domo ejusdem potest ex concessione illius, si scilicet conductam ab Ecclesia, vel ab illa liberaliter, & gratis concessam obtineat: hinc quando dicitur, quòd in domibus Ecclesiæ Judicium Sæculare exerceri nequeat, id intelligendum est, quando Judex Sæcularis eam authoritate publica, quasi ex Jure publico eligit ad habitandum. Abb. *in c. ut in domibus cit n. 2.* Vivian. *ibid. in Ration.* Barbos. *n. 1.* & *2.* Gonz. *n. 8.* Wagnereck *not. 2.* Honor. *hic. n. 3.* Pirh. *n. 10.* Schambog. *n. 13.* *Alterum est*, quòd totus Processus Judicialis, & ipsa etiam sententia, in loco Sacro lata, sit ipso Jure nulla, & sine effectu *c. decet cit. §. ordinarij*: quod verum est, etsi Judex Sæcularis simul cum Ecclesiastico Judicium in Ecclesia celebret. Passerin. *ibid. n. 18.* Contrà si istud exerceat Judex Sæcularis in domo Ecclesiæ, valet; quia cùm Constitutio *c. cit.* irritans Judicium Sæculare exercitum in Ecclesia sit pœnalis, non debet extendi ad domum Ecclesiæ, cùm pœnæ, & odia sint restringenda, non verò laxanda. *Reg. 15. in 6.* Abb. *l. cit.* Azor *p. 2. l. 9. c. 9. q. 7. cum reliquis suprà.*

79 Dixi 2. *à Judicibus Laicis*; nam à Judicibus Ecclesiasticis causæ Ecclesiasticæ in Ecclesia agitari possunt, quamvis & hæ decentiùs extra Ecclesiam discutiantur in Palatio Episcopali, vel in alio loco commodo, ut usus habet. Gloss. *in c. decet cit. V. Sæcularium.* Abb. *in c. 5. h. tit. n. 4.* Vivian. *ibid. in Ration.* Gonzal. *n. 7.* Canis. *in c. ut in domibus cit. n. 4.* Passerin. *in c. 1. eod. in 6. num. 12.* Honor. *hic n. 2.* Engl *n. 5.* Pirh. *n. 7.* Schambog. *n. 11.* & sumitur ex *can. fin. caus. 2. q. 2.* & *c. qua fronte 25. de Appellat.* ibi, *Non in Ecclesia, sicut est Canonicum, & honestum.* Neque unquam in Jure Canonico reperitur prohibitum, ne Judicium Ecclesiasticum exerceatur in Ecclesia. Azor *p. 2. l. 9. c. 9. q. 1.* *Neque obstat* huic resolutioni 1. quòd ratio *c. decet cit.* sit universalis, scilicet pax & quies Ecclesiæ, quàm non minùs turbant Judicia Ecclesiastica; nam Lex non potest contra sua verba extendi propter rationem suam, & Legislator uti ratione sua potest, quantum, & quomodo id ipsi placet. atqui SS. Canones expressè prohibitionem suam limitant ad Judices Sæculares, & ad Sæcularium Judiciorum strepitus, ergo Judicia Ecclesiastica prohibitione illa comprehendi non debent. Accedit ratio disparitatis positiva; nam Ecclesia præsumit Judicia Ecclesiastica cum minore strepitu, & breviore tempore expedienda, & ipsum Judicem Ecclesiasticum majorem curam adhibiturum, ut sine irreverentia loci fiant. Suar. *l. 3. c. 4. n. 11.* Zoes. *hic n. 4.* Schambog. *n. 12.* Pirh. *l. cit.* *Non obstat 2.* quòd etiam Judicia Ecclesiastica prohibeantur exerceri in die festo; & sic censeantur etiam prohibita in loco Sacro: nam dispar est ratio; quia Judicia Ecclesiastica locum Sacrum non dedecent, dedecent autem sanctitatem diei festi, utpote quo non minùs Clerici, quàm Laici à negotijs forensibus abstinere, & Officijs Divinis vacare debent. *Non obstat 3.* etsi reus interdictus sit ab ingressu Ecclesiæ; adhuc enim in Ecclesiam citari, & causa Ecclesiastica adversùs ipsum tractari in ea potest: secus est in Actore interdicto; nam iste si in Judicio audiri velit, absolutionem impetrare debet, aliàs à Judicio repelli poterit: & ratio disparitatis est; quia Actor in Judicium sponte, Reus verò vocatus, & necessariò venit *arg. c. intelleximus 7. de Judic.* Azor *c. 9. cit. q. 2.* Pirh. *hic n. 8.*

80 Dixi 3. *Placitum*: quo nomine intelligitur, quidquid ad strepitum Judicialem pertinet. *Ex quo sequitur*, in Ecclesia etiam non posse ferri sententiam ab Arbitris. Patet de Arbitris Juris; quia hi verè Judices sunt: de Arbitris Compromissarijs ex eo constat, quòd procedant ad instar Judicum cum causæ cognitione *l. compromissum 1. ff. de recept. qui arbitr.* & sic illorum Judicium non excludit Judicialem tumultum. Passerin. *in c. 2. h. tit. in 6. n. 23.* Aliter discurrendum de Arbitratoribus; quia eorum sententia non est, nisi quædam transactio, & ideo Arbitramenta, facta in Ecclesia, valida sunt. Passerin. *l. cit.* cum *Anchar. Domin. Franc. Bald. &c.* *Contrà* alij actus extrajudiciales, & qui Jurisdictionis contentiosæ non sunt, etsi similitudinem quandam cum Placito habeant, in Ecclesijs exerceri licitè possunt: cuiusmodi sunt dare Tutores, vel Curatores pupillo, aut minori, præterquam quòd etiam sit causa pia. Azor *p. 2. l. 9. n. 9. q. 3.* & *4.* Canis. *in c. 1. h. tit. n. 4.* Vallens. *hic n. 5.* Item conferre Gradus Doctoratûs, vel Magisterij; quia hujusmodi actus honestatem continet, idque etiam communis, & generalis consuetudo approbat. Abb. *in c. cùm Ecclesia 5. n. 9. h. tit.* Azor *l. cit. q. 4.* Suar. *c. 4. n. 15.* Licitum etiam est Disputationes, & Prælectiones publicas habere in Ecclesia; quia Scientia dicitur res Sanctissima *l. præses 1. §. proinde 5. ff. de var. & extraord. cognit.* utpote quâ ad obediendum Deo, & Principi vita subditorum informatur. *Authb. habita C. ne filius pro patre.* Azor *l. cit.* Engl *n. 5.* Denique universim loquendo actus extrajudiciales, aut ad voluntariam tantùm Jurisdictionem pertinentes, præsertim si pietatem respiciant, in Ecclesia validè, & licitè exerceri possunt. Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 11. & 12.* Passerin. *in c. 1. h. tit. in 6. n. 14.* Pirh. *hic n. 11.* Schambog. *n. 14.*

Dixi 4. *nisi in favorem causæ piæ*; hanc enim Abb. *in c. cùm Ecclesia 5. h tit. n. 10.* cum alijs excipit: unde eo casu non solùm validè, sed etiam licitè fient in Ecclesia.

81 Dub. 2. an & quatenus in Ecclesia prohibitum sit exercere mercatum, negotiationem, contractúsque inire? R. etiam mercatum, contractus, & negotiationes in Ecclesia prohibitas esse. Patet ex *c. decet cit.* ibi, *Cessent in Ecclesijs, earúmque cœmeterijs negotiationes, & præcipuè nundinarum, ac fori cujuscunque tumultus*, igitur ut Placitum, ita etiam Mercatus in Ecclesia textu hoc prohibetur. Duplex tamen circa hoc notandum discrimen est 1. non semper gravem in mercatu intervenire culpam, sed tum solùm, quando fit cum vociferatione, & tumultu; hæc enim negotiatio Divina Officia turbat, & fraudibus est exposita, ac Dei Ecclesiam multùm profanat. Pal. *tr. 11. D. un. p. 4. n. 3.* 2. Contractus, siqui in Ecclesijs, vel Cœmeterijs facti fuerint, licèt facti fuerint cum peccato, validos tamen esse; quia in Jure non irritantur, ut Judicia Sæcularia, ideoque pœnalis illa Constitutio, cùm odiosa sit, ad Contractus, qui in Ecclesia fiunt, extendi non debet. Gloss. *in c. decet cit. V. processus.* Abb. *in c. cùm Ecclesia 5. h. tit. n. 6.* Suar. *c. 4. cit. n. 18.* Canis. *in c. 1. h. tit. n. 8.* Passerin. *in c. decet cit. n. 24.* Engl *hic n. 6.* Pirh.

Pirh. *n. 12.* Schambog. *n. 15.* Major autem ratio prohibitionis circa Judicia, quàm Contractus hæc assignari solet, quòd Judiciales contentiones, & strepitus minùs Ecclesiæ conveniant, quàm Contractus, qui in silentio expediri possunt. Porro pœna mercatum in Ecclesia exercentium, cùm Jure taxata non sit, arbitraria erit, & à Judice pro varietate circumstantiarum, & gravitate delicti infligenda.

82 *Difficultas est*, an, & quomodo excusari possit venditio candelarum, & aliarum rerum pietati fidelium inservientium, quæ multis in locis in Templis, & Cœmeterijs Templorum fit? Pal. *l. cit.* cum *Navarro* existimat, si res istæ in Templo vendantur permanenter, & quasi appositâ mensâ, à peccato non excusari; an verò grave, vel leve sit, ex modo vendendi, & perturbatione Divinorum Officiorum desumendum esse. *D. Antoninus, Sylvester, Cajetanus*, & alij à Navarro relati excusant à peccato. Ego cum Joan. Azor *p. 2. l. 9. c. 9. q. 5.* Passerin. *in c. 1. h. tit. in 6. n. 11.* Pirh. *hic n. 12.* Schambog. *n. 15.* Wiestner. *n. 5.* judico, si venditio istarum rerum celebretur in Cœmeterio, vel ad portam Templi sine verborum strepitu, & contentione pretij, omnino licitam esse; tum quia id habet universalis locorum ferè omnium consuetudo, tum quia cessat prohibitionis ratio, quæ est perturbatio Divinorum Officiorum.

83 Dub. 3. quinam alij actus profani prohibiti sint in Ecclesia? R. 1. prohibentur *Universitatum, & societatum quarumlibet concilia, conciones, & publica Parlamenta*, ut habetur *c. decet 2. h. tit. in 6.* intelige, si talia sint, quibus res, & negotia merè profana, & politica pertractantur; nam Synodi, & Concilia Ecclesiastica, aliique tractatus de rebus, ad Religionem, pietatem, morúmque reformationem pertinentibus, institui in Ecclesijs non prohibentur. Joan. Andr. *in c. decet cit. n. 7.* Suar. *tom. 1. de Relig. tr. 2. l. 3. c. 4. n. 16. & c. 6. n. 5.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 14.* Passerin. *in c. 1. h. tit. in 6. n. 9.* Engl *hic n. 4.* Pirh. *n. 12.* Schambog. *n. 16.* Wiest. *n. 6. Controversia* est inter DD. an allegata verba *c. decet cit.* contineant veram, & grorosam prohibitionem? *Navarrus, Angelus, Tabiena Sylvester* putant non continere, nisi hoc fiat ex contemptu, & cum notabili impedimento Divinorum Officiorum. At Pal. *tr. 11. D. un. p. 4. n. 2.* existimat probabiliùs continere verum præceptum; quia aliàs Ordinarij non possent subditos per Censuras compescere.

84 2. Prohibentur Ludi Theatrales, & Spectacula, nisi ad pietatem sint comparata *can. cantantes 1. dist 92 c. cùm decorem 12. de Vit. & honest.* Trid. *sess. 22. Decret. de observ. & evit. in celebr. Miss. v. ab Ecclesijs*, Sylv. *V. immunitas 1. q. 2. n. 7. dist. 8.* Azor *p. 2. l. 9. c. 9. q. 8. & item ludi.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. à n. 15.* Passerin. *in c. 1. h. tit. in 6. n. 8.* Pirh. *hic n. 4.* Schambog. *n. 17.* Wiestner *n. 7.*

3. Prohibetur, ne in Ecclesijs admittantur supellectilia tam Clericorum, quàm Laicorum custodienda, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes ad eas oporteat habere refugium *c. fin. de custod. Eucha.* Azor *q. 8. cit.* Barbos. *n 25.* Vall. *n. 3.* Wiest. *n. 8.* Sed hoc, ut *Suarez* advertit, intelligendum est de sola Ecclesia, non de Sacristia, aut alijs locis annexis. Videatur *Lit. 44. n. 13.*

4. Prohibetur, ne in Ecclesijs, vel 85
Cœmeterijs illarum exerceantur alij actus profani, uti sunt titurare segetes, comprimere uvas, celebrare convivia &c. Fagund. *l. 4. c. 4. n. 10.* Barbos. *n. 26.* cum *citt.* quia indecentiam continent maximam, & ideo circumstantia loci explicanda est in Confessione, si excessus adeo magnus sit, ut Sacrilegium contineat. Addit *Corduba Sylvestrum* sequens, per actus, qui de se non sunt mortales, nec Jure Ecclesiastico prohibiti sub mortali, non committi Sacrilegium, si fiant in loco Sacro.

5. Multo magis prohibitum est, ne 86
Ecclesia convertatur ad usus belli, ut in illa munitio constituatur, & ædificetur in modum Castri; nam si causæ sanguinis in Ecclesia non sunt tractandæ, multo minùs in ea constituendus est locus ad effundendum sanguinem, & homicidia facienda deputatus. Azor *q. 6.* Vall. *n. 3.* cum *Innoc. Abb. Sylv.* qui excipiunt casum necessitatis occurrentis in bello defensivo; tunc enim id licet, accedente tamen consensu Episcopi.

6. Tam Ecclesiæ, quàm Monaste 87
ria; & Clericorum domus immunes esse debent ab onere hospitandi *c. ut in domibus 1. h. tit.* Abb. *ibid. n. 4.* Azor *q. 8.* Barbos. *in c. 1. cit. n. 4.* Pirh. *hic n. 10. not 2.* Wiest. *n. 9.* cum communi. *Excipitur* Patronus, vel alius Benefactor, qui in fundationis, vel beneficij recognitionem loco Censûs hospitij jus cum Episcopi consensu sibi reservavit *arg. can. Eleutherius 30. caus. 18. q. 2.*

7. Denique prohibentur ab Ecclesijs extrahi confugientes ad illas: quod est præcipuum privilegium, quod Ecclesiæ ratione Immunitatis Localis habet, & *Asylia*, seu *Jus Asyli* dicitur: & de hoc

Quæritur 3. quid sit *Jus Asyli*, seu 88
Asylia? R. est *securitas*, sive *privilegium Immunitatis ab extractione, & omni alia violentia externa, quam ejusmodi locus ad se confugientibus præstat.* Ita quoad sensum omnes. Competit aliquando locis merè profanis, præcipuè verò Sacris,

cris, & Religiosis: hisque Jure antiquissimo; nam etiam apud Ethnicos Aræ, & Templa illorum Immunitate ista gaudebant.

89 Dub. 1. an bene Jus Asyliæ, præsertim ita amplum, ut infrà videbimus, constitutum sit? Dubitant etiam ex Orthodoxis quidam. *Fundantur* 1. Quia noxia est Reip. dum delictis impunitatem præstat. 2. Quia hac ipsa impunitate occasionem delinquendi præbet. 3. Quia nocentis extractio nullo modo repugnat Sanctitati loci, sed potiùs eidem congruit, cùm ut *can. quali nos 44. caus. 23. q. 5.* dicitur, *non fit quidquam majus, unde Deo Sacrificium possit offerri quàm si id ordinetur, ut hi, qui in suam, & aliorum perniciem debacchantur, competenti vigore compescantur.*

90 Sed dicendum cum cæteris Orthodoxis DD. optimo Jure Sacram Asyliam, etiam in ea latitudine, prout nunc est, spectatam, constitutam esse. Omnium DD. loco sit S. Augustinus *serm. 5. de Dedic. Eccl.* ubi *Grandem*, inquit, *injuriam Religionis, & Divinitatis offensam esse, qualemcunque fugientem ad Domum Dei à Sacris Liminibus, i. e. de sinu Matris evellere, & Arcam communis expugnare perfugij.* Ratio est, quia Asyli privilegium Sacris, & Religiosis locis concessum est, non, ut favor delinquentibus, horúmque delictis præstaretur, sed intuitu Religionis, & Fidei Christianæ, cujus favor publicus est, & præcipuè attendendus, cùm *summa sit ratio, quæ facit pro Religione*, prout dicitur *l. sunt personæ 43. ff. de Religios. & sumpt. funer. Conf.* quia rei Christianæ plurimùm interest, Ethnicorum Aras, & Statuas non videri potiores Templis, & Altaribus vero Numini consecratis. igitur si piaculum fuit abstrahere ab Altaribus, & Statuis Idolorum eos, qui supplicio rum, ob scelera sua commeritorum, metu ad illa confugerant, multo magis defendi oportet à violentia eos, qui confugiunt ad Templa, & Altaria Christianorum.

91 Neque contrarium probant Argumenta partis adversæ. *Ad 1.* inprimis contra ejusmodi confugas procedi potest propositis pœnis infamiæ, proscriptionis, & confiscationis bonorum omnium: imò si crimen exceptum sit, quod Asylo confugientem excludat, etiam mortis. Deinde immeritò supponitur, quòd Reipublicæ quies, & tranquillitas exigat, ut nullum unquam delictum sit impunitum; aliàs nec Deus Asyla potuisset constituere, vel illa constituendo malo publico constituisset, quod dicere blasphemum est. *Ad 2.* occasio delinquendi, quam ex Asylia Sacra homines perversi aliquando arripiunt, per accidens est; eam enim licèt Ecclesia ex justa causa aliquando permittat, non tamen intendit, sed potiùs vult, quantum in se est, nullum crimen à quoquam perpetrari. *Ad 3.* id verum est, quando reum à supplicio nulla alia causa defendit.

Dub. 2. quo Jure Privilegium Asyliæ competat locis Sacris? Tres sunt sententiæ. *Prima* vult illud competere Jure naturali. Ita nonnulli apud Delben. *de Immunit. c. 16. dub. 2. n. 2. Fundantur* 1. quia Cultus Dei pertinet ad Jus naturale. ergo etiam Jus Asyliæ, quod cum respectu ad Cultum Divinum locis Sacris conceditur. 2. Quia nisi Immunitas hæc à Jure naturali constituta fuisset, in eandem non conspirâssent tot, támque variæ, & rerum primordio tam vicinæ Gentes. 92

Secunda docet Asyla Sacra constituta esse Jure Divino positivo. Ita Igneus *in l. 1. n. 26. ff. ad Syllan.* Decius *in c. Ecclesiæ 10. de Constit. n. 14.* Tusch. *practic. V. Ecclesia concl. 8. n. 4.* Farin. *in Append. de Immunit. c. 2. n. 9.* & videtur hoc erui ex Trid. *sess. 25. c. 20. de reform.* ubi ait, *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam esse.*

Tertia, & verior sententia originem Asyliæ in nova Lege tribuit Juri humano tum Ecclesiastico, tum Civili. Ita Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 2. concl. 1. 2. & 3.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 3. c. 8. n. 9.* Decian. *tr. crimin. l. 6. c. 25. n. 2.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 1. q. 1.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 5. num. 2.* Ambrosin. *de Immun. & libert. Eccl. c. 1. n. 3. V. cùm certum sit.* Guazzin. *defens. reor. 1. c. 29. n. 2.* Canis. *in c. 1. h. tit. n. 10.* Wagnereck *in c. inter alia 6. eod. not. 1.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 141.* Zœs. *hìc n. 6.* Engl *n. 7.* Pirh. *n. 15.* Schambog. *n. 21.* König *n. 2.* Wiest. *n. 21. & trib. seqq.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Jur. Eccl. c. 4. n. 16.* cum communi cæterorum. 93

Quòd *Jure Naturali* Asylia Ecclesijs, & locis Sacris non competat, patet ex eo, quia non est per se, & intrinsecè malum malefactores ex Templo per vim extrahere; aliàs neque in casibus exceptis hoc esset licitum. *Accedit*, quia Jus naturale semper, & ubique idem, ac immutabile est. non autem fuit, vel est semper, & ubique facinorosis ad Templa confugientibus æquè securus receptus; quia pro temporum, & locorum varietate varius & ipse fuit.

Quòd etiam non competat Jure positivo Divino, inde ostenditur; quia tale Jus neque scriptum est, neque Apostolis traditum esse ex Patribus, aut aliâ viâ ostenditur; Jus autem antiquæ Legis, quo Asyla à Deo sunt constituta, ceremoniale, vel Judiciale duntaxat fuit; conf. morte Christi extinctum *c. translato 3. de Constit.* 94

Quòd denique constituta sit Jure positivo humano, patet ex textibus utriusque Juris, Civilis quidem *toto Tit. C. de his, qui ad Eccl. confug.* Ecclesiastici autem *can. eos qui 6. dist. 87. can. sicut antiquitus 6. can. minor*

ror 8. can. reum 9. can. nullus Clericorum 19. can. siquis contumax. 20. can. id constitutimus 36. cauſ. 17. q. 4. c. inter alia 6. c. Eccleſiæ 9. &c. h. tit. quæ, aliáque ejuſmodi Jura antiquiora roboravit, & ad unam formam reduxit Gregorius Papa XIV. *Conſt.* incipit, *Cùm aliàs editâ 9. Calend. Jun. 1591. Pontificatus ſui primo.*

95 Neque contrarium probant Argumenta præcedentium duarum opinionum. *Ad 1. Argumentum primæ Sententiæ*, eo plus non probatur, quàm quòd admodum conſentaneum ſit dignitati loci Sacri, ut ei privilegium hoc concedatur. *Ad 2.* ob dictam convenientiam ex naturæ inſtinctu pleræque Gentes ſecuritatem Aſyli induxerunt; neque enim ſemper præceptum Jure naturali eſt, quod natura dictat eſſe valde conveniens. *Ad textum Trid.* dico, eo plus non probari, quàm quòd Aſyla ad imitationem Legis Divinæ Veteris, aut inſtinctu Dei, & accepta ab eo poteſtate ſint conſtituta. Imò non deſunt, qui velint, textum *cit.* non de locorum Sacrorum Aſylis, ſed de Immunitate Eccleſiaſticarum perſonarum, & rerum ad Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas pertinentium loqui, quæ proprio nomine *Eccleſiaſtica Libertas* dicitur.

96 Dub. 3. an memorata Conſtitutio Gregoriana locum habeat in omnibus Provincijs? Non deſunt, qui defendunt negativam, triplici Argumento ducti. 1. Quia in Bulla hac Pontifex intendit ſolùm occurrere incommodis, ortis ex varietate, & uſu facultatum, ac Indultorum conceſſorum à Sixto V. & Pio V. hæc autem conceſſa ſunt duntaxat particularibus locis, ergo & Bulla hæc pro ijſdem facta eſt. 2. Quia Leges tam Eccleſiaſticæ, quàm Civiles non obligant, niſi fuerint promulgatæ *can. in iſtis 3. §. Leges diſt. 4. l. Leges 9. C. de Legib.* atqui Conſtitutio hæc Gregoriana non ubique, & fortaſſis in ſola Italia, & Romæ tantùm eſt promulgata. 3. Quia dictæ Conſtitutioni, & alijs Juribus, Sacram Aſyliam ſpectantibus, derogatum eſt conſuetudine, quâ Jus Aſyli Eccleſijs competens alicubi ſublatum, paſſim verò reſtrictum eſt teſte Tholoſan. *c. 22. n. 2.* Clar. *§. fin. q. 30. n. 3.*

97 Sed dicendum Conſtitutionem hanc vim habere in Orbe Chriſtiano univerſo, ita, ut ejus diſpoſitione ſtandum ſit in utroque foro. Ita teſte Delben. *de Immun. c. 16. dub. 4. n. 2.* communiter ſentiunt DD. qui poſt editam *Conſtit. cit.* ſcripſerunt, & clarè ſatis colligitur ex ipſa *conſtit.* ubi Pontifex ſine limitatione ad certum locum, vel Provincias, generaliter, *Volumus*, inquit, *quando præſens temporum calamitas, & nimia perverſorum hominum malitia expoſcit, aliquid permittere, circa Immunitatem Eccleſiarum, ultra id, quod à priſca illa majorum diſciplina, & à SS. Canonibus eſt præſcriptum.* Et ut porro de mente Pontificis nullum reſtaret dubium, poſt principium *cit. Conſtit.* apertè fatetur, quòd in ea intendat præſcribere Regulam uniformiter obſervandam ab omnibus, ſublatâ omni differentiâ, atqui jam eſſet differentia, ſi dicta Conſtitutio non obligaret Orbem Chriſtianum univerſum.

Ex quo patet *ad 1. Argumentum* Sen- 98
tentiæ adverſæ: & confirmatur etiam ex eo; nam Pontifex ex ea ſolùm cauſa contrarias conſuetudines, Statuta, & interpretationes DD. ſuſtulit, ut uniformis ubique circa Immunitatem Eccleſiaſticam obſervantia eſſet. *Ad 2.* patet ex dictis *Libr. 1. Tit. 2. n. 28.* non requiri, ut Conſtitutiones Apoſtolicæ promulgentur in univerſis Provincijs, vel Diœceſibus, ſed ſufficere, ſi publicentur in Curia Romana, & affigantur in acie Campi Floræ, atque ad valvas Baſilicæ B. B. Apoſtolorum. *Ad 3.* imprimis uterque DD. *cit.* ſcripſit ante editam Conſtitutionem Gregorianam; conſ. de contraria huic conſuetudine teſtimonium perhibere non potuerunt. Deinde non deſunt, qui, ut *n. ſeq.* videbimus, negant dictæ Conſtitutioni per conſuetudinem derogari poſſe: quod etſi probabiliùs verum non ſit, ut oſtendetur *n. 100.* tamen ſatis certum videtur defacto derogatum non eſſe: unde aſſerenti incumbet onus oſtendendi locum, ubi derogatum eidem ſit.

Dub. 4. an hoc Aſyliæ Jus per con- 99
ſuetudinem tolli, vel diminui poſſit? Negat Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 10. n. 2.* ubi citat pro ſe *Gutier. Ambroſin. Farin. Peregrin. Marium Italia &c.* quorum ſententiam probabiliorem putat Delben. *de Immun. Eccl. c. 16. dub. 6. n. 3.* Colligunt hoc ex *Conſt. Gregorian.* ſuprà allegatæ verbis; dicit enim *ibidem* Pontifex, 1. quòd velit, *ſublatâ penitus omni* (adeoque etiam per conſuetudinem inductâ) *differentiâ*, omnia Jura *ad unam tantùm formam reducere.* 2. Addit, *quòd ſiquis quacumque Dignitate, & authoritate præditus præmiſſorum* (h. e. privilegiorum, Indultorum, & gratiarum) *aut quovis alio* (conſ. etiam conſuetudinis) *prætextu, quidquam præter, aut contra hujus - - - Conſtitutionis tenorem attentare præſumpſerit, ipſo facto Cenſuras, & pœnas eaſdem* (quas extrahentes) *incurrat.* 3. Circa initium *V. Quare pro commiſſo* indicat, intentionem ſuam eſſe, *omnem dubitandi, ac perperam interpretandi occaſionem ſubmovere, abuſus tollere &c.* Conf. ex Trid. *ſeſſ. 25. c. 20. de reform.* ubi dum Sanctiones Apoſtolicas, *in favorem Eccleſiaſticarum perſonarum, & Libertatis Eccleſiaſticæ, contra ejus violatores editas exactè ab omnibus obſervari* præcipit, conſuetudines contrarias videtur annullare: & ex *conſtit. Urbani VIII.* incipit, *Romanus Pontifex editâ 5. Jun. 1641.* ubi annullat, reprobat, & nullas, ac reprobas ſem-

per fuisse declarat omnes consuetudines contra Immunitatem Ecclesiasticam militantes.

100 Sed probabiliùs affirmant Abb. *in c. inter alia 6. h. tit. n. 13. ante fin.* Covar. *c. 2. var. c. 20. n. 4.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 2. fin.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 82.* Guazzin. *defens. reor. 1. c. 34. n. 1.* Wiest. *hic n. 36.* Ratio est 1. quia hoc habent omnes Leges, quæ non Jure naturali, aut positivo Divino, sed humano solùm Ecclesiæ, vel Civili sunt introductæ, ut tolli per consuetudinem legitimè præscriptam possint: quare igitur non etiam Lex concedens hanc Immunitatem? 2. Constitutioni huic, & Immunitati per eam concessæ derogari potest per Legem, ergo etiam per consuetudinem, cui Legis vis adstruitur *l. diuturna 33. ff. de Legib.* nisi illa sit reprobata, & irrationabilis, atqui consuetudo contra Immunitatem nuspiam est reprobata, rationabilem autem illam facere possunt circumstantiæ loci, temporis &c. 3. Defacto consuetudo sustulit Immunitatem Ecclesiasticam, antiquo Jure extensam ad 40. vel 30. passus, ut jam intra illud spatium rei criminum capitalium non ampliùs defendantur: imò alicubi simplices etiam fures Immunitate non gaudent, ut cum *cit.* Barbos. testis est Pal. *tr. 11. D. un. p. 5. n. 5.*

101 Neque contrarium probatur ex verbis Constitutionis Gregorianæ allegatis pro adversa sententia; nam ex ijs solùm evincitur, quòd per eam sublatæ sint consuetudines eo tempore existentes, non verò inducendæ in futurum: quæ tamen, quia quid facti sunt, non præsumuntur, sed probari debent esse legitimo modo inductæ, ut attentari aliquid contra Constitutionem *cit.* possit. *Ad Conf.* Trid. & Pontifex *l. citt.* non loquitur de Immunitate locali, sed personali solùm, & reali, quæ Ecclesiasticas Personas, earúmque, & Ecclesiarum res, bona, & Jura respicit, ut facilè patebit expendenti textus allegatos.

102 Dub. 5. qualis Interpretatio, stricta, an lata adhibenda sit, quando dubitatur, an reus Asylo gaudeat? Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 4. v. secundum in fin.* Curtell, *de immunit. l. 1. q. 4. n. 18.* Decian. *tr. crim. l. 6. c. 25. n. 14.* Card. de Luca *Theatr. V. & J. de Immunit. Discurs. 2. n. 6.* & *Disc. 10. n. 10.* volunt adhibendam interpretationem strictam. *Rationem dant 1.* quia Immunitas hæc derogat Juri communi, imò & naturali, quo cavetur, ne delicta maneant impunita. 2. Quia hac Immunitate audaciores redduntur improbi ad crimina committenda. 3. Quia Ecclesia favere intendit non sceleratis, sed miseris, & casu delinquentibus. 4. Quia ob frequentiam, & vicinitatem Ecclesiarum, & Domorum Regularium in Civitatibus, ac locis frequentatis facinorosi semper invenirent tutelam. 5. Quia in concursu boni publici, ac privati præferendum est publicum. atqui publici boni ratio exigit puniri scelera. ergo immunitas piorum locorum, saltem casu, quo dubium est, an reus eâdem gaudeat, secundùm boni publici exigentiam est potiùs restringenda, quàm ob favorem privatum delinquentium extendenda.

Verùm his non obstantibus, dicen- 103
dum, in expositione Jurium Immunitatem spectantium, non quidem recedendum esse à propria, & communiter usitata significatione verborum, si tamen omnibus consideratis, dubium sit, an reus Asylo gaudeat, præferendam interpretationem latam, & favorabiliorem reo, ad hujusmodi loca sacra sese recipienti. Ita Marius Italia *l. 1. de Immunit. c. 2. n. 21.* Ambrosin. *tr. simil. c. 10. n. 7.* Decian. *l. 3. conf. 80. à n. 19.* sibi contrarius. Farin. *append. de Immun. c. 2. n. 21.* Delben. *de Immun. Eccl. c. 16. dub. 3. n. 3.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 90.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 144.* Wiest. *hic n. 42.* & hoc teste præcipui nominis DD. *Ratio est 1.* quia est de causa pia, & favorabili Ecclesiæ; nam hujus potiùs reverentiâ, quàm facinorosorum favore constituta in illa à Jure est Asylia. 2. Est privilegium, & beneficium â Principe utriusque Reip. concessum, & Corpori Juris communis insertum, quod latam interpretationem accipit. 3. Quia lata hujusmodi interpretatio nemini in particulari præjudicat, imò fundamentum in usu recepto habet, quo tutus est confuga etiam in atrio, vel porticu templi consistens, aut ansam portæ ejusdem tenens, non aliâ profectò ex causâ, quàm quòd latæ interpretationis privilegium istud sit; in odiosis enim atrium, & porticus non comprehenduntur Ecclesiæ nomine.

Argumenta in contrarium allata non 104
probant efficaciter intentum. *Ad 1.* Jus commune solùm præcipit puniri reum, nisi excipiatur à pœna per privilegium. *Ad 2.* quòd aliqui spe Immunitatis audaciores fiant, per accidens est, & propter abusum usus tolli non debet. *Ad 3.* Ecclesia utriusque favere intendit non tam intuitu personarum propriarum, quàm, ut antea dixi, intuitu sanctitatis loci, cui primariò, & principaliter concessa Immunitas est. *Ad 4.* Ecclesiarum, & Domorum Regularium frequentia, & vicinia non facit, ut ipsis, & cujus Cultui dicata sunt, Divino Numini minùs reverentiæ, & honoris debeatur; conf. etiam non minuit, vel restringit Asyliam, & quæ hanc concernunt, Jura, cùm & ipsa intuitu Cultûs Divini concessa sint. *Ad 5.* etiam Immunitas concessa est in favorem Religionis, cujus summa est ratio *l. sunt personæ 43. ff. de Relig. & sumpt. fun.*

Dub.

105 Dub. 6. an cùm Jus Civile, & Canonicum in casu Immunitatis non concordant, interpretatio facienda sit secundùm Jus Civile, an verò secundùm Jus Canonicum? Angel. *de maleficijs V. quod fama n. 59.* Alciat. *de præsumpt. Reg. 3. præsumpt. 33. n. 5.* & quidam alij putant eo casu in terris dominio Ecclesiæ temporali subjectis observandum Jus Canonicum, Civile autem in terris Imperij saltem in sæculari foro.

Sed melius Alberic. *in Rubr. C: de bis, qui confugiunt &c.* Alex. *l. 7. cons. 45. n. 2.* Boërius *Decis. 109. n. 3. fin.* Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 3.* Curtell. *de Immun. Eccl. l. 1. q. 32. n. 27.* Peregrin. *de Immun. c. 7. n. 19.* Suar. *tom. 1. de Relig. tr. 2. l. 3. c. 8. n. 11.* Farin. *Append. de Immun. c. 2. n. 28.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 5. n. 4.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 29. n. 8.* Delben. *de Immunit. c. 16. dub. 5. n. 1. & seqq.* Canis. *in c. 1. h. tit. n. 22.* Fagnan. *in c. inter alia 6. eod. n. 37.* Gonzal. *ibid. n. 2.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 143.* Pignatell. *tom. 5. consult. 5. n. 77.* Wiest. *hic n. 40.* & hoc teste plerique melioris notæ DD. sentiunt, Jus Canonicum in hac materia ubilibet servandum, & secundùm illud occurrentes controversias in foro utroque decidendas. *Ratio est*, quia hæc materia est Ecclesiastica, in qua Jus Civile nullam Jurisdictionem habet, nisi ad fovendam dispositionem Juris Canonici. *Accedit*, quia Judex Sæcularis compelli à Judice Ecclesiastico potest, ut is Leges Ecclesiasticas, forum suum respicientes, servet *c. sæculares 2. de for. compet. in 6. c. decernimus 8. de sent. Excom. eod.* & *Clem. 1. de pæn. & remiss.*

106 Sed quid, si dubium aliquod oriatur super interpretatione Juris Canonici? R. tum, ut rectè cum *Farin. Decian.* & alijs DD. Pal. *n. 4. cit.* & Delben. *cit. dub. 5. n. 6.* monent, illa interpretatio sequenda est, quæ cum Jure Civili convenit; nam Jura Juribus convenire decet, & Jurium correctio, quoad fieri potest, vitanda est. Hæc tamen explicatio, & declaratio non à Judice Sæculari, sed Ecclesiastico facienda est, cùm privilegium Ecclesiæ datum tangat. Delben. *n. 8.* cum *Farin.* & alijs *suprà* allegatis.

§. III.

De Locis, Sacri Asyli Jure gaudentibus.

SUMMARIUM.

107. *Jus Asyliæ competit Ecclesijs, & earum Cœmeterijs.*
108. *Hospitalibus, & Conventibus Regularium.*
109. *Oratorijs Episcopi authoritate erectis.*
110. *Domui, seu Palatio Episcopi.*
111. *Et reliquis locis Sacris, ac Religiosis.*
112. *Ecclesia, ut Asylo gaudeat, non debet necessariò esse consecrata.*
113. *Vel benedicta.*
114. *Aut plenè constructa.*
115. *An necessarium sit, ut in ea Divina sint celebrata?*
116. *Deciditur negativa.*
117. *Ratio decisionis.*
118. *Respondetur ad opposita.*
119. *An Asylià gaudeat Ecclesia interdicta?*
120. *Polluta, & nondum reconciliata?*
121. *Destructa?*
122. *Quousque se extendat Privilegium hoc concessum Ecclesijs, & hujusmodi locis pijs?*
123. *An tutus sit apprehendens januam Ecclesiæ clausam?*
124. *Existens supra ejusdem tectum?*
125. *Confugiens ad ejus scalas?*
126. *Evadens in murum illius?*
127. *Immunitate gaudent Sacristia, porticus, atrium &c. Ecclesiæ.*
128. *Horti, area &c. Monasteriorum.*
129. *Quid dicendum de spatio 40. vel 30. passuum?*
130. *Respondetur ad Rationem dubitandi.*
131. *Utrum Jure Asyli gaudeant Oratoria privata?*
132. *Ratio decidendi.*
133. *Quid præsumendum, quando dubium est, qua authoritate erectum sit Oratorium?*
134. *An Jus Asyli habeat Domus Episcopi existens extra 40. passus?*
135. *Quid si Capellam non habeat?*
136. *Deciditur affirmativa.*
137. *Explicatur decisio.*
138. *Solvuntur Argumenta contraria.*
139. 140. *An privilegium Asyli habeant Palatia Cardinalium?*
141. *Vel Oratores supremorum Principum in suis domibus?*
142. *An immunis sit, cui Cardinalis occurrens imponit galerum rubrum?*
143. 144. 145. *Fugiens ad Tabernaculum Eucharistiæ, vel ad Sacerdotem, qui portat ad infirmum S. Viaticum?*
146. *Vel Oleum Sacrum?*
147. 148. 149. *Aut qui confugit ad Altare portatile, & secum illud aufert?*
150. 151. *Utrum Jure Asyli gaudeat Crux erecta in via, vel Reliquiæ Sanctorum?*
152. 153. *Aut Statutæ Principum?*

107 QUæritur 1. quibus Locis Sacris Jus Asyliæ competat? R. 1. & principaliter Jus istud competit *Ecclesijs*, Episcopi authoritate erectis. Sic omnes DD. & manifestum est ex utroque Jure.

2. *Cœmeterio*, prout patet ex *Rubr. & c. fin. h. tit.* Et hoc intelligendum est non tantùm de Cœmeterio contiguo Ecclesiæ, sed etiam de separato; nam hoc ipso, quòd fidelium sepulturæ destinatum sit, præsumitur esse benedictum, & Episcopi authoritate sacratum. Navarr. *Man. c. 25. ℣. Cœmeterium*, Germon. *de Sacror. Immunit. l. 3. n. 31. & seqq.* Marius Italia *de Immun. Eccl. l. 1. c. 4. §. 7. n. 28. & seqq.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 196.* Canis. *in c. 1. h. tit. n. 3.* Barbos. *in c. 7. h. tit. n. 6. & l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 63.* Delben. *de Immun. c. 16. dub. 9. sect. 9. n. 2.* Engl *hic n. 10. ℣. quòd verò*, Schamb. *ibid. n. 10.* König *n. 5.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Jur. Eccl. c. 4. n. 23.*

108 3. *Hospitali*, si Episcopi authoritate erectum sit, & cum Altari ad celebrandum; quia est locus Sacer, & Religiosus *c. adhæc 4. de Relig. Domib.* ac propterea omnia privilegia, Ecclesijs concessa, etiam ad hujusmodi Hospitalia porriguntur *l. omnia 35. C. de Episc. & Cleric.* Decian. *tr. crim. l. 6. c. 24. n. 32.* Franc. Leo *Thes. for. Eccl. p. 1. c. 13. Rubr. de Immun. Eccl. n. 8.* Mar. Ital. *c. 4. cit. §. 8. n. 1. & 2. ℣. unicum adhuc*, Farin. *Append. de Immun. c. 17. n. 265.*

4. *Monasterijs, Conventibus*, & *Collegijs Regularium*, ut patet ex Constitutione Gregoriana ibi, *Super abducendis, vel extrahendis ab Ecclesijs, Monasterijs, Sacellis, Domibus Regularibus, & Sæcularibus &c.* & ratio est, quia sunt loca Divinis obsequijs deputata, propter quam potissimum causam Ecclesijs nondum consecratis immunitas adstruitur *c. Ecclesiæ 9. h. tit.*

109 5. *Oratorijs*, etiam quæ erecta sunt in domibus privatis, si Episcopi authoritate erecta sint; nam tunc Cultui Divino perpetuò sunt deputata, neque ad usus profanos redire possunt, ac proinde sunt Loca propriè Religiosa. Host. *in c. Ecclesiæ cit. ante n. 1. ℣. Unde Oratoria*, Joan. Andr. *ibid. V. Ecclesia n. 1.* Ancharan. *n. 2.* Ant. de Butr. *n. 3.* Abb. *n. 7. ℣. secundò quæritur.* Barbos. *n. 10.* Fagnan. *n. 23.* Gonzal. *n. 2.* quibus consentiunt Azor *p. 2. l. 9. c. 8. q. 3.* Suar. *l. 3. c. 9. n. 10.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 2.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 6. n. 19.* Guazzin. *defens. reor. 1. c. 37. n. 29.* Farin. *c. 17. cit. n. 267.* Delben. *sect. 9. cit. n. 4.* Pirh. *hìc n. 4.* Schambog. *n. 10.* Wiestner *n. 61.*

110 6. *Domui*, seu *Palatio Episcopi*. Patet *ex can. id constituimus 36. caus. 17. q. 4. & ibi* Gloss. *V. vel domo.* Et hoc verum est, etiamsi Episcopus sit absens, & mortuus, modò non sit alteri locata domus. Mar. Ital. *c. 4. cit. §. 9. n. 4.* Laym. *n. 2.* Jordan. *n. 200.* Pal. *n. 20.* Barbos. *n. 70.* Pal. *n. 20.* Delben. *sect. 14. n. 2.* Farin. *n. 270.* Illsung. *tr. 5. D. 2. n. 258.* König *hìc n. 8.* Wiestner *n. 70.* & alij apud istos. Imò ex Decreto S. Congr. *10. Dec. 1658. in una Forlimpopuli* immunitate gaudet etiam Domus Parochi, teste Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 24. n. 25.*

7. Denique Jus Immunitatis compe- 111
tit etiam omnibus alijs locis, quæ Jure Canonico Religiosa censentur, etsi Sacra non sint, ut habetur *c. adhæc cit.* & *l. omnia 35. C. de Episc. & Cleric.* & *l. citt.* notant. Abb. *n. 6.* Azor *q. 2.* Suar. *n. 9.* Jordan. *n. 213.* Laym. *n. 3.* Barbos. *n. 77.* Pirh. *n. 4.* Schambog. *n. 10.* Wagnereck *in c. inter alia not. 6.*

Quæritur 2. quibus Ecclesijs com 112
petat Jus Asyli? Et 1. quidem dubitatur, an Jus Asyli habeat Ecclesia nondum consecrata, nondum benedicta, vel nondum plenè constructa?

Ad 1. dico non esse opus, ut Ecclesia ejusmodi sit consecrata, si authoritate Episcopi erecta, & ad publicum Sacrificij, & Sacramentorum usum, ac Divina Officia celebranda sit deputata, prout statuitur expressè *c. Ecclesiæ 9. h. tit.* & notat *ibid.* Gloss. *V. adimitur.* Host. *ante n. 1. V. eod.* Joan. Andr. *n. 1.* Abb. *n. 1. & seqq.* Angel. *V. immunitas n. 25.* Sylv. *V. eod. 1. n. 2.* Tabien. *n. 15.* Armill. *n. 19.* Azor *p. 2. l. 9. c. 8. q. 1.* Suar. *l. 3. c. 3. n. 1. ℣. imò etiam.* Ambrosin. *de Immunit. c. 10. n. 2.* Franc. Leo *Thesaur. for. Eccl. p. 1. c. 13. n. 7.* Mar. Ital. *de Immun. l. 1. c. 4. §. 3. n. 12.* Farin. *Append. de Immunit. c. 17. num. 275.* Ratio est, quia ejusmodi deputatio instar consecrationis esse censetur: & sic talis Ecclesia jam haberi debet pro loco Sacro, & Religioso *can. præcepta 8.* junct. Gloss. *V. devotus de Consecr. dist. 1.* ideoque ad usus profanos, & humanos redire non debet *c. adhæc 4. de Relig. Domib.* Gloss. *fin. in c. 9. h. tit.*

Ad 2. eo privilegio etiam gaudet Ec- 113
clesia nondum benedicta, modò habeat alias conditiones, ad effectum hunc requisitas. Ita Suar. *l. 3. cit. c. 9. n. 2.* Vall. *hìc n. 4. ℣. hac porro*, Zœs. *n. 8.* Engl *n. 10.* Schambog. *n. 6.* König *n. 3.* cum *Abb. Angel. Sylv. Gregor. Lopez, Covarruvia*, & alijs pluribus. Colligitur ex *c. Ecclesiæ cit.* & hujus ratione; dicuntur enim ibi Ecclesiæ nondum consecratæ gaudere privilegio Immunitatis, quia Ecclesia, *obsequijs Divinis dedicata, nullius est temerarijs ausibus profanauda.* atqui potest Ecclesia aliqua sufficienter esse Divinis obsequijs dedicata, etiamsi benedicta non sit, si scilicet authoritate Episcopi, primum lapidem ponentis, ad usus Sacros sit deputata; tunc enim, ut *num. præc.* dictum est, jam est Icous Sacer, & jam ad

usus

usus profanos redire non ampliùs potest. ergo &c.

Ad 3. pariter non est necessarium, ut Ecclesia sit plenè constructa; quia ex quo ab Episcopo primus lapis positus, & loco Altaris, atque atrio designato, defixa ab eo Crux est, jam evasit locus Divinis obsequijs dicatus, ita, ut ad usus profanos redire non debeat *arg. can. nulli liceat 3. caus. 12. q. 2. c. adhæc 4. de Relig. Domib.* Abb. *in c. Ecclesiæ cit. n. 5.* Farin. *c. 17. cit. n. 261.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 185.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 2.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 62. fin.* Delben. *de Immun. c. 16. dub. 9. sect. 2. n. 1.* Fagnan. *in c. Ecclesiæ cit. n. 9.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 147.* Illsung. *tr. 5. D. 2. n. 256.* Schamb. *hic n. 6.* König *n. 3. fin.* Wiest. *n. 48.* cum communi DD.

115 Quæritur 3. utrum Privilegio Immunitatis gaudeant etiam illæ Ecclesiæ, in quibus Divina nondum sunt celebrata? Negant Gloss. *in c. Ecclesiæ 9. V. celebrantur h. tit.* Ant. de Butr. *ibid. n. 3.* Decian. *tr. crim. l. 6. c. 24. ℣. conciliando.* Ambrosin. *de Immun. c. 10. n. 2.* Imò teste Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 4.* & Tusch. *practic. V. Ecclesia concl. 9. n. 19.* non desunt, qui Asyli Jus negant etiam ijs Ecclesijs, in quibus Divina sunt celebrata, si in ijsdem S. Evcharistia non asservetur. *Posteriores* pro hac sua opinione allegant praxin: *priores* fundant sese *c. Ecclesiæ cit.* verbis, ibi, *In qua Divina Mysteria celebrantur:* unde per Argumentum à sensu contrario inferunt, quòd si in Ecclesia non sunt adhuc Divina Mysteria celebrata, nondum gaudeat privilegio Immunitatis.

116 Sed standum est pro affirmativa, quam etiam defendunt Abb. *in c. Ecclesiæ cit. n. 5.* Sylv. *V. Immunitas 1. q. 1.* Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 4.* Clar. §. *fin. q. 30. n. 4.* Azor *p. 2. l. 9. c. 8. q. 1.* Suar. *l. 3. c. 9. n. 2.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 2.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 183.* Guazzin. *defens. reor. 1. c. 37. n. 2.* Farin. *Append. Immun. c. 17. n. 254. & 258.* Sperell. *decis. 62. n. 20.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 6. n. 3.* Delben. *de Immunit. c. 16. dub. 9. n. 9.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 59.* & *in c. Ecclesiæ cit. n. 2.* Vivian. *ibid. ℣. & quamvis.* Fagnan. *n. 9.* Gonzal. *n. 2.* Zoes. *hic n. 8.* Vallens. *n. 4 ℣. hæc porro,* Pirh. *n. 2.* Schambog. *n. 6. & 7.* Wiest. *n. 47.* König *n. 3.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 146.* Illsung *tr. 5. D. 2. n. 256.* Monacell. *Append. p. 1. fol. 287. n. 12.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Jur. Eccl. c. 4. n. 19.* & colligitur ex *c. adhæc 4. de Relig. Domib.*

117 *Ratio est*, quia causa, ob quam Immunitas Ecclesijs concessa est, est quia est locus Sacer, & Religiosus, ac Divino Cultui authoritate Episcopi deputatus. talis autem jam est, etiamsi Divina ibidem nondum sint celebrata, nec Sacra Evcharistia ibi asservetur. ergo &c. *Conf.* si talis Ecclesia polluta fuerit sanguinis, aut seminis humani effusione, reconciliatione indiget, ut probat *c. fin. de consecr. Eccl.* igitur locus Sacer, & Religiosus est; cons. Immunitate gaudet.

Neque obstant Argumenta adversæ partis. 118 *De praxi* magna est controversia, an legitima illa sit, vel uspiam extet. *Ad textum c. Ecclesiæ* allegatum Suar. *l. cit. n. 5.* & alij dicunt, intentionem Pontificis non fuisse, ut actualem Missæ celebrationem, in tali Ecclesia peractam, requireret tanquam conditionem *sine qua non*, sed tantùm voluisse, ut Ecclesia, quæ gauderet Immunitate, saltem esset apta, ut ibi celebrari possint Divina Mysteria. sit autem apta per publicam deputationem Episcopi. ergo &c.

Quæritur 4. an Privilegio Asyliæ gaudeat Ecclesia interdicta, polluta, destructa? 119 *R. ad 1.* affirmativè. Ita Abb. *in c. Ecclesiæ cit. n. 8.* Sylv. *V. Immunitas 1. q. 1. dict. 2.* Host. *in Summ. h. tit. n. 9.* Tusch. *practic. concl. V. Ecclesia concl. 9. n. 9.* Decian. *tr. crim. l. 6. c. 25. n. 20.* Azor *p. 2. l. 9. c. 8. q. 4.* Suar. *l. 3. c. 9. n. 6.* Farin. *Append. Immun. c. 17. n. 259.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 2.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 37. n. 33.* Delben. *c. 16. dub. 9. sect. 4. n. 1.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 187.* Canis. *in c. 1. h. tit. n. 21.* Fagnan. *in c. Ecclesiæ cit. n. 11. & 12.* Gonzal. *ibid. n. 2.* Barbos. *n. 3.* & *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 60.* Vallens. *hic n. 4. ℣. hac porro.* Zoes. *n. 8. ℣. quid si.* Honor. *n. 5.* Engl *n. 11.* Pirh. *n. 3.* Schamb. *n. 7.* Wiest. *n. 57.* Haun. *n. 148.* Illsung. *n. 256. Ratio est*; quia per Interdictum non cessat esse locus Sacer. atqui ob reverentiam loci Sacri Immunitas hæc constituta est. ergo &c. *Conf.* à simili; nam etsi Clericus aliquis sit interdictus, suspensus, excommunicatus, privilegium tamen Immunitatis, Clericis competens, nempe fori, & Canonis, retinet. ergo etiam Ecclesia, licèt sit interdicto subjecta, retinebit privilegium Immunitatis conveniens Ecclesijs cæteris, & locis Sacris.

Ad 2. iterum dicendum Asyliæ Jus 120 retinere etiam Ecclesiam pollutam, etiamsi nondum reconciliata sit. Ita Suar. *l. cit.* Laym. *n. 2. q. 2.* Pal. *p. 6. n. 7.* Delben. *s. 3. n. 1.* Jordan *n. 187.* Fagnan. *n. 13.* Gonzal. *n. 2.* Barbos. *n. 4.* Zoes. *n. 9.* cum cæteris *suprà. Ratio est*; quia nullum Jus extat, quod pollutam Ecclesiam spoliet hoc privilegio. atqui causæ inducentes effectum pœnalem plus non operantur, quam sit statutum in Jure, quod effectum pœnalem decernit ad talem causam. ergo &c. *Procedituque* hoc, etiamsi talis Ecclesia ab Hæreticis esset occupata, quia per hoc non cessat esse locus Sacer. Pirh. *n. 17. h. tit. fin.*

121 *Ad 3.* est adhibenda distinctio: Vel enim destructa est authoritate Superioris, & sine spe reædificationis, vel absque Superioris authoritate, aut cum illa quidem, sed cum spe reædificationis. *Si primum*, non ampliùs Immunitatem habet, cùm cesset hoc ipso esse locus Sacer, & fiat profanus, ut rectè advertunt Clar. §. *fin. q. 30. n. 6.* Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 4. n. 4.* Fagund. *l. 4. c. 4. n. 37.* Guazzin. *n. 34.* Delben. *sect. 5. n. 1.* Jordan. *n. 186.* Fagnan. *n. 13.* Barbos. *n. 5.* Engl *n. 10. ℣. item Ecclesia.* Pirh. *n. 3. ℣. imò.* Schambog. *n. 9.* Wiest. *n. 58.* cum alijs *suprà.* Neque obstat, quòd adhuc appelletur Ecclesia; hoc enim nomen non propriè ampliùs, sed vulgò solùm, & in sensu ampliativo eidem competit. *Si secundum*, & *tertium*, etiamnum Immunitate gaudet, ut cum DD. *citt.* notant Canis. *in c. 1. h. tit. n. 21.* Farin. *Append. Immun. c. 17. n. 260.* & ratio est, quia tunc locus, seu fundus manet Sacer §. *sacræ 8. fin. Instit. de rer. divis. l. in tantùm 6.* §. *Sacræ 3. ℣. semel. ff. eod. l. æde Sacra 73. pr. ff. de contrah. empt.* igitur etiam manet Privilegium Immunitatis.

122 Quæritur §. quousque se extendat Privilegium hoc Immunitatis, concessum Ecclesijs, & hujusmodi locis pijs? Sunt, qui nomine Ecclesiæ hìc solùm velint intelligi corpus ejus interius, sive spatium inter laterales parietes à pavimento usque ad fornicem, vel tabulatum; & ab eo, qui est postaram summam, usque ad parietem huic oppositum: & videtur hoc colligi à pari; quia sic etiam accipitur nomen Ecclesiæ, quando agitur de ejus violatione, ut dictum est *suprà Tit. 40. n. 81.*

Sed dicendum, casu, quo agitur de Immunitate, Ecclesiæ (& Monasterij) nomen accipiendum latè, prout non solùm ejus corpus, & spatium, sive ambitum Templi interiorem, sed totam ejus fabricam, eique exteriùs conjuncta, & ad id spectantia ædificia omnia complectitur. Ita decisum est utroque Jure, Civili *l. pateant 3. C. de his, qui confug. ad Eccl.* Canonico *can. siquis contumax 20. can. id constituimus 36. caus. 17. q. 4. Ratio est*; quia quæ Religiosis adhærent, Religiosa reputantur *l. sunt personæ 43. ff. de Relig. & sumpt. fun.* denominatione à principali extensa ad accessorium. *Reg. accessorium 42. in 6.*

123 *Atque hinc sequitur 1.* securum esse, qui ad Ecclesiam confugit, & quia portas ejusdem clausas reperit, vectem, seu ansam portæ manu apprehendit, & retinet. Ita Host. *in c. Ecclesiæ 9. n. 2. ℣. multò fortius h. tit.* Angel. *in Summ. V. Immunitas n. 18.* Sylv. *V. eod. 3. n. 1. fin.* Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 18.* Suar. *l. 3. c. 9. n. 10. ℣. tandem.* Ambrosin. *de Immun. c. 10. n. 1.* Mar. Ital. *de Immun. l. 1. c. 4.* §. *10. per tot.* Farin. *Append. Immun. c. 17. n. 275.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 3.* Delben. *c. 16. dub. 9. sect. 6. n. 6.* Wagnereck *in c. inter alia 6. h. tit. not. 5.* Barbos. *ibid. n. 8.* & *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 65.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 150.* Pignatell. *tom. 6. consult. 27. n. 6.* Zoes. *hic n. 10.* Pirh. *n. 17.* Engl *n. 10.* Ratio est, quia saltem adhærent Ecclesiæ. Et hoc verum est, etiamsi totum corpus sit extra locum Sacrum, & extra fines illius; nam & tunc adhuc illum esse tutum affirmat, & ita vidisse observari, & observâsse se, dum erat Assessor, testatur Decian. *tr. crim. l. 6. c. 25. n. 17. ad fin. ℣. & janua.*

124 2. Eâdem Immunitate gaudet, sit quis existat supra tectum Ecclesiæ, nam Ecclesia, & quælibet domus tum ex solo, tum ex tecto, ejúsque superficie constat *l. eum. qui 23. pr. ff. de Usucap.* Gloss. *ibidem V. constant.* Sperell. *decis. 63. n. 10.* Laym. *n. 3.* Delben. *n. 9.* Wagnereck *not. 5.* Barbos. *n. 66.* Haun. *n. 151.* Pignatell. *n. 10.* Wiestner *n. 53.* Et hoc adeo verum est, ut non possit delinquens capi per eam pallij, ut vestimenti partem, quæ prominet extra tectum, valvas, aut alium locum immunem; quia adhuc diceretur extrahi ex loco Sacro. Ita *l. citt.* Covar. *n. 17. ℣. trigesimò tertiò.* Azor *q. 5.* Suar. *n. 8.* Decian. *n. 17.* Delben. *n. 17. ℣. Et hoc.* Quin neque potest capi per eam corporis partem, quam delinquens habet extra locum Sacrum, ut si extrahatur brachio, vel pede, extra locum Sacrum extenso, reliquis corporis partibus intra locum Sacrum existentibus.

125 3. Ob easdem rationes tutus est confugiens ad scalas Ecclesiæ. *Angel. Tusch. Farin.* & sequitur Pal. *tr. 11. D. un. p. 6. n. 9.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 66.* Delben. *sect. 6. cit. n. 11.* Pirh. *hic n. 3.* Idem dicendum de eo, qui se recipit ad Campanile Ecclesiæ, licèt illud ab hac sejunctum sit. Dian. *p. 4. tr. 1. resol. 108.* Novar. *tit. de Immun. Eccl. n. 26.* Barbos. *n. 66. cit.* Delben. *n. 12.* Imò gaudet Immunitate etiam via silice strata, vel murus fessilis, sive ambulatorius circum Ecclesiam, modò eidem adhæreat, saltem ad quinque passus fabriles. Pignatell. *tom. 9. consult. 19. n. 1.*

126 4. Privilegio Asyli indubitatò gaudet, qui evadit in murum Ecclesiæ, vel in hoc consistit. An verò eâdem etiam gaudeat, qui exteriorem templi parietem tangit, vel amplectitur, controversia inter DD. est P. Wiest. *hic n. 56. fin.* putat, si consuetudo consulatur, tenendam negativam. Sed hæc, ut *n. 101.* dixi, probanda est; nam ab hac præscindendo dicendum gaudere. Ita Riccius *prax. tom. 3. resol. 560. n. 8.* Novar. *in Summ. Bullar. de Immun. n. 16.* Bonacin. *de Legib. tom. 2. D. 3. q. 7. p. 4. n. 5.* Dian. *p. 3. tr. 1. resol. 73.* Trull. *Decal. tom. 1. l. 1. c. 11. dub. 1. n. 4.*

Del-

Delben. *de Immunit. c. 16. dub. 9. sect. 8. n. 15.* éstque teste Pignat. *tom. 6. consult. 27. n. 2.* sæpiùs declaratum à *S. Congr. Episc.* per hæc verba : *Qui elapsus è manibus satellitum confugit ad Ecclesiam, vel apprehendit parietem, aut feras januæ, gaudet Immunitate. 13. Mart. 1604. & 20. Dec. 1616. & in Amerin. 18. Febr. 1632. in Camerin. 13. Julij 1638.* sic : *Adhærens muro Ecclesiæ gaudet Immunitate.*

127 §. Extendi Privilegium Immunitatis debet ad omnia loca, & habitacula, Ecclesiæ quomodolibet adhærentia, ut sunt Sacristia, porticus, atrium &c. Constat ex *l. pateant 3. C. de his, qui confug. ad Eccl.* ibi : *Quidquid fuerit interjacens sive in cellulis, sive in domibus, hortulis, balneis, atque porticibus, confugas interioris templi vice tueatur &c.* Farin. *c. 17. cit. n. 268* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 2.* Delben. *c. 16. dub. 9. sect. 7. n. 1.* Canis. *in c. 1. b. tit. n. 14.* Wagnereck *in c. inter alia not. 4.* Gonzal. *in c. Ecclesiæ 9. h. tit. n. 2.* Fagn. *ibid. n. 15.* Barbos. *n. 7. & l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 64.* Wiestner *hic n. 52.*

128 6. Simili, quâ ipsa Monasteria, Immunitate gaudere debent etiam horti, areæ, & domus familiarium, stabula animalium &c. si tamen intra septa Monasterij contineantur. Rodriq. *tom. 2. qq. Regul. q. 75. art. 2.* Portell. *V. Immunitas n. 3.* Lezan. *V. eod. n. 3.* Laym. *n. 2. cit.* Delben. *sect. 11. n. 1.* Barb. *c. 3. n. 72.* Ranbeck *Panopl. D. 4. c. 4. n. 19.* König *hic n. 4.* Wiest. *ibid. n. 54.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Jur. Eccl. c. 4. n. 25.* Secus dicendum de domibus, quas Religiosi ab Ecclesijs, & Conventibus suis separatas in villis, & urbibus recreationis, vel alterius honesti usûs causâ habent; nam his verisimiliùs contra Rodriq. *l. cit.* Jus Asyliæ negant Lezan. *V. cit. n. 3. ad fin.* Barbos. *n. 76.* Delben. *n. 4.* Wiestner *n. 55.* quòd Jus illud non quibuscunque Regularium Domibus, sed ijs tantùm, quæ ad eorum habitationem sub Regula, & Clausura inserviunt, concessa sit.

129 7. Denique nonnulli cum Abb. *in c. Ecclesiæ 9. h. tit. n. 10.* Vallens. *hic n. 4. ℣. quin imò*, Honor. *ibid. n. 5.* privilegium hoc extendunt ad 40. passus in Ecclesia Cathedrali, in alijs inferioribus ad 30. per circuitum : quod desumunt ex *can. sicut antiquitus 6.* & *can. definivit 35. caus. 17. q. 4.* Verùm ex his textibus id clarè non infertur, præsertim si usus spectetur; nam 1. textus illi hos 40. vel 30. passus concedunt tantùm reo, qui jam confugit ad Ecclesiam, ut possit ad tale spatium ab Ecclesia egredi ad requisita naturæ. Tabien. *V. Immunitas n. 13. ℣. limita.* Delben. *c. 16. dub. 9. sect. 8. n. 7.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 152.* id desumens ex *can. definivit cit.* ibi, *Sit licitum in 30. passus ab Ecclesiæ januis progredi* : cui consonat Concilium Toletanum XII. *can. 10.* ita statuens : *His ipsis, qui Ecclesias petunt, per omnia licitum sit in 30. passibus ab Ecclesiæ januis progredi, in quibus 30. passibus cujuscunque Ecclesiæ in toto circuitu defendatur.* 2. alij cum Decian. *l. 6. c. 25. n. 6.* Ambrosin. *c. 10. n. 4.* Farin. *c. 18. n. 290.* putant eos textus intelligendos de Ecclesijs, quæ sunt extra murorum ambitum; nam Ecclesiæ, & Capellæ, quæ sunt intra murorum ambitum, ut clarè ostendit experientia, non extendunt Immunitatem suam ad tale spatium; ne aliquando tota aliqua Urbs Asylum sit. 3. nonnulli fatentur ita extensam Immunitatem Jure antiquo, sed hoc Jus contraria consuetudine sublatum esse. Clar. §. *fin. q. 30. n. 2.* Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 5.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 38.* Pignatell. *tom. 6. consult. 25. n. 13.* quam consuetudinem approbasse videtur S. Congr. Immunit. *in Narnien. 27. Jan. 1665.* ubi, ut testis est idem Pignat. *tom. 1. consult 436. & 463.* & Marthæucc. *Offic. Eccl. c. 24. n. 25.* Sanctissimo approbante statuit hodie immunitate non gaudere plateam Cathedralis. Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 2. fin.* putat per consuetudinem, quâ hodie utimur, pro dictorum passuum circuitu nunc tali Jure gaudere ambitum Cœmeterij ab Episcopo deputatum.

130 *Ad Argumentum* in contrarium allatum *n. 122.* negatur paritas, quia effectus pollutionis pœnalis est, privilegium Asyli gratiosum, & favorabile, ut adeo mirum non sit, in illo casu Ecclesiæ nomen sumi stricte, in isto latè.

131 Quæritur 6. utrum Jus Asyli habeant Oratoria, erecta non authoritate publica Episcopi, sed privatâ, ut sunt multæ Capellæ in Ædibus privatorum, & aliquando etiam Oratoria Confraternitatum ? R. non gaudere, etiamsi talia sint, ut in ipsis de licentia Episcopi in Altari mobili, seu, ut vocant, portatili Missæ celebrari possint. Ita Innoc. *in c. inter 8. de Donation. n. 2.* Sylv. *V. Immunitas 3. n. 1.* Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 4.* Navar. *Man. c. 25. n. 17. & 18.* Suar. *tom. 2. de Relig. l. 3. c. 9. n. 10.* Azor *p. 2. l. 9. c. 8. q. 3.* Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 4. n. 14.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 198.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 37. n. 30.* Delben. *c. 16. dub. 9. sect. 12. n. 1.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 2.* Ant. à S. Spirit. *de Pœnit. Sacr. tr. 5. D. 8. n. 586.* Canis. *in c. 1. b. tit. n. 19.* Fagnan. *in c. Ecclesiæ 9. eod. n. 25.* Wagnereck *in c. inter alia not. 3.* Illsung *tr. 5. D. 2. n. 256.* Honor. *hic n. 10.* Engl *n. 11.* König *n. 6.* Wiest. *n 62.* allegántque pro se Declarationes S. Congr. Episc. *in Marsien. 17. Nov. 1617.* & S. Congreg. Immun. *in Perusin. 9. Nov. 1631.*

132 *Ratio est*, quia Immunitas solùm indulta est Ecclesijs, & locis Sacris, ac Religiosis, hisque conjunctis, & adhærentibus *can. siquis contumax 20. can. id constituimus 36. caus.*

cauſ. 17. q. 4. c. Eccleſiæ 9. & *c. fin. h. tit. l. pateant 3. C. de his, qui confugiunt* &c. & *Conſtit. Gregorian. cit.* atqui hujusmodi Oratoria ſimpliciter loquendo juxta modum Juris non ſunt Eccleſia, imò nec locus Religioſus; nam privata authoritate erecta ſunt, & eadem authoritate ad uſus profanos iterum converti poſſunt, quod utrumque repugnat loco Sacro, & Religioſo propriè, acſtrictè accepto. Addidi, *id procedere, etiamſi de licentia Epiſcopi in tali Oratorio Miſſæ Sacrificium celebrari poſſit;* quia per hoc non fit talis locus immutabiliter deputatus ad miniſteria Sacra, quod requiritur, ut locus aliquis Sacer conſtituatur, & privilegio Aſyli gaudeat.

133 *Sed quæres*, ſi dubium ſit, an Epiſcopi authoritate erectum ſit Oratorium, quid præſumendum ſit? R. in dubio præſumi erectum authoritate Epiſcopi, ſi ibidem Divina celebrentur, omnibus indifferenter ad ea audienda admiſſis, præſertim ſi cymbalum habeat ſuper tectum, quod publicè pulſetur; nam privatis Oratorijs hæc publica cymbali pulſatio non conceditur. Germon. *de Sacror. Immunit. l. 3. c. 16. n. 29.* & *30.* Tuſch. *pract. V. Eccleſia concl. 9. n. 15.* & *V. Immunitas concl. 59. n. 14.* Azor *p. 2. l. 9. c. 8. q. 3.* Suar. *l. 3. c. 9. n. 10.* Mar. Ital. *de Immun. c. 4.* §. *4 per tot.* Bonacin. *p. 4. n. 15.* Farin. *Append. Immun. c. 17. n. 267.*

134 Quæritur 7. an Immunitate gaudeat etiam Domus, & Palatium Epiſcopi, extra 40. paſſus per circuitum ab Eccleſia Cathedrali poſitum? *Certum eſt* ex omnium ferè ſententia, quòd Immunitate gaudeat Domus Epiſcopi ita diſtans, ſi habeat Capellam; nam ratione hujus eſt locus Sacer, & Religioſus. Neque hoc peculiare eſt in Domibus Epiſcoporum, ſed commune cum Domibus etiam Laicorum, ſi Capella, quam habent, Epiſcopi authoritate erecta ſit.

135 *Controverſia* inter DD. eſt, ſi Palatium Epiſcopi ita diſtans Capellam non habeat. *Negativam* defendunt Innoc. *in c. inter alia 6. V. ſed alij h. tit.* Ant. de Butr. *ibid. n. 9.* Curtell. *de Immun. l. 1. q. 17.* Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 5. V. quintò.* Decian. *l. 6. c. 25. n. 14.* Piaſec. *prax. Epiſcop. p. 2. c. 4. n. 2.* Guazzin. *reor. defenſ. 1. c. 37. n. 25.* Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 4. n. 11.* ex quorum opinione Domus Epiſcopi Jus Aſyliæ non habet, niſi vel ſit intra 40. paſſus, vel ſaltem Oratorium habeat. *Fundantur 1.* quia Domus Epiſcopi per *can. Epiſcopus vilem 7. diſt. 41.* & *can. Epiſcopus 4. de Conſecr. diſt. 3.* debet eſſe contigua Eccleſiæ, igitur Immunitate non gaudet, ſi diſtet. 2. quia conſuetudine, & uſu forenſi ſic receptum eſt, ut Covar. & Decian. *l. citt.* teſtantur. 3. quia Immunitas conceditur ob locum Sacrum, qui eſt Eccleſia, atqui Domus Epiſcopi ultra 40. paſſus diſtans neque eſt Eccleſia, neque ei confinis. ergo &c.

Sed probabilius eſt, Domum Epiſ- 136
copi, etiamſi ultra 40. paſſus diſtet, & Capellam non habeat, habere Jus Aſyliæ. Ita Card. Tuſch. *V. Eccleſia concl. 9. n. 11.* & *concl. 10. n. 8.* Navar. *Man. c. 25. n. 17. fin.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 2. c. 9. n. 9.* Farin. *prax. crim. q. 28. n. 38.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 6. n. 21.* Delben. *de Immunit. c. 16. dub. 9. ſect. 14. n. 8.* & alij apud iſtos, ob triplicem maximè rationem. 1. quia *can. id conſtituimus 36. cauſ. 17. q. 4.* expreſsè & nulla limitatione addita, hoc privilegium Domui Epiſcopali conceditur. 2. quia aliàs Domus Epiſcopi ſupra alias Domus Eccleſiæ, vel Canonicorum nullum haberet ſpeciale privilegium; nam & iſtæ, ſi exiſtant intra 40. paſſus, ut cum alijs notat Ambroſin. *de Immunit. c. 10. n. 8.* Jus Aſyli habent. 3. quia Domus habentes Capellam, ut *n. 134.* monui, juxta omnes Immunitatem habent, at Domui Epiſcopali ob reverentiam Dignitatis Jura concedere voluerunt plus privilegij, quàm alijs Domibus. igitur Epiſcoporum domus Immunitatem habebunt, etſi Capellam non habeant, & ultra 40. paſſus ab Eccleſia Cathedrali diſtent.

Intelligendum autem hoc eſt de Pa- 137
latio Epiſcopi, ſito intra Diœceſin ejusdem; nam id, quod eſt ſitum extra Diœceſin, Immunitate iſta non gaudet, ſaltem de conſuetudine, etiam poſt *Conſtitutionem Gregorianam* introducta: quin fortaſſis etiam de Jure; quia in tali caſu Palatium Epiſcopi, ut locus non pius, non videtur locus Sacer, & Religioſus eſſe. Peregrin. *de Immunit. c. 4. n. 73.* Mar. Ital. *l. 1. c. 4.* §. *9. n. 19.* Ciarlin. *contr. for. l. 1. c. 10. n. 10.* Delben. *ſect. 14. cit. n. 21.* contra Dian. *p. 4. tr. 1. reſol. 40. Ex quo ſequitur*, quòd ſimiliter Immunitate non gaudeat Palatium Epiſcopi Titularis. Ciarlin. *l. cit.* Delben. *n. 22.* ſed contrarium non improbabiliter docet Dian. *p. 6. tr. 1. reſol. 5.* præſertim quia *S. Congr. Immunit.* teſte eodem *Diana* pluries declaravit, quòd familia Laica Epiſcopi Titularis privilegio fori gaudeat. Imò Fagnan. *in c. Eccleſiæ 9. h. tit. n. 35.* privilegium hoc Immunitatis extendit etiam ad Palatia, & Domus Prælatorum inferiorum, Jurisdictionem quaſi Epiſcopalem habentium, & ſic cenſuiſſe teſtatur *S. Congreg. Immunit. 6. Nov. 1634.*

Argumenta oppoſita contrarium non 138
evincunt. *Ad 1.* dico, Domum Epiſcopi debere eſſe contiguam Eccleſiæ ordinariè, & per ſe loquendo. *Ad 2.* fateor ceſſare hoc privilegium, ſicubi per conſuetudinem legitimè præſcriptam derogatum eidem ſit. *Ad 3.* Domui Epiſcopali privilegium Immunitatis conceditur, non quia con-

contigua est Ecclesiæ ob reverentiam loci Sacri, sed ob reverentiam Dignitatis, cujus rei signum est, quia hanc specialiter textus excipit.

139 Quæritur 8 utrum privilegium Asyli habeant etiam Palatia S. R. E. Cardinalium? Affirmant nonnulli ducti paritate cum Palatijs Episcoporum, quibus ob reverentiam Dignitatis concessa Immunitas est, cùm tamen Dignitas Cardinalitia sit longè major. Imò Clar. §. *fin. q. 95. n. 5.* & Germon. *l. 3. c. 6. n. 52.* docent, si reo ad supplicium ducto obviam factus Cardinalis galerum, sive biretum rubrum imponat, illum à morte liberari.

140 Sed dicendum, Palatijs Cardinalium de Jure communi Jus Asyli non competere; nam de his nihil decidunt Jura, igitur sicubi ejusmodi Immunitatem habent, illam habent ex privilegio, vel consuetudine. Et hæc quidem consuetudo procedere potest respectu Palatiorum, quæ extra Urbem habent; nam quoad Palatia, quæ Romæ habent, Immunitatati, & consuetudini hanc concedenti expressè derogatum est per Constit. Gregor. XIII. & Sixti V. & meritò quidem, ne ob locorum Asyli Jure gaudentium frequentiam delinquentes punitioni commeritæ subtrahantur. *Excipit* Delben. *c. 16. dub. 9. sect. 15. n. 11.* si Palatia hujusmodi adhæreant Ecclesijs suorum Titulorum, & suæ Dignitatis; quia in ordine ad has Ecclesias Cardinales habent Jurisdictionem quasi Episcopalem, & sunt tanquam Episcopi.

141 Multò minùs Immunitate gaudent Palatia Oratorum Supremorum Principum, Cæsaris, & Regum, nec enim sunt loca Sacra, neque hujusmodi Palatijs legitur uspiam concessum hoc privilegium. Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 4. n. 13.* Delben. *sect. 15. cit. n. 2.* ℣. *hinc sequitur*: qui addunt, extra Urbem videri Palatia hæc gaudere Immunitate Civili ob reverentiam Summi Principis, cujus personam repræsentant; ex violatione tamen istius Immunitatis Censura non incurritur.

142 Quod additur de liberatione ejus, cui Cardinalis occurrens imponit galerum rubrum, ut rectè observat Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 4.* verum censeri debet, ubi per consuetudinem privilegium hoc Cardinalibus concessum est. Certè privilegium istud DD. *n. 139. citt.* multùm limitant; nam prior negat id locum habere in reo criminis atrocissimi læsæ Majestatis, proditionis &c. Alter putat etiam non habere locum in reo alterius criminis, si eidem non casu, sed datâ operâ occurreret Cardinalis.

143 Quæritur 9 an Immunitas sit extendenda etiam ad Tabernaculum, si hoc Evchariſtiam actu contineat, & ad Sacerdotem Evchariſtiam portantem? Affirmant Sylv. *V. Immunitas 3. n. 1.* Clar. §. *fin. q. 30. n. 24.* Navar. *Man. c. 25. n. 15.* Suar. *l. 3. c. 9. n. ult.* Farin. *append. Immunit. c. 17. n. 275.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 37. n. 36.* Canis. *in c. 1. h. tit. n. 20.* Barbos. *in c. 9. eod. n. 11.* & *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 69.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 6. n. 24.* Delben. *c. 16. dub. 9. sect. 16. n. 1.* Monacell. *p. 2. tit. 13. fol. 29. n. 12.* Pignatell. *tom. 6. consult. 27. n. 15.* Zoes. *hic n. 11.* Engl *ibid. n. 12.* & teste Pal. *l. cit.* communiter DD. qui proinde docent, siquis reus vel ad Tabernaculum, vel ad Sacerdotem, Sacrum Viaticum ad ægrotum deferentem, fugiat, aut se misceat populo illud comitanti, hunc non minùs tutum fore à Ministris Justitiæ, quàm si ad Ecclesiam confugisset. Stat pro ista Sententia etiam authoritas *S. Congr. Immun.* quæ teste Pignatell. *l. cit.* idipsum declaravit *in Melitens. 28. Maij 1626.* & *in Benevent. 30. Sept. 1636.*

144 Congrua rei istius ratio communiter adducitur triplex. 1. quia cùm tota Immunitas Ecclesiæ introducta sit ob reverentiam Evchariſtiæ ibi existentis, sequitur Immunitatem hanc potiùs Evchariſtiæ ipsi deberi, ut adeo locus sit Regulæ, *Propter quod unumquodque tale, illud magis tale.* 2. quia præsentia Christi sub speciebus Sacramentalibus videtur facere locum Sacrum, & Religiosum; si enim, inquit Delben. *l. cit. n. 9.* ubi Papa, ibi Roma est, seu Curia Romana, cur non ubi præsens est SS. Corpus Christi, ibi etiam locus Sacer sit, & Religiosus? 3. quia populus, cui se reus immiscet, cum Sacerdote, Augustissimum istud Salutis Pignus gestante, constituit animatam Ecclesiam *arg. l. quisquis 5. C. ad Leg. Jul. Majest.* ibi, *Quia & ipsi pars corporis nostri sunt.*

145 Sed ut bene cum *Suar. Bonacin. Pal. Delben. citt.* advertunt Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 6.* Ambrosin. *de Immunit. c. 10. n. 9.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 4.* Illsung *tr. 5. D. 2. n. 258.* Pirh. *hic n. 17.* König *n. 9.* hoc privilegium non habetur in Jure, sed consuetudine introductum est: proinde casu, quo talis sic confugiens ad Sacerdotem Evchariſtiam portantem capitur, in rigore loquendo non violabitur Immunitas Ecclesiæ, neque reus de rigore Juris restituendus est, ut bene notat Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 4. n. 27.* Ratio est 1. quia Sacerdos non est locus Sacer, aut Religiosus. Immunitas autem concessa est Ecclesiæ, & locis Sacris. 2. quia Privilegia non debent trahi in consequentiam; aliàs multo magis communicans, & intra os recipiens Evchariſtiam immunitate gauderet: quod nemo dixerit. 3. quia exceptio firmat Regulam in casibus non exceptis. sed generalis Regula est delinquentes privilegio Immunitatis non gaudere, exceptis casibus in Jure expressis; hic autem casus in Jure expressus non est, ergo &c. Erit

igitur spectanda consuetudo, & juxta hanc casus occurrens decidendus.

146 Multo minùs Asylum reus habet, qui fugit ad Sacerdotem, Sacrum Oleum deferentem ad infirmum; quia huic nec Jus, nec etiam consuetudo favet. Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 208.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 69.* Delben. *c. 16. dub. 9. sect. 16. n. 11.* Dian. *p. 1. tr. 1. resol. 29.* Sperell. *decis. 49. n. 4.* Pignatell. *tom. 6. consult. 27. n. 23.* Wiestner *hic n. 66.*

Neque quòd Jure communi hoc casu tutus sit reus, probant Argumenta *n. 144.* proposita. *Ad 1.* dico Argumento à minori ad majus non esse locum in casu præsenti, sed standum verbis Dispositionis, ut communiter DD. fatentur; Gregorius enim privilegium Immunitatis ad unicam reduxit formam. *Ad 2.* nomine loci Sacri, & Religiosi in ordine ad effectum Immunitatis de Jure venit solus ille, qui Episcopi authoritate est consecratus, vel saltem ad Cultum Divinum deputatus. talis autem locus non est, ubi Tabernaculum est cum S. Evchariſtia. *Ad 3.* populus tali casu solùm analogicè Ecclesia est.

147 Quæritur 10. an Immunitate gaudeat, qui ad Altare portatile pro Missa celebranda in tentorio, vel alio loco positum confugit, & illud pro sui securitate aufert? Casum hunc Quintanaduen. *tr. 4. singul. ult. n. 7.* contigisse meminit in exercitu Regis Catholici, ubi refert Suarium nostrum ab eo ipso Societatis nostræ Patre, qui reo militi consilium dederat, ut Altare portatile pro securitate sua secum auferret, interrogatum respondisse, probabile esse valde, quòd ille Immunitate gaudeat, & propterea puniri non possit. Et videtur hoc etiam probare ratio; nam Ara portatilis vice Templi est, ut proin eâdem, quâ Templum, Immunitate gaudere debeat. *Conf.* quia Sacrâ Asyliâ ipsa quoque Altaria munita sunt; imò ad eam concedendam Ecclesijs Canonum Authores potissimum permoverunt Altaria, Sacrificio incruento per consecrationem Episcopi deputata.

148 Sed dicendum, spectato Jure, & præscindendo à contraria consuetudine, si tamen illa est usquam, confugientem ad Altare portatile, aut istud gerentem Immunitate Ecclesiastica non gaudere. P. Wiest. *hic n. 68.* Ratio est, quia Asyliæ jus non quibuscunque rebus, consecratione, vel benedictione aliqua affectis, sed solummodo locis Sacris, & Religiosis indultum est, ut patet ex Juribus sæpiùs *citt.* *Et confirmatur*; nam aliàs multo magis Asyliæ competeret Hierothecæ, in qua SS. Sacramentum exponitur, calici, & patenæ, quibus Sacerdos in Missæ Sacrificio utitur, linteaminibus, quibus Altare insternitur: & sic Reus à Justitiæ Ministris tutus esse posset in officina auri fabri, dum Calicem, aut Hierothecam reficit, apud lotricem, dum linteamina ista lavat &c. quæ sequelæ absurdissimæ sunt.

149 Ex quo patet ad Argumentum contrarium; etsi enim vice Templi sit ara portatilis, Templum tamen verè, aut locus Religiosus non est. *Ad Conf.* jam suprà dictum est argumento à majoritate rationis locum non esse, ubi certa forma constituta negotio est, prout in præsenti materia factum est à Gregorio XIV.

150 Quæritur 11. utrum Asyli Jure gaudeat, qui ad Crucem, extra Sacra, aut Religiosa loca erectam, & Sanctorum Sacras Reliquias se fugâ recipit? Crucis Sacræ imagini, etiam in publicis vijs propositæ, olim Urbanus II. in Synodo Claromontana *can. 29.* concessit, ut, *siquis ad aliquam Crucem in via, persequentibus inimicis, confugerit, sit liber, acsi in ipsa Ecclesia permaneat.* Et confirmat *can. 38. Quodsi quis*, inquiens, *pro securitate Ecclesiæ, vel Crucis aliquod crimen peregerit, & ad Ecclesiam, vel Crucem confugerit, accepta securitate vitæ, & membrorum, reddatur Justitiæ.*

151 Sed quia Canones isti neque in Jus relati, neque usu recepti sunt, hinc dicendum, de Jure communi eum, qui ad Crucem, extra Ecclesiam, vel loca Religiosa positam, confugit, à Ministris Justitiæ non defendi, sed sine Immunitatis Ecclesiasticæ læsione inde abstrahi posse. Quod etiam dicendum de fugiente ad Sanctorum Reliquias. Hinc quoad utrumque casum spectanda erit Locorum consuetudo, quæ, ubi Immunitatem sic confugientibus tribuit, omnino est observanda. Et hoc considerâsse videtur *S. Congr. Immunit.* quæ eandem immunitatem ijsdem tribuit *in Melitensi. 7. Dec. 1632.* in hæc verba: *Confugiens ad Crucem, existentem in via, gaudet Immunitate.* Pignatell. *tom. 6. consult. 27. n. 12.*

152 Quæritur 12. an Jus Asyli competat Statuis Principum? Tribuunt hoc illis Joan. Andr. *in c. Ecclesiæ 9. h. tit. n. 4.* Ancharan. *ibid. n. 4.* Host. *n. 2.* Imol. *in Clem. 1. n. 8. fin.* ℣. *idem dicunt. de pœnit. & remiss.* Decian. *tr. crim. l. 6. c. 25. n. 5.* Theolosan. *Syntag. l. 33. c. 22. à n. 11.* id desumentes ex *l. capitalium 28. §. ad statuas 7. ff. de pœn. & l. un. C. de bis, qui ad Statuas &c.*

153 Sed melius alij distinguunt cum P. Wiest. *hic n. 74.* inter eos, qui injuriâ oppressi, eò se conferebant, & inter sceleratos, qui injuriam intulerunt aliis. *Prioribus* Statuas ejusmodi præsidio fuisse concedunt; *posterioribus* negant profuisse. Et si profuisset olim, præsidium tamen hoc propter varios abusus sublatum fuit, teste Clar. *§. fin. q. 30. n. 27.* Quin si etiam hodie hujusmodi Immunitas vigeret huc tamen non pertineret; quia Politica, & Civilis duntaxat, non Sacra esset. Delben. *de Immunit. c. 16. dub. 9. sect. 17. n. 2.*

§. IV.

§. IV.

De Personis, quæ Immunitate Asyli gaudent, vel non gaudent.

SUMMARIUM.

154. *Asylo gaudent omnes, qui non sunt Rei criminis excepti.*
155. *Etiam banniti, condemnati, Excommunicati, & Interdicti.*
156. *Solvitur Argumentum oppositum.*
157. *An privilegio Immunitatis gaudeant Hæretici?*
158. *Resolvitur gaudere quoad alia crimina non excepta.*
159. *Respondetur ad Rationes dubitandi.*
160. *An eodem privilegio gaudeant Judæi, Sarraceni, & Infideles? Prima Sententia.*
161. *Sententia Secunda.*
162. *Defenditur tertia, secundùm quam gaudent, quando volunt converti ad Fidem.*
163. *Quando præsumi possit, quod talis Infidelis sincerè velit converti?*
164. *An Clerici, & Religiosi gaudeant hac Immunitate?*
165. *Negativa Sententia.*
166. *Hujus fundamenta.*
167. *Sententia Affirmativa.*
168. *Et fundamenta istius.*
169. *Deciditur Quæstio.*
170. *An Servi gaudeant Immunitate?*
171. 172. *Respondetur distinguendo.*
173. *Et sic etiam sentiendum de Colono adscriptitio, damnato ad transtra &c. fugientibus ad Ecclesiam.*
174. *Solvuntur Argumenta opposita.*
175. *An debitor fugiens ad Ecclesiam, aliàs carceri mancipandus, gaudeat Immunitate?*
176. *Deciditur pro Affirmativa.*
177. 178. *Extensiones istius Decisionis.*
179. *Satisfit Argumentis oppositis.*
180. *An Immunitas prosit etiam illi, qui effracto carcere, fugit ad Ecclesiam?*
181. *Stabilitur pars Affirmans.*
182. *Sententiæ hujus fundamenta.*
183. *Diluuntur Argumenta contraria.*
184. *An Immunitate gaudeat etiam ille, qui data fide, quòd redire velit, dimissus est à custode carceris & ad Ecclesiam fugit?*
185. *Limitatio.*

154 QUæritur 1. quinam privilegio Asyli gaudeant? R. Regula est, extra casus, quos infrà excipiam, privilegio isto gaudere Christianos baptizatos omnes, saltem Laicos, nulla sexûs, ætatis, statûs, & conditionis habita ratione. Ita ex communi DD. sententia docent Clar. §. *fin. q. 30. n. 9.* Suar. *l. 3. c. 11. n. 4.* Fagnan. *in c. inter alia 6. h. tit. n. 39.* Wagnereck *ibid. ỳ. nisi publicus lauro. not. 3.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 6.* Vallens. *hic n. 4.* Engl *ibid. n. 4.* Pirh. *n. 18.* Schamb. *n. 25.* König *n. 10.* & decernitur *can. miror 8. can. frater 10. can. siquis contumax 20. &c. caus. 17. q. 4. c. inter alia*, & *Constit. Gregorian. citt.*

155 *Proceditque hoc 1.* etiamsi banniti, & condemnati sint, nisi hoc factum sit ob crimina excepta. Navar. *Man. c. 25. n. 19.* Clar. §. *fin. q. 30. ỳ. scias autem.* Mantica *cons. 211. incipit Andreas Ratus.* Azzeved. *in Const. Hispan. l. 1. tit. 2. lib. 3. n. 7.* Farin. *Append. Immunit. c. 2. n. 37.* 2. non obest, etiamsi ita confugiens ad Ecclesiam Excommunicatus sit, ut contra Felin. *in c. à nobis 2. de Except. n. 5.* melius defendunt Sylv. *V. Immunitas 3. q. 3.* Clar. *l. cit. n. 18.* Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 11. corol. 12.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 10.* Bonacin. *tom. 2. D. 3. q. 7. p. 5. n. 2.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 7. n. 21.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 159.* & alij passim; quia Excommunicatio non habet alios effectus, nisi quos Jus declaravit nullo autem Jure statutum est, ut Excommunicatus non possit habere tutelam in Ecclesia. ergo &c. 3. Idem à fortiori verum est de Interdicto; nam Excommunicatio gravior est Censura, & magis privat participatione Divinorum, quàm Interdictum, & præterea nuspiam Interdicto in Jure hic effectus tribuitur, Suar. *l. 3. c. 10. n. 3.* Wagnereck *in c. cit. not. 3.* Haun. *n. 158.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 24. n. 15.* Zoes. *hic n. 15.* Pirh. *n. 32.* Schambog. *n. 39.* cum alijs *suprà.*

156 *Neque obstat*, quòd Excommunicatus, & Interdictus prohibeatur ingredi Ecclesiam, & cons. in illam se recipiens pro tutela videatur in eam committere, sicque non gaudere favore Legis juxta textum *c. fin. h. tit. & c. quia frustra 14. de Usur.* ubi dicitur, *frustra Legis auxilium invocare, qui committit in Legem*, nam ut bene cum alijs notat Delben. *de Immun. c. 16. dub. 10. sect. 2. n. 2. & 3.* Interdictus, & Excommunicatus solùm prohibetur ab Ingressu formali Ecclesiæ in ordine ad audienda Divina Officia, non verò à materiali, ut fit, cùm quis metu supplicij eò confugit. Quare sicut non censetur violare Interdictum, qui per Ecclesiam transit, vel eò se recipit, ut à pluvijs v. g. se defendat, maximè si alibi non possit, ita etiam Interdictum non violat, qui se recipit in Ecclesiam, ut ibi defendatur à Satellitibus, & Justitiæ ministris, ipsum quærentibus ad supplicium. *Ratio à priore est*; quia Ecclesia non videtur cum tali rigore obligare; & quamvis tales indigni ob maleficia sua sint Ecclesiæ Beneficio, tanto tamen majorem pietatem in hos ostendit, si etiam ipsos tuea-

tur, præsertim cùm ad eorum defensionem non consideret delictum, & Censuram Rei, sed potiùs Sanctitatem loci.

157 Quæritur 2. an privilegio Immunitatis gaudeant etiam Hæretici? *Certum est* excludi privilegio isto Hæreticos, si puniendi sint ob Hæresim; nam Hæresis crimen, ut §. *seq.* videbimus, est exceptum. Unde Quæstio solùm est de alijs criminibus, præter Hæresim, an post ista fugientes ad Ecclesiam extrahi inde possint? *Affirmat* propter ista extrahi posse post *Boërium*, *Marsilium*, *Gundisalvum*, *Gigantem*, *Covarruviam* & alios Decian. *tr. crim. l. 6. c. 26. n. 4.* tum quia indigni sunt hoc Beneficio, utpote Ecclesiæ hostes, & proditores; tum quia aliàs excluderentur simul, & non excluderentur.

158 Sed non obstante horum sententia, dico, Hæreticos probabiliùs quoad alia crimina, & delicta, gaudere Immunitate Asyli. Ita Sylv. *V. Immunitas 3. n. 2. ℣. & idem puto de Hæretico.* Azor *p. 2. l. 9. c. 9. q. 9. ℣. quid de pagano.* Suar. *l. 3. c. 10. n. 15.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 379.* Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 6. §. 5. n. 2.* Farin. *Append. Immunit. c. 13. n. 170.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 7. n. 4.* Delben. *c. 16. dub. 10. sect. 4. n. 1.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 160.* Illsung. *tr. 5. D. 2. n. 259.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 24. n. 14.* Vincent. Petra *tom. 4. comment. fol. 5. n. 11.* Engl *hic n. 19.* Pirh. *n. 40.* Wiest. *n. 123. Ratio* est; quia non habemus rationem excipiendi personam, ubi crimen non est exceptum. atqui crimina, de quibus meminimus, supponimus non esse excepta. ergo nisi Lex personam excipiat, non sunt excipiendi Hæretici.

159 *Neque obstat*, quòd reus sit Hæreticus; nam Hæresis crimen respectu aliorum se habet per accidens. ergo non potest impedire Immunitatem, quam delinquens habet, ne ob alia delicta ab Ecclesia extrahatur. Æquè parum probant duo Argumenta allata in contrarium. *Ad 1.* jam *suprà* dixi, Ecclesiam, dum privilegium Immunitatis concedit, non tam respicere personam delinquentis, quàm Sanctitatem loci. *Ad 2.* Hæreticus privilegio isto excluditur, & non excluditur, non sub eadem ratione, sed sub diversa; nam excluditur quoad Hæresin, & non excluditur quoad alia delicta.

160 Quæritur 3. an etiam Judæi, Sarraceni, & alij Infideles Asylo gaudeant? ℣. in hoc variare sententias. *Prima*, eáque satis communis negat eos gaudere Asylo: atque ita sentiunt Gloss. *in l. Judæi 1. C. de his, qui confug. ad Eccl.* Abb. *in c. inter alia 6. b. tit. n. 6.* Clar. §. *fin. q. 30. n. 17.* Navar. *Man. c. 25. à n. 20.* Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 11. coroll. 13.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 38. n. 3. & 4.* Zoes. *hic n. 13. & 14.* cum alijs. *Utuntur* triplici fundamento. 1. Quia illos excludit *l. Judæi cit.* & quidem etiamsi Baptismum petant; ratio *ibidem* datur; quia simulant se Christianæ Legi velle conjungi. atqui fraus sua nemini prodesse debet. ergo &c. 2. Quia de his, qui foris sunt, non curat Ecclesia, neque potest illas judicare. posset autem, si privilegium Immunitatis illis concederetur. ergo &c. 3. Quia etsi *c. inter alia cit.* generaliter omnibus privilegium istud concedat, de solis tamen fidelibus hoc intelligendum est, non verò de infidelibus, cùm par non sit, Ecclesiæ privilegio defendi, & ejus beneficio perfrui illos, qui ejus gremio, tutelæ, fidei se non committunt.

161 *Altera* sententia affirmat, eos gaudere hac Immunitate. Ita Gloss. *in c. inter alia 6. b. tit. V. extrahendus.* Host. *ibid. n. 1.* Sylv. *V. Immunitas 3. n. 2. ℣. secundùm de Pagano.* Tabien. *V. eod n. 7.* Armill. *n. 9.* S. Antonin. *p. 3. tit. 12. c. 13. §. 2.* Felin. *in c. Judæi de Judæis.* Dian. *Summ. V. immunitas n. 14.* Barbos. *in c. inter alia cit. n. 50.* Fagnan. *ibid. n. 60. ℣. tu verò dicas.* Honor. *hic n. 5.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 24. n. 15.* allegántque pro hac sua sententia *Declarationem S. Congr. Moventur 1.* quia Jura Regulam universalem constituunt, & non nominant fideles, vel Christianos, sed simpliciter reos, vel ad Ecclesiam confugientes. 2. Quia privilegium hoc locale est, non personale; cons. favor fit non reis, sed Ecclesiæ. igitur ex persona infidelium limitari non debet. 3. Quia Ecclesia humanitatem exercet etiam cum infidelibus etiam in his, quæ pertinent ad vitæ conservationem, vel defensionem, quando hac indigent. igitur eandem exercebit eos tutando, quando Asylum in ea quærunt, & ad illam confugiunt.

162 *Tertia* sententia, eáque probabilior medio passu inter utramque priorem incedit, & putat, etiam Infideles gaudere Immunitate Ecclesiæ, si ad eam confugiant, & velint converti. Ita Tusch. *pract. V. Ecclesia concl. 10. n. 28.* Azor *p. 2. l. 9. c. 9. q. 9. ℣. si quæras.* Gutier. *pract. qq. Civil. l. 3. q. 7. n. 51.* Farin. *Append. Immun. c. 5. n. 83.* Mar. Ital. *l. 1. de Immunit. c. 3.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 12.* Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 6. §. 5. n. 3.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 7. n. 7.* Delben. *c. 16. dub. 10. sect. 4. n. 25.* Wagnereck *in c. inter alia cit. V. nisi publicus Latro, not. 4.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 163.* Illsung. *tr. 5. D. 2. n. 153.* Pirh. *hic n. 39.* Schamb. *n. 43.* Wiest. *n. 75. & duob. seqq.* Magnif. P. Schmier. *p. 3. de Jur. Eccl. c. 4. n. 52.* Illust. D. Præposit. Frising. *tom. 1. cons. 22. n. 42. Ratio est*, quia Leges Civiles servandæ sunt, in quantum non sunt contrariæ Juri Canonico, sed Lex Civilis, ut suprà vidimus, à privilegio Immunitatis excludit Infidelem, qui tantùm simulat se velle converti, & in hoc Lex Civilis non adversatur Juri Canonico; nam istud

istud de Infidelibus nihil disponit, & licèt loquatur de omnibus, adhuc tamen dubium est, utrum voluerit his terminis generalibus comprehendi etiam Infideles. igitur cùm in dubio Lex Canonica interpretanda sit ex Jure Civili, ut communis Regula Jurisperitorum habet, sicut Jus Civile excludit eum, qui simulat se velle converti, ita admittendus est in Asylum Ecclesiæ, vel loci Sacri, qui vult converti. Accedit, quia æquum omnino est, ut Ecclesia faveat ei, qui ipsi inservire cupit; secus ei, qui renuit. Neque aliud Argumentis suis probant fautores primæ, & secundæ sententiæ.

163 *Dubium est*, quando Infidelis ad Ecclesiam fugiens reputandus sit velle converti, quando simulare conversionem? ℣. à DD. assignari hanc Regulam: Dicunt, tunc præsumendum, quòd fugiens, & petens Baptismum velit converti, quando ante patratum delictum, vel conceptum Judicis timorem signa conversionis dedit; at si post patratum scelus, & conceptum Judicis timorem Baptismum petat, simulatè petere præsumendum est, Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 303.* Laym. *l. cit. n. 12.* Delben. *sect. 4. cit. n. 34.* Wagnereck *not. 4.* Haun. *n. 163.* Pirh. *n. 39. fin.* In dubio, cùm nihil præsumi potest, ut rectè Dian. *V. Immunitas n. 14.* notat, Ecclesia ejusmodi Infidelem tueri debet, donec examinetur intentionis, quâ ad Ecclesiam confugit, candor; præsumptio enim, quòd illa petitio sit coacta, & fraudulenta, non est Juris, & de Jure, ut contra Abb. *in c. inter alia cit. n. 6.* docent *l. citt.* Farin. *n. 84.* Laym. *n. 12. fin.* & alij plures ab his allegati.

164 Quæritur 4. an Clerici, & Religiosi gaudeant hac Immunitate? *Certum est* 1. eos hac Immunitate gaudere respectu Judicum Sæcularium; quia præterquam, quòd his subjecti non sint, non oportebat eos esse conditionis deterioris, quàm Laici. *Certum est* 2. eos non gaudere hoc privilegio respectu Judicis Ecclesiastici in criminibus exceptis; nuspiam enim invenitur hoc speciale privilegium. *Dubium* igitur procedit solùm de criminibus non exceptis, & quidem respectu Judicis Ecclesiastici tantùm. Variant DD.

165 *Negant* Asylo ipsos defendi respectu Judicis sui Ecclesiastici, Abb. *in c. inter alia 6. h. tit. n. 13.* Sylv. *V. Immunitas 3. n. 2. q. 2. dict. 3.* Armill. *V. eod. n. 10.* Rosell. *n. 9.* Navar. *Man. c. 25. n. 22.* Azor *p. 2. l. 9. c. 9. q. 9. §. quid de pagano.* Rodriq. *tom. 2. Regul. q. 50. art. 41.* Suar. *l. 3. c. 10. n. 5. & seqq.* Sanch. *Conf. mor. l. 6. c. 1. dub. 8. n. 6.* Fagund. *l. 4. c. 4. n. 52.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 11.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 37. n. 49.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 7. n. 17.* Delben. *de Immun. c. 16. dub. 10. sect. 2. à n. 1.* Bonacin. *tom. 2. D. 3. q. 7. p. 4. n. 5.* Zypæus. *Analys. l. 3. h. tit. n. 9.* Wagnereck *in c. inter alia cit. V. nisi publicus latro not. 3.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 168.* & apud hos plures alij.

Nituntur 1. quia, ut *Bernardus*, *Diaz* 166 *Paz*, *Clarus*, *Gutierez*, & affirmativæ Sententiæ DD. ipsimet agnoscunt, sic praxi receptum est; nam passim Judices Ecclesiastici Clericos delinquentes ab Ecclesia extrahunt, & vinculis ligant sine ullo scrupulo, nec ullus est, qui Immunitatem proclamet, & ratione illius se curet defendere: quæ praxis Juris interpres potiùs, quàm correctoria illius esse videtur, quòd *Gregoriana Constitutio* solis Laicis adversùs Magistratus suos Sæculares Immunitatem firmet. 2. si Clerici Immunitate locali gauderent adversùs Judices suos Ecclesiasticos, gauderent illâ, vel quatenus ea concessa est per Leges Civiles, vel quatenus est data per SS. Canones. *Non primum*; quia Leges Civiles Clericos non attingunt, imò de his, & adversùs Judices Ecclesiasticos nihil possunt statuere *can. bene 1. dist. 96.* & *c. Ecclesia 10. de Constit. Non secundum*; quia SS. Canones, dum Immunitatem concedunt locis Sacris, solùm loquuntur de pœna sanguinis, ut patet ex *c. inter alia cit.* ibi, *Rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra, & vitam.* atqui Judex Ecclesiasticus sanguinis pœnam non irrogat. 3. Immunitas Ecclesiæ non debet derogare potestati Ecclesiæ; cùm enim ab eodem principio oriatur utraque, non erat conveniens, ut una pugnaret adversùs alteram, atqui derogaret potestati Ecclesiæ, si hæc Clericos ad Ecclesiam confugientes punire non posset. ergo &c. 4. Ex tali Immunitate sequeretur Clericos rarò puniri posse ob sua delicta; cùm enim plerumque vivant in Monasteriis, & Ecclesiis, immunes essent à pœna corporali, & quia multi bona patrimonialia nulla habent, puniri etiam non possent in pecunia: conf. eorum scelera plerumque manerent impunita; quod cederet in magnum dedecus, & præjudicium Ecclesiæ, quæ sic censeretur fovere delicta. 5. Judex Ecclesiasticus in Clericum delinquentem sententiam criminis declaratoriam, aut condemnatoriam ad pœnam potest ferre in ipsa Ecclesia *can. præceptum 6. caus. 2. q. 2.* & *c. decet 2.* junct. Gloss. *℣. sæcularium in 6.* ergo etiam extrahere ab Ecclesia; nam sic extrahendo ad pœnam debitam Ecclesiæ reverentiam potiùs conservare censetur. 6. Immunitas Clericorum personalis non impedit, quin puniri possint à Judice Ecclesiastico. ergo nec Localis, cùm hæc sit minor illâ. 7. Immunitas Ecclesiæ læditur, cùm delinquens contra ejus voluntatem inde extrahitur. sed hoc locum non habet ampliùs, cùm Judex Ecclesiasticus extrahit Laicum; nam de Ecclesiæ voluntate extrahitur.

Contrà verò Asyli privilegio etiam ad- 167 versùs Judices suos Ecclesiasticos, spectato

Jure, defendi affirmant Bernard. Diaz. *practic. c. 115. aliàs 123.* Tusch. *v. Ecclesia concl. 9. n. 17.* Clar. §. *fin. q. 30. n. 16.* Navar. *Man. c. 25. n. 22.* Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 16.* Mar. Ital. *de Immun. Eccl. l. 1. c. 3. n. 1.* Decian. *tr. crim. tom. 2. l. 6. n. 1. v. puto ego.* Ambrosin. *de Immun. c. 12. per totum.* Farin. *prax. crim. q. 28. n. 7.* & *Append. Immunit. c. 2. n. 34.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 215.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 37. n. 51.* Sperell. *decis. 59. n. 35. v. contrarium.* Canis. *in c. 1. h. tit. n. 36.* Fagnan. *in c. inter alia 6. h. tit. à n. 78.* Barbos. *ibid. à n. 16.* Dian. *p. 1. tr. 1. resol. 24. & v. Immunitas n. 15.* Pignatell. *tom. 9. consult. 2. n. 15. & seqq.* & hoc teste sæpiùs declaratum est à *S. Congr.* Atque hoc Dian. *n. 15. cit.* extendit etiam ad reum Sacerdotem, cottâ, & Stolâ indutum, extra Ecclesiam inventum ad associandum v. g. defunctum, præcedente Cruce; & à fortiori ad eum, qui extremam unctionem, vel Sacrum Viaticum defert infirmo; nam eadem reverentia, quæ debetur Ecclesiæ, quæ Domus Dei est, majori Jure debetur Sacerdoti, dum in habitu Sacerdotali ministrando repræsentat Christum: unde si in his casibus caperetur, & de aliquo delicto ab Episcopo interrogaretur, ut idem *Diana* docet, non deberet ei respondere, sed opponere posset nullitatem capturæ.

268 *Fundamenta* hujus Sententiæ sunt *1.* quia Jura loquuntur de Immunitate generaliter, & absque ulla limitatione. ergo non debent ad solos Laicos limitari; aliàs Clerici essent deterioris conditionis, quàm Laici. *2.* Ecclesia multo magis defendere debet Clericos sibi subditos, quorum curam specialem habet, quàm Laicos. atqui sic extrahere non potest illos ab Ecclesia; quia impugnare non debet, qui defendere debet *c. conquerente 7. de restit. spoliat.* Gloss. *fin. in c. un. de nat. ex liber. ventr.* *3.* hoc privilegium non personis, sed locis conceditur, vel saltem personis propter locum. igitur omnibus competit, qui ibi existunt. *4.* Ecclesia domus est Clericorum. atqui ut *l. plerique 18. ff. de in Jus vocand.* & *l. nemo 103. ff. de R. J.* habetur, in domo propria, saltem ob causam Civilem, non decet aliquem capere, & vinculis alligare. ergo &c. *5.* Clerici ante assumptum habitum Clericalem gaudebant Jure Immunitatis. ergo etiam post ejus assumptionem; nusquam enim Jure statutum reperitur, quòd is, qui Clericus fit, ea, quæ sibi ut Laico competebant, amittat per Clericatum.

269 Ego cum Zoes. *hic n. 17.* Engl. *n. 18. v. in hac difficultate.* König. *ibid. n. 11.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 24. n. 18.* Monacell. *l. 1. tit. 5. form. 8. n. 12.* & Magn. f. P. Schmier. *p. 3. Jur. Eccl. c. 4. n. 49. & 50.* utrique Sententiæ aliquid tribuendum existimo: atque hinc utor distinctione, & fateor extrahi ab Ecclesia Clericos, & Religiosos posse à Magistratu suo Ecclesiastico, ut puniatur causâ disciplinæ, & correctionis Ecclesiasticæ; non verò extrahi ab eodem posse, ut tradantur Judici, & brachio sæculari, nisi in criminibus exceptis. Et ita testibus Matthæucc. & Monacell. *l. citt.* respondit *S. Congr. Episc. in Bergomensi 5. Dec. 1698. Ratio primi membri* distinctionis est, quia non fuit mens Summi Pontificis, per Immunitatem Ecclesiarum tollere morum correctionem; nam neque Laici ad Ecclesias confugientes pœnam Ecclesiasticam, quæ ad correctionem ipsorum tendit, evadunt. *Atque hinc sequitur*, quòd Superiores si in hunc finem subditos suos extrahant, vel extrahi mandent ab Ecclesia, Censuras, contra violatores Ecclesiasticæ Immunitatis latas, non incurrant, prout censuit S. Congr. Immun. *in Ætina 10. April. 1701.* apud Matthæucc. *l. cit. n. 19. Rationem secundi membri* præ cæteris pono istam; quia non video, quare Clericus debeat esse deterioris conditionis, quàm Laicus, cùm tamen Ecclesia multo magis debeat tueri Clericos, tanquam sibi servientes, & addictos, & quorum curam specialem habet, dummodo cætera sint paria, ut scilicet crimen, quod Clericus commisit, non sit exceptum. Et hoc probare videntur utriusque Sententiæ præcedentis fundamenta, & confirmari per consuetudinem. Quodsi alicubi consuetudo vigeret, ut extra delicta excepta Clerici extraherentur à Magistratu Ecclesiastico ad pœnam etiam corporalem, à Judice Sæculari infligendam, ea consuetudo consuetudo non foret, sed abusus potiùs, & corruptela, ac proinde tanquam Immunitati Ecclesiasticæ contraria tolerari non posset.

Quæritur *5.* an Servi gaudeant Immu- 270
nitate? Dupliciter formari quæstio potest. *1.* an Servus gaudeat Immunitate per respectum ad Judicem? *2.* an ea gaudeat per respectum ad Dominum suum? *De primo* certa est Sententia affirmativa; nam ut cum alijs bene Suar. *l. 3. c. 10. n. 2.* Farin. *Append. Immunit. c. 4. n. 68.* Delben. *c. 16. dub. 10. sect. 13. n. 1.* notant, Servus respectu Judicis, tanquam liber, reputatur, & conditio servi accidentaria omnino est. Unde

Difficultas solùm est de Servo per respectum ad Dominum. *Ratio dubitandi est;* quia Servi dominium habet dominus, & jus ad illius opera, ut notatur *l. præsens 6. §. sanè 5. prope fin. C. de his, qui confug. ad Eccles.* igitur repetere eum dominus, tanquam rem suam, ab Ecclesia potest. *Confirmatur* nam *l. si servus 4. C. eod.* si servus armatus in Ecclesiam irruat, statim extradendus dicitur, vel Domino concedi libera facultas illum extrahendi, ergo multo magis extrahi potest propter alia graviora delicta.

Expediri res ope distinctionis potest: 271
Vel enim Servus à Domino fugiens in Ecclesiam

cleſiam ſe recipit, quia timet privatim ſe à Domino puniendum, vel quia timet ſe ab eodem tradendum Judici. *Si ſecundum*, reſtituendus non eſt; quia, ut paulò antea dixi, reſpectu Judicis conditio Servi accidentaria eſt. *Si primum*, conſiderare oportet cauſam fugæ; nam fugere poteſt Servus, aut nullo, aut levi ſolùm, aut gravi etiam delicto ejus antecedente. *Si nullum, aut leve ſolùm delictum anteceſſit*, reddendus Domino eſt, ſi de impunitate Servi Dominus Juramentum præſtiterit Clericis, & hoc præſtito, ſi nolit redire Servus, compelli à Domino poteſt etiam invitus, & ſi alio modo nil proficiat, ab eodem occupari. *can. metuentes 32. can. id conſtituimus 36. ℣. Servus etiam. c. inter alia 6. ℣. ſi verò ſervus. h. tit. l. præſenti cit.* §. *ſane 5.* Azor *p. 2. l. 9. c. 9. q. 9 ℣. quid dicendum de Servo.* Farin. *append. Immun. c. 4. n. 76.* Delben. *de Immunit. c. 16. dub. 10. ſect. 13. n. 2. & 3.* Fagnan. *in c. inter alia cit. n. 1.* Gonzal. *ibid. n. 8.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 166.* Vallenſ. *hic n. 4.* Zœſ. *n. 12.* Schambog. *n. 39.* Wieſtner *n. 84.*

172 *Si verò grave delictum fuerit*, regulariter Juramentum non ſufficit, ſed ſecuritatem aliam dare Dominus debet; aliàs non obligabitur Prælatus Eccleſiaſticus Servum reddere, ſed compelli debebit Dominus, ut eum vendat, ut præter *citt.* notant Suar. *l. 3. c. 10. n. 2.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 7. n. 19.* Pirh. *hìc n. 31.* *Ratio eſt*, quia Reipublicæ intereſt, ne quis abutatur re ſua, præſertim Servo. Quam doctrinam *Azor*, *Farinacius*, *Gonzalez*, *Zœſius*, *Pirbing*, *Schambogen l. citt.* extendunt etiam ad eum, qui veritus nimiam Domini ſævitiam, ad Eccleſiam fugit; neque enim exponi tanto periculo debet.

173 Porro, quæ hactenus dicta de Servo ſunt, etiam obtinent in colono adſcriptitio, liberto, vel alia hujuſmodi perſona domeſtica, vel conditioni ſubjecta, quæ conquaſſatis rebus certis, atque ſubtractis, ad SS. Eccleſiæ loca ſe contulerit *l. præſenti cit.* ne Patronis, ſeu Dominis per eorum abſentiam obſequia debita denegentur. Gonzal. *in c. 6. h. tit. n. 8.* Honor. *hic n. 9.* Similiter remiges, ad triremes damnati, è carcere, ſeu ab ipſis triremibus, vel dum ad eas tranſportantur, confugientes ad Eccleſiam, extrahendi ſunt, neque Immunitate hac gaudent, ſed reduci ad miniſterium ſuum ſervile debent exemplo Servorum; quamvis enim ad ſtatum ſervilem ex ea damnatione non perveniant. *Auth. ſed hodie C. de donation. int. vir. & uxor.* damnati tamen ſunt ad ſerviendum perſonaliter: & hinc quodammodo Servi ſunt. Gonzal. *l. cit.* & alij apud ipſum. Idem ſtatuendum videtur de militibus deſerentibus miktiam; ſui enim ipſius miles quodammodo furtum facit, ut notat idem Gonzal. *n. cit. in fin.*

174 *Ad Rationem dubitandi* in contrarium allatam dico, Dominum habere dominium in Servum, & in actiones Servi, in quantum hæ ab ipſo præſtari Domino ſine gravi periculo poſſunt. *Ad Conf.* verba illa Legis Angel. *V. Immunitas* intelligit, addita cautione Juris Canonici, nempe ſi Dominus Servo impunitatem promiſerit. Suar. *l. cit.* putat hoc ſolùm intelligi de conditione Servi, ut præſcinditur à delicto; nam ſi delinquat, Immunitate gaudebit, ut alij.

175 Quæritur 6. an Debitor fugiens ad Eccleſiam, aliàs carceri mancipandus, gaudeat Immunitate? Negant Jaſon. *in l. vinum 22. ff. de reb. credit.* & Curtell. *de Immunit. Eccl. l. 1. q. 32. à n. 26.* *Moventur 1.* quia Immunitas Eccleſiaſtica promanat à Jure Eccleſiaſtico, non Civili, ſed Jus Eccleſiaſticum Immunitatem concedit reis tantùm, non autem debitoribus, ut patet ex *can. reum 9. can. frater 10. can. ſiquis contumax 20. can. quiſquis inventus 21. can. id conſtituimus 36. cauſ. 17. q. 4. c. inter alia 6. & c. fin. h. tit.* & *Conſtit. Gregor. XIV. cit.* ergo &c. 2. Servus, fugiens ad Eccleſiam ob ſævitiam Domini, ſecuritate accepta, Domino redditur, ne iſte privetur jure, quod habet, ut Servus ipſi laboret, atqui etiam Creditor jus habet, ut ei debitor ſolvat debitum, vel ipſi laboret, ſi tantùm in ære non habeat. ergo &c. 3. Immunitas ſolùm eſt, ne reus luat pœnam corporalem. *can. id conſtituimus cit.* & *can. deſinivit 35. cauſ. 17. q. 4.* atqui debitor ob debita ſua non incurrit pœnam corporalem. ergo &c. 4. Debitores ad Aſyla fugientes ſæpe ſuſpecti ſunt de fuga. atqui ſuſpectus de fuga capi, & incarcerari poteſt etiam à Judice aliàs incompetente, & die feſto, ut communis DD. habet. ergo etiam in loco Sacro. 5. Plures ex hujuſmodi debitoribus hæc ſua debita contraxerunt ſplendidè, & lautè vivendo, qui deinde ſi Eccleſia ipſos defenderet, ad eandem fugiendo, miſerè ſuos creditores fallerent, quod eſt quoddam Latrocinij genus, ac graviſſimum crimen, & *Famoſitas* appellatur.

176 Sed dicendum, etiam Debitores fugientes ad Eccleſiam, gaudere Aſylo, ne inde abſtrahi ad carcerem poſſint. Ita Abb. *in c. inter alia 6. h. tit. n. 22. & ſeqq.* Sylv. *℣. Immunitas 3. num. 3.* Angel. *℣. eod. n. 15.* Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 14.* Gutier. *l. 3. pract. Civil. q. 1. per totam*, Ambroſin. *de Immun. c. 13. n. 2. ℣. nimis*, Decian. *tr. crim. l. 6. c. 28. n. 34.* Farin. *prax. crim. q. 28. n. 2.* & *in Append. Immunit. c. 3. n. 57.* Azor *p. 2. l. 9. c. 9. q. 9.* Suar. *l. 3. c. 11. n. 2.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 236.* Guazzin. *defenſ. reor. 1. c. 37. n. 50.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 5.* Bonacin. *D. 3. q. 7. de Immunit. p. 4. n. 6.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 8. n. 2.* Barboſ. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 46.* Delben. *de Immunit. c. 16. dub. 11. ſect. 1. n. 1.* Wagne-

reck

reck *in c. inter alia cit. ℣. nisi latro publicus not.* 1. Fagnan. *ibid. n. 57.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 179.* Illsung. *tr. 5. D. 2. n. 262.* Valens. *hic n. 4.* Zœs. *n. 12. & 18.* Pirhing *n. 41.* Schambog. *n. 44.* Wiest. *n 86.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Jurib. Eccl. c. 4. n. 32.* idque apertè sumitur ex *l. Judæi* 1. ibi, *Ut ad Ecclesias confugientes evitare possint crimina, vel pondera debitorum*, & *l. præsenti 6.* ibi *Actione Civili. C. de his, qui confug. ad Eccl.* Ex quo ducitur sequens Argumentum: Ecclesia dispositiones Juris Civilis, non præjudicantes Immunitati à se concessæ, sed potiùs ei faventes, disertè approbat *can. frater. 10. can. id constituimus 36. pr. caus. 17. q. 4.* & *c. inter alia cit.* atqui per Jus Civile in textibus *citt.* Immunitas ijs, qui debitorum causâ se ad Ecclesias recipiunt, apertè adstruitur. ergo hujusmodi debitoribus etiam de Jure Canonico locus in Asylo erit. *Conf.* ex pluribus Declarationibus *S. Congr.* apud Delben. *l. cit.*

177 *Proceditque hoc* 1. etiam in Mercatoribus, & Campsoribus, nisi contrarium consuetudo legitimè præscripta obtineat; quia ut bene Fagund. *l. 4. c. 4. n. 53.* advertit, universaliter de omnibus debitoribus tenendum est, eos sine Sacrilegio invitos ab Ecclesia non posse extrahi.

Procedit 2. in Debitore Tributorum ob rationem modò allatam. *Neque obstat*, quòd Jus Civile permittat extractionem illius ab Ecclesia; quia Ecclesiastica Immunitas non in sola Legum Imperialium approbatione, sed præcipuè in eo fundatur, quòd Ecclesia tutos velit omnes, qui ad ipsam confugiunt, nisi criminis excepti rei sint. Abb. *in c. inter alia n. 24.* Azor *p. 2. l. 9. c. 9. q. 9. ℣. item dubia.* Jordan. *l. 11. tit. 3. num. 239.* Ambrosin. *c. 13. n. 2. ℣. & minus.* Suar. *l. 3. c. 11. n. 3.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 5.* Farin. *Appen. Immun. c. 3. n. 61.* Delben. *sect. 1. cit. n. 6.* Haun. *tr. 1. cit. n. 184.* Zœs. *hic n. 18.* Wiest. *ibid. n. 87.*

Procedit 3. in obligatis ad ratiocinia respectu alicujus administrationis ob eandem concessionis generalitatem. Navar. *Man. c. 25. n. 19. in fin.* Jordan. *n. 240.* Farin. *n. 63.* Delben. *n. 6.* Haun. *n. 185.* Wiest. *n. 88.* cum reliquis *suprà* *Neque obstat* textus *can. uxor. 33. caus. 17. q. 4.* quia textus iste non loquitur de homine libero, sed de Servo: quem, præstita impunitatis securitate, domino restituendum dixi *n. 171.*

178 *Procedit 4.* in fraudulento decoctore suæ substantiæ, ut contra Gutier. *l. 3. pract. civil. q. 1. n. 4. & 15.* Fagund. *de præcept. Eccl. l. 4. c. 4. n. 53.* & alios verius sentiunt Navar. *Man. c. 25. n. 19.* Mar. Ital. *de Immunit. l. 1. c. 5. n. 16.* Farin. *Append. l. cit. n. 64.* Ambrosin. *c. 13. n. 4. in fin.* Dian. *p. 1. tr. 1. resol. 32.* Delben. *sect. 6. n. 4.* Jordan. *n. 241.* Fagnan. *n. 58.* Haun. *n. 186.* Wiestner *hic n. 90.* *Neque obstat* Constitutio Pij V. de his edita, & litteræ jussu Clementis VIII. à Card. de Florentia ad Nuntium Apostolicum Neapolitanum datæ, quibus Regularium Superioribus, sub privationis Officij, alijsque pœnis, arbitrio Papæ infligendis, prohibet, ne Fallitos, Bannitos, fures, decoctores recipiant; nam Constitutioni Pij V. per Constitutionem Gregorij XIV. quæ posterior est illâ Pianâ, teste Fagnan. *l. cit.* quoad fraudulentos Decoctores apertè est derogatum: Litteræ verò illæ Nuntij Apostolici, etsi Pontificis jussu editæ, vim Legis, Ecclesiam universalem obligantis, non habent; quia Bononiam, & Neapolim solùm directæ, in cæteris autem Provincijs, & Romæ nunquam sunt promulgatæ. Accedit, quia illis Litteris Pontifex solùm vetuit, Fallitos, Decoctores &c. Monasterijs recipi, non tamen voluit receptos expelli, & Curiæ Sæculari tradi, *ut c. 3. cit. n. 64.* notat Farinacius.

Neque obstant Argumenta allata in contrarium. *Ad 1.* Reorum nomine in Jure veniunt omnes illi, qui in Judicium pro aliqua re petuntur *c. forus 10. ℣. Reus. de V. S.* sive deinde civiliter, sive criminaliter conveniantur: & ita Rei nomen in hoc loco accipiendum est, tum quia sic Jus Canonicum melius conciliatur cum Jure Civili, quo, ut *suprà n. 176.* dictum est, etiam Debitoribus pecuniarijs Asylum conceditur: tum quia versamur in materia favorabili, in qua argumento à minori ad majus locus est; cùm enim Immunitas hæc concessa sit delinquentibus, à majori sequitur concessam esse debitoribus, ne dicatur Ecclesia favere nocentibus, exclusis innocentibus. *Ad 2.* servi fugitivi possessio, & dominium est apud dominum, non autem debitoris apud creditorem: unde nunquam hic tradi creditori potest, nisi post sententiam, & quasi in pœnam. Ambrosin. *c. 13. cit. n. 2. ℣. contra.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 182.* *Ad 3.* Immunitas constituta est non solùm ad defendendum reum à pœna capitali, sed etiam, ne carcere, & vinculis vexetur *arg. can. definivit 35. caus. 17. q. 4.* *Ad 4.* præterquam qnòd fuga debitoris aliâ viâ impediri possit, nempe appositâ custodiâ, negatur paritas inter locum Sacrum, & tempus feriatum; hoc enim tempore tam SS. Canones, quàm Leges Civiles facinorosum puniri, tormentis subijci, imò supplicio extremo affici permittunt, si bonum publicum ita postulet; non autem permittunt id in loco Sacro. *Ad 5.* ne hujusmodi receptus ad Asylum præjudicet Creditoribus, convenit apud DD. quòd hujusmodi Debitores à Judice, præstita priùs securitate standi, & exeundi per 30. dies, vel saltem cautione juratoria de non condemnandis illis criminaliter, citari possint, & citari

tati cogi ad ſolvendum debitum: & quamvis poſt latam ſententiam liberum ipſis ſit, ut vel ſententiæ pareant, vel ad Eccleſiam redeant, tamen ſi debitor ad Eccleſiam redierit, debitum nolens ſolvere, occupari bona illius poſſunt, & ex ijs ſatisfactio præſtari creditoribus; vel ſi etiam ipſa in Monaſterium debitores recepiſſent, iſtud cogi poterit, authoritate tamen Eccleſiaſtica, ad res illatas Curiæ petenti conſignandas, aut in loco non immuni deponendas, ut pluries reſponſum à *S. Congreg. Epiſcop. & Regul.* teſtes ſunt Dian. *p. 6. tr. 1. reſol. 17.* Barboſ. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 47.* Delben. *c. 16. dub. 11. ſect. 6. à n. 16.* Wieſtner *hic n. 92.* Accedit, quòd etſi derogaretur aliquantum Juri Creditoris, hoc tamen ſolùm indirectè, & per accidens fieret, quatenus ſcilicet in reverentiam Loci Sacri Jura nolunt facultatem concedere, ut extrahi ab Eccleſia poſſint: quod non eſt ultra poteſtatem Jurium; utuntur enim ſic Jure ſuo.

180 Quæritur 7. an ei, qui cùm jam eſſet à poteſtate Sæculari comprehenſus, & carcere concluſus, iſto effracto, ad Eccleſiam fugit, Immunitas proſit? Negant aliqui cum Tholoſan. *Synt. l. 33. c. 22. n. 2.* idque praxi in Gallia obſervari, teſtis eſt *Caſſaneus* apud Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 224.* Militat pro hac ſententia triplex Argumentum. 1. quia talis poteſtati Judicum, & illorum judicio ſe ſubduxit, cui per hoc, quòd conjectus in carcerem fuerit, jam erat ſubjectus. igitur ne Eccleſia videatur fovere delicta, dicendum eſt ita confugientibus Aſylum non prodeſſe. 2. Jura tantùm favent illis, qui in ſua libertate exiſtentes ad Eccleſiam confugiunt: & hinc, ut *Card. Tuſch. Covar. Gutier. Farin. Suar.* & alij multi volunt, ſi Miniſtri Eccleſiæ, delinquentem captum ferentes, per Eccleſiam tranſeant, & eum ducant ad carcerem, vel ad mortem, non prodeſt delinquenti Loci Sacri Immunitas, ſed poteſt eâdem vi, qua introducitur, inde abduci; quia jam captus in Eccleſiam ingreſſus eſt. atqui neque in noſtro caſu delinquens, cùm liber eſſet, in Eccleſiam fugit, ſed poſtquam in vinculis jam conſtitutus eſt. ergo &c. 3. etſi criminoſus in ſua libertate exiſtens, ſi confugiat ad Sacerdotem, qui Evchariſtiam per viam defert, ſit ibi ſecurus, nihilominus, ſi Corpus Chriſti deferatur ad hominem detentum in carcere, is non poterit provocare ad Immunitatem. ergo neque illam prætendere poteſt, qui rupto carcere, ad Eccleſiam fugit; nam par utrobique eſt ratio, ſcilicet quia non liber, ſed in vinculis jam conſtitutus eſt.

181 Sed non obſtantibus his rationibus, dicendum eſt, etiam hoc caſu reo Immunitatem Aſylii non denegandam. Ita Abb. *in c. inter alia 6. n. 32. h. tit.* Navar. *Man. c. 25. n. 19.* Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 13.* Boërius *deciſ. 110. n. 8. & 9.* Clar. *§. fin. q. 30. n. 13.* Decian. *tr. crim. l. 6. c. 28. n. 28.* Gutier. *l. 3. q. 4. n. 10.* Ambroſin. *de Immunit. c. 10. n. 18.* Suar. *l. 3. c. 11. n. 8. & 9.* Farin. *Append. Immunit. c. 15. n. 193.* Bonacin. *q. 7. p. 4. n. 16.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 7. n. 10.* Guazzin. *reor. defenſ. 1. c. 37. n. 38.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 9. v. ſextò aliqui.* Caniſ. *in c. 1. h. tit. n. 26.* Wagnereck *in c. 6. eod. V. niſi publicus latro. not. 2. caſ. 4. n. 2.* Barboſ. *ibid. n. 11.* & *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 46.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 223. & 224.* Delben. *de Immunit. c. 16. dub. 10. ſect. 6. n. 1.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 164.* Zœſ. *hic n. 35.* Engl *n. 17.* Pirh. *n. 30.* Schambog. *n. 38.* Wieſtner *n. 79.* & teſte Barboſ. *l. cit.* reſpondit S. Congr. Epiſc. & Regul. *in Controvenſ. 21. Jul. 1617. in Beneventan. 10. Maij 1619. & in Senogallienſ. 22. Nov. ejusdem anni.* Par eſt ratio de eo, qui cùm jam eſſet captus à Juſtitiæ Miniſtris, ab eorum manibus elapſus fugit ad Eccleſiam: item de eo, quem actu Judex inſequitur, & priùs ad Eccleſiam pervenit, quàm Judex: imò etiam de illo, qui cum è manibus ſatellitum ſe eripere nequeat, eos ſecum ad Eccleſiam pertrahit. Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 24. n. 16.* cum *citt.*

182 *Ratio eſt 1.* quia privilegium Immunitatis conceditur omnibus ad Eccleſiam fugientibus, præterquam in criminibus exceptis. atqui crimen, propter quod carceri mancipatus eſt delinquens, ut ſupponitur, non eſt exceptum, ſed neque exceptum crimen eſt, quòd carcerem effregerit; quia vel nullum eſt, vel excuſabile admodum propter naturalem inclinationem ad fugiendam pœnam, & conſervandam libertatem. ergo &c. 2. qui è carcere fugit, eo ipſo conſtituitur extra vincula, & in ſua libertate, atque ex illa ſe committit protectioni Eccleſiæ. 3. ſic judicatum eſt ſæpiùs teſte *Farin.* & *citt.* juxta quos ex TT. & Canoniſtarum conſilio, tanquam Immunitatis Eccleſiaſticæ violatores excommunicati aliquando ſunt, qui falſarium monetæ è lectorum manibus ab Eccleſia profugum, inde abſtractum, extremo affecerunt ſupplicio: & ſimile quid hic Ingolſtadij accidiſſe teſtatur Haun. *l. cit.*

183 Sententia contraria nullo Jure nititur, nec firma, ac probabili ratione fundatur; nam. *Ad 1.* Judices obtinent ſolùm poteſtatem judicandi reum, dum ipſe reus in eorum Jurisdictione exiſtit; ſecus, ſi extra illam abeat, ſicuti abit ex illa, cùm ad Eccleſiam ſeſe recipit. *Neque obſtat*, quòd ita fugiens Judicem ſpoliet Jure ſibi jam quæſito, conſ. juxta Regulam communem de reſtitutione ſpoliatorum ante omnia videatur eſſe reſtituendus ſpoliato; quia à Regula iſta excipitur caſus, quo facta reſtitutione, inferretur damnum irreparabile, quale in-

ferretur in casu præsenti. *Ad 2.* cum exemplo dato nulla est paritas; nam in casu exempli supponitur, homo captus, & coactus deferri, & ita non intrat Ecclesiam, tanquam locum refugij, sed per illam ducitur, tanquam per aliquam viam. Deinde etsi juxta DD. *citt.* in casu exempli reo Immunitas nulla competat, & Fagund. *l. 4. c. 4. n. 57.* judicet hanc sententiam in Juris rigore veriorem esse, melius tamen alij cum *Suar. Dian. Peregrin.* distinguunt, & limitant, si non alia via sit, per quam duci delinquens possit; nam si alia adsit via, incuriæ Ministrorum tribui debet, quòd per illam reum non duxerint, nec propterea privilegio Immunitatis spoliari reus debet, cùm illud Jura concesserint non tantùm *ad Ecclesiam confugientibus*, sed etiam *in loco sancto residentibus*, prout habetur *can. definivit 35. caus. 17. q. 4.* *Ad 3.* iterum non est paritas; nam in casu *antecedentis* non est alia via, per quam Eucharistia ingredi possit in carcerem, & alias rei ad mortem damnati deberent vel carere semper Sacro Viatico, vel nunquam Judex exequi Sententiam suam posset; omnes enim defenderent se Immunitate.

184 *Dubium est*, an Immunitate gaudeat etiam is, qui fide data, custodi, & Juramento præstito, quòd redire velit, è carcere dimissus, se recipit in locum sacrum? Negant aliqui gaudere, quia non redeundo committit perjurium. Alij cum Azor *p. 2. l. 9. c. 9. q. 9. ℣. quid dicendum* apud Farin. *Append. Immunit. c. 15. n. 199.* distinguunt, & siquidem incarceratio injusta fuit, affirmant gaudere; si justa, negant. Placet universalis assertio, quam tenent Emm. Rodriq. *c. 155. n. 8.* Fagund. *l. 4. c. 4. n. 58.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 225. & 226.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 9.* Farin. *c. 15. cit. n. 200.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 7. n. 13.* Delben. *de Immunit. c. 16. dub. 10. sect. 10. n. 1. & seqq.* Wagnereck *in c. inter alia 6. ℣. nisi publicus latro not. 2. cas. 4. n. 2.* & apud hos alij, qui affirmant universim gaudere Immunitate, nisi reus incarceratus sit pro crimine excepto. *Neque obstat*, quòd non redeundo delinquens committat perjurium; nam perjurium Immunitatem non tollit. Adde, facillimo negotio impetrari posse relaxationem Juramenti; & sic cessabit perjurium.

Adverto autem, quòd licèt, ut dictum est, reus ejusmodi Immunitate gaudeat, & propterea invitâ Ecclesiâ non possit extrahi, Prælatus tamen Ecclesiasticus sic fugientem tradere Magistratui Sæculari possit, præstita priùs cautione idonea de impunitate quoad pœnam corporalem, quam si præstare Judex sæcularis noluerit, tradi eidem reus tam parum poterit, quàm parum quicunque alius. 185

§. V.

De Criminibus, quæ Reum ab Asylo Sacro excludunt.

SUMMARIUM.

186. *Quænam crimina privent Asylo Sacro?*
187. *Quisnam dicatur Latro publicus?*
188. *Quid requiratur, ut ob latrocinium quis excludatur Asylo?*
189. 190. 191. *Corollaria.*
192. *Quid sint Grassatores viarum?*
193. *In quo differant à Latronibus?*
194. *Requisita, ut ob hoc crimen quis excludatur Asylo?*
195. *Quis censeatur esse Populator agrorum nocturnus?*
196. 197. *An Asylo etiam excludatur Diurnus?*
198. 199. 200. *An eo excludatur, qui furtum, vel aliud delictum æquè grave, aut gravius homicidio, vel mutilatione committit in Ecclesia?*
201. *An illo privetur, qui vulnerat in Ecclesia?*
202. *Quid si vulneret ipsos Satellites, ut ex eorum se liberet manibus?*
203. *An Immunitate privetur, qui mutilat, vel occidit in Ecclesia per modum necessariæ defensionis?*
204. *Ex subita ira?*
205. *Vel spe Immunitatis consequendæ?*
206. *An defendatur Asylo, qui existens extra Ecclesiam occidit existentem in Ecclesia?*
207. 208. *Aut viciſſim, qui existens intra Ecclesiam occidit existentem extra illam?*
209. 210. 211. *An in illo privetur, qui cædem, vel mutilationem committit prope Ecclesiam?*
212. 213. 214. *Qui mandat aliquem occidi in Ecclesia?*
215. *Qui vi, aut dolo ex illa aliquem extrahit, & extractum occidit?*
216. *Qui in illa vulnerat, si mors extra eam contingat?*
217. *An qui mutilat, vel occidit in Ecclesia, Immunitate privetur etiam quoad alia delicta antè, vel pòst commissa?*
218. *An qui in una Ecclesia deliquit, & postea fugit ad aliam, in ea tutus sit?*
219. *Quis Judex crimen in Ecclesia commissum punire possit?*
220. *Quis dicendus sit Homicida Proditorius?*
221. *Multi docent, Asylià excludi etiam illum, qui per insidias inimicum suum in-*

incautum occidit, ubi horum Fundamenta.

222. *Explicatur duplex acceptio Homicidij proditorij.*

223. *Ad strictè dictum requiritur amicitia, vel ejus species.*

224. *Et hoc solùm Asylo privare plerique Canonistæ hactenus docuerunt.*

225. 226. 227. 228. 229. *Probationes istius Sententiæ.*

230. &c. *Deducitur, quinam ex hoc capite Asylo priventur.*

235. &c. *Deducitur, quinam eodem gaudeant.*

240. *Diluuntur Argumenta contraria.*

241. *Quinam sint Assassini?*

242. *Sub hoc nomine ab Asylo excluduntur etiam illi, qui Assassinos recipiunt, defendunt, occultant.*

243. &c. *Requisita, ut ratione istius criminis quis excludatur Asylo.*

248. 249. 250. *Utrum Assassini crimen committat, qui pretio conductus occidit Infidelem?*

251. *Aut Inimicum?*

252. *Vel qui constitutus est tantùm ad vulnerandum?*

253. *Vel si ad occidendum si mors non est secuta?*

254. *An Assassinij reus sit testis, pecuniâ corruptus, deponens falsum in Judicio, aut Judex per similem sorditiem innocentem condemnans?*

255. &c. *Requisita, ut aliquis excludatur ab Asylo ratione criminis læsæ Majestatis.*

260. &c. *Præter memoratos casus nullum crimen ab Asylo excludit.*

186 QUæritur 1. quænam crimina privent Asylo Sacro? ℟. Regula est, Immunitate locali defendi omnes, & quoscunque Reos, nisi specialiter à Jure excipiantur. *Excipiuntur* autem 1. Latrones publici *can. sicut antiquitus 6. caus. 17. q. 4. c. inter alia 6. h. tit.* & *Const. Gregor. XIV. sæpius cit.* ibi, *Si fuerint publici Latrones.* 2. Publici Grassatores viarum *c. inter alia*, & *Const. Gregor. citt.* ibi *Viarúmque grassatores.* 3. Depopulatores agrorum *c. inter alia*, & *Const. cit.* ibi, *Aut depopulatores agrorum.* 4. committens homicidium, vel mutilationem membrorum in Ecclesia, vel hujus Cœmeterio *c. fin. h. tit.* & *Const. cit.* ibi, *Quive homicidia, & mutilationes membrorum in prædictis Ecclesijs, earúmve Cœmeterijs committere non verentur.* 5. Homicida proditorius *c. si quis 5. de Homicid.* & clariùs *Const. cit.* ibi, *Qui proximum suum proditoriè occiderit.* 6. Assassini. *Const. cit.* ibi, *Aut Assassini*, & *c. per humani 1. de Homicid. in 6.* vel potiùs istius interprete consuetudine, quæ *c. cit.* verba, *Sit etiam à toto populo Christiano diffidatus*, etiam ad Immunitatis privationem refert. 7. Rei criminis Hæreseos *Const. cit.* ibi, *Vel Hæresis:* quod etiam dicendum de Apostatis à Fide Christiana, & de Schismaticis, quando eorum Schisma cum Hæresi est conjunctum. Abb. *in c. 1. de Apostat. n. 3.* Farin. *prax. crim. q. 28. n. 169.* 8. Rei criminis læsæ Majestatis in ipsam personam Principis. *Const. cit.* ibi, *Aut læsæ Majestatis in personam ipsius Principis rei.*

His Sanctissimus D. N. Innocentius XIII. hodie Ecclesiæ Universali gloriosè præsidens, in nuperrima *Constit.* incipit *Ex quo Divinâ disponente Clementiâ*, editâ *die 15. Jun. 1725.* Addidit, & à favore Sacri Asyli excluſit. 1. Interficientes proximum suum animo præmeditato, & deliberato. 2. Falsificantes Litteras Apostolicas. 3. Ministros Montis Pietatis, vel alterius Telonij, aut Banci pro Depositis Principis, privatarúmque Personarum destinati, furtum, aut falsitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione Arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit. 4. conflantes, adulterantes, vel tondentes quascunque Monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum, quotiescunque in loco, aut Provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum, & commercium; vel ipsas Monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas scienter ita expendere, & erogare præsumentes, ut fraudis conscij, atque participes censeri possint. 5. illos demum, qui sub nomine Curiæ sese introducunt in alienas domos, animo ibi perpetrandi rapinas, eásque reipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earundem ædium, vel etiam extranei, quem ibi fortè reperiri contigerit, dummodo homicidium vel mutilatio sequatur. Ita habetur *Const. cit. §. excludimus.*

187 Quæritur 2. quisnam hic dicatur *Latro publicus*, in ordine ad effectum privationis Asyli? ℟. *Latro publicus* ille dicitur, qui palàm, & in via publica per insidias, aut per violentiam in domibus privatorum aggrediuntur homines, eos spoliant, & resistentibus vulnera, aut etiam cædes inferunt: quales etiam censentur Piratæ, & qui castra incolunt, unde erumpentes vicinis, vel peregrinis damna inferunt. Abb. *in c. inter alia 6. h. tit. n. 5.* Decian. *tr. crim. l. 6. c. 28. n. 2.* Ambrosin. *de Immunit. c. 2. n. 6.* Farin. *Append. Immunit. c. 10. n. 148.* & *149.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 310.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 2. n. 79.* Wagnereck *in c. inter alia cit. V. nisi Latro publicus not. 2. cas. 2.* Engl *hic n. 13.* Wiestner *ibid. n. 100.* & *101.*

188 Ut propter Latrocinium aliquis privetur Immunitate, non sufficit, ut semel illud commiserit quomodocunque, sed opus

est, ut bis, vel ter, aut si semel tantùm, ut de illo certò constet vel per notorietatem Juris, quòd de eo in Judicio spontè confessus, vel legitimè convictus, vel per sententiam condemnatus sit; vel per notorietatem facti, quòd Latrocinium palàm commiserit, ita, ut excùsatione, & exceptione nulla declinari possit *c. vestra 7.* junct. Gloss. *V. non diffitetur de cohabit. cleric. & mul.* Barbos. *in c. inter alia cit. n. 37. & 38.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 38. n. 33. & 34.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 310.* Delben. *de Immunit. c. 16. dub. 13. n. 4. 5. & 8.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 190. & 191.* Præposit. Frising. *consil. tom. 1. cons. 22. n. 12.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 24. n. 4.* & hoc teste sæpius declaratum est à *S. Congr.*

§89 *Ex quo sequitur 1.* Asylo protegi, & defendi furem simplicem, imò & qualificatum, modo non adhibeat violentiam; quia non est Latro, neque grassator. Host. *in c. inter alia cit. n. 4.* Gonzal. *ibid. n. 7.* Fagnan. *n. 39.* Barbos. *n. 3.* Farin. *l. cit. c. 6. n. 93.* Guazzin. *c. 37. n. 59.* Delben. *n. 7. & dub. 14. n. 1.* Zœs. *hic n. 32.* Wiestner *ibid. n. 102.* *Excipitur*, nisi alicubi consuetudo legitimè præscripta contrarium habeat. Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 13. ℣. decimo nonò.* Suar. *l. 3. c. 11. post n. 4.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 82.* Gonzal. *n. 7. cit.* Zœs. *n. 32.* Pirh. *n. 19. ℣. excipitur 2.* Ut tamen vi consuetudinis ejusmodi fures extrahi ab Ecclesia possint, non sufficit, ut ante Constitutionem Gregorianam in tali loco, ubi consuetudo allegatur, extrahi consueverint ab Asylo; sed opus est, ut etiam consuetudine derogatum sit Juri novissimo Constitutionis allegatæ, ut rectè advertit Illsung *tr. 5. D. 2. n. 262.* quia per eandem Constitutionem consuetudines antecedentes omnes sublatæ sunt.

§90 *Sequitur 2.* Asylo etiam gaudere eum, qui per insidias, clàm, & in via privata est deprædatus aliquem; quia Latro solùm ille est, qui prædas agit in vijs publicis: cons. agens prædas in via privata sub nomine Latronis non venit, sive Jus antiquum, sive Constitutio Gregoriana spectetur. Ambrosin. *de Immunit. c. 2. n. 4.* Farin. *Append. Immunit. c. 10. n. 151.* Decian. *tr. crim. c. 28. n. 2.* Wiestner *hic n. 203.*

Sequitur 3. eandem Immunitatem nanciscì illum, qui in via, & strata etiam publica hominis deprædationem solummodo attentavit; quia in pœnalibus, & odiosis, præsertim quæ cedunt in præjudicium Ecclesiarum, actus debent esse perfecti, & consummati. Novar. *Summ. Bullar. tit. de Immunit. n. 46.* Delben. *de Immunit. c. 16. dub. 13. n. 11.* Wiestner *n. 103. cit.*

§91 *Sequitur 4.* securum in Asylo esse, qui hominem palàm in via publica deprædatus est tantùm semel; quia nomen Latronis frequentiam denotat, ut suprà dictum est *n. 188.* & contra Martam *de Jurisdict. p. 2. c. 51. n. 2.* advertunt Abb. *in c. 1. de Judic. n. 24.* Barbos. *c. 3. cit. n. 82.* Wiestner *hic n. 204.* Excipitur, si grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit, juxta *Constit. Ex quo Divinâ cit. §. cùm itaque*, ibi, *Ut aliquis publicus Latro, viarúmque grassator dici, & propterea Asyli favore privatus censeri possit, sufficit una grassatio, in via publica, aut vicinali admissa, dummodo tamen grassati mors aut membrorum mutilatio secuta fuerit.*

Sequitur 5. privilegium Asyli habere illos, qui prædationis actum in loco privato exercuerunt sæpius, aut semel in loco publico, vel sæpius illum attentárunt, etiamsi tales Statuto loci puniantur tanquam Latrones: quia vox *Latro* in ordine ad Asylum non est accipienda secundùm privatam loci alicujus, sed secundùm communi usu receptam significationem; aliàs frustra Gregorius XIV. Constitutione sua Jus Immunitatis ad unam formam reduxisset. Peguer. *Decis. 40. n. 7.* Ambrosin. *c. 3. n. 6.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 38. n. 37. fin.* Sperell. *decis. 103. n. 23.* Wiest. *hic n. 105.* Quod intellige cum limitatione paulò antè appositâ, *Nisi mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit*; tum enim juxta §. *cùm itaque cit.* sufficit, si unica vice crimen istud admissum fuerit.

Quæritur 3. quid sint, & quomodo differant *Grassatores viarum* à Latronibus? §92 *Grassatores viarum* illi dicuntur: qui quasi cum impetu gradiuntur, ut viatores, quibus insidiantur in vijs, & stratis publicis, spolient *l. capitalium 28. §. grassatores 10. ff. de pœnis.* Farin. *Append. Immunit. c. 12. n. 161.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 83.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 9. n. 6.* Wiestner *hic n. 106. & alij.*

Proximum hoc crimen Latrocinio est, hinc nonnulli cum isto illud confundunt; quod inde factum videtur, quòd vox *Grassatores* sumi possit in duplici sensu, scilicet largè, & strictè. Largè accepta comprehendit quoscunque, qui in vijs, & stratis publicis viatores aggrediuntur, & spoliant, abstrahendo, an cum, vel sine cæde id faciant. *Strictè* verò accepta illos duntaxat denotat, qui viatores aggredi, & despoliare solent, non interveniente cæde, sive hominis interemptione.

In prima acceptione ex sententia §93 Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 356.* quam approbat P. Wiestner *hic n. 107.* Grassator à Latrone non differt; differt in secunda: & hinc in Constitutione Gregoriana tam Grassatorum, quàm Latronum mentio fit, ut proinde verba, *Qui itinera frequentata, & publicas stratas obsident, & viatores ex insidijs aggrediuntur* quando id fit, interveniente hominis interemptione, aut vulneratione, ad Latrones; quando

verò

verò id fit ſine iſta, ad Graſſatores ſint referenda.

Alij cum Ambroſin. *de Immunit. c. 3. n. 8.* Farin. *Append. Immunit. c. 10. n. 197.* Delben. *dub. 18. n. 2.* Graſſatores à Latronibus in hoc putant diſtingui, quòd Graſſator viarum ſit ille, qui viatores in urbe obſidet, ut eos ſpoliet, vulneret, vel occidat; *Latro* autem, qui obſidet vias publicas extra urbem, tranſeuntes diſrubando, & ſi reſiſtant, vulnerando, vel occidendo.

Quidquid ſit de hoc diſcrimine, in ordine ad privationem Immunitatis parum intereſt, quis ſpecificè Latro, quis Graſſator dicatur; nam eâ privatur quicunque, qui in vijs, & ſtratis publicis viatores aggreditur, & ſpoliat, ſive deinde illud faciat cum, vel ſine cæde: in qua acceptione *n. 193.* dixi, Latronem à Graſſatore non differre.

194 Ut verò privatio Immunitatis ex crimine hoc inducatur, communiter DD. requirunt 1. ut fiat cum violentia; nam Graſſatores nomen acceperunt à Verbo *Gradior*, quòd quaſi cum impetu gradiantur, ut ex *Nonio* advertit *Decianus* apud Ambroſin. *l. cit. n. 2.* qui proinde Graſſatorem propriè appellari vult illum, qui viarum in urbe, vicorúmque poſſeſſor eſt, obvios injuriæ opportunos ſpolians, aut pulſans, aut intentata morte territans. 2. ut obſideat vias frequentatas, uti patet ex *Conſt. Gregor.* ibi *Qui itinera frequentata*, & ex *l. liberam 1. C. quand. lic. unic. ſin. Jul. ſib. jus dicer.* ibi *Aut itinera frequentata inſidijs aggreſſionis obſederit.* Et verò illius, qui obſiederit vias non frequentatas, non ità atrox videtur crimen, cùm ſibi imputare debeat is, qui injuriam paſſus eſt, quòd per vias inſuetas inceſſerit. Ambroſin. *l. cit. n. 5. v. quodſi.* 3. ut pluries tanti ſceleris fuerit reus. Farin. *c. 12. cit. n. 164.* Guazzin. *reor. defenſ. 1. c. 38. n. 37.* Delben. *c. 16. dub. 13. n. 14.* Sperell. *deciſ. 103. n. 77.* Nicol. *Lucubr. Civil. l. 1. tit. 8. de Immunit. Eccl. n. 28. v. non poſſunt.* Monacell. *append. ad p. 1. fol. 286. n. 3.* Illuſtriſſ. D. Præpoſ. Friſing. *tom. 1. conſ. 22. n. 14.* Quod verum eſt, ſi ſit Graſſator talis, qui Viatores aggreſſus eſt, & deſpoliavit, non interveniente cæde, ſive hominis interemptione, aut mutilatione, quippe qui ſolus juxta *n. 192.* nomine Graſſatoris ſtrictè accepti venit; nam ſi graſſati mors, aut membrorum mutilatio ſecuta ſit, per nuperrimam *Conſtitutionem Innocentianam* §. *cùm itaque cit.* Aſyli Sacri favore, privatus cenſeri debet.

Quæritur 4. quis cenſeatur eſſe *Po-*
195 *pulator agrorum nocturnus?* v. *Populator agrorum nocturnus* ille dicitur, qui de nocte ex propoſito ignem apponit ſegetibus, aut fructibus agrorum, vel arborum, aut alio modo eos diripit, vel devaſtat. Innoc. *in c. inter alia 6. h. tit. V. nocturnus.* Hoſt. *ibid. V. depopulatores.* Ambroſin. *de Immun. c. 4. n. 4.* Delben. *c. 16. dub. 16. n. 5.* Fagnan. *in c. inter alia cit. n. 28.* Engl *hic n. 13.* Pirh. *n. 19. v. excipitur 2.* Wieſtner *n. 109.* Eſtque perinde, ſive animo lucrandi hos deprædetur, ſive ob vindictam, vel alium malum finem datâ operâ devaſtet. Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 322.* Neque neceſſe eſt, ut ejusmodi vaſtatio fiat publicè, ſed quomodocunque facta ex Aſylo excludit, ſi legitimè fuerit probata. Pal. *tr. 11. D. un. p. 9. n. 4.*

Ratio, quare iſti, & prædones, ac Latrones publici Aſyli defenſione excludantur, non excludantur aliorum graviorum etiam ſcelerum rei, eſt; quia hi Reip. quietem, ac tranquilitatem graviter perturbant, & pluribus exitium cogitant, quos præ alijs puniri intereſt *can. eſt injuſta 33. cauſ. 23. q. 4. l. fin. C. quand. lic. ſin. judic.* Gloſſ. *fin. in c. fin. cit.* Guazzin. *reor. defenſ. 1. c. 38. n. 38.* Fagnan. *n. 28. cit. fin.* Schamb. *hic n. 25.* Wieſt. *ibid. n. 109.*

Dubium eſt, an Aſylo gaudeat Po- 196
pulator agrorum diurnus? *Certum eſt*, privilegium Aſyli competijſſe eidem Jure Decretalium antiquo, prout liquet ex *c. inter alia cit.* ubi cùm Pontifex excluſerit ſpecificè Populatorem agrorum nocturnum, cenſetur hoc ipſo Aſyli tutelam reliquiſſe Diurno *arg. l. ſi inter 15. ff. de Except. rei judic.*

Controverſia eſt de moderno Jure poſt *Conſt. Gregorian. cit.* Et quidem Delben. *dub. 17. n. 2.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 9. n. 4.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 24. n. 5.* putant eidem privilegium Aſyli competere; quia exiſtimant *Conſtit. cit.* expeditam eſſe non ad corrigendum, ſed ad firmandum Jus commune, & tollenda privilegia huic contraria *arg. l. ſed & poſteriores 28. ff. de Legib.* igitur ſicut Jus commune antiquum, ut dictum eſt, excluſit Aſylo ſolos Populatores agrorum nocturnos, ita etiam Gregorius in hac ſua Conſtitutione.

Sed probabiliùs etiam Diurnus ex 197
cluditur. Ita Ambroſin. *de Immunit. c. 4. n. 5. fin.* Guazzin. *reor. defenſ. 1. c. 38. n. 38.* Farin. *Append. Immunit. c. 11. n. 161.* Barboſ. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 87. & in c. inter alia cit. n. 43.* Nicol. *l. 1. lucubr. Civil. tit. 8. de Immunit. Eccl. n. 29.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 194.* Monacell. *Append. ad p. 1. fol. 286. n. 4.* Illuſtriſſ. D. Præpoſit. Friſing. *tom. 1. conſ. 22. n. 15.* Wieſtner *hic n. 110.* Colligitur ex *Conſt. cit.* ubi Pontifex omittendo particulam reſtrictivam *Nocturnus* ſatis indicat ſe voluiſſe etiam Diurnum Aſylo excluſum.

Ad Argumentum contrarium patet ex ipſa *Conſt. Gregor.* quòd illa non tantùm ſit edita ad firmandum Jus antiquum

commune; satis enim ibi Gregorius indicat, in ea *Constitutione* casus aliquos supperaddi casibus Jure antiquo exceptis.

198 Quæritur 5. quousque extendi debeat Lex privans Immunitate delinquentem in Ecclesia? *Et 1. quidem dubitatur*, an eâ privetur, qui furtum, vel aliud delictum æquè grave, aut gravius homicidio, vel mutilatione committit in Ecclesia? Affirmant Abb. *in c. fin. h. tit. n. 9.* Clar. §. *fin. q. 30. n. 15.* Covar. *l. 2. var. c. 20. coroll. 21.* Suar. *l. 3. c. 11. n. 6.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 6.* Farin. *prax. crim. q. 27. n. 53.* Canis. *in c. 1. h. tit. n. 29.* Barbos. *in c. fin. eod. n. 4.* Gonzal. *ibid. n. 3. prop. fin.* Zoes. *hic n. 29.* Pirh. *n. 21.* Schambog. *n. 26.* ex triplici ratione. 1. quia delinquens in Ecclesia indignus est ejus immunitate: & ob hanc rationem excipitur committens ibi homicidium, & mutilationem. 2. quia Legis auxilium frustra invocat, quia Legem contemnit *c. quia frustra 14. de Usur.* & *l. auxilium 37. fin. ff. de minor.* sed talis Legem contemnit; quia spe Immunitatis ibidem delinquit. ergo &c. 3. Gregorius in Bulla sua affert rationem universalem, quæ se extendit ad omnia delicta, saltem gravia, nempe, quòd in eo, in quo quis delinquit, puniri quis debeat. igitur intentio Pontificis videtur fuisse excipere omnia delicta gravia in Ecclesia commissa, & cùm postea de homicidio solùm, & mutilatione mentionem fecit, tantùm exempli gratiâ illud fecisse.

199 Sed retinenda est negativa sententia, & dicendum, aliorum criminum, etiam gravissimorum, in Ecclesia commissorum, reos ab Asylo non excludi. Ita Gratian. *Discept. for. tom. 2. c. 380. n. 9. & seqq.* Ambrosin. *de Immunit. c. 5. n. 4. & 6.* Franc. Leo *Thesaur. for. Eccl. c. 13. n. 27.* Farin. *Append. de Immun. c. 16. n. 208.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 338.* Delben. *de Immunit. c. 16. dub. 19. sect. 1. n. 9.* Fagnan. *in c. inter alia 6. h. tit. n. 55.* Novar. *tit. de Immunit. n. 4.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 198. & seqq.* Pignatell. *tom. 2. consult. 67. n. 6.* Illsung. *tr. 5. D. 2. n. 263.* Wiestner *hic n. 114.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Jurib. Eccl. c. 4. n. 45.* Illustriss. D. Præpos. Frising. *tom. 1. conf. 22. n. 20.* & favet apertè Declaratio *S. Congr. Immunit.* quæ *18. Nov. 1631.* statuit, Immunitate gaudere reum furti in Ecclesia commissi. *Ratio est*; tum quia Sententia hæc est favorabilior Ecclesiæ; tum quia privatio Immunitatis est pœna. sed pœna ultra verba Legis extendi non debet; Lex autem, ut ex *c. fin.* & *Constit. Gregor. cit.* constat, solius homicidij in Ecclesia commissi meminit. ergo &c.

Neque Argumenta in contrarium allata efficacia sunt. 200 *Ad 1.* jam sæpiùs dixi in causa Immunitatis non spectari dignitatem ad Ecclesiam fugientis, sed sanctitatem loci: unde nisi crimen exceptum habeat, qualecunque crimen commiserit, æquali semper ratione defenditur. *Ad 2.* Argumentum hoc nimium probat; probat enim, quòd ob qualecunque crimen, modò grave sit, delinquens privetur Immunitate: quod tamen plerique negant, dum adducunt in exemplum solùm gravissima crimina, videlicet adulterium, rapinam Virginum &c. *Ad 3.* imprimis Gregorius rationem illam in Constitutione sua omisit: deinde quòd ratio in *c. fin.* allata universalis sit, solùm probat, quòd justissimè etiam in alijs criminibus id constitui potuisset, non verò probat id defacto fuisse sic constitutum. Quod additur, homicidium, & mutilationem exempli causâ duntaxat fuisse positam, non est credibile; nam expressione illa Pontifex Ecclesiarum Prælatis dedisset occasionem graviter errandi, dum putarent solam mutilationem, & homicidium in Ecclesia commissum ab Asylo excludere. Accedit, quòd longè planiùs, & paucioribus verbis potuisset mentem suam exprimere dicendo, Asylo excludi *in Ecclesia delinquentes.*

Dub. 2. an privetur Immunitate, qui 201 vulnerat in Ecclesia? R. si mors non sequatur, vel sequatur quidem, sed per accidens v. g. ex negligentia, vel imperitia Chirurgi, gaudere Asylo, quamvis magna sanguinis effusio secuta sit; quia vulnerare, etiam cum magna sanguinis effusione, non est mutilare, vel occidere, & solùm mutilanti, & occidenti per *c. fin. h. tit.* & *Const. Gregor. cit.* denegatum Asylum est. Tusch. *V. Immunitas concl. 59.* Boër. *decis. 109. n. 3.* Mar. Ital. *l. 1. c. 5. §. 3. n. 18.* Farin. *Append. Immun. c. 16. n. 227.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 6. n. 10.* Delben. *de Immunit. c. 16. dub. 19. sect. 2. n. 1.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 198.* Hinc teste Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3.* S. Congr. Episc. *16. Nov. 1618.* declaravit, quòd inferens sfrigia in faciem alicujus in Ecclesia Ecclesiæ Immunitate gaudeat, non obstante, quòd tale delictum sit grande, & atrox.

An eadem Immunitas etiam pateat 202 illi, qui post delictum deprehensus à satellite cum ipso per vim intrat in Ecclesiam, & ut se de illius manibus eximat, eundem cum magna sanguinis effusione vulnerat, controversum fecit Curtell. *de Immunit. l. 2. q. 13.* 1. quia talis reus committit in ministrum Principis. 2. non obedit Principi, cui ut subditus obedire debet ex D. Paulo *Rom. 13.* 3. ad Ecclesiam non se recipit liber, cùm jam sit in manu satellitis. Sed Farin. *l. cit.* Delben. *n. 4.* & communis cæterorum affirmant etiam huic patere Asylum ex ratione *n. præc.* allata. Hinc *ad 1. argumentum* Sententiæ adversæ dicunt, non sufficere, ut quis committat in Ministrum Principis, sed illum duntaxat privari Asylo, qui

qui committit in personam Principis. *Ad 2.* imperio Principis in hoc casu prævalet jus naturæ, quod dictat fugam, quando periculum grave imminet; & licitè reus fugit etiam ex carcere. *Ad 3.* Jura generaliter Asylum præbent confugientibus ad Ecclesiam. ergo etiam sic deprehenso à satellite.

203 Dub. 3. an Immunitate privetur, qui in Ecclesia occidit, vel mutilat quomodocunque? *Certum est*, non privari, qui mutilat, vel occidit per modum necessariæ defensionis cum moderamine inculpatæ tutelæ; quia tunc non delinquit, cùm de Jure naturæ liceat vim vi repellere. Delben. *de Immunit. c. 16. dub. 19. sect. 4. n. 2.* In controversiam ducuntur duo. 1. an eâ privetur, qui mutilat, vel occidit in Ecclesia, vel Cœmeterio ex subita ira, sive excandescentia, non ex proposito, sive insidiosè? 2. an illa privatio tangat duntaxat eum, qui occidit, vel mutilavit ex præsumpta spe consequendæ Immunitatis?

204 *Ad 1.* affirmativè respondent *Abb. Covar. Suar. Clar. Farin. Laym. Barbos. Lezan. Bonacin. Delben.* & alij apud Pignatell. *tom. 2. consult. 38. n. 1.* Sed idem Pignatell. *n. 3.* amplectitur partem negativam, & pro se allegat *Joan. Andr. Tusch. Azor. Gutier. Villagut. Azeved. Mar. Ital. Sperell. Novar. Dian. & alios*, itáque decisum refert in Urbe *sub annum 1639.* occasione homicidij commissi in Ecclesia Lateranensi, & observatum in Civitate Neapolitana in Ecclesia Domûs Professæ Societatis JESU: addit sic etiam censuisse S. Congr. Immun. *in Puteol. 14. Jun. 1661.* & *in Algarens. 24. Mart. 1637.* ibi, *Occidens in Ecclesia, provocatus in rixa gaudet Immunitate.* Consentit Monacellus *p. 2. tit. 15. form. 14. n. 2.* qui & ipse pro se allegat sententiam S. Congreg. Episcop. *in Bononiens. 13. Sept. 1619.*

205 *Ad 2.* iterum non desunt DD. apud Delben. *l. cit.* qui existimant, solùm illos ab Asylo excludi, qui ex præsumpta spe Immunitatis occidunt, vel mutilant in Ecclesia, argumento ducto ex *c. fin. h. tit.* ubi Pontifex declaravit, quòd Asylum tollendo occidentibus, vel mutilantibus in Ecclesia voluerit coërcere audaciam illorum, qui spe Immunitatis sic polluebant Ecclesiam. Sed communior sententia cum Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 15. coroll. 22.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 333.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 6.* Fagnan. *in c. fin. cit. n. 28.* Barbos. *ibid. n. 5.* & *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 109.* Delben. *sect. 4. cit. n. 6.* Wagnereck *in c. inter alia ℣. nisi latro publicus, not. 2. cas. 1.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 202.* Zœs. *hìc n. 21.* Schambog. *n. 27.* Wiestner *n. 113.* docet, privationem Asyli extendi ad delinquentem in Ecclesia, etiamsi delictum non admiserit ex præsumpta spe consequendæ Immunitatis. *Ratio est*; quia decisio est absoluta. *Ad Argumentum contrarium* præterquam, quòd novum non sit, ex particulari causa ad universalem prohibitionem faciendam moveri, causa hæc adæquata non fuit, sed præterea alia communis, & generalis, nempe quòd is, qui in Ecclesiam delinquit, frustra illius imploret auxilium. atqui cùm duplex est causa movens ad aliquam dispositionem, cessante una, & perseverante alia, non cessat dispositio, ut bene notat *Covar.* ergo &c. *Conf.* si solùm sub spe Immunitatis in Ecclesia delinquentes privantur Immunitate, inutilis, & impossibilis redditur dispositio Juris; nam posita tali dispositione, nullus cum tali spe Immunitatis peccare potest, cùm impossibile sit spem habere, quòd videat hoc ipso se excludi Asylo.

206 Dub. 4. an privetur Immunitate, qui existens extra Ecclesiam sagittâ, sclopo, vel alio Instrumento occidit existentem intra Ecclesiam? *R.* privari. Ita Navar. *Man. c. 25. n. 71.* Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 15. coroll. 27.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 6.* Suar. *l. 3. c. 11. n. 7.* & *8.* Ambrosin. *de Immunit. c. 5. n. 8.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 326.* Lezan. *V. immunitas n. 11.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 3. n. 21.* Delben. *de Immunit. c. 16. dub. 19. sect. 7. n. 1.* & *seqq.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 113.* Wagnereck *not. cit. cas. 1.* Pirhing *hic n. 25.* Schambog. *n. 30.* Wiestner *n. 115.* *Ratio est*, quia talis revera occidit in Ecclesia; licèt enim occisio initium habuerit extra, executionem tamen, & consummationem (quæ in delictis maximè attendenda est. Bartol. *in l. libellorum 3. ff. de accusat. n. 7.*) habet in Ecclesia, in qua accidit læsio inducens vitæ privationem.

207 An vice versa ille, qui intra Ecclesiam existens sclopo, sagittâ, lapide &c. occidit existentem extra illam in loco profano, Asylo excludatur, controversia est apud DD. Et quidem, quòd excludatur Asylo, docent Abb. *in c. fin. n. 11. h. tit.* Sylv. *V. Immunitas 3. n. 8.* Covar. *c. 20. cit. n. 15.* Azor *p. 2. l. 9. c. 9. q. 14. ℣. quidsi dolo.* Ambrosin. *de Immunit. c. 5. n. 7.* Laym. *n. 6. cit.* Guazzin. *n. 20.* Barbos. *n. 111.* Wagnereck *cas. 1. cit.* Zœs. *hìc n. 24.* Pirh. *n. 25.* Schambog. *n. 30.* Monacell. *append. ad p. 1. fol. 286. n. 5.* *Rationem dant*, quia talis mortis aut mutilationis causam necessariam in Ecclesia, vel Cœmeterio posuit.

208 Sententiam negativam cum P. Wiestner *hìc n. 116.* defendunt Novar. *Summ. Bull. tit. de Immun. n. 51.* Ricc. *p. 5. collect. 1792.* Bonacin. *tom. 2. D. 3. q. 7. p. 4. n. 8.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 328.* Dian. *p. 1. tr. 1. resol. 9.* Delben. *dub. 19. cit. sect. 5. n. 1.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 207.* Matthæucc.

Os-

Offic. Eccl. c. 24. n. 10. Illustriss. D. Præpos. Frising. *tom. 1. cons. 22. n. 17.* *Rationem dant*, quia reipsa, & propriè loquendo non in Ecclesia, sed ex ea occidit, & delictum extra eam consummat; aliàs qui cùm consisteret in Ecclesia S. Petri, ejaculando occideret existentem in Ecclesia S. Pauli, dicendus esset, in utraque Ecclesia occidisse.

Hodie tenenda est prior Sententia; nam *Constitutio Innocentiana* novissima ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excludit etiam eum, qui intra Ecclesiam, vel Cœmeterium existens interficit, aut mutilat existentem extra illam in loco profano, ut videre est in ejusdem *constit.* §. *insuper*, ubi privatio hæc etiam extenditur ad eos, qui confugientibus ad Ecclesiam vim inferunt, atque ipsos ab Ecclesia, alióve loco immuni violenter extractos, & abductos occidunt, vel mutilant.

209 Dub. 5. an privetur Asylo, qui cædem, vel mutilationem committit prope Ecclesiam, in ejus atrio, scalis &c. saltem si post crimen perpetratum ad Ecclesiam fugâ se recipiat? Affirmant privari Host. *Summ. h. tit.* §. *in quantum.* Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 15. coroll. 26.* Gutier. *pract. qq. Civil. l. 3. q. 1. n. 15.* Farin. *prax. crim. q. 28. n. 56.* & *Append. Immun. c. 16. n. 210. ac seqq.* Barbos. *c. 3. cit. n. 116.* & *in c. fin. h. tit. n. 5.* Canis. *in c. 1. eod. n. 31.* Zœs. *hic n. 25.* *Moventur*, quia ante fores, & prope Ecclesiam delinquens in ea delinquere censetur *can. sicut antiquitus 6. can. si quis in atrio 7.* & *can. quisquis 21. caus. 17. q. 4.* cùm generaliter appellatione domûs etiam ostia, cæteráque domibus conjuncta comprehendantur *arg. l. si aquæ 47.* & *l. licèt 48. ff. de contrab. empt.*

210 Sed probabiliùs hic Asylo defenditur. Ita Abb. *in c. inter alia 6. h. tit. n. 18.* Angel. *V. Immunitas* §. *17.* Tabien. *V. eod. n. 10.* Navar. *Man. c. 25. n. 22.* Peregrin. *de Immunit. c. 6. n. 60.* Fagund. *de præcept. Eccl. l. 4. c. 8. n. 45.* Mar. Ital. *l. 1. c. 4. §. 7. n. 16.* Suar. *l. 3. c. 11. n. 9.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 7.* Ambrosin. *de Immunit. c. 5. n. 4.* Dian. *p. 1. tr. 1. resol. 3. & 39. & p. 3. tr. 1. resol. 39.* Lezan. *V. immunitas n. 11.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 333.* Delben. *c. 16. dub. 19. sect. 6. n. 1. & seqq.* Sperell. *decis. 60. n. 14.* Pignatell. *tom. 9. consult. 5. n. 9.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 24. n. 6. 7. & 11.* Magnif. P. Schmier *p. 3. Jur. Eccl. c. 4. n. 40.* Illustriss. D. Præpos. Frising. *tom. 1. cons. 22. n. 19.* *Ratio est*, quia quod certo loco permissum est, censetur alio loco vetitum, & quod in uno loco est vetitum, in alio censetur permissum *l. cùm Lex 22. ff. de Legib.* & *l. cùm Prætor 12. ff. de Judic.* atqui solum homicidium, & mutilatio cum restrictione, *In ipsis Ecclesijs, earúmve Cœmeterijs* commissum, ubi ponitur particula *ipsis*, quæ personalissima est, & interius spatium tantùm demonstrat, sub Immunitatis privatione prohibitum est, ergo homicidio extra Ecclesiam, licèt prope illam, commisso Immunitas est concessa.

Non tamen damnanda est praxis 211 contraria: imò præferenda foret, si constaret de Declaratione Clem. VIII. quam in favorem ejus allegat Farin. *n. 210. cit.* & ostendi posset, eam non intuitu casûs, vel circumstantiæ particularis, sed universaliter factam. P. Wiestner *hic n. 119.*

Ad argumentum contrarium dico, in casu præsenti, quia agitur de privatione Immunitatis, quæ odiosa est, nomen Ecclesiæ sumendum strictè pro interiore duntaxat ambitu ipsius Ecclesiæ.

Dub. 6. an privetur Immunitate, 212 qui mandat aliquem occidi, vel mutilari in Ecclesia? Affirmant privari Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 6.* Farin. *Append. Immunit. c. 16. n. 230.* Mart. *de Jurisdict. p. 2. c. 51. n. 26.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 116.* & *in c. fin. h. tit. n. 9.* Illsung *tr. 5. D. 2. n. 363.* Pirh. *hic n. 25.* Schambog. *n. 30.* & alij apud Delben. *c. 16. dub. 19. sect. 8. n. 3.* *Fundantur 1.* quia talis est verè reus homicidij, vel mutilationis sacrilegæ *arg. c. mulieres 6. §. fin. de sent. excomm.* & *l. utrum 6. ff. ad Leg. Pomp. de Parricid.* 2. quia quod quis facit per alium, per seipsum facere censetur, *Reg. 72. in 6.* & actus mandanti potiùs tribuitur, quam exequenti *c. ut famæ 35. de sent. excom.* 3. quia mandans aliquem ab Ecclesia extrahi, incurrit pœnas latas Constitutione Gregoriana. ergo etiam mandans in ea occidi, privatur Asylo.

Sed probabiliùs ita mandans priva- 213 tionem Immunitatis non incurrit. Ita Ambrosin. *de Immunit. c. 5. n. 9.* Megal. *in 3. part. l. 4. c. 1. q. 1. n. 13.* Bonacin. *de Legib. D. 3. q. 7. §. 4. n. 1.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 9. n. 17.* Lezan. *V. Immunitas n. 11.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 339.* Delben. *sect. 8. cit. n. 1.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 210.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 24. n. 9.* Pignatell. *tom. 9. consult. 22. n. 31.* Præpos. Frising. *tom. 1. cons. 22. n. 18.* Wiestner *hic n. 118.* *Ratio est*, quia Immunitate nemo privandus est, nisi in casibus à Jure exceptis. atqui in Jure occidens, & mutilans privatur Immunitate; mandans autem sub occidente non intelligitur, nisi in lata significatione, quæ in pœnalibus facienda non est. ergo.

Neque contrarium probant Argu- 214 menta opposita. *Ad 1.* aliud est esse reum homicidij sacrilegi, aliud esse reum pœnæ à Jure positivo latæ: prius desumitur à malitia actûs, quæ in mandante æqualis, vel major est; alterum à voluntate Legislatoris, qui uni actui potuit sancire

cire certam pœnam, non sancire illam alteri æquè gravi, vel graviori delicto. *Ad 2.* is, qui facit aliquid per alium, censetur per seipsum fecisse, non realiter, sed fictione Juris, & in ordine ad culpam, non verò in ordine ad pœnam: est autem pœna privans Immunitate in casu nostro solùm imposita ob mutilationem, vel homicidium reale, & non quod fictione Juris tale reputatur. Neque hoc frustra fingitur, sed colligitur ex ipsis Constitutionis Gregorianæ verbis; nam ibi Pontifex loquitur solùm de homicidijs, & mutilationibus, & tollit facultatem interpretandi, & extendendi Constitutionem suam ad alios casus in ea non expressos. *Ad 3.* negatur paritas; nam pœnæ in *Const. cit.* latæ sunt non in solos extrahentes, sed in omnes, qui aliquid agunt contra Immunitatem; privatio autem Immunitatis non est lata in quemcunque, qui aliquid agit contra Ecclesiæ reverentiam, sed in eum duntaxat, qui in ipsa occidit, vel mutilat, qualis spectata verborum proprietate, is tantùm est, quis verè, & realiter occidit.

215 Dub. 7. an privetur, qui vi, vel fraude, ac dolo extrahit aliquem ab Ecclesia, & extractum occidit, vel mutilat? Affirmat Sylv. *V. Immunitas, 3. q. 3.* Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 18. coroll. 33.* Peregrin. *de Immunit. c. 6. n. 16.* Farin. *Append. Immunit. c. 16. n. 232.* Azor *p. 2. l. 9. c. 9. q. 14.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 114. & 115.* Negant Bonacin. *q. 7. p. 6. §. 2. n. 4.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 9. n. 18.* Delben. *c. 16. dub. 19. sect. 9. n. 1.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 212.* Præpos. Friling. *tom. 1. cons. 22. n. 21. Rationem dant*, quia talis, licèt in Ecclesia dederit causam occisionis, non tamen occidit in Ecclesia, nec dedit causam necessariam occisionis; potuisset enim, postquam eum extraxit ab Ecclesia, extra illam non occidere. Nunc tenenda est affirmativa Sententia propter sæpius allegatam *Constitutionem Innocentianam*, quæ *§. insuper* sic extrahentes, & extractos occidentes, aut mutilantes, ut *n. 208.* monui, ab Asylo Sacro excludit.

216 Probabilis tamen adhuc videtur Sententia Pignatelli, qui *tom. 2. consult. 67. n. 2.* putat, Immunitate non privari eum, qui lethaliter vulnerat in Ecclesia, si mors contigerit extra Ecclesiam; quia causa exclusiva Immunitatis non est quomodocunque actio occidendi, sed quatenus conjungitur cum morte. Et hoc certissimum est, si ex causa data in Ecclesia mors sequatur post tempus considerabile; quia tunc remanet etiam dubium, an ex sola causa data in Ecclesia, vel etiam ex alia superveniente sit mors secuta. in dubio autem censendum est pro vulnerante; quia semper, quando est possibile, sumenda est illa interpretatio, quæ excludit peccatum. Addit tamen Pignatell. *l. cit. n. 15.* adversùs sic vulnerantem in Ecclesia ob gravitatem delicti, si Sanctissimus annuerit, procedendum ad pœnam extraordinariam, prout factum *in Tropiens. 14. Maij 1669.* ubi Sacerdos quidam vulnerans lethaliter alium Sacerdotem tempore, quo in Choro cantabantur Vesperæ solennes, & vulneratus Antiphonam, fuit condemnatus ad triremes per decennium à *S. Congreg.* cum Oraculo Sanctissimi. Imò nunc post *Const. Innoc. cit.* si mors extra Ecclesiam ex vulnere intra Ecclesiam accepto reipsa secuta est, & vulneratio facta animo præmeditato, & deliberato occidendi, locum habebit etiam pœna ordinaria homicidij, si non propter Homicidium factum in Ecclesia, saltem ex causa, quod illud factum sit animo præmeditato, & deliberato, ob quale Homicidium eadem *Const. §. excludimus* illius reos ab Asylo excludit, modò vulnus tale sit, ut ei, tanquam causæ, adscribi mors vulnerati possit.

Dub. 8. an qui mutilat, vel occidit 217
in Ecclesia, Immunitate privetur etiam quoad alia delicta antè, vel pòst commissa? Affirmant Tusch. *V. Ecclesia n. 11.* Decian. *l. 6. c. 28. n. 9.* Boër. *decis. 110. n. 10.* apud Delben. *c. 16. dub. 19. sect. 10. n. 2.* si propter homicidium in Ecclesia commissum punitus nondum est. *Rationem dant*, quia dum punitus nondum est, non est Ecclesiæ satisfactum, ac proinde Ecclesia delinquentem à se expellit, ut adeo judicari, & puniri possit ob omnia delicta à se commissa.

Sed Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 15.* 218
coroll. 24. Gutier. *pract. qq. Civil. l. 3. q. 1. n. 18.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 337.* Bonacin. *D. 3. q. 7. §. 4. fin.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 9. n. 23.* Delben. *c. 16. dub. 19. sect. 10. n. 1.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 213.* probabiliùs judicant delictum in Ecclesia factum solùm privare Immunitate pro se, ita, ut pro alijs delictis reo stet Immunitas illibata. *Rationem dant*; quia pœnæ extendendæ non sunt ultra casus Jure expressos. atqui nullo Jure constat, delinquentem in Ecclesia privari Immunitate quoad alia delicta commissa extra Ecclesiam. ergo &c.

Dub. 9. an, qui in una Ecclesia deliquit, & postea fugit ad aliam, gaudeat hujus Immunitate? *R.* negativè; cùm enim una sit per Orbem universalis Ecclesia, licèt multæ sint particulares, qui facit injuriam uni Ecclesiæ, omnes offendisse censetur, Sylv. *V. Immunitas. 3. q. 2.* Ambrosin. *de Immun. c. 5. n. 3.* Farin. *Append. Immunit. c. 16. n. 219.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 38. n. 17.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 110.* Pal. *p. 9. n. 9.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 201.* Schambog. *hic n. 28.* Pirh. *n. 23.* & apud hos *Covar. Azor, Decian. Fill. Bonacin.* Notat tamen Sylv. *l. cit.* de consuetudine

in quibusdam locis contrarium servari, quasi una Ecclesia utatur privilegio suo contra aliam, sicut minor contra alium minorem. Sed nunc *Const. Innoc. cit.* observari in puncto hoc debet, quæ §. *insuper* Reos homicidij perpetrati in Ecclesia non illius tantùm Ecclesiæ, quam violârunt, sed cujuscunque etiam alterius Ecclesiæ Immunitate gaudere nequaquam posse, aut debere expresè declarat, decernítque §. *cæterùm*, nullam deinceps habendam rationem cujuscunque Praxis, à quibuslibet Curijs, aut Tribunalibus introductæ.

219 Dub. 10. quis Judex crimen in Ecclesia commissum punire possit? R. cum distinctione; nam si delictum Ecclesiasticum sit, aut saltem delinquens sit Ecclesiasticus, solùm à Judice Ecclesiastico puniri potest; quia tum extra Jurisdictionem Judicis Sæcularis est. At si delictum sit Sæculare, & delinquens Laicus, utrumque forum fortitur: Ecclesiasticum quidem, quia delictum commissum est in loco Sacro; Sæculare autem, quia huic & persona, & delictum subest. Delben. *c. 16. dub. 19. sect. 10. n. 3. & duob. seqq.*

220 Quæritur 6. quis dicendus sit *Homicidia Proditorius?* Controversia hæc magnis partium studijs est agitata, quæ ortum suum ex eo trahit, quòd multi DD. velint homicidij Proditorij reum esse, & conf. Sacrâ Asylia excludi eum, qui per insidias etiam inimicum suum incautum occidit: contrà alij contendant, ad hoc, ut homicidij proditorij reus aliquis efficiatur, præter insidias requiri etiam, ut illud fiat sub specie amicitiæ. Priorem sententiam defendunt Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 7. ℣. tandem.* Placha *Epitom. l. 1. c. 21. n. 2. ℣. ipse tamen.* Gambacurta *l. 5. de Immunit. c. 28. n. 3.* Gomez *tom. 3. var. c. 3. n. 5. ℣. animadvertendum.* Decian. *tr. crim. l. 6. c. 28. n. 15.* Suar. *tr. 2. de Relig. l. 3. c. 11. n. 12.* Sanch. *Cons. l. 6. c. 1. dub. 8. n. 26.* Farin. *prax. crim. q. 18. n. 24.* Mar. Ital. *l. 1. de Immunit. c. 5. §. 4. n. 3.* Lauren. Matthæucc. *de re crim. controv. 30.* Pignatell. *tom. 1. consult. 48. n. 4.* Hyppolitus Graffetus *Anatom. Nec. Proditor. §. 9.* & apud hunc plures alij, qui tamen non omnes, ut ostendit Sperell. *decis. 185. à n. 5.* sub castris illius militant.

221 *Probant* hanc suam sententiam 1. ex optimis Linguæ Latinæ Scriptoribus, Tito Livio, Cornelio Tacito, Tullio Cicerone, juxta quos *proditio*, & *insidiæ*, etiam hosti factæ, pro Synonymis sunt. 2. ex Jure Civili *l. cujusque 4. ff. ad Leg. Jul. Majest.* ubi istâ teneri asseritur, *cujus dolo exercitus Populi Romani in insidias deductus, hostibúsque proditus erit, & insidiæ*, ac *proditio* pro eodem sumuntur. 3. ex Jure Ecclesiastico, imò Divino *c. fiquis 1. de homicid.* cujus verbis, quæ ex *Libro Exodi* desumpta sunt, is, qui *per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, jubetur ab altari evelli, ut moriatur*, & tantùm *insidiarum*, non verò *amicitiæ*, vel *inimicitiæ* habetur ratio. Cui consonat textus *Deut. c. 19. v. 11. & 12.* ibi, *Siquis odio habens proximum suum, insidiatus fuerit ejus vitæ, surgensque percusserit illum, & moriatur - - - eripiant eum de loco effugij, & moriatur.* 4. ex Constitutione Gregoriana ipsamet; fatetur enim ibidem Pontifex, quòd eâ Constitutione non velit Jus antiquum corrigere, & casus illo exceptos diminuere, sed potiùs *ad terrorem delinquentium & coërcenda illorum facinora ultra id, quod prisca illa Majorum disciplina, & vetus SS. Canonum norma præscripserat, in quibusdam casibus, congrua moderatione adhibita, aliquid permittere,* atqui diminuisset casus Jure antiquo exceptos, si Asylo non excluderetur ille, qui inimicum per insidias incautum occidit; nam hunc *c. fiquis cit.* apertè Asylo privat. ergo &c. 5. ex ratione; quia in proposita Ecclesiasticæ Immunitatis materia nomen *Proditio* potiùs latè accipiendum est, prout includit etiam occidentem per insidias, ut evitetur correctio Juris antiqui, quæ fieret, si acciperetur strictè pro occidente sub specie amicitiæ, aut non inimicum. ergo &c. 6. ex communi usu loquendi; communiter enim pro Homicida proditorio habetur, qui per insidias, vel insidiosam industriam, incautum, & de retro, ac nihil sibi præcaventem, adeoque sublata omni defensione, occidit.

222 Sed distinguendum est inter duplicem Homicidij Proditorij acceptionem, quarum una est lata, & impropria, altera stricta, & propria. *Priori* proditorie occidisse dicitur, quicunque proximi, etiam inimici, vitæ clandestina ejus circumventione, vel occulta machinatione quacunque insidiatur, eúmque nihil mali præcaventem, adeoque ad sui defensionem hìc & nunc impotentem aggreditur, & necat. *Posteriori* ille duntaxat, qui non præcisè per insidias, & dolum, sed sub specie amicitiæ, nullo præcedente rancore, vel per reconciliationem sublato, incautum, nihilque mali præcaventem, aut suspicantem occidit, ut olim Joab Abner, & Amasam *l. 3. Reg. c. 3. & 20.* Adeoque ad Homicidium Proditorium, hoc secundo modo acceptum, requiritur 1. ut fiat per insidias, & per dolum; hoc enim indicat textus *c. fiquis 1. de homicid.* ibi *per industriam, - - - & per insidias*: & clarius patet ex Originali Hebræo, ubi legitur, *Siquis proximum suum occiderit in astutia*; & ex versione Septuaginta, quæ habet, *Si autem aliquis aggressus fuerit proximum, ut occidat eum in dolo*; item in Vatabli versione, ubi habetur, *Si verò aliquis volens, & callidè machinatur proximo suo necem.* 2. requiritur, ut

ratum à S. Congreg. Concil. *3. Dec. 1632.* & à S. Congr. Immunit. *24. Nov. 1651.* & colligitur *arg. l. cùm alter 1. §. quod siquis 18. ff. de S. C. Silanian.* & *l. plus est 1. C. de maleſic.* ubi dicitur, *Plus est hominem extinguere veneno, quàm occidere gladio*: clariſſimè verò habetur in *Conſt. Gregor. cit.* ubi caſus iſte nominatim exprimitur. Dixi, *cum quo nullus præceſſit rancor &c.* nam ſiquis occidat inimicum veneno, non dicitur propriè Homicida Proditorius, & idcirco Aſylo gaudet; quia cùm, ſtante inimicitiâ, habuerit occiſus fundamentum ſibi præcavendi, poterat, & debebat is præcavere ſibi: unde ſi non fecit, ſibi imputare debet.

232 3. Homicida Proditorius eſt, & conſ. Aſylo privatur, qui per inſidias, & induſtriam, nulla præcedente inimicitia, occidit Infidelem, ut contra Ambroſin, *de Immunit. c. 7. n. 12.* Dian. *p. 4. tr. 1. reſol. 46.* Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 6. §. 3. n. 6.* rectiùs docent Peregrin. *de Immun. c. 7. n. 15.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 346.* Farin. *Append. Immunit. c. 8. n. 120.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 9. n. 31.* Delben. *c. 16. dub. 20. ſect. 4. n. 1.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 217. Ratio eſt*; quia licèt ille in fide, in Sacramentis, in Eccleſia &c. nobiscum non communicet, tamen etiam ipſe proximus noſter eſt, & ad eum, tanquam ad illum, qui eandem nobiscùm naturam participat, præceptum de diligendo proximo verè extenditur. Accedit, quia aliàs etiam Homicida Proditorius non eſſet, qui occideret Hæreticum, cùm nec ipſe in Fide, & Charitate nobiscum conveniat.

4. Homicidij Proditorij reus eſt, qui
233 inimicum reconciliatum occidit. Farin. *l. 2. conſ. 168. n. 75.* Delben. *c. 16. dub. 20 ſect. 3. n. 1.* Pignatell. *tom. 1. conſult. 102. n. 4. & ſeqq.* Wieſtner *l. 5. tit. 12. n. 136.* Sed hoc intelligendum eſt de eo inimico, cum quo reaſſumpta eſt ſtricta amicitia per cohabitationes, comeſſationes, & alia conſtantis reconciliationis indicia; nam aliàs inimicus reconciliatus habendus adhuc eſt pro inimico, & conſ. talem occidens homicidij proditorij reus non efficitur. An reconciliati animi ſufficiens ſignum ſit promiſſio, aut fidejuſſio facta de non offendendo, controverſum eſt apud DD. Affirmant *Decian. Peregrin. Curtell. Farin.* apud Delben, *ſect. 3. cit. n. 1.* Sed eodem Delben. teſte *n. 2.* ſatis probabiliter negant Anton. de Marinis *reſolut. quot. c. 174.* Dian. *p. 4. tr. 1. reſol. 33. & V. Immunitas n. 28.* Pignatell. *tom. 2. conſult. 53. n. 16.* Præpoſ. Friſing. *tom. 1. conſ. 22. n. 8.* nam adhuc ſe tueri debebat occiſus, & præſumere perſeverantiam odij. Quod maximè verum eſt, ſi nova offenſionis cauſa poſt reconciliationem ita factam acceſſit, Delben. *l. cit. n. 7.*

5. Similiter Homicidij Proditorij reus 234
eſt, qui procurat abortum fœtûs animati, ut vult Remig. de Gonny *de Immunit. fallent. 14.* & matres, quæ exponunt, vel occidunt proprios ſuos partus, ut putat Farin. *Append. c. 9. n. 139.* ex ratione, quòd ejusmodi fœtus, & infantes impiæ Matris, vel ſceleſti Patris inſidias nec prævidere, nec præcavere valeant. Sed utrumque negant Franc. Leo *Theſaur. for. Eccl. p. 1. c. 13. n. 25.* Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 6. §. 3. n. 8.* Dian. *p. 3. tr. 1. reſol. 72.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 215. fin.* Wieſtner *l. cit. n. 139.* & teſte Delben. *dub. 20. cit. n. 4.* ſatis probabiliter; quia, ut *n. 222.* dixi, proditoriè is propriè occidiſſe dicitur, qui per inſidias, ſeu dolum id non prævidentem occidit, atqui infans non poteſt propriè dici occidi per inſidias, & per dolum; dolus enim eſt fraus ad aliquem decipiendum adhibita; conſ. in infantem ille non cadit, qui ut decipere, ita & decipi non poteſt propriè, cùm deceptio propriè ſit in illum, qui dolum cognoſcere, & præcavere aliqua ratione poteſt.

Contrà Homicidij Proditorij reus 235
non eſt 1. qui corrivalem, competitorem, æmulum, caſu occurrentem, repentè aggreditur, aut ex inſidijs occupatum necat; quia vel præmeditatio, vel ſpecies amicitiæ, ad homicidium proditorium requiſita, deficit, P. Wieſt. *tit. 12. cit. n. 140.*

2. Qui inimicum, etiam per inſidias, etiam dormientem, vel alio modo incautum v. g. à tergo, vel ex feneſtra cum ſclopo occidit: & hoc verum eſt, etiamſi hoc fiat in propria ipſius occiſi, vel occidentis domo, ad quam vel occiſus, vel occidens venit neceſſitate officij, aut debiti exigendi, vel alterius negotij tranſigendi gratiâ; quia hujusmodi Homicidium, etſi ſæpe præmeditatum ſit, non tamen perpetratum eſt ſub ſpecie amicitiæ, vel reconciliationis. Card. de Luca *Theatr. V. & J. de Immunit. diſcurſ. 9. n. 8.* Delben. *dub. 20. cit. ſect. 5. n. 1.* Wieſtner *l. cit. n. 141.*

3. Qui quemcunque, etiam contu- 236
bernalem, amicum, conſanguineum, commilitonem, ſocium occidit in rixa ſubitò orta, vel commotus ad iracundiam ob injuriam verbo, vel facto illatam, ex defectu ſufficientis, & ad proditorium homicidium requiſitæ præmeditationis. Farin. *prax. crim. q. 18. n. 73.* Pignatell. *tom. 2. conſult. 37. n. 17.* Wieſtner *l. cit. n. 142.* Eſtque perinde, ſive id fiat in ipſa rixa, ſive paulò pòſt, quamdiu præſumi, vel rationabiliter timeri poteſt, quòd conceptus ex injuria juſtus dolor, & iracundiæ impulſus adhuc in offenſo duret. Quamdiu verò iſtud præſumi poſſit, non conveniunt DD. aliqui apud Menoch. *de arbitr. caſ. 301. n. 20.* putant extendi hoc tempus poſſe usque ad 30. dies, ita, ut ſi intra illos factum ſit

homicidium, factum censeatur durante eodem impetu iracundiæ; sed quia alijs sententia hæc videtur esse laxior æquo, ipse tandem designationem temporis relinquit arbitrio Judicis, qui id definiet, quod circumstantiæ personarum, loci, temporis &c. suaserint.

837 4. Qui occidit, etiam non inimicum, per industriam, sed non per insidias; quia ad Homicidium Proditorium requiruntur insidiæ, ut patet ex *n. 222.* & sumitur ex *c. siquis 1. de homicid.* ubi copulativè dicitur, *Per industriam, & per insidias. Neque refert*, quòd, ut opponunt Adversarij, hoc modo satis fuisset, si Pontifex posuisset duntaxat voces *Pro insidias*, omissis illis *per industriam*; quia particulæ istæ adducuntur ad majorem declarationem priorum; nam sensum faciunt, *Siquis per industriam insidiosam occiderit proximum.* Argumentum tangit etiam Authores suos; sequitur enim, quòd etiam particulæ *Per insidias* frustra appositæ sint; cùm enim Homicidium, per insidias factum, non possit non esse factum per industriam, positis particulis *Per industriam*, jam excluſum fuisset homicidium factum per insidias. Delben. *dub. 20. cit. sect. 7. n. 7.*

838 5. Qui occidit provocatum ad Duellum, ut contra Ludov. Correa *in relect. ad c. inter alia p. 3. n. 19.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 101.* & Mar. Ital. *l. 1. c. 3. §. 4. n. 42. & seqq.* probabiliùs docet Ambros. *de Immunit. c. 8. n. 12.* Farin. *Append. c. 7. n. 117.* Dian. *p. 4. tr. 1. resol. 46.* Delben. *dub. 20. cit. sect. 6. n. 1.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 218.* Engl *hic n. 15.* Wiestner *l. cit. n. 143. Neque obstat*, quòd ex Trid. *sess. 25. c. 19.* duellantes Excommunicationem incurrant, & privationem Ecclesiasticæ Sepulturæ; quia secundùm dicta *n. 156.* etiam Excommunicati Asylo gaudent, & privatio Sacræ Sepulturæ ademptionem Asyliæ non inducit.

6. Qui per insidias, & fraudem deducit aliquem ad locum, in quo prævidet, eum ab alio occidendum: Ita contra *Remig. de Gouny*, & *Peregrin.* probabiliùs docent Bonacin. *de Excomm. partic. extra Bull. Cœn. §. 2. n. 1.* Dian. *p. 6. tr. 1. resol. 12. fin.* Delben. *dub. 20. cit. sect. 8. n. 1.* Wiestner *n. 146.* Ratio est, quia ex dictis Asylo solùm excluditur, qui propriè, & physicè committit Homicidium proditorium, atqui deducit aliquem, ut ab alio occidatur, ille non occidit propriè, & physicè, sed tantùm moraliter. ergo &c.

839 7. Qui proximum proditoriè vulnerat, aut ei venenum porrigit animo necandi, si mors non consequatur. Ita contra *Navar. Covar. Curtell. Farin. Bobadill.* docent Suar. *l. 3. c. 11. n. 14.* Decian. *l. 3. cons. 18.* & *tr. crim. l. 6. c. 28. num. 17.* Bonacin. *D. 3. q. 7. §. 4. n. 16.* Farin. *Append. c. 9. n. 145.* in hoc se corrigens. Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 347.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 90.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 220.* Zoes. *hic n. 31.* Pirh. *ibid. n. 28.* Wiestner *l. cit. n. 145.* & alij apud Delben. *dub. 20. cit. sect. 9. n. 1.* quia *Constitutio Gregoriana cit. & c. siquis 1. de Homicid.* utuntur verbo *Occiderit*, quod est temporis præteriti perfecti, & denotat actum perfectum, & consummatum.

8. Et multo magis Immunitate gaudet, qui ex proposito, & sub specie amicitiæ propriè proditoriè alapam impingit viro Nobili, vel eum fustibus percutit, ut contra *Bobadill. Villadieg. Curtell. Joan. de Hevia* meliùs docent Decius *l. 1. cons. 54. n. 1.* Ambrosin. *de Immunit. c. 1. n. 14.* Peregrin. *c. 6. n. 24.* Dian. *p. 4. tr. 2. resol. 45.* Delben. *dub. 20. cit. sect. 10. n. 1. Neque obstat*, quòd à Viro Nobili honor æstimetur magis, quàm vita; nam in hac materia non valet Argumentum à paritate, vel majoritate rationis, quia versamur in odiosis, & contra Immunitatem Ecclesiasticam, quæ, utpote favorabilis, potiùs ampliari, quàm restringi debet, præsertim ob particulam taxativam *Tantùm*, quam Pontifex Gregorius XIV. in sua *Constit.* addidit.

Argumentis *num. 221.* in contrarium 840
allatis sæpiùs secundæ sententiæ Patroni putant se congruè satisfacere. *Ad 1.* Livius, & Tacitus non de quibuscunque insidijs, sed cum simulatione amicitiæ conjunctis loquuntur, ut latè declarat P. Wiestner *Tit. 12. cit. n. 115.* Quod ex Cicerone additur, malè intelligunt Adversarij Verbum *Prodere* ab eodem in *Orat. pro Milone* usitatum; nam ibi idem est, quod *nominare, renuntiare, constituere*, ut patet ex ejusdem verbis, ibi, *Scire potuit illo ipso die Lanuvij à Dictatore Milone prodi Flaminem necesse esse. Ad 2.* si verba Legis *cit.* prout ab Adversarijs adducuntur, in sensu copulativo *Hostibúsque* sumenda sunt, meritò proditionis scelus inde arguitur; nam is, cujus insidijs exercitus proditus ibi dicitur, dicitur esse ejusdem Dux, vel miles sub signis merens, cons. insidiæ ponuntur esse conjunctæ cum specie amicitiæ. Ob similem amicitiæ speciem aliæ Leges *citt.* ab Adversarijs *Proditionis* utuntur nomine, ut cùm Servus denuntiat, vel insidiatur Domino suo *l. capitalium 28. §. igni 11. ff. de pœn. l. servum 6. & duab. seqq. C. de Delatorib. &c.* nam servus, cùm tanquam domesticus censeatur affectus Domino suo, si sub hac specie eidem insidietur, meritò Proditoris crimen incurrit. *Ad 3.* textùs illius propter ignorantiam, quâ mente illum Decretalibus inseruerit Pontifex, tam varias explicationes DD. affecrunt, ut tanquam ambigui sensûs ad causarum decisionem adduci nequeat, ut cum

alijs

ut illud Homicidium fiat sub specie amicitiæ ; nam qui inimicum occidit etiam per insidias, & dolum, dici non potest incautum occidisse ; cùm enim sciverit, quòd inimicus ejus esset, occisus debuisset sibi ab illo præcavere, & saltem vel pacem petere, vel apud Judicem de fidejussione de non offendendo instare : quodsi non fecit, sibi imputare hoc debet, quòd occisus fuerit ; neque enim suâ culpâ, & suâ ignaviâ potest efficere, ut alter evadat proditor. Certè si ad proditorium homicidium sufficeret occisum esse quomodocunque nihil tale præcaventem, proditoriè occidisse dici deberet, qui furem inermem in flagranti deprehensum occidit.

223 Imò ut Pignatell. *tom. 2. consult. 37. n. 15. & seqq.* pluribus *citt.* contendit, non sufficit sola amicitia, sed requiritur ejus species, seu ut sub specie amicitiæ rancor internus tegatur : hinc quando inter occisum, & occidentem datur vera, & solida amicitia, vult Author *cit.* homicidium præsumendum esse casuale potiùs, ac improvisum, quod ex nova alia, & inopinata causa, inter ipsos tunc contingente, contigerit. Communior tamen DD. est sufficere ad homicidium proditorium solam amicitiam cum negativa rancoris præcedentis, & structis insidijs, quæ ipsæ præmeditationem indicant. Et quidem amicitia hæc probabiliùs non debet esse particularis, sed sufficit communis, quam homo homini, & maximè fideles inter se debent. Et hinc, qui per insidias, aut à tergo occidit proximum suum, cum quo nullas antecedenter inimicitias habuit, licèt cum eo etiam non habuerit amicitiam aliquam particularem, jam censebitur homicidij proditorij reus. *Ratio est*, quia, ut Sperell. *decis. 185. n. 20.* notat, natura inter homines, & Lex Christi inter Christianos jus cognationis constituit, juxta illud Apostoli : *Unum corpus sumus in Christo, singuli autem alterius membra.* Rom. *12. v. 4.* & rursus : *Quoniam sumus invicem membra.* Ephes. *4. v. 25.* quo fit, ut amicitia ista communis regulariter præsumatur, ut multis *citt.* notat Sperell. *l. cit. n. 21.* conf. eo ipso, quòd inter duos nulla adest inimicitiæ occasio, alter de altero, uti de præsumpto amico confidit. His notatis, ad quæstionem *n. 220.* propositam.

224 *Doctores* alij hactenus docuerunt, utroque nunc explicato modo acceptum crimen Proditorij Homicidij esse crimen atrocissimum, & supplicijs gravissimis dignum, Asylo tamen excludere solùm secundo modo acceptum. Ita Joan. Gerson *p. 2. Serm. de Cœn. Domin.* Clar. §. *Homicidium n. 10.* Peregrin. *de Immunit. c. 7. n. 2.* M. Ant. Genuens. *c. 76. n. 2.* Vincent. de Franch. *decis. 713.* Ambrosin. *de Immunit. c. 6. n. 3. & 4.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 342.* Villagut. *de Extens. Leg. c. fin. n. 16. fin.* Gutier. *pract. qq. civil. l. 1. q. 2. n. 9.* Farin. *Append. Immunit. c. 9. n. 137.* ubi mutavit opinionem suam. Guazzin. *reor. defens. 1. c. 38. n. 40.* Delben. *de Immunit. c. 16. dub. 20. sect. 5. n. 1.* Sperell. *decis. 23. à n. 6. & decis. 185. per totam*, Fagnan. *in c. inter alia 6. h. tit. n. 49. & seqq.* Barbos. *ibid. n. 46. & l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 91.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 214.* Pignatell. *tom. 9. consult. 5. à n. 1.* ubi recantat antecedenter à se dicta. Monacell. *Append. ad p. 1. fol. 287. n. 6.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 24. n. 12.* Zœs. *hic n. 28.* König *ibid. n. 10.* Wiestner. *l. 5. tit. 12. n. 122.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Jur. Eccl. c. 4. n. 35. & 4. seqq.* Illustris. D. Præpos. Frising. *tom. 1. conf. 22. n. 6. & seqq.* tenéntque sententiam istam, ut fatetur pars adversa, ex Canonistis, & TT. ferè omnes ; ex Legistis ejusdem Patronos Sperellus *decis. 185. cit. à n. 44. & n. 80.* enumerat plusquam sexaginta, ut adeo P. Wiestner *l. cit.* cum alijs concludat, sententiam istam omnino esse certam, nec in dubium amplius revocari posse, cùm tot DD. suffragijs corroborata sit.

Probant 1. authoritate Clementis 225
VIII. qui ad casum Panormitanum, cùm quatuor illorum, qui Nobilem quendam suum inimicum per insidias ex fenestris tormenti bellici brevioris ictu occiderant, & ad Ecclesiam confugerant, peteretur extraditio, Brevi Apostolico die 6. Febr. 1597. desuper edito disertè declaravit, omnes istos Ecclesiasticâ Immunitate gaudere, & frui debere, licèt duos illorum ex rationabilibus causis animum suum moventibus voluerit Curiæ Sæculari tradi. Neque movere debent, quæ in contrarium de mente istius Summi Pontificis scripsit Mar. Ital. *l. 1. c. 5. §. 4. n. 1. & seqq. in discurs.* sed potiùs credendum Farinacio, qui, ut ipse *l. cit. n. 143.* scribit, præsens eundem Pontificem oretenus informavit, & ore proprio respondentem audivit, ac propterea censuit à nostra Sententia in judicando nullatenus recedendum, cùm utique Legislator, & Successor ejusdem Legem suam explicare, & interpretari mentem illius possit.

2. Declarationibus S. Congregat. 226
Episc. & Regular. Immunit. & Concilij, quæ, ut Sperell. *decis. 185. cit. n. 93.* testatur, hanc sententiam secta est, & sectatur semper, dum constanter in Declarationibus ejusdem negatur Proditor esse ille, qui sclopo occidit inimicum etiam per insidias à tergo, & ad probationem Homicidij Proditorij requiritur amicitia præcedens, ut videre est *in Regiensi 12. Oct. 1602. in Consentina. 8. April. 1603.* & *alia 16. April. 1611. in Milevitan. 2. Aug. 1619. in Bojanensi 6. April. 1622. in Beneventana 18. Aug. 1637.* &c. quibus, cùm uniformiter

emanârint, si non Jus, saltem Stylus, qui instar Juris custodiendus est, meritò inductus fuisse credendus est. Certè hujusmodi Decreta Congregationum, cùm saltem vim interpretandi SS. Canones authoritativè habeant, accedente præsertim consensu Canonistarum, & TT. ferè unanimi, non modicè majorem fidem merentur, quàm mereatur authoritas DD. adversæ sententiæ, qui præterquam quòd longè pauciores sint, nequaquam tot Argumentorum momentis fulciuntur.

227 3. Constitutione Gregoriana *cit.* ubi Pontifex non Juris antiqui terminis, *Siquis per industriam, & per insidias &c.* sed alijs, & clarioribus utitur, nempe istis, *Qui proditoriè proximum suum occiderint*: quæ verba in sensu proprio, & Urbis, Orbisque usu recepto, ut P. Wiestner *tit. 12. cit. n. 129. & seqq.* latè ostendit, necem non per qualescunque insidias, sed per amicitiæ simulationem proximo conscitam significant. debent autem Legum humanarum verba, cùm possunt, secundùm propriam, & communi usu approbatam significationem accipi, ut Regulæ instar sumitur ex *c. inter 2. ℣. sed neque de translat. Episc. l. librorum 52. §. quod tamen 4. & l. non aliter 69. ff. de Legat. 3.* Imò si proditoriè occidisse in sensu Constitutionis Gregorianæ dicendus esset, qui per insidias quomodocunque occidit, frustra Pontifex præter Homicidas Proditorios mentionem fecisset de Latronibus publicis, & Assassinis; nam & isti occidunt ex insidijs, ut ex illorum Definitionibus patet.

228 4. Praxi Curiarum, juxta quam passim in eos solùm, qui proximum, amicitiæ specie deceptum, occidunt, tanquam in Homicidij Proditorij reos proceditur, prout de supremo Senatu Castellano, & Curia Neapolitana testatur M. Ant. Genuens. *Prax. Neapol. c. 94. n. 2.* & Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 219.* de Urbis Romanæ, cæterisque Italiæ, imò Christiani Orbis plurimis Tribunalibus *Covar. Bajard. Decian.* apud Sperell. *decis. 23. n. 1.* & *decis. 185. n. 72.* Imò Gizzanell. *decis. 16. n. 3.* testatur fuisse conclusum, quòd disputare super hoc articulo esset supervacaneum, & potiùs pertinacia, seu magis impertinentia, cùm usque ad annum 1600. per modum Legis universalis fuerit junctis Tribunalibus canonizata sententia *Bartoli*, quòd verè inter inimicos non possit cadere delictum proditorium.

229 5. Ratione: quia cùm causa Immunitatis sit favorabilis Ecclesiæ, semper sumenda est illa interpretatio, quæ privilegium istud potiùs extendit, quàm restringit. ita extenditur, si nomen Homicidij Proditorij sumatur in sensu stricto. Imò hoc sensu acceptum est verè, & propriè proditorium; nam ut Bartol. *in l. perspiciendum 11. §. delinquitur 2. ff. de pœnis* advertit, Proditor ille propriè est, & dicitur, qui unum in actibus externis, aliud in corde gerit, ut patet exemplo Judæ, qui animo cum Judæis, corpore, & ore cum Christo fuit, & ideo, quia specie amicitiæ, dando osculum, eundem tradidit, *Proditor* appellatur: & sic juxta *Bartolum* Homicida Proditorius, acceptus in sensu proprio, ille duntaxat erit, qui sub specie amicitiæ, societatis, officij, fidei de non offendendo datæ occidit proximum. *Bartolo* consentiunt Igneus *in L. & si percussor 6. §. si unus 2. ff. ad Silanian. p. 2. n. 14. & 15.* Joan. Andr. *in c. 1. pr. de homicid. in 6.* Cæval. *opin. comm. q. 817.* Gomez. *l. 3. var. c. 3. n. 5.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 38. n. 48.* Gratian. *discept. forens. c. 619. n. 23.* Sperell. *decis. 23. n. 4.* & omnes cæteri *n. 224.* allegati.

230 *Ex quo sequitur* 1. quòd Homicidij Proditorij reus, & cons. Asyliæ tutelâ excluſus sit, qui parentem, conjugem, dominum, familiarem, contubernalem, commilitonem, socium mensæ, vel itineris &c. nullâ inter eos præcedente rixâ, aut inimicitiâ, atque adeo nullam metuendi causam habentes deliberatò occidit. Ambrosin. *de Immunit. c. 6. n. 3.* Farin. *Append. Immunit. c. 9. n. 138.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 342. & 343.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 38. n. 40.* Barbos. *l. 2 Jur. Eccl. c. 3. n. 95. & 96.* Delben. *de Immunit. c. 16. dub. 20. sect. 2. n. 5.* & hoc teste declaratum est à *S. Congr. Trid. Interpp.* modò insidiæ intervenerint; nam proditio sine insidijs non fit. Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 219.* Imò his intervenientibus, non est necessaria amicitia specialis, sed sufficit communis, quam homo homini debet, si homicidium fiat in ijs circumstantijs, ut occisus sibi ab occidente præcavere non potuerit, vel debuerit, ut insinuavi *n. 225.* & indicat Haun. *l. cit. n. 213.* dum ait, ad Homicidium Proditorium non requiri, ut occidens cum occiso habuerit amicitiam Philosophicè sumptam, cujus effectus est communicatio omnium bonorum.

231 2. Homicida Proditorius est, qui proximum, cum quo nullus præcessit rancor, & inimicitia manifestata, occidit veneno. Ita Bald. *in l. nemo C. de Summ. Trinit.* Gomez *l. 3. resol. c. 3. n. 7.* Suar. *tom. 2. de Relig. l. 3. c. 11. n. 12.* Peregrin. *de Immunit. c. 3. n. 6.* Farin. *Append. Immunit. c. 9. n. 142.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 8.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 94. & in c. inter alia 6. h. tit. n. 47.* Wagnereck *ibid. V. nisi Latro publicus. not. 2. cas. 3.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 9. n. 30.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 215.* Pignatell. *tom. 9. consult. 37. n. 13.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 24. n. 12.* Pirh. *hic n. 28.* Schambog. *ibid. n. 33.* éstque testibus Pignatell. & Matthæucc. *l. citt.* declaratum

alijs notat Sperell. *decis. 185. n. 14.* Ut eviteur correctio Juris verba illa, *Et per insidias* intelligi debent de Homicidio proditorio; nam hoc solum exceptum Pontifex voluit ab Asylo: & quidem non Proditorium solùm latè, sed strictè cum simulatione amicitiæ; sic enim declarâsse censetur Clemens VIII. in Brevi suo, cujus memini *n. 225.* ubi pronuntiat gaudere Asylo reos homicidij per insidias in inimico, conf. proditoriè in minùs stricto sensu perpetrati: est autem cujusque Legislatoris Leges suas declarare in dubio, & ubi talis declaratio datur, non est amplius locus DD. opinionibus, cùm authoritate D. Petri cedere debeant. Ad id, quod additur ex *Deut.* præterquam quòd vi Juris *Deuter.* defensi Asylo fuerint soli Homicidæ Casuales, Lex illa tantùm Judicialis fuit, quæ Christi morte exspiravit, neque Jure Ecclesiastico, aut alio resuscitata est. *Ad 4.* patet ex *n. 227.* quæ fuerit mens Gregorij XIV. Si corrigere non voluit Jus antiquum, saltem voluit illud interpretari: & hac interpretatione standum est. *Ad 5.* Proditionis nomen potiùs accipiendum est strictè, cùm versemur in re odiosa, & exclusione à privilegio. *Ad 6.* Communis ille loquendi modus, quem allegant Adversarij, vulgaris est: ego illi oppono usum communem loquendi non vulgi, sed Doctorum, à quibus *Proditor* communiter habetur is, qui sub specie amicitiæ, vel officij aliquem interimit, pro quo Sperell. *decis. 185. n. 42.* citat *Bald. Remig. Gonny. Gutier. Guidop. Bonacurs. Gizzanell. Catalan. Joan. Bapt. de Leonardis, Vincent. Franch. &c.*

Hanc sententiam, quæ solos Homicidas Proditorios, extra Ecclesiam, & Cœmeterium occidentes, à Privilegio Asyli excludit, in prima Editione tenui, secutus authoritatem DD. & Rationes à *num. 224.* allatas. Nunc verò muto sententiam, & dico, etiam eos, qui per insidias inimicum, nihil ejusmodi præcaventem, occidunt, privari Asylo Sacro, non quidem, quasi isti Homicidij verè Proditorij rei sint (eatenus enim valent Argumenta hujus secundæ sententiæ) sed quia tale Homicidium committi solet animo præmeditato, & deliberato, cujus reos nuperrima *Constit. Innoc.* sæpiùs allegata §. *excludimus cit.* ab hujus Asyli favore expressè excludit, sublatis quibuscunque Interpretationibus DD. super Bullam Gregorianam antea factis, praxi Curiarum, & Tribunalium, & ipsis etiam Declarationibus S. Congr. Cardd. Immunitati Ecclesiasticæ præpositorum, quatenus dictæ Constitutioni adversantur: idque meritò, ut sic *delinquentium audacia, ac ejusmodi delictorum frequentia* (ut in dicta *Constit. Innoc.* dicitur, & multi hactenus desiderabant) *quantum fieri potest, coërceretur.*

241 Quæritur 7. quinam sint *Assassini*, & propterea Asylo Sacro priventur? ℣. *Assassini* olim dicebatur populus infidelis, Phœnici adsitis montibus, & scopulis circumdatus, cujus Religio, & fidei dogma præcipuum erat, observare Principis sui nutus, & imperia, præsertim in trucidandis Principibus, & Magistratibus Christianis. Hodie, translato ab ipsis vocabulo, & significatione extensa, Assassini vocantur quicunque tam fideles, quàm infideles qui pecuniâ, aut alia re pretio æstimabili datâ, vel promissâ conducti, aliquem cujuscunque statûs, vel conditionis Christianum, non præcaventem occidunt, vel etiam occidi mandant; utrique enim Asylo privantur. Gurier. *pract. l. 3. q. 7. n. 4.* Ambrosin. *de Immunit. c. 7. n. 2. & seqq.* Farin. *Append. Immun. c. 8. n. 122.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 9.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 38. n. 41.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 97.* Delben. *de Immunit. c. 16. dub. 21. sect. 1. n. 1. & seqq.* Wagnereck *in c. inter alia V. nisi publicus Latro cas. 4. not. 2.* Pignatell. *tom. 9. consult. 43. n. 4.* Engl *hic n. 13. V. Assassinos.* Wiestner *l. 5. tit. 12. n. 149.* Præpos. Frising. *tom. 1. conf. 22. n. 33.* Sícque decisum est in *Const. Innocentian.* sæpiùs allegata §. *adhæc.*

242 *Et extenditur* etiam ad eos, qui Assassinum receptaverint, vel defenderint, vel occultaverint, ut ea receptatione, defensione, occultatione verè causa fuerint necis per illum illatæ. Ita *l. citt.* Gutier. *n. 57.* Farin. *n. 124.* Barbos. *n. 97.* Pignatell. *n. 16.* Wiestner *n. 153.* & approbat Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 229.* Debent autem, ut bene Pal. *tr. 11. D. un. p. 9. n. 41.* notat, sic auxiliantes cognoscere, quòd ij, quos ita juvant, Assassini sint, & ijs, quatenus tales sunt, præstare auxilium; aliàs pœnas evitabunt.

243 Dub. 1. quid requiratur, ut Asyliæ privatio incurratur per Assassinium, & verus Assassinus dici aliquis possit? ℣. 1. requiritur, ut interveniat pretium, vel alia res pretio æstimabilis; nam qui sine pretio, aut sine prævia pretij promissione aliquem interficit, ut alteri rem gratam præstet, Assassinium non committit, cùm non dicatur occidere accepto, vel promisso pretio. Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 10.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 364.* Ambrosin. *l. cit. n. 8. & 9.* Farin. *n. 130.* Guazzin. *n. 42.* Engl *V. Assassinos cit.* Et quidem non sufficit, ut quomodocunque delinquat circa pretium; quia etiam milites hoc modo Assassini forent: sed necesse est, ut suscipiat mandatum occidendi hominem pretio convento, ut cum *Alciato* notat Ambrosin. *l. cit. num. 7.* Et hinc Assassinus non est, qui propriam injuriam ulciscitur, socijs pecuniâ conductis. Ambrosin. *n. 10.*

2. Ut

244 2. Ut promissio pretij facta sit ante scelus patratum, & pro ipso scelere; nam qui alterum necat solùm spe præmij obtinendi à mandatore, Assassinij reus dici nequit. Stephan. Gratian. *discept. for. c. 298. n. 12.* Sperell. *decis. 102. à n. 7.* Ambrosin. *l. cit. n. 8.* Farin. *n. 129.* Guazzin. *n. 42.* Delben. *n. 15.* Haun. *n. 224.* Wiestner *n. 155.* Præpos. Frising. *n. 34.* Idem dicendum de eo, qui post scelus patratum accepit præmium à mandante, vel ante scelus pecunias pro expensis itineris; nam pretium accipi debet pro ipso homicidio, & quidem ex condicto, & pacto facto. Jordan. *n. 358.* Ambrosin. *n. 9.* Farin. *n. 127.* Delben. *n. 14.* Non est autem necessarium, ut mandatarius defacto acceperit pretium, sed sufficit, si ei promissum sit, & ipse promissionem acceptârit; nam promissio hæc acceptata æquivalet perceptioni pecuniæ. Pal. *tr. 11. D. un. p. 9. n. 34.* Delben. *l. cit. n. 8.* Haun. *n. 223.* & patet ex *Const. Innoc. cit. §. adhæc*, ex cujus præscripto in ordine ad incurrendam privationem Asyli ratione Assassinij, à Mandantibus, & Mandatarijs incurrendam, nihil refert, *quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodo Assassinium reipsa patratum fuerit.* Secus foret, si promissio acceptata non fuisset; nam promissio non acceptata, cùm non pariat obligationem, non est pretio æstimabilis: & sic non æquivalet pecuniæ. Delben. *n. 13.*

245 3. Ut promissio sit certa, & specifica; nam siquis ad promissionem alterius tantùm vagam, & generalem, e. g. quòd mandans mandatario dicat, se nunquam defuturum ipsius necessitatibus, occidat, cùm talis promissio obligationem non pariat, occidisse gratis præsumitur, prout docent Bald. *cons. 383.* Bajard. *ad Clar. §. Assassinium num. 7.* Jordan. *l. cit. n. 359. & 365.* Ambrosin. *n. 9.* Farin. *n. 131.* Barbos. *n. 97.* Guazzin. *n. 42.* Pignatell. *tom. 2. consult. 58. n. 7.* *Præsumitur*, inquam; nam si revera tali promissione ad occidendum alterum mandatarius inducatur, hoc Homicidium verè Assassinum esse dicendum est, & præsumptio cedere veritati debet. Wiestner *l. cit. n. 159.*

246 4. Ut promissio, & præstatio sit in notabili, & tali quantitate, ut credi possit mandatarius eâ inductus ad occidendum; nam si pro occisione rem parvæ admodum quantitatis, vel pretij accepit non censetur per eam esse inductus ad crimen adeo enorme patrandum Capyc. *decis. 155. n. 4.* Dian. *p. 6. tr. 1. resol. 11.* Jordan. *n. 357.* Quod tamen procedit in dubio, quando non constat de contrario; nam si de contrario constat, & mandatarius illius rei promissione, vel præstatione inductus ad occidendum est, quantumcunque exigui valoris fuerit, quod est promissum, vel datum, ad Assassinium, & privationem Immunitatis sufficit: imò pretij levitas delictum potiùs auget, quàm minuit, quòd majorem malitiam, & crudelitatem arguat in occidente. Pal. *p. 9. cit. n. 35.* Delben. *n. 10.* Haun. *n. 222.* Wiestner *n. 158.* Præpos. Frising. *n. 34.*

247 5. Ut pretij datio, sive promissionis executio sit in potestate promittentis, vel saltem ut iste conferre operam suam possit, ut sicarius rem promissam obtineat. Hinc ex probabiliore ad Assassinium constituendum sufficit, si mandans promisit interfectori nuptias suæ filiæ, & ea promissione iste ad occidendum inductus est, quia etiam talis promissio pretio æstimabilis est, & promittens vi talis promissionis, secuta nece, obligatur ad conatum, & diligentiam adhibendam, ut Matrimonium filiæ cum interfectore persuadeat. Pal. *p. 9. cit. n. 34.* Delben. *n. 12.* Wiestner *n. 159.*

248 Dub. 2. utrum Assassinij crimen committat, qui pretio conductus occidit infidelem? Affirmant Decian. *tr. crim. l. 6. c. 28. n. 18.* Mar. Ital. *de Immun. l. 1. c. 5. §. 4. n. 20.* Bonacin. *tom. 2. D. 3. q. 7. p. 6. §. 5. n. 9.* & alij apud Delben. *c. 16. dub. 21. sect. 2. n. 2.* dicentes, ad crimen Assassinij per accidens esse, sive occisus fidelis sit, sive sit infidelis; nam 1. secundùm dicta *n. 232.* etiam infidelis est verè noster proximus. 2. In *Const. Gregor.* Christiani non fit mentio. 3. Proditoriè occidens infideles etiam privatur Asylo.

249 Sed probabiliùs, spectato rigore Juris, negatur ab hoc committi Assassinij crimen, saltem tale, quod Asylo priver. Ita Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 10. ỳ. quintò.* Gutier. *pract. qq. civil. l. 3. q. 7. n. 8.* Clar. *§. Assassinium. ỳ. bene verum est.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 361.* Ambrosin. *de Immunit. c. 7. n. 12.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 38. n. 42.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 9. n. 33.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 225.* Monacell. *append. p. 1. fol. 287. n. 8.* Præposit. Frising. *cons. 22. n. 35.* Et ex hoc capite teste Corneo *l. 1. cons. 249. n. 21.* evasit Prælatus quidam, qui fuerat accusatus de Assassinatûs crimine, quòd in libello deductum non fuerit, eum, quem occiderat, Christianum fuisse. Sumitur ex *c. pro humani 1. §. Sacri 2. de Homicid. in 6.* ubi pœnæ in Assassinos feruntur, & extenduntur ad eos tantùm, qui *quempiam christianum per dictos Assassinos interfici fecerint.* igitur per Argumentum à sensu contrario: qui infidelem pretio conductus interfecit, vel interfici fecerit, eas pœnas, conf. privationem Asyli non incurrit. Intellige, ex vi præcisè criminis Assassinij; nam aliunde ratione Homicidij, animo præmeditato, & deliberato commissi, nunc post novissimam *Const. Innocentian.* ejusdem Asyli beneficio privatus censeri debet, qui ita occidit Infidelem.

Por-

250 Porro cùm dubitatur, utrum sic occisus fuerit fidelis, vel infidelis quid præsumendum sit, non omnino conveniunt DD. Communiùs cum Delben. *c. 16. dub. 21. sect. 2. n. 7.* distinguunt: Vel enim Homicidium factum est in territorio Christianorum, vel in territorio Infidelium. *Si primum*, nisi forsan appareat, fuisse infidelem, ut quia est circumcisus, præsumi potiùs debet, quòd occisus fidelis fuerit; quia præsumptio desumi debet ex communiter contingentibus. *Si secundum*, præsumendum est potiùs fuisse infidelem, nisi contrarium, saltem ex communi hominum opinione, probatum fuerit.

Ad Argumenta contraria facilis est responsio. *Ad 1.* non pro cujuslibet proximi occisione hæc pœna incurritur, sed pro occisione proximi Christiani. *Ad 2.* non refert, quòd in *Constit Gregor.* Christiani non fiat mentio; quia, ut Haun. *n. 225.* notat, Pontifex præsumendus est accepisse Assassinum in sensu *c. pro humani cit.* *Ad 2.* negatur paritas, quia in Homicidio proditorio pœna privationis Asyli non fuit limitata ad proximum Christianum, sicut in *c. pro humani cit.* limitata est in Assassino.

251 Dub. 3. an ad Assassinij crimen, & privationem Asyli incurrendam necessarium sit, ut occisus non fuerit inimicus mandantis, vel occidentis? R. distinguendo: Vel enim occisus fuit inimicus mandantis tantùm, vel mandantis simul, & occidentis. *Si hoc secundùm*, neque occidens, neque mandans est Assassinij reus, & neuter Asylo privatur, etsi occisio facta sit accepto, vel constituto pretio; quia tali casu non occiditur incautus, quippe cùm homo semper habeat causam præcavendi sibi ab inimico suo, & si non facit, sibi imputare debet. Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 9. fin.* Peregrin. *de Immunit. c. 7. n. 45.* Farin. *Append. Immunit. c. 8. n. 132.* Delben. *c. 16. dub. 21. sect. 3. n. 2.* & alij apud ipsum.

Si primum, est Assassinium, & tam mandans, quàm mandatarius incurrit privationem Asyli; quia occiditur incautus. *Excipitur*, si mandatarius inimicum mandantis occidat, præsente ipso mandante; tunc enim occisus præcavere sibi debebat à mandante inimico præsente, tanquam præcipuo occisore. Gabriel. *conf. 180. n. 11. l. 1.* Ambrosin. *de Immunit. c. 7. n. 7.* Farin. *l. cit. n. 133.* Delben. *n. 2.* & apud hunc plures. Verùm hæc doctrina nunc post novissimam *Const. Innocent.* locum non habet, cùm juxta istam ad privationem Asyli sufficiat, si etiam inimicus animo præmeditato, & deliberato occidatur.

252 Dub. 4. an privetur Asylo, qui pecuniâ conducitur, non ad occidendum, sed ad vulnerandum, deformandum, mutilandum duntaxat? R. non privari, ut contra Alex. *l. 6. conf. 166. n. 5.* advertunt Gutier. *pract. qq. Civil. l. 3. q. 7. n. 59.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 370.* Ambrosin. *c. 7. n. 11.* Farin. *Append. c. 8. n. 134.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 38. n. 42.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 97.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 227.* Wiestner *hic n. 161.* Præpositi. Frising. *tom. 1. conf. 22. n. 36.* & apertè decisum extat à S. Congr. Episcop. & Regul. *25. Jun. 1601.* & additur ibi ratio; quia tales impropriè dicuntur Assassini. *Excipitur*, nisi mandatum esset vulnus, quod sine propinquo periculo necis infligi non potest; tunc enim in consequentiam videtur mandare, quidquid secuturum est ex tali vulnere. Haun. *n. 215.*

253 Dub. 5. utrum ad incurrendam privationem Asyli ex causa Assassinij requiratur, ut in effectu mors sit secuta? R. distinguendo inter mandantem, & mandatarium. *Mandans* privatur Asylo, etsi in effectu mors non sit secuta; nam ita expressè habetur *c. pro humani 1. §. sacri de homicid. in 6.* & alijs *cit.* notat Delben. *c. 16. dub. 21. sect. 5. n. 1. & 2. Mandatarius* non privatur, ut contra *Gutier. Peregrin. Gambacurt. Curtell. Barbos. Bonacin. Lezan.* & alios apud Delben. *c. 16 dub. 21. sect. 4. n. 2. & 4.* melius docent Gomez. *tom. 3. var. c. 3. n. 11. & 30.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 9.* Dian. *p. 1. tr. 1. resol. 18.* Sperell. *decis. 102 à n. 25.* Pignatell. *tom. 9. consult. 43. n. 11.* Matthæuce. *Offic. Eccl. c. 24. n. 13.* Wiestner *l. 5. tit. 12. n. 156.* & colligitur ex *Constit. Gregor. cit.* quæ crimina aliqua excipiendo semper ad supremum eorum gradum respexisse videtur, etiam antiqua Jura, & communes DD. opiniones corrigendo, & nulli alteri delicto, nisi consummato, Sacræ Asylæ suffragium admit. Accedit, quia universali non tantùm Italiæ, sed Christiani Orbis totius usu Assassino, etiam cùm ad actum proximum devenit, non ordinaria, sed mitior pœna extra ordinem imponitur, teste Gomez *n. 11. cit.* Farin. *Append. c. 8. n. 123.* Wiest. *n. 156. cit.* & alijs apud istum.

254 Dub. 6. an privetur Asylo tanquam Assassinus ille, qui pecuniâ conductus falsum deponit in Judicio, vel Judex, qui similiter pecuniâ, vel alio æquivalente corruptus innocentem ad mortem damnat? R. si mors consequatur, privantur Asylo, ut contra Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 6. §. 3. n. 8.* melius docent Mar. Ital. *l. 1. c. 5. §. 4. & 5. n. 114. & seqq.* Curtell. *l. 1. q. 19. n. 14. & 15.* Peregrin. *c. 7. n. 42. Neque obstat*, quòd ejusmodi testis, & Judex non occidant propriè, & physicè: quia hoc in crimine Assassinij non requiritur; aliàs enim etiam mandantes, receptores, defensores &c. Assassinorum assassini non forent, & Asylo non privarentur.

255 Quæritur 8. Quid requiratur, ut propter *crimen læsæ Majestatis* aliquis privilegium Asyli perdat? R. 1. requiritur, ut crimen tale patratum sit in personam Principis: quo nomine in ordine ad hunc effectum veniunt, qui Superiorem in sua Jurisdictione nullum agnoscunt, ut cum alijs Clar. §. *læsæ Majestatis n. 2.* Decian. *tr. crim. l. 7. c. 32. n. 7.* Ambrosin. *de Immun. c. 9. n. 5.* Mar. Ital. *c. 6. §. 7. n. 18.* Farin. *Append. c. 14. n. 188.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 387.* Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 6. §. 6. n. 2.* Barbos. *in c. inter alia 6. h. tit. n. 10.* Delben. *c. 16. dub. 23. sect. 1. n. 35.* Engl *hic n. 16.* König *n. 10.* Wiestner *n. 126.* notant. Tales sunt imprimis Pontifex, Imperator, Reges, Duces, Marchiones, Comites, Barones; sed ex his non indiscriminatim quicunque, sed illi solùm, qui plenum jus in territorio suo obtinent, & in suo foro lites subditorum suorum terminant.

256 2. Ut delinquens sit Principi, cujus personam læsit, subjectus vel ratione originis, vel ratione domicilij, ut clarè constat ex *Clem. Pastoralis 2. §. denique*, & §. *seq. de sent. & re judic.* & docent Clar. *l. cit. n. 7.* Gomez. *tom. 3. de Delict. c. 2. n. 10.* Diaz. *pract. c. 119. n. 8.* Ambrosin. *c. 9. cit. n. 6.* Mar. Ital. §. *7. cit. n. 48. & seqq.* Farin. *n. 191.* Jordan. *n. 389.* Delben. *sect. 1. n. 42.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 232.* Wiestner *hic n. 129. Neque obstat*, quòd quis forum fortiatur, ubi deliquit, & cons. ratione illius delinquens fiat subditus Principi, in cujus territorio personam ejus offendit; nam hoc tantùm probat, quòd talis puniri possit, si non defendatur Asylo, sicut ob alia delicta. *Ex quo sequitur*, quòd si Infidelis, vel Judæus machinatus sit aliquid in necem Papæ, si huic nec ratione originis, nec ratione domicilij subjectus sit, non sit reus læsæ Majestatis. Delben. *sect. 2. n. 8.* Wiestner *hic n. 129.*

257 3. Ut crimen commissum sit in personam ipsiusmet Principis. Hinc sequitur, Immunitate non privari eum, qui offendit Regis, aut Principis conjugem, filium, ministros, oratores, statuam &c. etiamsi hoc faciat in odium Principis; quamvis enim hic committat crimen læsæ Majestatis, non tamen in ipsam personam Principis immediatè, de quo *in Constit. Greg.* sermo est. Clar. *l. cit. n. 3.* Ambrosin. *n. 7.* Mar. Ital. *n. 20. & seqq.* Farin. *n. 183. & 192.* Jordan. *n. 385. 386. & 388.* Bonacin. *p. 4. n. 22.* Delben. *sect. 4. n. 1.* Engl *n. 16.* & alij apud istos. Idem, ut vult Bonacin. *l. cit.* intelligendum de eo, qui offendit Episcopum, vel Nuntium Summi Pontificis. Aliud juxta quosdam est de Cardinalibus, qui æquiparantur Regibus, & Principes Romanæ Ecclesiæ appellantur: quod tamen ipsum *l. cit. n. 185. & 192.* negat Farinacius; quia non sunt verè Principes, licèt Regibus, & Principibus æquiparentur. Addit tamen idem *Farinacius* in tali casu certiorem de re ista faciendum Summum Pontificem, & interea reum cautè servandum.

258 4. Ut persona Principis læsa fuerit à delinquente, actionem aliquam positivam in ejus damnum, vel offensam exercendo, v. g. occidendo, vulnerando, percutiendo, conjurando, machinando, hostiliter insequendo, eum hostibus prodendo, vel tales actiones mandando, consensu, vel consilio promovendo, aut eas exercentibus auxilium, & favorem præstando. Farin. *n. 186.* Haun. *n. 234.* Wiestner *n. 127.* Sufficit autem, etiamsi ejusmodi actionem positivam effectus, v. g. cædes, vulneratio, percussio, captivitas non sequatur; quia his etiam non secutis, jam est exercita actio positiva, ad ejus personæ læsionem tendens, ac proinde commissum crimen læsæ Majestatis in personam Principis. Clar. *l. cit. n. 16. ỳ. scias autem.* Peregrin. *c. 10. n. 7. & c. 11. n. 1.* Farin. *prax. crim. q. 112. n. 91.* Delben. *dub. 23. sect. 1. n. 3. ỳ. an autem.* Wiest. *hic n. 128.*

259 An autem immunitate Ecclesiæ privetur etiam ille, qui novit conjurationem, conspirationem, vel machinationem, in personam Principis, & non revelat sive antè, sive post crimen commissum, dubiæ quæstionis est. Affirmant Curtell. *q. 7. n. 41. & 42.* Mar. Ital. *l. 1. c. 5. §. 7. n. 52.* Farin. *Append. c. 13. n. 186.* Probabiliùs negant Peregrin. *c. 10. n. 11.* Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 7. n. 11.* Dian. *p. 6. tr. 1. resol. 18.* Ghilin. *Summ. V. crimen læsæ Majestatis n. 1. lit. C.* Delben. *sect. 5. n. 5.* quia licèt talis aliquo modo committat crimen læsæ Majestatis in personam Principis, & sic morte sit dignus, illud tamen solùm committit omittendo, non autem committendo, quod ultimum requiri videtur in *Constit. Greg. cit.* ubi Pontifex utitur Præpositione *in*, quæ idem valet, ac *Contra*, & importat actionem in personam Principis, & non omissionem. Idem dicendum de ratum habente; quia ratihabitio est posterior facto, & in crimen non influit. Delben. *sect. 1. n. 3. ỳ. an autem.*

260 Quæritur 9. an præter casus *n. 186.* positos, & in utraque *Const. Gregor.* & *Innocent.* comprehensos, excepta sint alia adhuc Crimina, memoratos casus excepta sint alia adhuc crimina? Gambacurt. *l. 5. de Immunit. c. 18.* Portell. *dub. Regul. V. Ecclesiæ Immunitas n. 15.* Curtell. *in leg. Martini Regis c. 17. n. 5. & de Immunit. Eccl. q. 2. & 21. lib. 1.* Sarp. *de Jur. Asyl. c. 5. fol. 55.* apud. Delben. *c. 16. dub. 24. sect. 1. n. 3.* existimant addenda quævis alia, quæ sunt graviora enarratis in *Constit. Gregor. Fundantur 1.* textu *Novell.*

vell 17. c. 7. ubi Homicidæ, adulteri, Virginum raptores jubentur ex templis extrahi, ut vindicta de ipsis sumatur. 2. Lex etiam pœnalis ad similes, & graviores casus extensionem admittit, quando in his etiam militat ratio, expressa in ipsa dispositione. atqui pro alijs criminibus æquè gravibus, vel gravioribus sæpe eædem, & aliquando etiam graviores rationes militant, ut est adulterium, Sodomia &c. 3. alioquin daretur improbis occasio liberiùs vivendi, & gravia crimina perpetrandi. igitur ne Ecclesiæ immunitas, quæ in honorem DEI introducta est, in ejus injuriam cedat, dicendum est, quòd ex identitate, vel majoritate rationis privatio Asyli ad crimina æquè gravia, vel graviora extendi debeat.

261 Sed dicendum, nisi per contrariam consuetudinem, videntibus, & consentientibus Prælatis Ecclesiæ, aliud constet, nullum esse aliud crimen, quod Immunitate Ecclesiæ delinquentem privet. Ita Gutier. *pract. qq. l. 3. q. 1. n. 3.* & *q. 4. n. 12.* Peregrin. *de Immunit. c. 6. n. 23.* & *24.* Azor *p. 2. l. 9. c. 9. q. 9. ℣. quid verò.* Leo *Thesaur. for. Eccl. p. 1. c. 13. n. 27.* Farin. *Append. Immunit. c. 5. n. 85.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 10. n. 4.* Delben. *c. 16. dub. 24. sect. 1. n. 1.* & *seqq.* Sperell. *decis. 22. n. 8.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 235.* Monacell. *Append. ad p. 1. fol. 287. n. 11.* Præpositi. Friling. *tom. 1. cons. 22. n. 53.* Fagnan. *in c. inter alia 6. h. tit. n. 53.* Wagnereck *ibid. V. nisi publicus latro. not. 2. cas. 4. n. 4.* Barbos. *n. 3.* & *seqq.* Gonzal. *n. 2.* Zœs. *hic n. 20.* Engl *n. 8.* Pirh. *n. 19. ℣. Excipitur 2.* Schamb. *n. 37.* König *n. 20.* Wiestner *n. 130.* Sumitur ex c. *inter alia cit.* ibi, *Quantumcunque gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus.* Et *confirmatur* ex *Constit. Gregor. cit.* ubi Pontifex casus exceptos referens, apponit particulam exclusivam *Tantùm*, quæ de natura sua impedit extensionem in non exceptis. Clariùs adhæc demonstratur ex *Const. Innoc. §. universos*, ubi Sanctissimus Episcopos, Archi-Episcopos &c. universos, & singulos hortatur, ut *in Reliquis Casibus, in hac sua,* & *Gregoriana Constitutione non exceptis, nihil de Immunitate Ecclesiastica Imminui permittant, neque SS. Juribus labem ullam irrogari patiantur, sed ea pari Zelo, atque constantiâ tueri curent.*

Atque hinc Immunitate Ecclesiæ gaudent 1. *Raptores Virginum*, & adulteri *can. de Raptoribus 3. caus. 36 q. 1.* ubi propterea statuitur, Raptori concedendam mortis, & pœnarum immunitatem, si ad Ecclesiam confugerit. Ita cum *Host. Archidiac. Alberic. Abb. Sylv. Angel. Tabien.* & reliquis tum Canonistis, tum Casistis Farin. *Append. c. 6. n. 88.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 37. n. 72.* Delben. *dub. 24. cit. sect. 6. n. 1.* Sperell. *decis. 59. n. 32.*

2. *Sodomitæ*, ut contra *Rodriq. Curtell. Mar. Ital.* & alios notat Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 5. n. 14.* Farin. *l. cit. n. 98.* Delben. *sect. 7. n. 1.* & alij apud istos. Estque hoc verum, etiamsi Sodomiæ crimen commissum sit in Ecclesia, ut bene advertit Novar. *Summ. Bullar. tit. de Immunit. Eccl.* quia *in Constit. Gregor.* excipitur tantùm homicidium, & mutilatio commissa in Ecclesia.

3. *Rei furti sacrilegi*, vel *alterius sacrilegij* ut contra *Gutier. Decian. Curtell. Tholosan.* docent Ambrosin. *de Immunit. c. 5. n. 9.* Bonacin. *p. 4. n. 3.* & *p. 5. cit. n. 7.* Farin. *n. 99.* Delben. *sect. 8. n. 1.* qui hoc extendunt, etiamsi fur sacrilegus, confugiens ad Ecclesiam, rem sacram furto subiatam, in Ecclesia contrectet.

4. *Blasphemi* in Deum, & Sanctos, ut contra *Boër. Decian. Martam, Curtellium* veriùs sentiunt Ambrosin. *c. 8. n. 10.* Bonacin. *p. 5. cit. n. 13.* Delben. *sect. 9. n. 1.* & communior aliorum. *Excipitur*, nisi Blasphemia Hæreticalis sit; tunc enim hujus reus Asylo excluditur, non quidem quà blasphemus, sed quà Hæreticus, vel quà de Hæresi suspectus, ut notat Delben. *l. cit. n. 5.*

5. *Simoniaci*, nisi Simonia conjuncta 262
sit cum errore intellectûs; quia tunc ejus reus fit Hæreticus, & sic exceptus *in Constit. Gregor.* atque ita contra Decian. *l. 6. c. 26. n. 5.* ex communi docet Farin. *c. 13. n. 177.* Peregrin. *c. 12. n. 17.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 126.* Delben. *sect. 10. n. 1.*

6. *Perjuri*, & *falsi testes* nisi hi deponendo falsum in Judicio causa sint, ut quis innocens damnetur ad mortem; quia tunc tanquam homicidæ proditorij Asylo excludentur. Decian. *l. 6. c. 28. n. 121.* Farin. *c. 9. n. 140.* Peregrin. *c. 12. cit. n. 15.* Bonacin. *p. 5. n. 11.* Delben. *sect. 12. n. 1.*

7. *Incendiarij*, & *violatores Ecclesia-* 263
rum. Suar. *l. 3. c. 8. n. 3.* Farin. *c. 6. n. 105.* Bonacin. *p. 6. §. 1. n. 6.* Delben. *sect. 15. n. 1.* & *seqq. Neque refert*, quòd *can. omnes 17. q. 4.* & alijs Juribus à limitibus Ecclesiæ jubeatur pelli, & indignus pronuntietur ejusdem præsidio, qui illam violat; nam indignus est, si attendatur ejus delictum, non verò, si attendatur Matris Ecclesiæ pietas, aliàs nullus delinquens gauderet immunitate. Circa alia crimina consulatur Delben. *dub. 24. cit.* ubi *per totum* materiam hanc latè exequitur, cujus doctrinam, quatenus per novissimam *Constit. Innocent.* non limitatur, tutò etiamnum hodie sequi possumus.

Quare instar Regulæ esse debet, 264
quòd, ut *n. 186.* dixi, Immunitate locali defendi debeant omnes, & quicunque Rei cujuscunque criminis, si hoc specialiter in Jure non sit exceptum. Quod tamen intelligendum est non de quibuscunque,

etiam minimis, sed de ijs solùm, quibus naturalis, aut civilis mors, membri mutilatio, aut pœna sanguinis à Jure sancita est, ut bene Fagund. *l. 4. c. 4. n. 48.* Ratio est, quia in minoribus delictis Ecclesia malefactores non vult defendere, ut patet ex *tot. Tit. præsent.*

265 Argumenta *n. 260.* allata vim non habent. *Ad 1.* Constitutio illa per Jus Canonicum correcta est, ut de Raptoribus constat ex *can. fin. caus. 36. q. 1.* & notat *ibid.* Gloss. *V. vel pœnarum.* Ratio universalis est; quia in hac materia Immunitatis, cùm sit fori Ecclesiastici, non Legibus Civilibus, sed Canonicis sanctionibus standum est. *Ad 2.* in pœnalibus non est consideranda similitudo rationis; nam pœnæ locum non habent, nisi in casibus expressis: & esto, quòd aliquando talis extensio fiat ad casus similes, id tamen non procedit, quando agitur de præjudicio causæ favorabilis, prout est in nostro casu Immunitas Ecclesiastica. *Ad 3.* Si aliquod crimen in aliqua Provincia pessimo publico invalesceret, vel alia causa valde gravis extractionem suaderet, posset pro ea recurri ad Sedem Pontificiam, à qua in hujusmodi casibus, & speciatim, ut Card. de Luca *Theatr. V. & J. p. 4. l. 14. disc. 9. n. 7.* notat, in casu præmeditati homicidij licentia extrahendi sæpe conceditur.

§. VI.

De Effectibus Immunitatis Localis.

SUMMARIUM.

266. *Rei ad Loca Sacra confugientes recipiendi sunt.*
267. *Nec inde extrahi, vel extradi inviti possunt.*
268. *Nequeunt etiam in loco Sacro capi, aut ligari vinculis.*
269. *Aut prohiberi, ne victus necessarius ijsdem afferatur.*
270. *Vel bona propria, quæ eò intulerunt, ipsis auferri.*
271. *Non potest Reus, dum est in Asylo, condemnari ad mortem, vel aliam pœnam corporalem gravem.*
272. *Illegitimè extractus ante omnia restituì debet.*
273. *Et extractio, totúsque processus subsecutus est irritus.*
274. *Potéstque extrahere volenti resistere tam reus, quàm Ecclesia.*
275. *Rectores Ecclesiarum debent confugæ vitam, & membra servare.*
276. *Non possunt illum tradere Judici Sæculari ad Examen, & inquisitionem.*
277. *Judex Sæcularis eidem, si crimen exceptum non sit, potest, & tenetur remittere pœnam corporalem.*
278. *Sponte Asylum deserens illud perdit.*
279. *Retinet, si ad egrediendum cogatur necessitate naturali.*
280. *Metu injustè incusso.*
281. *Dolo, & fraude Judicis.*
282. *Et probabiliter etiam alterius personæ fide dignæ.*
283. *An Judici Sæculari Judex Ecclesiasticus licentiam possit concedere extrahendi reum invitum, etiam in casibus non exceptis.*
284. *Decidiur negativa.*
285. 286. *An ex Asylo extradi valeat reus consentiens?*
287. *An ligari, vel aliâ viâ custodiri interim à Judice Sæculari possit, dum examinetur, utrum Asylo gaudeat?*
288. *Decidiur negativa.*
289. *Satisfit Argumentis contrarijs.*
290. *Quæ in hoc casu sint partes Rectoris Ecclesiæ?*
291. *An pendente dubio, utrum Asylo gaudeat, Judex Laicus Episcopi nomine eum ponere possit in carcere Sæculari?*
292. 293. *An, & quâ pœnâ affici possit confugiens ad Asylum?*
294. 295. *Utrum ex hoc, quòd semel confugerit ad Ecclesiam, semper gaudere Immunitate debeat, licèt postea ex illa egrediatur?*
296. 297. 298. *An, & quomodo Reus, & Ecclesia resistere possint Judici volenti reum extrahere?*
299. 300. *Ad quid teneatur Judex, qui reum ab Ecclesia violenter extraxit?*
301. 302. *A quo confuga alendus sit in Asylo?*

266 QUæritur 1. qui sint Effectus, quos secum trahit Immunitas Localis? R. Effectus hujus Immunitatis sunt privilegia, quibus Rei ad Sacra Loca confugientes gaudent: cujusmodi non pauca; nec contemnenda sunt. Nam

1. Rei ad ea confugientes recipiendi sunt, nec repelli possunt. Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 274.* Wagnereck *in c. inter alia 6. V. sibi obtinere not. 2.* König *hìc n. 14.* Wiestner *ibid. n. 134.* & sumitur ex *can. definivit 35. caus. 17. q. 4. c. inter alia cit. & l. pateant 3. pr. C. de his, qui ad Eccl. confug.* ibi, *Pateant Summi DEI templa timentibus.* Exeludentes ab Asylo incurrunt Excommunicationem reservatam. *Ex tr. etsi Dominici 3. int. comm. de pœn. & remiss.*

2. lis

267 2. lis recepti, nisi criminis excepti rei sint, extrahi inde, vel extradi inviti nequeunt *can. miror. 8. can. reum 9. can. frater 10. can. definivit 35. caus. & quæst. cit. c. inter alia & Constit. Gregor. citt.* quibus textibus concordant Jura Civilia *l. pateant cit. l. fideli 2. l. præsenti 6. C. eod.* Abb. *in c. inter alia cit. n. 3. & 9.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 13.* Delben. *c. 16. dub. 25. sect. 1. n. 1.* Illsung. *tr. 5. D. 2. n. 264.* Wagnereck *l. cit. not. 1.* Fagnan. *in c. inter alia cit. n. 1. & 9.* Pirh. *hic n. 42.* Schambog. *n. 47.* König *n. 16.*

268 3. Ad Ecclesiam confugiens nequit in illa capi, incarcerari, ligari vinculis, aut alia vis eidem inferri *can. definivit. cit.* ubi *quodcunque nocibilitatis, vel damni inferri eidem prohibetur:* concordat *l. præsenti cit.* & DD. præsertim Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 17. coroll. 50.* Tusch. *pract. V. Ecclesia concl. 10. n. 12.* Suar. *l. 3. c. 12. n. 2.* Farin. *Append. Immunit. c. 19. n. 297.* Laym. *n. 13. cit.* Delben. *dub. 27. n. 1.* Zœs. *hic n. 38.* Pirh. *n. 46.* Schambog. *n. 49.* König *n. 15.* Wiestner *n. 150.* Ratio est, quia hoc esset ex loco Sacro carcerem facere, & Jurisdictionem exercere in loco, à Jurisdictione Sæculari exempto.

269 4. Magistratus Sæcularis prohibere, vel impedire non potest, quo minùs victus, vestitus, & reliqua vitæ necessaria ad reum in Ecclesiam deferantur *can. definivit.* & *l. præsenti citt.* Host. *in c. inter alia cit. §. si liber.* Joan. Andr. *ibid. n. 5.* Covar. *n. 17. coroll. 31.* Clar. *§. læsæ majestatis n. 21.* Azor *p. 2. l. 9. c. 8. q. 9. n. 14.* Suar. *c. 12. n. 4.* Delben. *dub. 28. n. 1.* Laym. *n. 13.* Fagnan. *n. 20.* Wagnereck *not. 1. cit.* Zœs. *n. 38.* Pirh. *n. 48.* Engl *n. 20. concl. 6.* Schamb. *n. 52.* Wiest. *n. 152.* Ratio est, quia hoc esset aperta coactio, quæ tanta esse posset, ut reus vel se tradere, vel fame mori in Ecclesia cogeretur.

270 5. Bona, quæ delinquens ad Ecclesiam secum tulit, si propria ejusdem sint, auferri eidem nequeunt *can. definivit cit.* & *can. sicut antiquitus 6. caus. & quæst. cit.* Suar. *c. 12. n. 3.* Farin. *c. 19. n. 300.* Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 5.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 54.* Laym. *n. 13. cit.* Delben. *dub. 30. n. 1.* Illsung. *n. 264.* Honor. *hic n. 5.* Pirh. *n. 49.* Schambog. *n. 53.* quibus accedit Declaratio *S. Congreg. sup. Controv. Jurisdict.* quæ teste Delben. *l. cit. 13. Jan. 1632.* declaravit, adversùs eos, qui confugarum bona, atque etiam arma auferunt, sicut adversùs Immunitatis violatores procedendum esse. Dixi, *si propria sint*; nam aliena, & injustè detenta, saltem de licentia Prælati Ecclesiastici, auferri eidem possunt, cùm illi hæc auferendo nulla fiat nocibilitas, ut *l. citt.* notant *Suar. Laym. Delben. Pirh. Schambog. &c.*

721 6. Non potest reus, dum in Ecclesia existit, per sententiam Judicis damnari ad mortem, vel aliam pœnam corporalem, & gravem *can. reum. 9. can. id constituimus 35. caus. 17. q. 4. c. inter alia cit.* Gloss. *ibid. V. puniendus.* Abb. *ad idem cap. n. 3. & 9.* Azor *p. 2. l. 9. c. 9. q. 12.* Suar. *l. 3. c. 12. n. 5.* Farin. *c. 21. n. 335.* Laym. *c. 3. n. 13.* Jordan. *tit. 3. n. 265.* Bonacin. *q. 7. §. 5. ỳ. quartus.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 11. n. 9.* Delben. *dub. 32. n. 1.* Vivian. *in c. inter alia cit. ỳ. nec. debet.* Fagnan. *ibid. n. 1. & 11.* Wagnereck *not. 1. cit.* Haun. *tr. 1. n. 248.* Zœs. *hic n. 38.* Honor. *n. 5.* Pirh. *n. 47.* Schambog. *n. 50.* König *n. 16.* Wiestner *n. 155.* Dixi *gravem*, ut servitutis, triremium, exilij; quia hæ capitalibus æquiparantur, & quasdam corporales excedunt Suar. *c. 16. n. 6.* Potest tamen reus fugiens ad Ecclesiam detrudi in Monasterium ad agendam ibi pœnitentiam *arg. can. si Episcopus 7. dist. 50.* & *Auth. sed hodie C. de Adult.* Vel etiam alia pœnitentia ipsi invito imponi potest pro salute animæ, si peccatum sit publicum, & ad tollendum scandalum ita videatur necessarium; quia Immunitas non censetur concessa in præjudicium salutis animæ, dummodo reus ab Ecclesia non extrahatur. Abb. *in c. inter alia n. 18.* Suar. *c. 12. n. 6. fin.* Pirh. *hic n. 47.* Schambog. *ibid. n. 51.*

278 7. Si Reus extra casus exceptos ab Ecclesia extractus fuit, ante omnia restitui Ecclesiæ debet *can. sicut antiquitus*, & *can. miror citt.* Abb. *in c. inter alia 26.* Sylv. *V. Immunitas 3. n. 11. q. 7.* Tusch. *pract. V. Ecclesia concl. 10. n. 20.* Clar. *§. fin. q. 30. n. 5.* Farin. *c. 19. n. 301.* Jordan. *tit. 3. cit. n. 267.* Delben. *dub. 33. n. 1.* Fagnan. *n. 10.* Barbos. *n. 34.* Haun. *n. 251.* Engl *n. 20. concl. 3.* Pirh. *n. 51.* Schamb. *n. 55.* König *n. 17.* Wiest. *n. 147.* Rationis loco est generalis Regula de spoliato ante omnia restituendo *c. item cùm 6. c. conquerente 7. &c. de restit. spoliat.* Neque ab hac restitutione excusatur Judex, qui illum extraxit, etsi Juramentum præstet, & cautionem, vel securitatem exhibeat, quòd corporali pœna in eum non velit animadvertere; quia priùs satisfacere debet Ecclesiæ, quam spoliavit, at debitam satisfactionem non præstat, nisi priùs ei faciat actualem restitutionem. Delben. *l. cit. n. 4.* cum alijs, quos allegat. Idem dicendum, etsi reus qui fuit violenter extractus ab Ecclesia, & deductus ad carceres sæculares, ibi renunciet privilegio Immunitatis; quia tale privilegium, licèt secundariò, & indirectè in favorem Rei, principaliter tamen, & directè in favorem Ecclesiæ introductum est; conf. reus illi renuntiare non potest, sicut non potest renuntiare Clericus privilegio fori & Canonis. Farin. *n. 304.* Pal. *p. 11. n. 5.* Delben. *n. 3.*

278 8. Exactio, & totus processus post extractionem à Judice sæculari institutus nul-

nullus omnino, & irritus est. *Constit. Gregor. cit.* Quod adeo verum est, ut Reus sic extractus etiam propter crimina, post extractionem, dum in Curiæ sæcularis manibus esset, commissa, ab hac detineri, vel puniri nequeat. Peregrin. *c. 15. n. 25.* Genuens. *prax. c. 17. n. 5.* Mar. Ital. *l. 1. c. 6. §. 2. n. 49.* Farin. *Append. c. 2. n. 49.* Bonacin. *q. 7. p. 4. n. 13.* Lezan. *V. Immunitas n. 19.* Dian. *p. 6. tr. 1. resol. 32.* Delben. *dub. 33. n. 2.* Haun. *n. 254.* Schambog. *n. 55.* Pirh. Illsung, König, Wiestner *l. citt.* Ratio est, quia sic extractus habet jus, ut restituatur Ecclesiæ, ac per consequens, ut nihil contra ipsum agatur; & Judex semper in obligatione est, ut injuriam factam Ecclesiæ compenset, & sic statim, ac potest, compensare illam tenetur. *Neque obstat*, quòd per delicta post extractionem commissa Judex Sæcularis acquisiverit jus puniendi delinquentem; hoc enim jus est solummodo incompletum, & conditionatum, nisi aliqua causa reum à Judicis sæcularis potestate excipiat, ipsáque Ecclesia est prior in tempore, ut adeo debeat etiam esse potior in Jure, cùm non sit conveniens, ut ipsa propter extractionem injustam in sua Immunitate patiatur detrimentum.

274 9. Denique Judici volenti reum extrahere è loco Sacro, ultra casus permissos, resistere potest & reus, & Ecclesia, cùm sic utrique Judex injuriam faciat, & ex alio capite vim vi repellere, & Ecclesiasticam Immunitatem tueri liceat. Farin *Append. c. 2. n. 46.* Mar. Ital. §. *2. n. 45. fin.* Suar. *l. 3. c. 13. n. 4.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 14.* Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 5. pr.* Dian. *p. 6. tr. 1. resol. 32.* Delben. *Dubit. 32. n. 1.* & alij *suprà*, & colligitur ex *l. prohibitum 5. C. de Jur. Fisc.* ubi Officiali injustè exequenti licitè de facto resistitur.

275 Quæritur 2. quo modo procedi debeat cum reo, confugiente ad Ecclesiam? R. verbis Canonum, & Legum diligentiùs inspectis, dicendum 1. Rectoribus Ecclesiarum incumbere, servare vitam, & membra confugæ, ut dicitur *c. inter alia 6. b. tit.* ibi, *Rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra, & vitam:* quod fiet, si pro ipso studeant apud Magistratus Sæculares impetrare veniam, & remissionem pœnæ temporalis. Engl *hic n. 20. concl. 1.* Intelligendum autem hoc est, quando crimen non est exceptum; nam quando exceptum est, ita, ut ejus reus indignus Asylo sit, Magistratus sæcularis post extraditionem animadvertere in eum potest pœnâ Legibus taxatâ, etiam capitali, quamvis etiam tunc, ne videatur concurrere velle ad pœnam sanguinis, deceat, ut Rector Ecclesiæ, ad quam confugit, pro ipso intercedat, ut Judex sæcularis pœnam remittat, vel saltem mitiget.

276 2. Clerici tamdiu servare debent reum, nec eum ad examen, vel inquisitionem Judicis sæcularis tradere priùs, quàm ipse etiam juratò de impunitate Rei promiserit prout habetur *can. id constituimus 36. caus. 17. q. 4.* Debétque eo casu fides servari Reo, & Ecclesiæ, ita, ut sub tali promissione egressus Asylo nec capi, nec puniri possit, sed remitti debeat ad Ecclesiam, propter jus, quod Reus habet ad Immunitatem Ecclesiæ, & Ecclesia ad custodiendum Reum, cui juri nec Ecclesia, nec Reus cessit, nisi pro securitate à Judice promissa: & hinc si Judex sæcularis fidem servare nolit, poterit ille per Episcopum etiam Censuris cogi, ut reum restituat; aliàs acta, & totus processus adversùs reum ita exeuntem institutus erit nullus, cùm renuntiatio privilegij Immunitatis sit tantùm conditionata. Ita Navar. *Man. c. 25. n. 22. fin.* Farin. *Append. c. 19. n. 301.* Curtell. *l. 1. q. 27. n. 11.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 54.* Delben. *dub. 24. sect. 5. n. 13.* Engl *l. cit. concl. 2.*

277 3. Cùm sit enixa voluntas Canonùm, & Legum, ne reus, ad Ecclesiam confugiens, damnum in vita, & membris sustineat, ideo Judices Sæculares non tantùm salvâ Justitiâ poterunt, sed etiam tenebuntur confugæ, si crimen exceptum non sit, pœnam corporalem remittere, ne hoc privilegium Immunitatis, inutile sit reo, aut Ecclesijs onerosum, si eundem tamdiu servare debeant. Quodsi inferior Judex recusat pœnam corporalem remittere, apud Superiorem ejus per Rectores Ecclesiarum instandum erit; nam istis *c. inter alia cit.* absolutè injungitur, ut vitam confugientis obtinere studeant. Imò non videtur facilè acquiescendum promissioni alicujus Judicis inferioris, qui ex consuetudine, vel privilegio, & Jure Regalium jus aggratiandi, seu remittendi pœnam ordinariam non habet, sed protinus Superior ejusdem adeundus foret. Cæterùm etsi Judex Sæcularis defacto recusat remittere pœnam corporalem confugæ, non videtur tamen propterea in eum ferenda Censura, cùm Jura solùm innuant, ut negantibus impunitatem, negetur etiam Rei extraditio. Engl. *concl. 3.*

278 Quæritur 3. quid Juris sit in casu, quo reus deseruit Asylum? R. hìc distinguendum, an sponte, & nulla causa cogente egressus Asylo sit, vel id fecerit alia causa impellente. *Si primum*, videtur ultro deferere privilegium Locale; conf. beneficio illius non ampliùs muniri *can. id constituimus 36. caus. 17. q. 4.* ibi, *Quodsi -- ipse reus de Ecclesia discesserit, ab Ecclesiæ Clericis non quæratur.* Gonzal, *in c. inter alia n. 3.* Zœs, *hic n. 38.* Engl *n. 20. concl. 4.* & ratio est, quia Immunitas hæc est favor, quo uti nemo tenetur.

279 *Si secundum*, distinguendum est, ex qua causa discesserit ab Ecclesia. Nam 1. Si ex necessitate naturali egressus sit, statim regressurus, gaudere pergit Privilegio Asyli, ita, ut extra Ecclesiam nec capi, nec puniri possit; quia in tali casu non censetur moraliter egressus è loco sacro, ut præter alios docent Fagund. *de præcept. Eccl. l. 4. c. 4. n. 65.* Curtell. *de Immunit. Eccl. l. 1. q. 26. n. 11.* Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 5. n. 1. effect. 2.* Delben. *c. 16. de Immunit. dub. 25. sect. 2. n. 1.* & patet ex *can. definivit 35. caus. 17. q. 4.* Sed hoc intelligendum duntaxat est de spatio 30. passuum circa Ecclesiam, ut ex *can. cit.* colligitur, & notat Delben. *n. 2.* nam ultra hoc spatium egredienti non prodest excusatio.

280 2. Similiter Asylo gaudet, qui per metum injustè illatum, & non vanum, sed fundatum egressus est; quia tali casu moraliter non tam egredi, quàm per violentiam extrahi ex Ecclesia censetur. Farin. *Append. de Immunit. c. 2. n. 55.* Lezan. *V. Immunitas n. 28.* Delben *sect. 4. n. 1.* Et hoc certum est, si metus proveniat ex ipso conatu, quo Judex sæcularis incipit confugam vi extrahere, e. g. si iste audiat, jam effringi januam Ecclesiæ, ut notat, ac probat Marinis *l. 2. resol. c. 197.* apud Gonzal. *in c. inter alia n. 4.* Quodsi metus proveniat solùm ex verbis injuriosis, & minis à Judice intentatis, an Asylo adhuc gaudeat confuga, & restitui egressus, à sæculari potestate interceptus, debeat, controvertitur inter DD. *Abbas, Sylvester*, & alij apud Peregrin. *c. 14. n. 2.* videntur negare, ex ratione, quòd Immunitas solùm violetur per violentam extractionem, vel cooperationem ad illam: & hinc negant à tali Judice Excommunicationem incurri. *Sed melius* cum prioribus defenditur affirmativa; nam & hoc casu confuga Asylum coactus deserit, & talis metus moraliter extractio est.

281 3. Si vis, aut metus non intercessit, sed blanditijs tantùm persuasus reus Asylum deseruit, interest, an blanditijs tantùm absque dolo, & fraude inductus sit, an verò dolus, & fraus intervenerit. *Si prius*, ita egressus amittit Beneficium Immunitatis, dum sua facilitate ob blanda verba audita seipsum decepit, & induxit ad exeundum: unde eo casu nec ipsi reo infertur injuria, cùm non sit involuntarius; nec Ecclesiæ, quia non extrahitur, sed ipse egreditur; potest enim egredi, invitis Clericis. Pignatell. *tom. 1. cons. 100. n. 4.* *Si posterius*, considerandum est, an ad egrediendum inductus sit fraude, & dolo ipsius Judicis, aut hujus authoritate, spondentis impunitatem, an verò alterius cujusdam, mentientis e. g. quòd expedita sit fuga. *Si ab ipso Judice, aut hujus authoritate*, immunis ab hujus Jurisdictione est confuga, acsi adhuc existeret in Ecclesia. Navar. *Man. c. 25. n. 22.* Farin. *Append. c. 19. n. 302.* Suar. *l. 3. c. 13. n. 17.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 13. fin.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 54.* & *in c. inter alia cit. n. 34.* Wagnereck *ibid. §. sibi obtinere. not. 1. §. denique.* Gonzal. *ad idem cap. n. 4.* Pal. *11. D. un. p. 11. n. 2.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 242.* Pirh. *hic n. 42.* König *n. 17.* Wiest. *n. 138. Neque obstat*, quòd vim apertam non intentet; nam dolus in hac re pro vi habetur.

282 *Si verò dolo alterius privatæ personæ suasus egressus est confuga* nec Judex fuit deceptionis particeps, ex doctrina *citt.* DD. cui adstipulatur Delben. *sect. 5. n. 25.* poterit Judex sic deceptum, si eundem invenerit extra Ecclesiam, capere, & contra illum procedere. Addo tamen cum P. Wiestner *n. 139.* valde probabilem esse *Dianæ* sententiam, existimantis, etiam talem, saltem si decipiens fuit homo fide dignus, Ecclesiæ restituendum; tum quòd talis viri verba dolosa æquiparentur violentiæ; tum verò quòd hæc opinio favorabilis sit Immunitati: imò pro ea stat duplex Decretum S. Congr. *in Aquapendij 24. Jan. 1668.* & *in Anagnin. 10. Maij 1670.* teste Pignatell. *tom. 1. consult. 100. n. 4.* & *tom. 2. consult. 37. n. 38.*

283 Quæritur 4. an Judici Sæculari Judex Ecclesiasticus licentiam possit concedere extrahendi reum invitum, etiam in casibus non exceptis; Sylv. *V. Immunitas 3. q. 4.* Suar. *l. 3. c. 13. n. 3.* Curtell. *de Immunit. Eccl. l. 1. q. 32. n. 24. & seqq.* & *q. 40. n. 4.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 13.* Pirh. *hic n. 44.* putant posse licentiam ejusmodi concedi, saltem accepto priùs Juramento de impunitate delinquentis quoad vitam, membra, & omnem pœnam corporalem: quod etiam colligitur ex *can. reum 9. can. id constituimus 36. caus. 17. q. 4.* & *c. inter alia 6. h. tit.* *Rationem dant*; quia licèt talis Judex inferat vim reo, non tamen Ecclesiæ, cui directè hoc Immunitatis privilegium concessum est. Unde juxta hos AA. non tenebitur Ecclesia Rei consensum exquirere, vel exspectare, sed si Judex Ecclesiasticus expedire judicet, aut prudenter censeat, nullam inde injuriam, aut damnum reo timeri posse, poterit Sæculari Magistratui eum etiam invitum tradere, & sic datâ licentiâ iste illum extrahere sine peccato.

284 Sed dicendum, hodierno Jure spectato, probabilius esse, reum criminis non excepti invitum consignari Curiæ Sæculari, illum exposcenti, non posse sine licentia Papæ, vel alterius ab eo habentis potestatem ejusmodi licentiam concedendi, qualem habere solent Legati Apostolici, ad Principes Christianos, & gubernandas Provincias missi, pro casibus, quibus eisdem videbitur ju-

justa, & rationabilis adesse causa permittendi extractionem. Decian. *tr. crim. l. 9. c. 22.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 29. n. 3.* Delben. *de Immunit. c. 16. dub. 26. n. 5.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 243.* Wiestner *hic n. 141.* & colligitur satis clarè ex *Constit. Gregor. cit.* ubi facultas extradendi reos conceditur Prælatis Ecclesiasticis solùm in casibus exceptis. igitur in non exceptis, si de vita & mutilatione agatur, eo ipso negatur.

Hinc patet ad textus allegatos in contrarium; dicendum enim ijs locum fuisse antiquo Jure. *Ad Rationem* adjectam dico, non esse locum Argumento ex ratione, ubi contrarium Jus disposuit.

285 Quæritur 5. an ex Asylo extradi valeat reus consentiens? Affirmant Archidiacon. *in can. frater 10. V. reluctantem caus. 17. q. 4.* & Turrecrem. *V. eod. n. 2.* existimantes, hujusmodi extractione Immunitatem à Curia Sæculari non violari: & ratio est; quia Immunitas hæc est favor, & privilegium, quo uti nemo tenetur.

Sed dicendum, ejusmodi reum ex Asylo quidem egredi sponte posse, & sic egressum apprehendi à Magistratu Sæculari, ut dictum est *n. 278.* & probat allata ratio; at verò extrahi eundem etiam volentem non posse sine consensu Ecclesiæ. Decian. *tr. crim. l. 6. c. 26. n. 12.* Farin. *Append. Immun. c. 19. n. 304.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 36. n. 2.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 11. n. 5.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 259.* Delben. *dub. 26. n. 7.* Wiestner *hic n. 142.* Ratio est, quia Immunitas hæc est favor publicus, cui renuntiari privatorum pactionibus, & cessionibus nequit *c. si diligenti 12. de for. compet.* & *l. Jus publicum 38. ff. de pact.*

286 Hinc, ne Immunitas Loci Sacri violetur, debet in casibus non exceptis concurrere consensus delinquentis, & consensus Ecclesiæ; non enim sufficit consensus solius delinquentis.

Proceditque hoc, etsi renuntiatio talis facta fuisset à confuga cum Juramento; quia tale Juramentum esset præjudicioſum loco Sacro. Delben. *n. 7. cit. Item procedit*, etiamsi facta fuisset per publicum Notarium; nam & hæc invalida est, si ipse confuga postea pœnitens exire nolit ab Ecclesia, vel si hujus Rector repugnet. Farin. *c. 19. cit. n. 304.*

287 Quæritur 6. an reus ligari, vel aliâ viâ custodiri interim à Judice Sæculari possit, dum ab Ordinario examinetur causa, an gaudere Immunitate debeat? Affirmant Clar. §. *fin. q. 30. ℣. quæro modò.* Sarpus *de Jur. Asylor. c. 6. fol. 65.* Farin. *prax. crim q. 28. n. 10.* & videtur favere *Constit. Gregor. cit. Ratio esse* potest, quia dum examinatur causa, dubium est, cujus Jurisdictionis delinquens futurus sit. igitur ut Judex sæcularis se servet indemnem, delinquentem ligare, & custodire potest, ne aufugiat.

Sed vera est negativa, quam magno consensu tenent Decian. *tr. crim. l. 6. c. 29. n. 2.* Peregrin. *de Immunit. c. 16. n. 29.* Suar. *l. 3. c. 12. n. 2.* Farin. *Append. c. 19. n. 297.* Fagund. *l. 4. c. 4. n. 55.* Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 3. n. 2.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 11. n. 6.* Dian. *p. 6. tr. 1. resol. 29.* Delben. *dub. 27. n. 2.* Wiestner *hic n. 151.* & sumitur 1. ex *can. definivit 35. caus. 17. q. 4.* ubi cavetur, nec sic confugientibus ab Ecclesia aliqua vis, aut nocibilitas, damnúmve inferatur, quin possint per 30. passus ab Ecclesia exire, ergo supponitur ibidem ligari non posse. 2. quia Ecclesia est locus exemptus à Jurisdictione Sæculari, igitur in ea Judex illam exercere non potest, quod tamen fieret, si reum in illa ligaret, vel aliâ viâ custodiret. 3. quia Ecclesia tali casu est in possessione, vel quasi possessione ipsius Rei recepti. igitur illâ non debet deijci, donec de veritate, & qualitate criminis legitimè constet.

Neque contrarium probatur ex *Const.* 289 *Gregor. cit.* quia hæc non loquitur de alligatione facta in Ecclesia, sed in carcere Ecclesiasticæ Jurisdictionis: quod locum habet in casu, quo confuga crimen exceptum commisit, & Episcopus extradi tionem ejus facere recusavit; tunc enim, ut *n. 309.* dicam, Magistratus Sæcularis eundem extrahere etiam per vim potest, non tamen abstrahere illum potest ad carceres Sæculares, sed deferre illum debet ad carcerem Jurisdictionis Episcopalis, ubi eundem, si ita opus fuerit, per Ministros suos custodire poterit, dum articulus, an sic extractus Immunitate gaudeat, decisus fuerit, ut à S. Congr. Episc. & Regul. *30. Sept. 1616.* declaratum est, teste Delben. *l. cit. n. 9. Ad Argumentum ex Ratione* dico, non esse modum servandi se indemnem mittere falcem in messem alienam. Ne autem reus interea elabatur, fuga ei præcludi potest, & solet à custodibus, & militibus, qui ejus egressum non in ipsa Ecclesia, vel Cœmeterio, sed extra ista in profano loco præstolentur, ut contra Pignatell. *tom. 1. consult. 127. n. 4.* cum communi Suar. *l. 3. c. 12. n. 4.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 13.* Farin. *Append. c. 19. n. 299.* Canis. *in c. 1. h. tit. n. 24.* Delben. *dub. 28. n. 7.* Wagnereck *in c. inter alia V. sibi obtinere not. 1.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 245.* Pirh. *hic n. 48.* König *ibid. n. 15.* advertunt; neque enim hoc est obsidere locum Sacrum, sed observare locum profanum, & ipsi delinquenti insidiari, ut si istum exire contigerit, ad carceres abstrahatur: quod nullo Jure prohibitum est; neque enim Immunitas confugam à pœna omnino liberat, sed tantùm defendit à violentia, quamdiu existit in loco Sacro.

Quæ-

290 Quæritur 7. utrum Rector Ecclesiæ, ad quam confugit reus, casu, quo dubitatur, an ille Asylo gaudeat, teneatur confugientem custodire, ne fugiat? Affirmat Farin. *Append. c. 19. n. 298.* qui proinde cum *Claro* notat, confugientes ad Ecclesiam saltem debere teneri cum bona custodia, donec fuerit cognitum, an gaudere Asylo debeat, vel non: addítque casu, quo reus fugerit, Prælatum, seu Rectorem Ecclesiæ teneri de culpa. Sed hoc mihi probabile non videtur; quia esset Ecclesiam murare in carcerem, & ex Clericis facere Satellites, & Lictores: habétque Judex Sæcularis aliud sufficiens medium, quo fugam impediat, nempe apponendo custodes extra Ecclesiæ fines, vel petendo ab Episcopo, ut interea confuga transferatur ad carcerem Juris Ecclesiastici. Sed hinc oritur

291 *Dubium*, an casu, quo carcer Juris Ecclesiastici videtur esse minùs tutus, Judex Laicus nomine Episcopi reponere reum possit in carcere Sæculari, ut ibi tutiùs custodiatur? Affirmant aliqui ex ratione; quia in tali casu, cùm nomine Episcopi detineatur ibidem reus, censetur ille reponi in carcere Curiæ Ecclesiasticæ. Sed meliùs cum alijs negat Delben. *dub. 27. n. 10.* ob *Constit. Greg.* textum satis clarum, quæ jubet reum reponi in carcere Ecclesiastico. *Proceditque hoc*, etsi Judex Sæcularis cautionem dare velit de immunitate in suis carceribus: & verum etiam est, etsi Reus velit cedere Jure suo; cedere enim isto non potest validè, ut dictum est *n. 285.*

292 Quæritur 8. an, & quâ pœnâ affici possit confugiens ad Asylum? Negant nonnulli cum Gloss. *in c. inter alia cit.* ullâ pœnâ confugientem posse affici, dum est in Asylo: & ita colligi videtur ex *c. cit.* verbis ibi: *Neque damnari debet ad mortem, vel pœnam.*

Sed distinguendum est inter pœnam pecuniariam, & corporalem. *Corporalis*, dum confugiens in Asylo est, de Jure communi in eundem ferri non potest secundùm dicta *n. 271.* *De Jure communi*, inquam; nam de consuetudine teste Clar. §. *fin. q. 30. n. 23.* Farin. *prax. crim. q. 28. n. 77. in fin.* Delben. *dub. 31. n. 11.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 249.* Wiest. *hic n. 157.* receptum alicubi est, ut Curia Sæcularis contra eum, qui ad Ecclesiam confugit, per inquisitionem, citationémque procedat; & si non compareat, post legitimam delicti probationem sententiam proferat: quo casu tamen ista, si capitalis sit, Immunitate obstante, dari executioni nequit.

293 *Pecuniariâ pœnâ* idem reus potest affici, ut contra Gloss. *l. cit.* & Joann. de Vischis *tr. de Immunit. n. 57. v. nunquid.* docent Abb. *in c. inter alia n. 3. & 9.* Azor *p. 2. l. 9. c. 9. q. 12.* Suar. *l. 3. c. 12. n. 5.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 56.* & *in c. inter alia cit. n. 36.* Vivian. *ibid. in Ration. v. fallit.* Fagnan. *n. 16.* Gonzal. *n. 5.* Wagnereck *V. sibi obtinere not. 1.* Delben. *dub. 31. n. 15.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 248.* Engl *hic n. 4.* Pirh. *n. 47.* König *n. 16.* Rationem dant, tum quia *c. inter alia cit.* & reliqua Jura solùm loqui videntur de pœna corporali, non verò de pecuniaria; tum verò quia hoc pacto non agitur contra ipsum ratione Refugij, sed ratione delicti, propter quod Lex pœnam injungit. Et hinc ex istorum DD. sententia reus tali casu citari potest sub confiscatione bonorum, promissa tamen impunitate quoad corpus, & vitam; & si citatus coram Judice vel per se, vel per Procuratorem in causa Civili negligat comparere, bona ipsius, quæ extra Ecclesiam habet, poterunt addici fisco.

Quæritur 9. utrum Reus, ex hoc, 294
quòd semel confugerit ad Ecclesiam, semper gaudere Immunitate debeat, licèt postea ex illa egrediatur, ita, ut de Jure ob delictum suum non possit ampliùs puniri corporaliter, sed tantùm pœnâ pecuniariâ? Ita quidem sentiunt apud Delben. *dub. 31. n. 13.* cum alijs *Sylv. Angel. Armill. Abb. Bossi. Decian. Oldrad Azor, Fagund. Perficus.* Sed hoc, ut *cit.* Delben. *n. 14.* notat, solùm procedit in quatuor casibus. 1. quando reus, dum in Asylo erat, modo, quo suprà dictum est, condemnatus jam est ad pœnam pecuniariam; quia de eodem delicto non debet sæpiùs quæri. 2. quando fuit extractus ab Ecclesia in casibus non exceptis, in quibus scilicet Immunitate gaudet. 3. quando fuit extractus in casibus etiam exceptis, sed sine licentia Episcopi. 4. quando fuit consignatus ab Episcopo in casibus similiter exceptis cum cautione impunitatis quoad vitam, membra, & alias pœnas corporales. Sed huic ultimæ exceptioni, ut idem Delben. *l. cit.* cum *Ambrosin.* notat jam non ampliùs locus est post *Constit. Gregor.* juxta quam in casibus exceptis reus Curiæ Sæculari liberè puniendus traditur.

Ex quo sequitur, quòd Immunitas 295
Ecclesiæ non violetur, si reus, qui ex Ecclesia, ad quam confugit, translatus fuit in carcerem Juris Episcopalis, & antequam decideretur, an Immunitate gaudeat, ex illo carcere fugit, & postea à Judice Sæculari capitur, mortíque traditur, antequam ab Episcopo super dubio Immunitatis feratur sententia, modò non sit captus in loco sacro; quia sibi imputare Reus debet hoc damnum, quod patitur ratione fugæ. Vide Decian. *tr. crim. l. 6. c. 29. n. 7.* Farin. *Append. Immunit. c. 19. n. 306.* Mar. Ital. *l. 1. c. 6. §. 2. n. 28.* Delben. *dub. 31. cit. n. 17.*

296 Quæritur 10. an, & quando Curiæ Sæculari, si hæc criminis non excepti reum Asylo velit extrahere, resisti valeat? Satis convenit inter DD. 1. quòd resisti eidem possit; quia ita extrahendo vim injustam infert Ecclesiæ, & ipsi reo istâ recepto. atqui vim injustam inferenti, , etsi Justitiæ minister sit, licet resistere *l. ut vim 3. ff. de J. & J. l. scientiam 45. §. qui cùm 4. ff. ad Leg. Aquil. l. prohibitum 5. C. de Jur. fisc.* 2. certum est vim vi repellere, & securitatis suæ jus propugnare posse reum Laicum, si necesse sit etiam armis; quia ita defendere se potiùs videtur, quàm offendere. Delben. *dub. 32. n. 3.* 3. non minùs certum est, quòd Ecclesia Immunitatis suæ jus tueri valeat etiam fores occludendo, & adhibendo alia media idonea, & ab Ecclesiastico statu non aliena, ad vim externam impediendam. Delben. *l. cit. n. 4.*

297 *Dubium* in eo positum est, an Clericis tali casu liceat arma sumere, & ubi bello activo ad defendendum reum à se receptum? *Ratio dubitandi* est, quia Ecclesia videtur Jure id facere posse ex illo principio, quòd vim vi repellere à natura concessum sit omnibus.

Sed contrarium verius est: & ita docent Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 18. fin.* Suar. *l. 3. c. 13. n. 5.* Fagund. *l. 4. c. 4. n. 59.* Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 3. n. 3.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 14.* Delben. *dub. 32. cit. n. 5.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 250.* Pirh. *hic n. 50.* Wiest. *n. 144.* Ratio est; quia per se prohibitum est Clericis arma sumere sine speciali dispensatione, quæ in hoc casu non conceditur, nec regulariter necessaria est; potest enim Ecclesia Judicem Laicum compellere per Censuras, ut à vi abstineat, vel si eam inferendo reum extraxit, ut rursum restituat. Deinde potest, ut *suprà* dixi, vim impedire sine bello activo claudendo ostia, & quælibet alia media apponendo.

298 Quæ si non sufficiant, Pastores Ecclesiæ interdum uti auxilio Laicorum ad Ecclesiam defendendam poterunt: quod tamen rarissimè expediet fieri; quia sequi scandala magna possunt, quæ majoris momenti sunt, & magis vitanda, quàm unius Ecclesiæ violatio. Si magna esset necessitas, & grave, vel commune Ecclesiæ damnum timeretur, id fieri potest, interveniente maximè authoritate Summi Pontificis. Suar. *l. cit. n. 5.* Pirh. *n. 50.*

299 Quæritur 11. ad quid teneatur Judex, qui reum ab Ecclesia violenter extraxit? R. ante omnia illum debet restituere Ecclesiæ, ut dictum est *n. 272.* Idque verum est, etiamsi ita extractus deinde in potestate Judicis Sæcularis permanere velit; nam, ut *ibidem* ostendi, reus privilegio huic renuntiare non potest. Et procedit etiam tunc, quando Judex Sæcularis illum extraxit in casu excepto, si formam in *Const. Gregor.* præscriptam non observavit. Delben. *dub. 33. n. 4.* An eidem Ecclesiæ restitui debeat, ex qua est extractus, controversum est inter DD. Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 269. & 270.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 11. n. 13.* Delben. *dub. 34. n. 11.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 252.* Wiestner *hic n. 148.* & alij quidam putant, restitutionem fieri posse etiam alteri Ecclesiæ, Monasterio, vel etiam Episcopo, aut ejus Officiali, seu Vicario Generali, dummodo saluti confugæ, ejúsque commodis æquè prospectum sit. *Ratio* illorum est, quia Privilegium Immunitatis unicum omnium est, ut adeo sicut injuria per violentam extractionem uni Ecclesiæ illata, sic etiam satisfactio, Reíque extracti restitutio omnibus Ecclesijs sit communis. Sed eidem Ecclesiæ restituendum, ita, ut alteri non possit, nisi de licentia Summi Pontificis, sæpiùs decrevit S. Congreg. Immunit. *in Ferrarien. 1632.* apud Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 54. in Januen. 8. Dec. 1632.* & *29. Nov. 1634.* apud Pignatell. *tom. 2. consult. 37. n. 36. in Mediolan. 28. Nov. 1634.* & *in Cujacen. 30. Nov. 1640.* apud Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 24. n. 20.* & ratio est; quia ipsa est spoliata.

300 3. Tenetur Judex reparare Reo omnia damna inde consequentia; nam per extractionem hujusmodi fit vera injuria reo contra Justitiam Commutativam, cùm Judex talis exerceat non actum Jurisdictionis, sed Tyrannidis, & meram violentiam Suar. *l. 3. c. 13. n. 9. 10. & 15.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 14.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 245.* Delben. *dub. 24. n. 6.* Wagnereck *in c. inter alia V. sibi obtinere not. 2 fin.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 255.* Pirh. *hic n. 51.* & alij *passim.*

3. Omnes actus Judiciales postea facti circa hujusmodi reum ipso Jure sunt nulli. Suar. *n. 14.* Laym. *n. 14. V. denique.* Delben. *dub. 34. n. 1.* Wagnereck *not. 2.* Pirh. *n. 51. fin.* nam si fundamentum est nullum, necesse est omnia, quæ in illo fundantur, frustranea esse. sed omnes illi actus subsequentes fundantur in captura, & quasi possessione Rei, ergo cùm hæc nulla sit, cætera omnia erunt irrita.

301 Quæritur 12. à quo Reus in Asylo sit alendus? R. distinguendo: Vel enim habet bona propria, ex quibus alatur, vel non habet. *Si primum*, alimenta ipsi præstari debent ex bonis proprijs, vel si illa præstò non sint, tenebitur quidem Ecclesia defectum suppliere, ipse tamen confuga manebit obstrictus ad compensandos sumptus in alimenta factos. Sylv. *V. Immunitas 3. q. 3.* Abb. *in c. inter alia n. 28.* Azor *p. 2. l. 9. c. 9. q. 13.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 32. n. 4.* Delben. *dub. 28. n. 4.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 247.* Pirh. *hic n. 49.* Wiestner *ibid. n. 153.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Jur. Eccl. c. 4.*

c. 4. n. 55. Ratio est, quia tali casu Ecclesia præsumitur præsenti solùm necessitati subvenire, non autem absolutè donare.

302 *Si secundum*, ad ejus sustentationem tenentur consanguinei, & si hi non possint, Ecclesia: quo casu tamen confuga compelli poterit ad serviendum Ecclesiæ, & in istius commodum laborandum, saltem si hoc possit, & solitus sit. Ita cum *citt.* Farin. *Append. Immunit. c. 19. n. 296.* Ranbeck *Panopl. Immunit. D. 4. c. 5. n. 43.* Schambog. *hic n. 54.* Et quidem quòd in defectum alimenta confugæ debeat subministrare Ecclesia, clarum est; quia aliàs ex defectu istorum reus compelleretur excedere Asylo, & Sæculari Curiæ se consignare. Quòd verò ad laborandum adigi possit, ratio est, tum ut ne detur eidem occasio otiandi, tum quia æquum est, ut cùm Ecclesia alimenta eidem præstet, ipse ista labore suo compenset.

§. VII.

De licita Extractione Confugæ ex Asylo in casibus exceptis.

SUMMARIUM.

303. *In casu non excepto non potest confuga extradi Judici Sæculari ad pœnam.*
304. *Et extradens, si mors, vel mutilatio sequatur, incurrit Irregularitatem.*
305. *Modus extradendi Reum in casibus exceptis.*
206. *An Judices Laici sic confugientem ad Ecclesiam in casibus exceptis extrahere ab Ecclesia possint non, requisitâ licentiâ Episcopi, vel hujus Officialis?*
307. 308. *Respondetur negativè.*
309. *Si tamen Episcopus, vel Officialis illius culpabiliter extradere illum recusaret, posset iste ipso invito extrahi.*
310. *Observanda in tali extractione.*
311. *Ad quem Judicem pertineat cognitio, an casus sit exceptus?*
312. *Statuitur pertinere ad Ecclesiasticum.*
313. *Respondetur ad Rationem dubitandi.*
314. *Similiter ad Judicem Ecclesiasticum pertinet cognoscere, an locus, ad quem reus confugit, Asylo gaudeat?*
315. *Asserti ratio.*
316. *An cognitio in dubio de Asylo ad Ecclesiasticum Judicem spectet privativè?*
317. *Defenditur Affirmativa.*
318. *Solvuntur Argumenta contraria.*
319. *Cui Judici Ecclesiastico competat cognitio in isto dubio?*
320. *An etiam Prælatis inferioribus Episcopo?*
321. *Quid si duo Episcopi sint proximi loco nullius Diœcesis?*
322. *Qualis probatio requiratur, ut reus ex Asylo transferri possit in carcerem Juris Ecclesiastici?*
323. *Ut omnino extradi Judici Sæculari possit, requiritur plena probatio.*
324. *Ratio Assertionis.*
325. *An Judex Ecclesiasticus in cognitione istius dubij teneatur stare Processui Judicis Sæcularis?*
326. *An possit illo stare?*
327. 328. 329. *Quomodo procedere in cognitione causæ Episcopus debeat?*
330. 331. 332. *An si aliquando sententiam tulit, admittatur ab hac Appellatio?*

303 QUæritur 1. an in solis Casibus exceptis extractio, & extraditio Rei Laici ad Ecclesiam confugientis sit licita? Sylv. *V. Immunitas 3. n. 4.* Azor *p. 2. l. 9. c. 9. q. 10.* Peregrin. *de Immunit. c. 12. n. 9.* Curtell. *l. 1. q. 32. n. 24. & seqq.* & alij apud Delben. *de Immunit. c. 16. dub. 39. n. 1.* putant, quòd Prælatus illum possit, & debeat Judici Sæculari puniendum tradere, obtenta tamen priùs cautione de Impunitate Rei quoad vitam, membra, & omnem pœnam corporalem, juratoriâ quidem, si credatur Judex Sæcularis non violaturus Juramentum, fidejussoriâ autem, si dubium sit, an illud sit servaturus.

Sed melius alij cum Farin. *Append. Immunit. c. 22. n. 344.* Bonacin. *tom. 2. D. 8. q. 7. p. 7. num. 3.* Gambacurt. *l. 8. c. 11. & 12. n. 4.* Delben. *l. cit. n. 2.* negant ejusmodi Reum invitum, in casu non excepto ad pœnam extradi Judici Sæculari posse, quamvis iste securitatem quamcunque de ejusdem impunitate præstet. Patet ex *Const. Gregor.* ubi dum extractio, & extraditio solùm conceditur in casibus exceptis, ea in casibus non exceptis hoc ipso virtualiter denegatur. *Ratio est*, quia Immunitas, quâ reus in dictis casibus gaudet, in hoc ipso consistit, ut non possit invitus ex loco Sacro extrahi, & judicari.

304 Quod adeo verum est, ut Rector Ecclesiæ, qui hujusmodi reum in casu non excepto Curiæ Sæculari tradidit, vel extrahendi licentiam dedit, si Reo tradito inde sequatur mors, vel mutilatio, Irregularitatem contrahat; quia Curiæ Sæculari eum tradendo censetur cooperari ipsius morti, vel mutilationi. Delben. *n. 9.* Idque ex probabiliori DD. sententia verum est, etiamsi traditio fiat, præmissa cautione, & protestatione impunitatis circa vitam, & membra Rei; quia protestatio hæc est contraria

facto, conf. non relevat extradentem. Delben. *n. 13.*

Eandem Irregularitatem, ut vult Bonacin. *de Irregul. D. 7. q. 4. p. 1. n. 19.* incurrit etiam Prælatus, vel Rector Ecclesiæ, qui confugam permittit extrahi, & extrahentibus non resistit, nec reum defendit; quia tenetur ex officio, & sic ex Justitia tueri Immunitatem Ecclesiasticam. Sed quia talis Prælatus negativè se tantùm habet, nec positivè influit, prout ad contrahendam Irregularitatem juxta Canones necessarium est, ideo negativa opinio, teste Delben. *n. 12.* satis adhuc probabilis est.

305 Quæritur 2. quis modus tenendus sit, cùm delinquens in Casibus exceptis tradendus est Curiæ Sæculari? R. Modus iste præscribitur *in Const. Innocent.* sæpiùs allegatâ, vi cujus, quando Curia Sæcularis à Curia Ecclesiastica petit, ut Laicum aliquem à loco immuni extrahi, ac sibi consignari faciat, considerandum est 1. an super delicti excepti qualitate, ac personæ reitate subministrata, vel acquisita sint indicia, quæ ad capturam declarandam sufficere videantur. 2. Talibus indicijs habitis, Curia Ecclesiastica ad ejusdem delinquentis extractionem ab Ecclesia, aliisque locis immunibus ope, ac medio suorum Executorum, implorato etiam, quando opus fuerit, brachij sæcularis auxilio, & cum interventu Personæ Ecclesiasticæ, ab Episcopo deputandæ, procedere teneatur. 3. Non tamen illico ex solis suprà dictis indicijs tradi delinquens debet potestati Laicali, sed curandum à Curia Ecclesiastica, ut Extractus ad suos, i. e. Juris Ecclesiastici, Carceres asportetur, ibique sub tuta custodia tamdiu detineatur, donec ex Processu Informativo desuper conficiendo constet de Crimine excepto, ac insuper adversùs eundem Extractum talia resultent indicia, ut Crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit. 4. Habitis hujusmodi indicijs, & quidem talibus, quæ juxta regulas Juris vocantur ultra torturam, tum demum idem Extractus Ministris, & Officialibus Curiæ Sæcularis tradi, & consignari potest, ac debet, exactâ tamen, receptáque priùs ab ipsis obligatione, in forma Juris validâ, eundem Extractum Ecclesiæ sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, Pontifici reservatæ, restituendi in casu, quo idem Extractus indicia, contra ipsum acquisita, in suis defensionibus purgaverit, ac diluerit. 5. Quodsi verò dicta indicia Extractus minimè purgaverit, & verè delinquens repertus fuerit, tum demum Curiæ Sæculari in ipsum, ut Juris esse censuerit, agere, ac procedere permissum erit: quæ omnia habentur in dicta *Const.* §. *quotiescunque.*

306 Quæritur 3. an Judices Laici sic confugientem ad Ecclesiam in casibus exceptis extrahere ab Ecclesia possint, non requisitâ licentiâ Episcopi, vel hujus Officialis? Affirmativam tuentur Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 18. coroll. 34.* Clar. §. *fin. q. 30. n. 20.* Suar. *l. 3. c. 13. n. 1.* Canis. *in c. 1. h. tit. n. 34.* Pirh. *hic n. 43.* qui ajunt id in praxi, & moribus Christiani Orbis receptum esse. *Rationem* dant, quia tunc ipsum Jus dat facultatem. ergo non est necessarium illam ab homine petere, vel obtinere, & cùm Ecclesia tunc confugientes ad loca Sacra non tutetur, nec tutari velit, nulla fiet ipsi injuria per extractionem etiam violentam.

Sed in negativam magno numero 307
consentiunt DD. atque in his M. Ant. Genuens. *prax. c. 18. n. 5.* Riccius *p. 5. collect. 1792.* Fill. *tom. 1. tr. 15. c. 6. n. 154.* Ambrolin. *de Immunit. c. 11. n. 1.* Farin. *Append. c. 22. n. 359.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 291.* Zypæus *Analys. ad hanc Rubr. n. 12.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 31. n. 4.* & *c. 32. n. 1.* Delben. *dub. 40. sect. 1. n. 5.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 157.* Fagnan. *in c. inter alia n. 97.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 261.* Illsung. *tr. 5. D. 2. n. 265.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 24. n. 3.* Zoes. *hic n. 39.* Honor. *n. 7.* Engl *n. 20. concl. 7.* Schambog. *n. 48.* Wiestner *n. 173.* Patet ex *Const. Gregor. cit.* ubi §. *volumus,* §. *occurrente,* & §. *quòdque delinquentes* ad legitimam extractionem, & incarcerationem licentia Episcopalis, & personæ Ecclesiasticæ interventus expresè requiritur. Et confirmatur ex novissima *Const. Innoc.* §. *præterea,* ubi extractio reorum ex loco immuni quibuscunque Magistratibus, & Ministris Sæcularibus sub pœnis, à SS. Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis adversùs eos, qui Jurisdictionem Ecclesiasticam quoquo modo lædunt, ac violant, inflictis severissimè interdicitur. *Ratio* esse potest; quia Ecclesia non est de territorio Judicis Sæcularis. ergo non potest iste ex hac reum extrahere; quia exerceret Jurisdictionem extra territorium suum.

Et hoc verùm est, etiamsi notorium 308
sit, reum commisisse crimen exceptum; quia licentia Episcopi requiritur ad formam, & præteriri non potest. Jordan. *n. 291. cit.* Delben. *n. 3. & 4. Neque obstat,* quòd Episcopus in hisce casibus non possit denegare licentiam extrahendi; nam etiam denegare non potest Regularibus licentiam prædicandi in suis Ecclesijs, quam tamen petere Regulares debent.

Ad Rationem in contrarium allatam dico, in his casibus Jus quidem dare licentiam extrahendi, sed in forma à Jure præscripta, ad quam juxta DD. pro negativa allegatos pertinet licentia Episcopi, & interventus personæ Ecclesiasticæ.

Quæritur 4. an casu, quo Episco- 309
pus, aut ejus Officialis, vel Vicarius Gene-

ra-

neralis culpabiliter recusarent delinquentem tradere, extrahi delinquens isto invito possit? ℣. probabiliter posse. Ita Farin. *Append. Immun. c. 22. n. 359.* Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 7. n. 7.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 292.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 4. n. 4.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 31. n. 4.* Sperell. *decis. 104. n. 6.* Delben. *dub. 40. n. 9.* Sed tunc tria hæc observari debebunt.

1. Ut casus sit clarè exceptus: nam si dubium sit, an sit exceptus, vel non, nequaquam possunt Judices Laici sic tutatum à loco sacro expellere; quia dum non constat illum ab Immunitate esse exclusum, eâ gaudet, cùm hæc concedatur omnibus delinquentibus extra casus exceptos.

310 2. Ut memores reverentiæ, locis sacris, & Ecclesijs debitæ, prædictos delinquentes minori, quo fieri potest, scandalo, & tumultu extrahant.

3. Ut eundem ad Carcerem Curiæ Ecclesiasticæ, non Sæcularis deferant, & ibi reponant, appositâ etiam, si opus fuerit, custodiâ, quousque per Episcopum, aut ejus Superiorem cognoscatur, quòd delinquens non debeat gaudere Immunitate.

311 Quæritur 5. ad quem Judicem pertineat cognitio, an casus sit ab Immunitate exceptus, vel non? Castro *de Manu Regia p. 1. c. 10. n. 1.* Olibanus *de Jur. fisc. c. 11. n. 12.* & alij potestatem cognoscendi hoc casu adstruunt Curiæ Sæculari, quòd cujusvis Judicis sit cognoscere, an sua sit Jurisdictio, prout de Judice Ordinario constat ex *l. siquis ex aliena 5. ff. de Judic. l. ex quacunque 2. ff. siquis in jus vocatus non ierit &c.* de Delegato autem decernitur *c. pastoralis 14.* & *c. super litteris 20. fin. de Rescript.*

312 Sed dicendum, ejus dubij cognitionem ad Judicem Ecclesiasticum pertinere. Ita Ant. de Butrio *in c. cæterùm 5. de Judic.* Covar. *practic. c. 33. à n. 1.* Peregrin. *de Immunit. c. 3. n. 1.* Mar. Ital. *l. 1. c. 5. §. 14. n. 7.* Stephan. Gratian. *Discept. for. c. 190. à n. 11.* Farin. *Append. c. 22. n. 366. & 367.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 154.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 31. n. 3.* Delben. *c. 16. dub. 41. n. 1.* Oliva *for. Eccl. p. 1. q. 26. n. 21.* Canis. *in c. 1. h. tit. n. 35.* Gonzal. *in c. inter alia 6. eod. n. 2.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 266.* Pignatell. *tom. 5. consult. 5. n. 77.* Honor. *hic n. 7.* Engl *n. 20. ℣. præterea.* Wiestner *n. 160.* éstque hæc teste *Oliva l. cit.* omnium ferè DD. sententia, & constat apertissimè ex *Constit. Gregor.* ibi, *Nisi cognito prius per Episcopum, vel ab eo deputatum, an delinquentes verè crimina excepta commiserint.* Quod ipsum confirmat Sanctissimus D. N. Innocentius XIII. in *Constitutione* sua novissima sæpiùs allegata, ubi §. *præterea* per expressissima verba *quibuscunque Magistratibus, Officialibus, & Ministris Sæcularibus, necnon quibusvis alijs personis, cujuscunque gradûs, & conditionis existant, etiamsi Imperiali, Regiâ, Ducali, aut aliâ quavis mundanâ Dignitate, aut authoritate præfulgeant, districtè interdicitur, ac inhibetur, ne hujusmodi causis vel conficiendo Processus, vel Inquisitos extrahendo à locis immunibus, vel declarando Crimina ab eis admissa esse de exceptis in Gregoriana, aut in præsenti sua Constitutione, ullo pacto sese ingerant, aut immisceant: quodsi verò secus quidquam attentare præsumpserint, ex nunc omnia in contrarium præmissorum gerenda, irrita, atque inania, nullíusque roboris, vel momenti* perpetuò fore, ipsósque attentantes in Censuras, & alias pœnas à SS. Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis adversùs eos, qui Jurisdictionem Ecclesiasticam quoquo modo lædunt, ac violant, inflictas incurrere decernit, & declarat. Ratio est, quia cognitio causæ Ecclesiasticæ non potest, nisi ad Judicem Ecclesiasticum spectare per *c. Ecclesiæ 10. de Constit.* atqui causa præsens apertè Ecclesiastica est; agitur enim de Jure Ecclesiastico Immunitatis. ergo &c.

Ad argumentum contrariæ sententiæ di- 313
co, Judicem Sæcularem tum solùm cognoscere posse, an sua sit Jurisdictio, quando materia temporalis est, & profana, & reus conventus Laicus? quia in tali causa, & persona Jurisdictionem fundatam habet: at si materia, aut reus conventus Ecclesiasticus sit, immiscere sese non debet; quia tum intentionem in Jure fundatam habet solus Judex Ecclesiasticus *c. decernimus 2. c. quanto 3. de Judic. c. tuam 3. de ordin. cognit. c. lator 5. c. causam 7. qui fil. legit. c. si Judex 12. de sent. Excomm. in 6.*

Quæritur 6. ad quem Judicem per- 314
tineat cognoscere, an locus, quò se recepit confuga, privilegio Ecclesiasticæ Immunitatis gaudeat? *Videtur* de hoc posse cognoscere Judex Sæcularis; quia est quæstio facti, cùm dependeat ab eo, an talis locus sit consecratus ab Episcopo, vel Ecclesiastica authoritate ad Divina deputatus.

Sed dicendum etiam hanc causam ad Judicem Ecclesiasticum pertinere. Ita Peregrin. *de Immunit. c. 13. n. 18.* Farin. *Append. c. 22. n. 366.* Novar. *Summ. Bullar. tit. de Immunit. Eccl. num. 95.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 293.* Lezan. *Summ. qq. Regul. V. immunitas n. 28.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 156.* Delben. *dub. 41. n. 1.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 273.* Pignatell. *tom. 9. consult. 22. num. 30.* Wiestner *hic n. 162.*

Ratio est, quia ad dubium hoc de 315
cidendum necessarium est cognoscere non tantùm de consecratione, vel deputatione talis loci ad servitium Divinum, sed etiam de validitate talis consecrationis, vel de-

putationis ; conſ. quæſtio iſta quæſtionem Juris involvit, quæ merè Spiritualis eſt, & ſic Juriſdictionem Sæcularem excedit. igitur de hac quæſtione connexa neceſſariò cognoſcere debet Judex Eccleſiaſticus. Si autem de iſta, etiam de quæſtione facti, quæ illam involvit, ne cauſarum continentia dividatur, ergo &c.

Accedit commune Principium, quòd cùm facti quæſtio ad eum, de quo agitur, effectum non ſufficit, de ea fruſtra cognoſcat, & pronuntiet Judex Sæcularis *arg. c. dilecti 8. de Except. l. ad probationem 21. C. de Probat.* Jaſon *in l. quoties 3. C. de Judic. n. 8.* Bald. *in Auth. & qui jurat C. de bon. auth. Jud. poſſid. n. 27.*

316 Quæritur 7. an caſu, quo dubitatur, num confuga Aſylo gaudeat, cognitio hujus dubij pertineat ad Judicem Eccleſiaſticum privativè, & excluſo Judice Sæculari? Volunt nonnulli cum Remig. de Gonny *de Immunit. q. 1. n. 6.* de hoc dubio cognoſcendum ab utroque tam Eccleſiaſtico, quàm Sæculari Judice, & moventur gemina ratione ; Nam 1. dicunt in dubio de qualitate criminis agi cauſam mixti fori, atqui in cauſis mixti fori valde conveniens, & in Jure fundatum eſt, ut cognitio diverſorum Judicum ſit ſimultanea ; ſic enim *Auth. ſi verò C. de Judic.* Epiſcopo, vel Archi-Epiſcopo adjungitur Judex Sæcularis, & *c. per hoc 17. de Hæret. in 6.* de Hæreſis crimine ſimul cognoſcunt Inquiſitor Apoſtolicus generaliter delegatus, & Ordinarius. 2. In cauſis, in quibus agitur de præjudicio utriuſque Curiæ, Eccleſiaſticæ, & Sæcularis, conveniens, & Juri conientaneum eſt, ut de eo uterque Judex ſimul cognoſcat *arg. Reg. quod omnes tangit 29. in 6.* & *l. concedendo 7. ff. de aqu. pluv. arcend.* atqui in præſentis quæſtionis dubio agitur de præjudicio utriuſque Curiæ ; quia Sæcularis prætendere poteſt delinquentem Immunitate non gaudere, Eccleſiaſtica autem hoc aſſerere.

317 Sed explorati Juris eſt, quòd ejuſmodi dubij deciſio Eccleſiaſtico Judici ſoli competat. Ita *Boerius deciſ. 109.* Gutier. *pract. qq. l. 3. q. 1. n. 5.* Farin. *prax. crim. q. 28. n. 76.* Guazzin. *reor. defenſ. 1. c. 31. n. 3.* Sperell. *deciſ. 103. n. 26.* Barboſ. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. num. 155.* Oliva *for. Eccl. p. 1. q. 27. num. 17.* Wieſtner *hic n. 165.* Clari ſunt textus Juris Canonici *can. ad Epiſcopos 11.* & *can. metuentes 32. cauſ. 17. q. 4. c. ſi Judex 12. de ſent. Excomm. in 6.* & præſertim *Conſtit. Gregor. cit.* ibi, *Niſi cognito priùs per Epiſcopum, vel ab eo delegatum, an delinquentes verè crimina excepta commiſerint - - - Curiæ Sæculari conſignari poſſint.* Ratio eſt, quia Judex Sæcularis reſpectu cauſæ Eccleſiaſticæ, qualis eſt Immunitatis, eſt prorſus incompetens. *Conf.* à pari cum Legibus concernentibus Immunitatem ; nam has condere poteſt ſolus Judex Eccleſiaſticus, non Sæcularis ob defectum Juriſdictionis. ergo ob eundem defectum etiam non poterit cognoſcere de cauſis, quibus de eadem Immunitate agitur.

Neque contrarium probant Argu- 318
menta oppoſita. *Ad 1.* imprimis nulla Lege, vel ratione evincitur, quòd cognitio in dubio de Immunitate ſit cauſa mixti fori: deinde ſi mixti fori eſſet, non propterea Judex Eccleſiaſticus, & Sæcularis ſimul de ea deberent cognoſcere, ſed hoc ad eum pertineret, qui alterum prævenisſet. *Neque obſtant* textus in *Conf.* allati: prior quidem ; quia in eo caſu Judex Eccleſiaſticus, & Sæcularis ſimul cognoſcunt, non tanquam Miniſtri poteſtatis Eccleſiaſticæ, ſed Sæcularis, & ex commiſſione Imperatoris, vel alterius Principis. Wieſtner *hic n. 167.* Poſterior autem ; quia in caſu *c. cit.* Judex Ordinarius, & Inquiſitor Apoſtolicus uterque ſunt Judices Eccleſiaſtici, conſ. uterque capax eſt. *Ad 2.* Sæcularis Judex intereſſe cognitioni, quâ agitur, an reus Aſylo gaudeat, poteſt, non tamen, ut judicet, ſed ut de ſuo Jure tanquam pars dicat. Wieſtner *l. cit.*

Quæritur 8. qualis Judex Eccleſia- 319
ſticus cognoſcere poſſit, an crimen, quod confuga commiſit, exceptum ſit ? R. 1. cognoſcere de hoc dubio poteſt Epiſcopus, prout planum eſt ex *can. ad Epiſcopos 11. can. ſiquis contumax 20. cauſ. 17. q. 4.* & *Conſtit. Gregor. cit.* ibi, *Niſi cognito priùs per Epiſcopum &c.* 2. Capitulum, ſede Epiſcopali vacante ; quia ad hoc tranſit omnis adminiſtratio, & Juriſdictio Epiſcopalis Ordinaria, niſi ſpecialiter prohibita reperiatur *c. bis quæ 11.* & *c. cùm olim 14. de majorit.* atqui cognitio de criminis exceptione ad Epiſcopum ſpectat ex Juriſdictione Ordinaria. ergo &c. 3. Vicarius Generalis utriuſque ; quia generaliter, ſi aliquo Juris textu habetur, quòd aliquid ad Epiſcopi, vel Diœceſani poteſtatem pertineat, id etiam pertinet ad Vicarium Generalem, niſi ſpeciale mandatum exigat. Mandoſ. *ad Reg. 24. Cancell. q. 6. n. 3.* Garc. *de benef. p. 5. c. 8. n. 65.* Laym. *in c. licèt 2. de Offic. Vicar. in 6. n. 1.* Wieſtner *hic n. 171.* atqui ejuſmodi cognitio dubij, ut paulò antea dixi, pertinet ad Epiſcopum, & ſpeciale mandatum exigi nullo Jure eſt cautum : imò contrarium potiùs colligitur ex *Conſtit. Gregor. cit.* ubi poteſtas iſta aſſeritur Officiali ſine mentione ſpecialis mandati. *Excipitur*, niſi alicubi cognitio ejusmodi accenſeretur cauſis arduis, aut ex conſuetudine mandatum ſpeciale ad hoc requireretur.

An autem poteſtatem iſtam cognoſ- 320
cendi de dubio immunitatis, & dandi licentiam extrahendi reum ex Aſylo in caſu ex-

cep-

cepto habeant etiam Prælati inferiores Episcopo, dubium moveri potest. Sed communis cum Ambrosin. *de Immunit. c. 11. n. 1.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 295.* Delben. *c. 16. dub. 40. n. 6. & seqq.* responsio DD. est, potestatem istam competere solis Episcopis, horúmque Officialibus, non verò alijs Prælatis Episcopo inferioribus, sive Regularibus, sive Sæcularibus: & hoc verum est, etiamsi Ordinarij isti sint, vel nullius Diœcesis, vel Conservatores à Sede Apostolica specialiter, vel generaliter deputati. Et hinc si casus contingat, ut delinquens se recipiat in locum exemptum, & nullius Diœcesis, licentia extrahendi petenda est ab Episcopo, vel ejus Officiali, i. e. Vicario Generali viciniore, & non ab alio Prælato, qui sit Episcopo inferior, etiamsi ipse Ordinarius, & nullius Diœcesis sit; quia nomine Episcopi intelligitur hìc verus Episcopus, ut DD. *citt.* & patet ex *Bull. Gregor. cit.* Quam Bullam confirmat novissima *Constitutio Innocentiana*, ubi §. *præterea*, postquam refertur, *sæpedictum Gregorium Prædecessorem in sua Constitutione optimò jure sanxisse, ut soli Episcopi, & non alij Episcopis inferiores, etiamsi locorum Ordinarij sint, aut nullius Diœcesis, aut Conservatores à Sede Apostolica specialiter, vel generaliter deputati, cognoscere, & declarare valeant, an delicta, pro quibus Inquisiti ad loca immunia confugerunt, & in eis se recepernnt, sint, necne, de numero exceptorum*, circa finem dicti §. *præterea* expressè mandatur, *quòd omnimoda cognitio, atque judicium de Criminibus, in Gregoriana, & hac Innocentiana Constitutione exceptis, ad Episcopos tantùm, privativè quoad omnes alios, perpetuò spectet, atque spectare debeat; & donec ipsi in occurrentibus casibus declaraverint, delictum esse de exceptis, & cætera omnia ibidem constituta adimpleverint, Inquisitos Ecclesiæ, vel alterius Loci Sacri, ad quem confugerint, Immunitate gaudere tutò debere, ac in ea conservandos, & manutenendos esse.*

321 Quodsi duo Episcopi sint vicini, seu proximi, sed unus proximus quoad Diœcesim, non verò quoad habitationem, alter proximus quoad habitationem, non verò quoad Diœcesim, licentia extrahendi, ut Delben. *l. cit. n. 11.* advertit, petenda est ab Episcopo viciniore quoad habitationem, modò etiam ipse proximam habeat Diœcesim; quia Gregorius XIV. *in Constitutione* sua principaliter respexit personam Episcopi, secundariò Diœcesim: & hinc non dixit, *Ad Episcopum vicinioris Diœcesis*, sed *ad Episcopum viciniorem* devolutum iri in tali casu cognitionem dubij. Accedit, quia sic occurritur incommodis, quæ aliàs sequi possent, si adeundus esset Episcopus existens in remotiori loco.

Quæritur 9. quomodo Episcopus 322
cognoscere debeat delictum esse exceptum, ut extradere confugam ex Asylo possit? *R.* distinguendo: Vel enim agitur de extradendo illo, ut retineatur tutò in carcere Juris Ecclesiastici, donec probetur delictum; vel contrà agitur de eo extradendo, ut consignetur Curiæ Sæculari, ex merito delicti puniendus.

Ut primum fiat, non requiritur certitudo delicti, sed sufficit dubium, neque est necesse, quòd talis opinio, vel dubium resultet ex notitia Judiciali, sed sufficit extrajudicialis, etiam, quæ resultat ex Processu Judicis Laici juxta Declarationes S. Congr. Episc. *in Neapolitana 23. April. 1602. in Messanensi 4. Maij 1604.* & iterum *in Neapolitana 1. Jul. 1622.*

Contrà ut fiat secundum, & Reus re- 323
mittatur, seu consignetur Curiæ Sæculari, requiritur, ut Episcopus cognoscat, quòd delictum sit exceptum, per probationem concludentem, nec sufficit, si præsumptionibus, & conjecturis probabilis fiat. Ita Ambrosin. *de Immunit. c. 11. n. 4.* Mar. Ital. *de Immunit. c. 6. §. 1. n. 80. & seqq.* Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 7. n. 8.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 13. n. 8.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 301.* Delben. *c. 16. dub. 42. n. 1. & seqq.* Dian. *p. 3. tr. 1. resol. 38.* & *p. 4. tr. 1. resol. 112.* Sperell. *decis. 101. n. 17.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 168.* Guazzin. *reor. defens. 1. c. 31. n. 9.* Pignatell. *tom. 2. consult. 37. n. 1. & seqq.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 268.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 24. n. 3.* Præposit. Friling. *tom. 1. cons. 22. n. 4.* & teste Pignatell. *l. cit.* censuit S. Congr. *in Cremon. 24. Febr. 1612.* & *27. Jul. 1618.* præcipuè verò *in Laudens. 7. Nov. 1651.* Ex quo sequitur, quòd, ubi dubium fuerit inter DD. an delictum gaudeat Immunitate, Judex Ecclesiasticus debeat judicare pro Reo, ut gaudeat. Farin. *Append. c. 8. n. 113. fin.* Marant. *p. 2. respons. 36. n. 11.* & *respons. 51. n. 12.* Giurba *consil. 10. num. 25. fin.* Sperell. *decis. 60. n. 13.* Delben. *c. 16. dub. 46. n. 1.*

Ratio est 1. quia Ecclesia habet jus 324
tutandi omnes delinquentes ad se fugientes, nisi in casibus exceptis, ipsíque delinquentes habent jus, ne ultra illos casus extrahantur. ergo dum Prælato Ecclesiastico non constat casum esse exceptum, injustè Ecclesiam, & delinquentem jure suo privat, at per præsumptiones, & conjecturas non sufficienter constat; quia hæ non vincunt præsumptionem ortam ex possessione Immunitatis, & jure fundato, quippe ad quam vincendam, ut Baldus *in l. Judices 2. n. 2. C. de Judic.* habet, requiritur plena probatio. ergo &c. 2. Præsumptio stat in favorem delinquentis; nam pro eo stat præsumptio, pro quo stat possessio, & qui pro se habet regulam, dicitur etiam

pro

pro se habere Juris præsumptionem *l. ab ea parte 5. ff. de Probat.* ergo præsumptionibus contra Reum agi non potest. 3. Pontifex requirit, ut verè constet de delicto excepto, sed quod per conjecturas solùm, & præsumptiones cognoscitur, illud non dicitur cognosci verè, sed præsumi, & putari; illa enim dicuntur sciri, aut verè constare, quæ proprijs oculis inspicimus, vel aliàs indubitanter novimus.

825 Quæritur 10. an casu, quo constat ex Processu facto à Judice Sæculari, an crimen sit exceptum, vel non, Judex Ecclesiasticus stare debeat Processu isto in hujus causæ cognitione? ℣. non obligari. Ita contra Giurb. *cons. 50. n. 2.* & *cons. 100.* meliùs docent Clar. §. *fin. q. 80.* ℣. *ultimò quæro*, Ambrosin. *de Immunit. c. 11. n. 3.* Farin. *Append. c. 22. n. 373.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 298.* Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 7. n. 9.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 13. n. 9.* Guazzin. *teor. defens. 1. c. 31. n. 7.* Delben. *c. 16. dub. 43. sect. 1. n. 1.* & *seqq.* Pignatell. *tom. 1. consult. 128. n. 7.* Præpolit. Frising. *tom. 1. cons. 22. n. 2.* & alij ab his *citt.* Nituntur triplici ratione. 1. Quia acta instructoria unius Judicij in alio non probant, nisi inter easdem personas, & in eisdem causis, & ad eundem effectum fiant, hoc non fit in casu nostro; quia forum Sæculare respicit reum ut Sæculari Jurisdictioni subjectum, & ut taliter puniendum pro delicto; forum Ecclesiasticum autem respicit Immunitatem Ecclesiæ, quam defendere procurat: quæ sunt causæ, & personæ omnino diversæ. 2. Gregorius in *Bulla sua* dat Episcopo facultatem cognoscendi, an delictum exceptum sit, sed cui delegatur cognitio alicujus causæ, illi delegatur etiam potestas sumendi probationes convenientes tali cognitioni. ergo poterit suas probationes facere Episcopus in casu præsenti, neque tenebitur acquiescere probationibus factis à Judice Sæculari. 3. Probationes, quæ sine citatione partis fiunt, vim habere non possunt *c. in nomine 2. de test. & attest.* sed Sæcularis Judex cùm probationes facit de delicto Rei, non citat Ecclesiam, neque citare potest, utpote sibi non subjectam. ergo probationes illæ contra Ecclesiæ Immunitatem valere non possunt.

826 Dixi autem, *non obligari.* Hinc oritur novum dubium, an stare possit his probationibus, si velit, Judex Ecclesiasticus? Quo in dubio judico distinguendum cum Farin. *Append. c. 22. n. 375.* Bonacin. *tom. 3. de Censur. D. 2. q. 3. p. 16. §. 12. n. 98.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 300.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 13. n. 9.* Delben. *sect. 1. cit. n. 7.* Et quidem si Processus formatus sit à Judice Sæculari, antequam Reus ad Ecclesiam confugerit, præmisso brevi testium examine, Judex Ecclesiasticus acquiescere poterit illi Processui, & reum Judici sæculari remittere; quia tum nulla apparet suspicio falsitatis. At si Processus formatus est, postquam reus confugit ad Ecclesiam, non immeritò suspicio haberi potest de sinceritate Processûs, cùm exhibeatur in causa propria ipsius Judicis Sæcularis, contendentis de Jurisdictione sua. Imò, ut ex *Const. Innoc.* §. *præterea* patet, talis Processus, formatus à Judice Sæculari, est omnino irritus, & *nullius roboris, vel momenti.*

827 Quæritur 11. quomodo procedere in cognitione causæ Episcopus debeat? ℣. 1. citanda est Ecclesia, seu nomine illius Ecclesiæ Promotor Fiscalis, cui Jura Ecclesiæ defendere competit; nam directè de ejus præjudicio agitur. Farin. *append. c. 22. n. 376.* Delben. *c. 16. dub. 44. sect. 1. n. 1.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 271.*

2. Audiendus etiam est Reus, ut contra *Remig. Gonny, Stephanum Gratianum, Giurbam, Novarium* probabiliùs docent Farin. *n. 376. cit.* Peregrin. *de Immunit. c. 3. n. 9.* & *seqq.* Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 7. n. 10.* Dian. *p. 4. tr. 1. resol. 112.* Delben. *sect. cit. n. 2.* quia cùm judicialiter tunc agat Episcopus, Juris formam servare debet; ad hanc autem requiritur citatio Rei. ergo &c. *Neque obstat*, quòd primò, & principaliter privilegium Immunitatis concessum sit Ecclesiæ; nam etiam de delinquentis præjudicio directè agitur. at quoties de alicujus præjudicio directè agitur, ejusdem citatio ad illum condemnandum requiritur. ergo &c.

828 3. Concedendæ tum Ecclesiæ, tum delinquenti sunt Dilationes, quæ necessariæ ipsis fuerint ad defendenda Jura sua; hoc enim de Jure naturali est, neque per hoc tolli potest, quòd judicio, & arbitrio Episcopi sit commissa probatio. Delben. *dub. 45. n. 4.* Haun. *l. cit. n. 272.*

4. Ut contra Guazzin. *teor. defens. 1. c. 31. n. 19.* probabiliùs docent Ciarlin. *Controv. for. c. 10. n. 150.* Delben. *dub. 44. cit. sect. 3. n. 1.* testes examinati in Processu informativo, postea citato, & audito Fisco Ecclesiastico, & ipso Reo, sunt repetendi, nisi forsan habeantur pro repetitis; quia repetitio testium multùm Ecclesiæ, & Reo cum rei veritate prodesse potest, cùm testes repetiti sæpe dictis suis quid addant, vel minuant, vel alio modo se declarent, ut quod priùs Ecclesiæ, & Reo erat noxium, incipiat esse utile, & proficuum.

5. Facto Processu, publicatio fieri ejusdem debet, ne delinquenti, & Ecclesiæ tollatur defensio, & potestas allegandi in sui Juris favorem, siquid habeant. Delben. *dub. 45. n. 6.*

829 Libellus, & Litis contestatio hoc casu non est necessaria; quia non agitur in pœnam delicti, sed ad illius qualitatis cognitionem, & quidem ex officio, nullo inter-

terveniente accusatore, & arbitrio Episcopi decisio causæ commissa est, ipsáque causa summariè, & extra Juris ordinem tractari potest: in quibus omnibus non requiritur Libellus, & litis contestatio.

330 Quæritur 12. an si aliquando Episcopus sententiam tulerit, admittatur ab hac Appellatio? Non conveniunt DD. nam Peregrin. *de Immunit. c. 16. n. 33.* Ciarlin. *c. 10. n. 155.* Sperell. *decis. 65. per totam.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 169.* contendunt, latâ sententiâ super remissione confugæ sive ad Curiam Sæcularem, sive ad Ecclesiam, nec reo, nec Fisco Sæculari licitum esse appellare, sed sententiam super hoc emanatam executioni mandandam, non attenta appellatione, etiam quoad effectum devolutivum, ob *Const. Gregor.* verba, *Quacunque Appellatione postposita.*

331 Contrà alij cum Bonacin. *p. 7. n. 11.* distinguunt: & casu quidem, quo sententia lata est in favorem fori Sæcularis, negant Appellationem admitti, eùm eandem Gregorius in *citt.* Bullæ verbis expressè excluserit. *Excipit* Delben. *dub. 42. sect. 3. n. 1.* quando notoriè, vel satis fundatè de latæ sententiæ injustitia constat; quia clausula illa, *Appellatione remota*, non prohibet Appellationem à sententia notoriè injusta.

At si lata Sententia sit in favorem 332
Rei, existimant Appellationem competere; quia hæc semper conceditur ipso naturæ Jure, quando aliud non exprimitur in Jure positivo. atqui in *Const. Greg.* solùm exprimitur casus primus, non verò hic secundus. ergo &c. Neque in hac quæstione licet argumentum à primo casu ducere ad secundum; quia ratio; ob quam Pontifex fuit motus ad negandam Reo appellationem, fuit, quòd aliàs iste semper appellaret, ut Laicam potestatem eluderet: quæ præsumptio non est contra partem Reo contrariam, seu Fiscum.

§. VIII.

De Pœnis violantium Immunitatem Localem.

SUMMARIUM.

333. *Extrahentes reum ex Asylo committunt culpam Sacrilegij, & Justitiæ.*
334. *Jure Civili incurrunt pœnam capitalem.*
335. *Jure Canonico imponitur ipsis pœna pecuniaria, & publica pœnitentia.*
336. *Et incidunt in Excommunicationem.*
337. *Quæ antiquo Jure erat ferendæ sententiæ.*
338. *Et secundùm aliquos etiam Jure novo.*
339. *Quod tamen communiùs DD. negant.*
340. *Hanc incurrunt Ministri Curiæ Sæcularis reum extrahentes.*
341. *Judex mandans extractionem, vel extractum non restituens.*
342. *Quod extenditur etiam ad privatas personas.*
343. *Et ad eos, qui de mandato Judicis Laici reum in Asylo occidunt.*
344. *Ratam habens extractionem, liber ab Excommunicatione est.*
345. *Sufficit autem ad eam incurrendam attentatio, etsi effectus non sit secutus.*
346. *In foro conscientiæ saltem ab ea excusat ignorantia.*
347. *Probabile est evitare Censuram illum, qui post extractionem statim, ac requisitus est, extractum restituit.*
348. *Quis absolvere ab Excommunicatione hac possit? Argumenta sententiæ docentis esse reservatam Summo Pontifici.*
349. *Argumenta eorum, qui asserunt ab ea absolvere posse quemvis Ordinarium.*
350. *Responsio ad Argumenta prioris Sententiæ.*
351. *Decisio Quæstionis.*

333 QUæritur 1. quam culpam committant, qui reum invitum, extra casus Jure, vel consuetudine exceptos, per vim è loco Sacro, aut Ecclesia extrahunt? ℟. Committunt gravissimam culpam Sacrilegij, & Injustitiæ: *Sacrilegij* quidem; quia in re gravissima faciunt contra Sanctitatem Ecclesiæ, vel loci Sacri, illíque injuriam inferunt atrocissimam *can. frater 10. caus. 17. q. 4.* ibi, *Qui ad injuriam Sanctorum Locorum prosiluisse probantur*; continet enim hæc extractio gravem vilipensionem Religiositatis, quæ Ecclesijs, & locis Sacris debetur. *Injustitiæ autem*; quia violant Jus Ecclesiæ, quod ipsa ad Reum defendendum habet, & Rei, quo petere potest, ut in Asylo retineatur. Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 273.* & *274.* Pirh. *hic n. 51.* cum alijs. *Neque obstat*, quòd Canones solùm dicant, eum, qui hoc facit, committere peccatum Sacrilegij, agunt enim de hoc peccato, ut bene *l. cit.* advertit *Pirhing*, quatenus illud ipsis Canonibus contrarium est: ex eo tamen non sequitur, quòd excusam velint aliam malitiam injustitiæ, si ad priorem consequatur.

Quæritur 2. quam pœnam incurrat, 334
qui reum indebitè extrahit è loco Sacro? ℟. Jure Civili incurrit pœnam capitalem, & ultimo supplicio afficiendus est *l. fideli 2.* & *l. præsenti 6. pr. C. de his, qui ad Eccl. confug.* quia reputatur crimen istud crimen læsæ Majestatis; nam si læsæ Majestatis crimen committit is, qui Majestatem terre-

nam offendit, multo fortiùs, qui offendit cœlestem. Suar. *l. 3. c. 13. n. 7.* Farin. *Append. c. 20. n. 309.* Ambrosin. *de Immunit. c. 15. n. 5.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 160.* Delben. *de Immunit. c. 16. dub. 35. sect. 1. n. 3.* Canis. *in c. 1. h. tit n. 25.* Gonzal. *in c. 6. eod. n. 14.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 258.* Zoes. *hic n. 56.* Pirh. *n. 52.* Schambog. *n. 56.* Verùm hæc pœna, ut *Suar. Pal. Delben. Pirh. &c.* advertunt, non videtur esse usu recepta: & ratio esse potest; quia tam in puniendo, quàm in judicando hoc crimine non Juri Civili, sed Canonico standum est.

335 2. Jure Canonico propter hoc delictum imponitur pœna pecuniaria, & publica Pœnitentia *can. siquis contumax 20.* & *can. seq. in fin. caus. 17. q. 4.* Pœna pecuniaria, ut Host. *sum. h. tit. n. 14.* Ambrosin. *c. 15. cit. n. 1. & 2.* Farin. *n. 317.* Barbos. *n. 161. & seqq.* Delben. *n. 6.* Gonzal. *n. 14.* Engl *hic n. 21.* Pirh. Schambog. *l. citt.* advertunt, aliquando est 30. librarum argenti examinati, aliquando 900. solidorum: Sed Judex eam potest pro arbitrio suo, spectata delicti qualitate, & conditione delinquentis imminuere. Sunt quidem nonnulli DD. qui cum Clar. *§. fin. q. 68. pr.* & Decian. *tr. crim. l. 6. c. 28. n. 4.* volunt, pœnam hanc pecuniariam antiquatam esse. Sed contrarium constat ex Trid. *sess. 25. c. 20.* & *Bull. Gregor. sæpius cit.* ubi omnes pœnæ, antiquis Canonibus latæ adversùs Immunitatis violatores, innovantur. Ratio congrua hujus pœnæ potest esse; quia sic efficaciùs satisfit Ecclesiæ pro injuria ipsi illata, si in ejus usum pecunia applicetur, quemadmodum etiam de Jure est applicanda.

336 3. Denique sic extrahentes incurrunt pœnam Excommunicationis majoris, à qua absolvi non possunt, nisi extractum restituant *can. sicut antiquitus 6. can. miror. 8. can. frater 10. can. definivit 35. &c. caus. 17. q. 4.* & præsertim *Constit. Gregor. cit.* De ista ulteriùs

337 Quæritur 3. utrum Censura ista sit ferendæ sententiæ, an verò latæ, cons. facto ipso incurrenda? Olim ferendæ solùm sententiæ fuisse secundùm Canones *citt.* docent Sylv. *V. Immunitas 3. q. 8.* Zerola *prax. V. Immunitas §. 24.* Suar. *tr. 2. de Relig. l. 3. c. 13. n. 7.* Farin. *Append. c. 22. n. 312.*

338 An etiam hoc dicendum sit Jure moderno, controversia est inter DD. Affirmant Socin. *in c. nuper 29. de sent. Excomm. n. 5.* & alij apud Farin. *l. cit.* quia *Constitutione Gregoriana* antiqui Juris pœnæ, quæ omnes per sententiam infligendæerant, renovatæ sunt, sine mutatio ne Juris quoad modum, quo contrahuntur.

339 Sed dicendum, esse latæ sententiæ. Ita Farin. *l. cit. n. 313.* Lezan. *V. Immunitas n. 21.* Mar. Ital. *de Immun. l. 1. c. 6. §. 2. n. 29.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 281.* Dian. *p. 6. tr. 1. res. 34.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 166.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 12. n. 3.* Delben. *c. 16. de Immunit. dub. 35. sect. 1. n. 10.* Haun. *tom. 6. tr. 1. n. 256.* Illsung. *tr. 5. D. 2. n. 255.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 24. n. 22.* Wiestner *hic n. 179.* sicque declaratum est à *Clem. VIII. Paulo V.* & *S. Congr.* Constat apertè ex *Bull. Gregor. cit.* ibi, *Declaramus, eum ipso facto Censuras, & pœnas easdem incurrere*: quæ verba, si hodiedum requirerentur Sententia condemnatoria ad incurrendam Censuram istam, planè otiosa forent; quia expressa plus non operarentur, quàm omissa.

Quæritur 4. quinam sint ad quos extendi debeat Excommunicatio ista? extendi debet ad omnes, qui extrahunt, vel extrahi faciunt reum, non observatâ formâ *Bullæ Gregor. XIV.* atque adeo eam Excommunicationem incurrunt. 340

1. Ministri Curiæ Sæcularis, si extrahant reum absque licentia Episcopi, vel cum licentia quidem Episcopi, sed absque interventu personæ Ecclesiasticæ; quia in utroque casu non servatur forma præscripta in *Bull. Gregor.* Et hoc verum est 1. etiamsi confuga notoriè commiserit crimen exceptum; quia in *Bulla cit.* absolutè & indistinctè prohibet Pontifex reum extrahi absque licentia Episcopi. Delben. *dub. 35. sect. 1. n. 13. & seqq.* 2. procedit, si in casu, quo notorium est crimen esse excep-tum, & Episcopus renuit eum extrahere, ipsi eundem extrahant cum magno scandalo, quem alioquin sine magno scandalo extrahere potuissent; quia similiter in hoc casu non servatur forma præscripta *in Bulla*, Delben. *num. 16.* 3. procedit, si Episcopo renuente extraditionem, in crimine excepto eundem extrahant, & reponant in carceribus sæcularibus; quia juxta præscriptum *Bullæ* reponi deberet in carcere Juris Ecclesiastici, donec examinetur, an reus Asylo gaudeat, vel non, Delben. *n. 17.* Item si in carcere Juris Ecclesiastici positum, extrahant, indecisâ causâ super dubio Immunitatis, vel decisâ quidem, sed sine authoritate Episcopi, quæ vi *Bullæ Gregorianæ* requiritur. Delben. *n. 20. & 21.*

2. In eandem Censuram incidit Judex, qui extractionem mandat, vel à privatis Personis, etiam ipso inscio, extractum, in carcerem conjicit, vel non restituit; tenetur enim illum restituere, & si non restituat, satisfacere pro damnis inde consecutis. Farin. *Append. c. 20. n. 324.* Delben. *n. 24. & 25.* & apud hos alij. Ratio est, quia qui legitimè ab Ecclesia extractus non est, adhuc revera gaudet Immunitate, atqui is, qui Immunitate Asyli gaudet, sine Censura carcere attineri non potest, ergo &c. Imò sub eadem Censura prohibentur etiam Judices 341

dices Laici confugam in Ecclesia, vel loco Sacro perquirere; tum quia hoc est actus affectatæ Jurisdictionis in loco Sacro; tum quia perquirendi munus spectat ad Oeconomum Ecclesiæ, non ad laicalem Jurisdictionem *l. præsenti 6. fin. C. de his, qui ad Eccl.* ibi, *confugientium personas, causásque incessanter conquirant &c.* Farin. *l. cit. n. 327.*

342 3. Eadem Censura afficiuntur quælibet aliæ personæ privatæ, ut consanguinei, vel amici ipsius occisi, si reum aliquem ab Ecclesia extrahant, vel ad id aliquo modo juvent, ut colligitur ex *can. reum 9. can. definivit 35. caus. 17. q. 4.* & docent Suar. *l. 3. c. 13. n. 17.* Peregrin. *de Immunit. c. 14. n. 10.* Mar. Ital. *l. 1. c. 6. §. 2. n. 38 & 39.* Genuens. *prax. c. 26. n. 7.* Farin. *Append. c. 20. n. 324.* Delben. *dub. 35. sect. 1. n. 24.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 285.* Ratio est, quia *Bulla* generaliter loquitur de facientibus aliquid contra, vel præter formam in ea præscriptam. Et locum habet Censura ista, etiamsi extractio fiat ad bonum finem, puta, ad finem componendi pacem, & evitandi scandala, cùm *Constitutio cit.* eam prohibeat pro quavis causa. Farin. *n. 325.*

343 4. Et multo magis Excommunicationem istam incurrunt, qui de mandato Judicis Laici occiderent in Ecclesia reum. Jordan. *n. 284.* Delben. *dub. 37. sect. 1. n. 1. & seqq.* Haun. *n. 260.* nam etsi Lex de hoc expressè non meminerit, ratio tamen Legis, quæ anima Legis est, clarè hos comprehendit; mens enim Pontificis dantis Immunitatem fuit, ut caveret reverentiæ Ecclesiarum, atqui magis violatur Ecclesia per occisionem, quàm per extractionem confugæ. ergo &c. Accedit, quia si occidentes in loco Sacro non incurrerent Excommunicationem, Judices ad hanc vitandam reos non extrahi, sed occidi mandarent in Ecclesia, & sic finem suum Lex lata non obtineret. *Neque obstat*, quòd Lex sit pœnalis, & Lex pœnalis ultra casus expressos extendi non debeat; quia non tantùm pœnalis est, sed privilegium Ecclesiæ datum continet, atqui privilegia Ecclesijs data sunt amplæ interpretationis. ergo &c.

344 Contrà Excommunicationem hanc non incurrit, qui solùm ratam habet extractionem Rei; quia cùm ratihabitio sit posterior facto, is, qui ratam illam habet, non dicitur attentare, sed approbare factum: & hinc ut Excommunicatio *can. siquis suadente* comprehenderet eum, qui ratam habet percussionem Clerici suo nomine factam, explicuit Legislator. Delben. *sect. 2. n. 7.* Similiter ab Excommunicatione hac liberi sunt, qui extrahunt res ex Ecclesijs, & locis Sacris. Fagnan. *in c. inter alia 6. h. tit. n. 102.* quia *Constitutio Gregoriana* solùm loquitur de extrahentibus personas, ideoque pœna hæc non debet extendi ad extrahentes res.

Quæritur 5. quid requiratur, ut Ex 345
communicatio hæc incurratur ab extrahentibus, vel extrahere attentantibus? R. 1. etsi ad eam incurrendam non requiratur, ut extractio reipsa in effectum data sit, sed sufficiat attentatio, ut notant Gloss. *in l. fideli 2. V. tentaverit C. de his, qui ad Eccl.* Decian. *tr. crim. l. 6. c. 27. n. 5.* Ambrosin. *de Immun. c. 15. n. 6.* Farin. *Append. c. 20. n. 322.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 12. n. 5.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 283. & 289.* Delben. *dub. 36. n. 1.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 259.* Wiestner *hìc n. 180.* quod etiam colligitur ex *Const. Greg.* ibi, *Quidquam præter, aut contra tenorem hujus Constitutionis attentare præsumpserit.* necesse tamen est, ut attentatio hæc in opus externum, & actum consummationi proximum digressa sit: & talis *Palao*, & *Delbene* testibus censetur, si dedisti mandatum extrahendi, & mandatarius acceptavit; si Ecclesiam clausam tentâsti aperire, ut inde reum extraheres, etiamsi ob resistentiam non potueris &c.

2. Requiritur pro foro saltem con- 346
scientiæ, ut extrahens, vel extrahere tentans habeat veram scientiam, & verè sciat se per hujusmodi extractionem, vel attentationem incursurum Censuram: & hinc in eodem foro, ut Delben. *l. cit. n. 3.* & alij apud ipsum docent, à Censura ista excusat ignorantia etiam culpabilis, & crassa, ac affectata; quia in *Bulla* Pontifex utitur verbo *Præsumpserit*, quòd scientiam veram indicat. Dixi *in foro saltem conscientiæ*; nam in foro externo excusatio hæc difficulter admittetur, ut cum *Farin.* notat Delben. *n. 4.* quia cùm constet *Bullam* prædictam publicatam esse, & Pontificem simul intendisse quemlibet obligare, acsi personaliter intimata eidem fuisset, sequitur præsumptionem esse pro Lege; & ignorantiam ejus in foro externo allegari vix posse.

3. Non improbabile est, quod docet 347
Delben. *n. 5.* Excommunicationem non incurri eo ipso, quòd extractio attentetur, vel etiam actu perfecta sit, sed solùm si qui extraxerunt, vel extrahere attentarunt, Ecclesiæ non satisfaciant, & reum non restituant; quia ut cum eodem *Delbene* advertit Suar. *l. 3. c. 13. n. 7. circa fin.* Excommunicato hæc, licèt, ut *n. 339.* dictum est, ipso facto incurratur, non tamen lata est pro tali delicto commisso, nisi quatenus pendet in futurum, cùm tractum habeat successivum, quoad emendationem. Et hinc si sic extrahentes, statim, vel saltem mox, ut requisiti sunt, restituant, & Ecclesiæ satisfaciant, juxta eundem *Delbene* evitabunt Censuram.

Quæritur 6. quis absolvere ab Ex 348
communicatione hac possit? Absolutio-

nem hoc casu ab Excommunicatione reservatam esse Summo Pontifici, contendunt Farin. *Append. c. 20. n. 315.* Graff. *Conf. un. de Immunit.* Quarant. *Summ. Bullar. V. casus reservati fol. 203.* Mar. Ital. *c. 6. cit. §. 2. n. 3.* Filliuc. *tom. 1. tr. 15. c. 6. n. 155.* Thesaur. *prax. V. Immunitas c. 1.* Jordan. *l. 11. tit. 3. n. 282.* Barbos. *l. 2. Jur. Eccl. c. 3. n. 167.* Dian. *p. 6. tr. 1. resol. 34.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 24. n. 22.* Fundantur 1. *Extrav. 3. int. comm. de pœnit. & remiss.* ubi Paulus II. inter casus Sedi Apostolicæ reservatos apponit offensam Ecclesiasticæ libertati factam. 2. Clemens VIII. in Decreto suo, quod deinde innovavit Paulus V. prohibuit quibuscunque Confessarijs absolutionem à violatione Immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Constitutionis Gregorianæ. 3. Gregorius in sæpius *cit. Bulla* adversùs Violatores Immunitatis decernit pœnas, quæ in Bulla Cænæ latæ sunt contra violatores libertatis Ecclesiasticæ, sed adversus istos in Bulla Cænæ lata est Excommunicatio reservata, ergo &c.

349 *Altera sententia* vult Excommunicationis istius absolutionem competere locorum Ordinarijs, seu Episcopis, & de horum licentia cuilibet alteri Confessario. Ita Genuens. *prax. c. 22. à n. 3.* Riccius *prax. p. 2. resol. 333. n. 2.* Nald. *V. Casus reservatus n. 1.* Gratian. *Discept. for. c. 414. n. 12.* Bonacin. *D. 3. q. 7. p. 6. n. 8.* Curtell. *de Immunit. l. 1. q. 41.* Pal. *tr. 11. D. un. p. 12. n. 2.* Zypæus *Analys. h. tit. n. 13.* Delben. *dub. 38. sect. 1. n. 1.* Gonzal. *in c. 6. h. tit. n. 14. fin.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. n. 262.* & alij apud istos. *Ratio est*, quia Episcopis regulariter competit potestas absolvendi ab Excommunicatione Jure lata & non reservata juxta *c. nuper 29. ℣. in secundo de sent. Excomm.* ubi ratio redditur, *quia Conditor Canonis, eo ipso, quòd ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, concessisse videtur facultatem alijs relaxandi.* atqui Excommunicatio, Asyli Sacri violatione contracta, non legitur reservata vel à Gregorio, vel à Successoribus ejus. ergo ab Episcopo, hujus Vicario, & alijs de horum licentia relaxari poterit.

Ad Argumenta *primæ sententiæ* respondent isti DD. commodè. *Ad 1.* dicunt casum nostrum in *c. cit.* non contineri: nam sub Ecclesiastica libertate in rigore Immunitas non continetur; Immunitas enim ad Loca Sacra, Libertas Ecclesiastica ad personas refertur. *Ad 2.* in Bulla illa Pontifex non adimit Episcopis potestatem absolvendi, sed solùm Confessarijs alijs privilegia sua restringit, ne illorum virtute absolvere possint à Casibus reservatis Summo Pontifici, & Ordinario. *Ad 3.* etsi pœna sit eadem, non tamen inde fit, ejusmodi Censuras etiam qualitatem reservationis sibi annexam habere, quæ in Bulla Cænæ habetur; nam, ut bene Pal. *l. cit. n. 7.* Delben. *n. 7.* Wiestner *hic n. 183.* advertunt, Reservatio non censetur facta, nisi exprimatur. 350

His perpensis, judico utramque Sententiam esse probabilem, addo tamen cum P. Wiestner *l. cit. n. 185.* priorem in praxi tutiorem esse. 1. quia pro ipsa stat Declaratio Card. Trid. Interpp. apud Barbos. *l. cit. 2.* Curiæ Romanæ praxis, & Stylus Pœnitentiariæ. 3. Responsum ipsius S. Congr. Immunit. *1632.* redditum Vicario Generali Capuano, & relatum à Delben. *sect. 2. n. 12.* Quæ omnia confirmantur per *Const. Innoc. §. quotiescunque*, ubi Excommunicatio, quæ vi ejusdem *Const.* incurritur ab ijs, qui, postquam Extractus, & Judici Sæculari consignatus, indicia, contra ipsum acquisita, in suis defensionibus purgaverit, ac diluerit, eundem contra fidem à se datam non restituunt, Pontifici expressè reservatur. Juvat ad meliorem notitiam eorum, quæ in hac nova Constitutione decreta sunt, illam ex integro hic annectere. 351

Bene-

Benedictus Episcopus Servus Servorum DEI ad perpetuam rei memoriam.

EX quo, Divinâ disponente Clementiâ, ad supremum universi Christiani populi regimen assumpti fuimus, considerantes debitum, quo obstringebamur, Ecclesiarum, Sacrorúmque Locorum Immunitatem sartam tectam, inviolatámque ubique custodiendi inter graviores suscepti Apostolici Ministerij curas meritò recenseri, diu, multúmque rationes, ac media Nobiscum expendere non omisimus, quibus ipsa Immunitas in omnibus Orbis Catholici Regionibus ita observaretur, quemadmodum prisca illa Majorum Nostrorum disciplina, & vetus Canonicarum sanctionum norma præscripsit. Dum hæc sollicito animo revolveremus, in oculos primùm incurrit celebris illa Constitutio à fel. rec. Gregorio Papa XIV. Prædecessore Nostro edita, quæ incipit *Cùm aliàs*, quâ quidem Constitutione idem Gregorius Prædecessor pro Pastorali Zelo suo hunc ipsum in scopum intendens, facultates, & Indulta à quibusdam Romanis Pontificibus, ac præsertim à S. Pio V. & Sixto etiam V. Prædecessoribus itidem Nostris, hunc suis, concessa aliquibus Principibus, eorúmque Officialibus, & Magistratibus exrrahendi, ac abducendi ab Ecclesijs, aliísque locis immunibus certorum criminum reos, & delinquentes, reformârit, moderatúsque fuit; simul autem delictorum frequentia, unde publica tranquillitas maximè perturbatur, occurrere volens, ac impedire, quantùm licebat, ne aliqua graviora à pravis hominibus patrarentur sub certa impunitatis spe, quam ex confugio ad loca immunia sibi parabant, nonnulla expressit, & explicavit Crimina, & Casus, in quibus Laicos delinquentes Ecclesiasticâ Immunitate nequaquam gaudere voluit, & decrevit; ac insuper Judices constituit, qui in occurrentibus casibus, an delictum esset, necne in eadem Gregoriana Constitutione exceptum, cognoscere, & declarare deberent; certámque demum formam in extractione prædictorum delinquentium à Locis immunibus observandam mandavit, quemadmodum in dicta Constitutione anno Incarnationis Dominicæ 1591. non. Kal. Jun. promulgatâ uberiùs continetur.

Quoniam verò post editam hujusmodi Constitutionem ob varias Doctorum eam interpretantium sententias, & variam itidem Curiarum Ecclesiasticarum in illius extensione praxim, multiplices contentiones super vero, rectóque ejus sensu inter Ecclesiastica, & Sæcularia Tribunalia exortæ fuerunt; quamplures Romani Pontifices, ac præsertim piæ mem. Clemens IX. Clemens X. & Clemens XI. Prædecessores similiter Nostri de præfatis contentionibus dilucidâ Casuum exceptorum explicatione submovendis non semel, sicut accepimus, deliberârunt, facilioremque insuper eos probandi, & declarandi methodum, ut ejusdem Gregorij Prædecessoris mens plenius executioni demandaretur, Curijs Ecclesiasticis præscribere cogitabant; sed ab alijs abstracti curis, ac interim morte præventi, destinata perficere nequiverunt.

Hinc igitur est, quod Nos omnino expedire arbitrantes, ut ejusmodi controversijs finis aliquando imponatur, eorundémque Prædecessorum pio, atque salubri proposito inhærentes, motu proprio, ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione Nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac Nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione, in primis providam memorati Gregorij Prædecessoris Constitutionem cum omnibus, & singulis in ea contentis, atque dispositis amplissimè confirmamus, approbamus, atque innovamus, & quatenus opus sit, criminum in illa exceptorum reis, & delinquentibus Immunitatem Ecclesiasticam suffragari nequaquam debere iterum, ac de novo concernimus, & declaramus. Præterea non absque gravi animi Nostri dolore animadvertentes ob auctam, atque in dies invalescentem perversorum hominum malitiam sæpe, ac sæpius nonnulla alia Crimina perpetrari, quæ non minùs, quam illa in Gregoriana Constitutione, ut præfertur, excepta, publicam quidem perturbant, proinde ad delinquentium audaciam, ac ejusmodi delictorum frequentiam, quantum fieri poterit, coërcendam, pro Apostolici muneris Nostri debito ea, quæ inferiùs explicabuntur, statuenda censuimus.

Cùm itaque prædictâ Gregorianâ Constitutione cautum sit, ut publicis Latronibus, viarúmque Grassatoribus, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, aut viatores ex insidijs aggrediuntur, Immunitas Ecclesiastica minimè suffragetur; non levis autem inter Doctores emerserit Controversia, an quis ex unico actu publicus Latro, & Grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur: Nos ejusmodi Controversiam dirimere intendentes, unicam tantùm Grassationem, in via publica, aut vicinali admissam, sufficere ad hoc, ut quis publicus Latro, & Grassator dici valeat, dummodo tamen grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore præsentium definimus, & declaramus.

Insuper ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excludimus, atque repellimus, & pro exclusis, atque repulsis haberi volumus ne dum eos, qui homicidia, aut mutila-

tilationes membrorum in Ecclesijs, earúm Cœmeterijs committere audent, quemadmodum in Gregoriana Constitutione sancitum est; verùm etiam eos, qui stantes in Ecclesia, vel Cœmeterio, interficiunt stantes extra Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut ipsis membrum mutilant: Necnon eos, qui stantes extra Ecclesiam, aut Cœmeterium, occidunt stantes intra Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut ijs membrum mutilant: ac eos tandem, qui confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab Ecclesia, alióve loco immuni violenter extrahunt, & abducunt: Declarantes, in quatuor præmissis casibus ejusmodi reos non illius tantùm Ecclesiæ, quàm violârunt, sed cujuscunque etiam alterius Ecclesiæ Immunitate gaudere nequaquam posse, aut debere.

Adhæc in Crimine Assassinij non modò Mandatarios, qui in ipsamet Gregoriana Constitutione apertè excipiuntur, sed etiam Mandantes, qui certum præmium, aut mercedem sive in pecunia, sive in alijs rebus tradiderint, aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodo Assassinium reipsa patratum fuerit, ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excludimus, ac pro exclusis perpetuò haberi volumus, & mandamus.

Excludimus pariter, repellimus, atque privamus ejusdem Immunitatis privilegio Interficientes proximum suum animo præmeditato, ac deliberato: falsificantes Litteras Apostolicas: Ministros Montis Pietatis, vel alterius publici Telonij, aut Banci pro Depositis Principis, privatarúmque personarum destinati, factum, aut falsitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione Arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit: Conflantes, adulterantes, vel tondentes quascunque Monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum, quotiescunque in loco, aut Provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum, & commercium: vel ipsas Monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas scienter ita expendere, & erogare præsumentes, ut fraudis conscij, atque participes censeri possint: Illos demum, qui sub nomine Curiæ sese introducunt in alienas domos animo ibidem perpetrandi rapinas, eásque reipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earundem ædium, vel etiam extranei, quem ibi fortè reperiri contigerit, dummodo homicidium, vel membrorum mutilatio sequatur.

Cæterùm cùm diuturnâ experientiâ compertum fuerit Curias Ecclesiasticas in casibus, qui hactenus evenerunt, difficulter probare, ac consequenter declarare potuisse delictum, pro quo quis ad Ecclesiam confugerat, fuisse comprehensum in numero exceptorum propter variam earundem Curiarum praxim. & varias pariter opiniones Doctorum, qui antedicti Gregorij Prædecessoris mentem quoad normam ab eo præscriptam recipiendi probationes, & procedendi ad Declarationem criminum exceptorum, interpretari voluerunt; statuimus, præcipimus, & mandamus nullam in hoc de cætero haberi rationem cujuscunque interpretationis ejusdem Gregorianæ Constitutionis, quæ à quocunque Doctorum prodierit, neque Praxis à quibuslibet Curijs, aut Tribunalibus invectæ, imò nec quarumcunque declarationum, quæ ab hujus Almæ Urbis Nostræ Tribunalibus, sive etiam à Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Immunitati Ecclesiasticæ præpositorum emanaverint, quatenus præsenti nostræ Constitutioni adversentur; sed in occurrentibus casibus normam hic à Nobis præscribendam inviolabiliter ab omnibus observari volumus, & sancimus.

Quotiescunque igitur Curia Ecclesiastica à Curia Sæculari fuerit requisita, ut Laicum aliquem delinquentem è loco immuni extrahi, ac illi consignari faciat, eáque super delicti excepti qualitate, ac personæ reitate submininistrata, vel acquisita sint indicia, quæ ad capturam decernendam sufficere videantur; tunc Curia Ecclesiastica ad ejusdem delinquentis extractionem ab Ecclesia, aliisve locis immunibus, ope, ac medio suorum Executorum, implorato etiam, quatenus opus sit, brachij Sæcularis auxilio, & cum interventu Personæ Ecclesiasticæ, ab Episcopo deputandæ, procedere teneatur, extractúmque ad suos Carceres asportari, ac ibi sub tutâ custodiâ detineri curet, & faciat. Ubi verò ex Processu informativo desuper conficiendo constet de Crimine excepto, ac insuper adversùs eundem Extractum talia resultent indicia, ut Crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit (quæ quidem indicia juxta regulas Juris vocantur ultra torturam) eo tandem casu præfatum Extractum Ministris, & Officialibus Curiæ Sæcularis tradere, & consignare possit, ac debeat, exactâ tamen, receptáque priùs ab ipsis obligatione in forma Juris validâ restituendi Extractum Ecclesiæ sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, Nobis, ac pro tempore existenti Romano Pontifici reservatæ, quatenus idem Extractus indicia, contra ipsum acquisita, in suis defensionibus purget, ac diluat. Quodsi ea minimè purgaverit, & verè delinquens repertus fuerit, Curiæ Sæculari in ipsum tali casu, ut juris esse censuerit, agere, atque procedere liceat.

Præterea considerantes sæpedictum Gregorium Prædecessorem in sua Constitutione optimo quidem jure sanxisse, ut soli Episcopi, & non alij Episcopis inferiores, etiamsi locorum Ordinarii sint, aut nul-

nullius Diœcesis, aut Conservatores à Sede Apostolica specialiter, vel generaliter deputati, cognoscere, ac declarare valeant, an delicta, pro quibus Inquisiti ad loca immunia confugerunt, & in eis se receperunt, sint, necne de genere, ac numero acceptorum: Nos providam ejusmodi dispositionem approbantes, & confirmantes, eíque inhærentes, motu, scientiâ, ac potestatis plenitudine similibus, tenore præsentium quibuscunque Magistratibus, Officialibus, & Ministris Sæcularibus, necnon quibuscunque alijs personis cujuscunque gradûs, & conditionis existant, etiamsi Imperiali, Regiâ, Ducali, aut aliâ quavis mundana Dignitate, aut authoritate præfulgeant, districtè interdicimus, ac inhibemus, ne hujusmodi causis vel conficiendo Processûs, vel Inquisitos extrahendo à Locis immunibus, vel declarando Crimina ab eis admissa esse de exceptis in Gregoriana, aut in præsenti nostra Constitutione, ullo pacto sese ingerant, aut immisceant. Quodsi secus quidquam attentare præsumpserint, ex nunc omnia in contrarium præmissorum gerenda irrita, & inania, nulliúsque roboris, vel momenti perpetuò fore, ipsósque attentantes in Censuras, & alias pœnas à SS. Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis adversùs eos, qui Jurisdictionem Ecclesiasticam quoquo modo lædunt, ac violant, infligctas incurrere decernimus, & declaramus: volentes, intendentes, ac expressè mandantes, quòd omnimoda cognitio, atque judicium de Criminibus in Gregoriana Constitutione exceptis, & à Nobis superiùs explicatis, tum etiam de alijs, quæ in præsenti nostra Constitutione adjicienda, & similiter excipienda duximus, quemadmodum, ut præfertur, adjecimus, & excepimus, ad Episcopos tantùm, privativè quoad omnes alios, perpetuò spectet, atque spectare debeat; & donec ipsi in occurrentibus casibus declaraverint delictum esse de exceptis, & cætera omnia à Nobis superiùs constituta adimpleverint, Inquisitos Ecclesiæ, vel alterius loci Sacri, ad quem confugerunt, Immunitate gaudere turò debere, ac in eâ conservandos, & manutenendos esse statuimus, præcipimus, & mandamus.

Universos demum, & singulos Venerabiles Fratres Nostros Patriarchas, Primates, Archi-Episcopos, & Episcopos, quos hujus Nostræ Constitutionis Executores deputamus, in visceribus Domini Nostri JESU Christi hortamur, & paternâ charitate admonemus, ut quanti momenti sit hoc negotium, seriò cogitantes, in occurrentibus casibus qualitatem testium, & probationum pondus summo studio, ac vigilantiâ scrutentur, omnémque fraudem, & dolum procul arceri satagant; quin etiam Sacerdotali pectore, quotiescunque opus fuerit, ijs omnibus obsistant, qui ejusdem præsentis Constitutionis executionem, ac observantiam quomodocunque temerario ausu impedire præsumerent. In reliquis porro Casibus tam in hac nostra, quàm in Gregoriana Constitutione non exceptis memores, quàm acriter semper, & quàm eximia, ac prorsus singulari animi fortitudine Majores nostri pro Ecclesiastica Libertate, ac Immunitate pugnaverint, nihil de illa imminui permittant, neque Sacris Juribus labem ullam irrogari patiantur, sed ea pari sanè zelo, atque constantiâ tueri curent: ab omni tamen tumultu, ac perturbatione caventes, ne jactantiæ causâ potiùs, quàm miserationis, & Justitiæ titulo, Ecclesiastica Privilegia asserere velle videantur.

Decernentes easdem præsentes Litteras, & in eis contenta quæcunque semper valida, firma, & efficacia existere, ac fore, suósque integros, atque plenarios effectus ubique sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter, & inconcussè observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliósve quoslibet quavis præeminentiâ, & potestate fungentes, ac functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quovis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ac authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibuscunque Cancellariæ nostræ Apostolicæ Regulis, necnon quorumcunque Prædecessorum Nostrorum Litteris Apostolicis, Privilegijs, Indultis, & facultatibus, quibusvis Personis, etiam speciali mentione dignis, & quavis quantumcunque sublimi dignitate, & authoritate fulgentibus, & ex quibusvis etiam gravibus, ac urgentissimis causis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs Decretis, etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorúmque tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio facienda; aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda for-

foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, ac servatis respectivè habentes, hac vice duntaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Ut autem præsentes Litteræ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari; sícque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, acsi unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent: útque earum præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quàm extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto, sexto Idus Junij, Pontificatûs Nostri anno secundo.

TITULUS L.

Ne Clerici, vel Monachi Sæcularibus negotijs se immisceant.

SIcut in Ecclesijs, quia Domus DEI sunt, profani actus exerceri nequeunt, ita neque exerceri possunt à Personis Ecclesiasticis, quòd in sortem Domini vocatæ, curis longè sublimioribus occupentur: & ideo non deceat illas negotijs Sæcularibus implicari, juxta illud Apostoli: *Nemo militans DEO implicat se negotijs Sæcularibus. 2. Timoth. 2. v. 4.* Videndum igitur hoc Titulo, quænam negotia sint prohibita Clericis, & alijs Personis Ecclesiasticis.

§. I.

De Negotiatione prohibita Clericis, & alijs Personis Ecclesiasticis.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. *Negotij triplex acceptio.*
4. *Duplex Acceptio Negotij Sæcularis.*
5. *Negotia Sæcularia Religiosis interdicta sunt.*
6. *Ratio prohibitionis.*
7. *Definitio Negotiationis.*
8. *Ejus prima divisio.*
9. *Divisio secunda in Oeconomicam, Politicam, & Lucrativam.*
10. *Oeconomica Clericis, & Religiosis est licita.*
11. *Si lucrum non intendatur.*
12. *Clericus successor Conductoris Laici potest continuare conductionem usque ad tempus præfinitum.*
13. *Politica Negotiatio Clericis, & Religiosis prohibita est.*
14. *Exceptio.*
15. *Lucrativa, quâ res non mutata cariùs venditur, pariter non licet Ecclesiasticis.*
16. *Exceptio.*
17. *Fructus propriorum fundorum possunt Ecclesiastici vendere.*
18. *Non possunt vendere Res emptas, etiam arte vel industriâ mutatas, si hoc fiat quæstûs duntaxat gratiâ.*
19. *Possunt, si eas emant ex alio honesto fine.*
20. *An possint Religiosi vendere Pharmaca, quæ ipsi suâ industriâ, & arte conficiunt?*
21. *Defenditur affirmativa sententia.*
22. *Solvuntur Argumenta contraria.*
23. *Utrum Clerici, & Religiosi negotiationem sibi prohibitam exercere possint per alios?*
24. 25. *An sic exercendo Negotiationem peccent?*
26. *Præsertim, si curæ partem sibi reservent?*
27. *An omnibus Clericis sit prohibita Negotiatio?*
28. *An etiam Clericis Minorum Ordinum non Beneficiatis?*
29. *Quibus Religiosis illa prohibita sit?*
30. *An etiam Novitijs?*
31. 32. 33. *Pœnæ Clericorum Negotiatorum.*
34. *An his pœnis afficiantur etiam Religiosi Negotiatores?*

Quæ-

1 QUæritur 1. quid ſit *Negotium*? ℟. *Negotium*, ſi vim vocis ſpectemus, quaſi *Otij negatio*, apud peritos Juris, atque in ipſo communi, vulgariſque ſermone ad varia trahitur; nam 1. Significat occupationem, quæ non niſi cum labore, & moleſtia exercetur: & in hoc ſenſu *negotium faceſſere*, & *moleſtiam creare* Synonyma ſunt; contrà nullo negotio præſtare aliquid dicitur, qui illud nullo labore, & absque moleſtia præſtat: & in hoc ſenſu Cicero *ad Attic. l. 4. Cato*, inquit, *Siciliam nullo negotio tenere potuit*; & *l. 8. Jurabat*, ait, *ad ſummum, quòd nullo negotio faceret, amiciſſimum mihi Cæſarem eſſe debere.*

2 2. Accipitur Negotium pro Contractu, ſive tractatu ultro citróque habito, quem Græci Synallagma vocant, in quo nempe quid datur, & viciſſim accipitur: in quo ſenſu Negotium opponitur nudæ conventioni, prout patet ex *l. 5. ff. de præſcript. verb.* ibi, *Conventio iſta non eſt nuda, ſed habet aliquid negotij.* Et hinc in Jure ſolennis loquendi modus eſt, *Negotium contrahere* pro *contractum de aliqua re inire*, ut videre eſt *l. in negotijs 5. ff. de R. J.* ubi Paulus, *In negotijs contrahendis*, inquit, *alia cauſa habita eſt furioſorum, alia eorum, qui fari poſſunt, quamvis actum rei non intelligerent; nam furioſus nullum negotium contrahere poteſt, pupillus omnia tutore authore agere poteſt.*

3 3. Negotium ſumitur pro ipſa quæſtione, & controverſia, quæ de re aliqua movetur, aut pro ipſa re, de qua diſceptatur: Hinc movere alicui negotium idem eſt, quod alicui litem intendere. Et in hoc ſenſu Cicero *l. 7. ad Attic. Video*, inquit, *mihi cum homine audaciſſimo, paratiſſimóque negotium eſſe.* Nec aliter JCti loquuntur, prout patet ex *l. eundem 16. ff. de Legation.* ubi Modeſtinus, *Ante legationem ſuſceptam*, inquit, *ſicui negotium moveatur, etiam abſens defendi debet*; & *l. Imperatores 36. ff. de Jur. fiſc.* ubi Macer, *Obtinendum eſt*, ait, *ut hi, quibus negotia fiſcalia moventur, ad defenſiones cauſæ, bona fide veniant.*

4 Quæritur 2. quotupliciter accipi poſſit *Negotium Sæculare*? ℟. *Negotij Sæcularis* nomen, ut Abb. *in Rubr. h. tit.* Fagnan. *in c. Multa 1. eod. n. 18.* Pirhing *hic in princ.* Schambog. *n. 2.* Reiffenſtuel *n. 2.* & alij paſſim advertunt, in duplici ſignificatione ſumitur, ſtrictè, & largè. *In latiori ſenſu* Negotia Sæcularia appellantur omnia illa, quæ Sæculum, h. e. mundum, & carnem, ſive carnalem concupiſcentiam magis ſapiunt, quàm Spiritum, ſive dictamen rectæ rationis: quorum plura referuntur *c. multa cit.* & pleraque etiam Laicis fugienda ſunt.

5 2. *In ſenſu ſtrictiori*, & *magis proprio* Negotij Sæcularis nomine veniunt ea, quæ etſi ſecundùm ſe licita ſint, Eccleſiaſticis Perſonis tamen interdicuntur, quòd ad Reipublicæ ſtatum Sæcularem potiùs, quàm Eccleſiaſticum ſpectent: & de hujusmodi negotijs procedit textus Apoſtoli: *Nemo militans DEO implicat ſe negotijs Sæcularibus*; & *l. placet 17. C. de Epiſc. & Cler.* ibi: *Nihil commune Clerici cum publicis actionibus, vel ad Curiam pertinentibus, cujus corpori non ſunt annexi, habeant.*

6 Plura ſub hoc nomine *Sæcularis Negotij* prohibentur Clericis, & alijs Perſonis Eccleſiaſticis, ut in decurſu videbimus; præſertim verò *Negotiatio*: idque jure meritiſſimo ex duplici capite. 1. quia aliena eſt à Statu Clericorum, & Religioſorum; nam vi ſui Statûs ſpecialiter obligantur ad converſationem cum DEO, & exhibendum ipſi Cultum, ac Myſteria Divina obeunda, à quibus mentem hominis hujusmodi Negotiationes mirum in modum diſtrahunt. 2. quia ſuſpicionem præbet avaritiæ, & obnoxia eſt periculis fraudum, injuriarum, perjuriorum &c. à quorum etiam ſpecie abhorrere Clerici, & Religioſi debent, ita monente Apoſtolo *1. Theſal. 5. v. 21.*

7 Quæritur 3. quid ſit *Negotiatio*, & quæ ejus ſpecies? ℟. *Negotiationis* nomen à *Negotio* derivatur, & ſæpius cum illo confunditur, fortè ideo, quia cùm plerumque ad lucrum ordinetur, maximam requirit ſollicitudinem, & ideo valde operoſum negotium eſt. Gibalin. *de Negotiat. tom. 1. l. 1. c. 1. art. 1. n. 4.* Aliquando ſumitur valde generaliter, ita; ut ſi actiones, quæ ſub nomine hoc comprehenduntur, conſiderentur, omnes homines, ut Author Imperfecti operis *in Matth. Homil. 38.* notat, dici negotiatores poſſint. Hinc idem *Author* Negotiatorem dicit ſolummodo illum, qui rem comparat, ut eam non mutatam, ſed integram lucrandi cauſâ vendat: quæ eſt ſtrictiſſima Negotiationis acceptio. Nos hìc illam accipimus medio modo, prout idem cum commercio eſt, quod juxta *Ulpianum* eſt *emendi, vendendique jus invicem.*

8 *Diviſio* Negotiationis, quæ huc ſpectat, maximè duplex eſt; nam 1. Negotiatio *alia* eſt rerum abſolutè, ſive dominij, & proprietatis rerum acquirendarum, vel transferendarum; *altera* non rerum abſolutè, ſed usûs, & fruitionis ipſarum rerum. *Ad primam* ſpectant omnes Contractus propriè commutativi, ut permutationes, & venditiones propriè, & abſolutè ſumptæ, quarum majoris facilitatis gratiâ nummus, formâ publicâ percuſſus, inventus eſt *l. origo 1. ff. de contrab. empt.* *Ad Secundam* ſpectant Contractus, quos à ſuo effectu Succeſſivos vocat *Molina*, ad habendum uſum, ſeu fruitionem rei alienæ, nullo modo commutatæ, vel alienatæ, vel non in totum, aut non perpetuò alienatæ, ex quibus

bus oriuntur obligationes non momentaneæ tantùm, ut in priore specie, sed successivæ, ut contingit in Locationibus, Emphytevsibus &c. in quibus obligatio annua, semestralis &c. prout conventum est, ad pensionem, canonem &c. solvendum inducitur.

9 2. Dividitur Negotiatio in Oeconomicam, Politicam, & Lucrativam. *Prima* est, quâ quis emit res ad sui, & familiæ suæ sustentationem necessarias, vel utiles, & superfluas eo pretio, quo tempore illo valent, divendit. *Secunda*, quâ idem facit ad politiæ, sive Civitatis necessitates. *Tertia*, quâ lucri capiendi causâ res aliqua emitur, & cariùs venditur. Quod fieri duplici modo potest. *Uno*, cùm lucri, seu quæstûs faciendi causâ res v. g. vinum, frumentum, victualia, & merces aliæ emuntur, vel alio titulo oneroso comparantur, ut non mutatæ, nec in aliam formam redactæ vendantur cariùs: quæ Negotiatio etiam *Mercatura* appellatur. *Altero*, quando ex eadem lucri causâ res emuntur, ut arte, vel industrâ, & labore in aliam formam mutatæ, aut meliores redditæ vendantur, ut cùm emitur ferrum, & inde fit gladius, cùm emitur lana, & ex hac conficitur pannus &c. éstque negotiatio hæc opificum; & hinc *Artificium* dicitur ad prioris distinctionem. Molin. *tr. 2. D. 339. n. 2.*

10 Quæritur 4. quænam Negotiationis Species prohibeatur Religiosis, & Clericis? Circa hanc quæstionem juxta distinctionem *n. præc.* datam, varia formari dubia possunt.

Dub. 1. an Clericis, & Religiosis sit licita *Negotiatio Oeconomica*, quâ emuntur res ad propriam, & familiæ sustentationem, & quæ ex his superflua sunt, pretio currente venduntur? R. esse licitam; quia per se non distrahit, nec impedit, quò minùs DEO, & Divinis vacare possint. Fagnan. *in c. multa 1. h. tit. n. 24.* Gonzal. *in c. 6. eod. n. 6. circa med.* Pignatell. *tom. 2. consult. 34. n. 19.* Emman. Correa *Idea Consiliarij D. 6. n. 1832.* Reiffenstuel *tit. de Vit. & Honest. n. 131.* Et hinc casu, quo Clericus aliquid pro se, vel suorum necessitate, aut utilitate emit, si uti illo ex quacunque causa non velit, vel non possit, aut post usum aliquid remanserit, sine metu incurrendi pœnas, Clericis negotiatoribus constitutas, vendere illud pretio etiam majori, si tale tunc currens sit, potest. Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 342. n. 14.* Laym. *l. 3. tr. 9. c. 17. §. 7. n. 37.* Pal. *tr. 12. D. un. p. 9. n. 16.* Gibalin. *de Negotiat. tom. 1. l. 1. c. 3. art. 2. n. 9. fin.* Wiestner *hic n. 5.* Gonzal. Pignatell. Correa *l. citt.* Ratio est, quia si hoc non liceret, Clerici, & Religiosi sæpe res suas perdere, aut abijcere magno suo damno deberent.

11 *Procedítque hoc*, etsi, quæ Clericus ita emit, & postea vendit, superflua non sint; sufficit enim, quòd ea emerit pro suo, aut suorum usu, sine animo revendendi. Et hinc si postea animum istum mutet; & vel pretio rei, quod interea auctius factum est, illectus, vel ex alio accidente persuasus, cariùs eam vendat, sperans se alio tempore, vel loco empturum viliùs, per hoc Negotiator non constituitur. Sylv. *V. Excommunicatio 9. n. 46.* Gutier. *de Gabell. q. 93. n. 23.* Molin. *D. 334. & 672.* Bellet. *de Exempt. Cleric. c. §. 4. n. 5.* Suar. *de Censur. D. 23. sect. 4. n. 21.* Graff. *l. 2. c. 120. n. 15.* Pignatell. *tom. 2. consult. 34. n. 20. & tom. 5. consult. 85. n. 32.* Emman. Correa *D. 6. cit. n. 1832.* ex S. Thom. *2. 2 q. 77. art. 4. ad 2.* quia in hoc casu abest animus revendendi, qui in ipso emptionis initio adesse debet, & est veluti forma negotiationis illicitæ Ecclesiasticis, utpote in qua secundùm communem loquendi modum, ut Correa *l. cit.* notat, attendi debet ad finem, quo quis movetur ad rem primò emendam, scilicet ut emptam cariùs vendat.

Unde etiam sequitur, quòd Clericus 12
Successor ejus, qui agrum alienum non negotiandi animo, sed ad se, & familiam suam sustentandam conduxerat, continuare usque ad tempus præfinitum conductionem possit sine periculo incurrendi pœnas negotiationis prohibitæ, etiamsi non habeat eandem necessitatem sustentationis, sed causâ dilationis hanc prosequatur. Ratio est, quia in casu hoc animus revendendi in principio emptionis non adfuit. Accedit quia, ut Correa *n. 1835.* advertit, ad mercaturam requiritur, ut idem sit, qui emit animo vendendi. Clericus autem in casu dato non fecit conductionem, sed à testatore, qui illam licitè fecit, factam adimplet ex vi Testamenti, & tanquam onus hæreditatis, quam propter hoc recusare non tenetur. Bonacin. *D. 1. q. 19. p. 3. n. 6.* Pignatell. *tom. 5. consult. 85. n. 32.* Correa *l. cit.*

Dub. 2. an licita Clericis, & alijs 13
Personis Ecclesiasticis sit *Negotiatio Politica*, emendo necessaria exercitui, & civibus? R. Negativè; quia à gubernatione, & negotijs Sæcularibus esse debent alieni, juxta *cit.* Apostoli textum: *Nemo militans DEO implicat se negotijs Sæcularibus.* Concordat *can. Episcopus 3. dist. 88.* qui ex Canonibus Apostolorum desumptus est, ubi præcipitur, ut neque Episcopi, neque Sacerdotes, aut Diaconi Sæculares suscipiant curas; alioquin deijciantur, seu deponantur. Similia habentur *can. pervenit 1. & seqq. caus. 21. q. 3.*

Excipitur, si Reipublicæ, & commu- 14
ni bono tantum interesset, ut charitas exigeret cum Ecclesiastico dispensari, ut similibus rebus vacare possit; tunc enim urgeret illum præceptum naturale: cons. cessaret pro-

hibi-

hibitio, quæ solùm Jure positivo Ecclesiastico introducta est, ut cum alijs notat Pellizar. *Man. Regul. tom. 1. tr. 6. c. 10. n. 1.* Ob eandem rationem Clerici, & Religiosi curare possunt, ut tempore famis subveniatur personis miserabilibus, & pro his, ac reliqua communitate emantur aliundè, & asportentur necessaria, præsertim si per solos Laicos hæc sufficienter non fierent; nam tali casu hoc facere opus pium est, quod & Jura permittunt, & Charitas postulat. Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 342. n. 15.*

15 Dub. 3. an ijsdem Personis Ecclesiasticis permissa sit *Negotiatio Lucrativa*, quâ quæstus faciendi causâ res emitur, ut non mutata vendatur cariùs? R. hoc negotiationis genus apertè prohiberi *can. consequens 2. can. negotiatorem 9. can. fornicari 10. dist. 88. c. fin. de Vit. & Honest.* & *Trid. sess. 22. c. 1. de reform.* idque sub pœna Excommunicationis *c. secundùm 6. h. tit.* Ex quo DD. communiter inferunt, Ecclesiasticum, qui hujusmodi Negotiationem exercet, nisi parvitas materiæ, vel ratio necessitatis excuset, peccare mortaliter. Molin. *tr. 2. D. 342. n. 2.* Filliuc. *tr. 35. n. 20.* Laym. *l. 3. tr. 9. c. 17. n. 39.* Pal. *tr. 12. D. un. p. 9. n. 16.* Fagnan. *in c. multa 1. h. tit. n. 11.* & *in c. secundùm cit. n. 8.* Haun. *tom. 4. de J. & J. tr. 10. n. 281.* Gibalin. *de Negotiat. tom. 1. l. 1. c. 3. art. 2. n. 4.* Correa *Idea Consiliarij D. 6. n. 1847.* Pirh. *hic n. 9.* Schambog. *n. 6.* Reiffenstuel *tit. de Vit. & Honest. n. 133.* Sumitur ex qualitate pœnæ; nam major Excommunicatio non debet inferri, nisi propter mortale crimen, & contumaciam, ut constat ex *can. nemo 41.* & *can. seqq. caus. 11. q. 3.*

16 Dixi, *nisi parvitas materiæ, & ratio necessitatis excuset*; nam 1. ratione parvitatis materiæ excusari debet, qui semel, atque iterum tantùm negotiationem exercuit, secluso scandalo; quia Negotiator non ab uno, vel altero, sed frequentatis actibus dicitur. Pal. *n. 16. fin.* Pellizar. *Man. Regul. tom. 1. tr. 6. c. 10. n. 6.* Barbos. *in c. 6. h. tit. n. 2.* Pirh. *hic n. 3.* Schambog. *n. 5.* Reiffenstuel *l. cit. n. 134.* Gibalin. Haun. *l. citt.*

Excipitur 2. casus necessitatis, si Clericus non haberet, unde aliter viveret; cùm enim necessitas Legem non habeat, eâ ad negotiationem exercendam adactus, non peccaret: deberet tamen hoc casu Clericus priùs ad artificium, vel laborem manuum, quàm ad negotiationem exercendam recurrere *arg. can. Clericus 2. & seq. dist. 91.* & *can. nunquam 32. de consecr. dist. 5.* S. Thom. *2. 2. q. 187. art. 3.* Glos. *in can. negotiatorem cit.* Abb. *in c. secundùm 6. h. tit. n. 1.* Navar. *l. 3. cons. 3. n. 2. de Vit. & Honest.* Vivian. *in c. secundùm cit. pr.* Fagnan. *ibid. n. 9.* Barbos. *n. 4.* Pellizar. *tom. 1. tr. 6. c. 10. n. 11.* Pignatell. *tom. 2. consult. 34. n. 5.* Zoes. *hic n. 1.* Pirh. *n. 3. except. 2.* Schambog. *n. 5.*

Excipitur 3. secundùm plerosque DD. si Clerici, vel Religiosi negotiationem hujusmodi exerceant non per seipsos, sed per alios: de quo quid judicandum, vide *infrà n. 23. & trib. seqq.*

Quæritur 5. an Clericis, & Religiosis 17
prohibita sit etiam illa Negotiationis species, quâ res per artificium, laborem, industriam in aliam formam immutata lucri intentione venditur? R. solutionem istius dubij dependere ex eo, an res, ex quarum distractione lucrum quæritur, sint fructus propriorum fundorum, an verò aliunde coëmptæ, vel comparatæ fuerint.

Si primum, sicut ipsos fructus licitè vendere, & distrahere possunt Religiosi, & Clerici, ita arte, & industriâ suâ immutatos possunt cariùs vendere, ut nemo inficiatur. Atque hinc 1. possunt habere furnum, & ex frumento, quod collegerunt ex agris proprijs, pinsere panes, eósque pretio currente vendere, dummodo non per seipsos id faciant. Pellizar. *Man. Reg. tom. 1. tr. 6. c. 10. n. 18.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 33. n. 15.* Pignatell. *tom. 2. consult. 34. n. 3. & 4.* 2. possunt habere tabernam vinariam, in qua per ministros, servos, parentes &c. vendant vinum in proprijs prædijs collectum: idque sive ad plenum, sive ad minutum, ut teste Matthæucc. *l. cit. n. 18.* resolvit S. Congr. *in Auximan. 9. Sept. 1670.* & *in Martyranens. 10. Jan. 1671.* Pellizar. *c. 10. cit. n. 21.* Neque obstat *Clem. 1. de Vit. & Honest.* ubi usus tabernæ vinariæ prohibetur Clericis; nam ibidem solùm prohibetur, ne Clerici per seipsos officium Tabernarij exerceant. Matthæucc. *n. 16.* qui proinde monet discrimen faciendum inter Cauponam, & Tabernam: Caupona est, in qua vina empta bibuntur; Taberna, in qua vinum proprium minutim venditur: primi generis tabernæ prohibentur Clericis, non verò secundi, modò id faciant non in domo propria, aut per seipsos, sed per servos &c. Pignatell. *l. cit. n. 5.* 3. possunt ex proprijs salinis salem per famulos conductos conficere, illúmque vendere: quod etiam dicendum de vena ferri, vel alterius metalli, in fundo suo inventa; nam cusum per famulos ferrum vendere ipsos nil prohibet. Sylv. *V. Excommunicatio 9.* Navar. *Man. c. 27. n. 128.* Lazarte *c. 19. n. 62.* Pellizar. *tom. 1. tr. 6. c. 10. n. 2.* Emman. Correa *Consiliar. D. 6. n. 1836.* Pignatell. *l. cit. n. 9.* Imò nihil illiciti faciunt, si emant agrum, in quo est vena ferri, & inde ferrum per artifices conductos fabricatum distrahant. Pelliz. *l. cit. 4.* possunt ex hordeo, vel tritico, collecto ex agris suis, coquere cerevisiam, ex propriarum olearum baccis exprimere oleum, illúdque, & similia collecta ex proprio patrimonio, vel

Beneficio vendere. Matthæucc. *n. 9.* & hoc teſte S. Congreg. *in Melphitan. 15. Dec. 1603.* 5. poſſunt cum folijs ſuarum arborum in proprijs ædibus arti ſericæ operam dare, vel idem opus alteri ad dimidietatem committere, ut lucrum, quod ex bombycibus proveniet, inter utrumque dividatur. Matthæucc. *n. 3.* & *ibi* S. Congreg. 6. poſſunt animalia, etiam aliunde empta, pabulo ex ijsdem ſuis fundis proveniente ſaginare, & hæc cariùs juxta pretium currens vendere. Pal. *tr. 12. D. un. p. 9. n. 16.* Pellizar. *tom. 1. tr. 6. c. 6. c. 10. n. 13.* Haun. *tom. 4. tr. 10. n. 283.* Gibalin. *tom. 1. l. 1. c. 3. art. 2. n. 2.* Pignatell. *tom. 5. conſ. 85. n. 32.* Correa *l. cit. n. 1834.* 7. poſſunt ex urgenti neceſſitate ſubminiſtrare alicui triticum ad ſeminandum, ea conditione, ut cum iſto participant de meſſe. Pignatell. *tom. 2. conſult. 34. n. 11.* Matthæucc. *n. 10.* & apud hunc S. Congreg. Concil. *14. Nov. 1618.* 8. poſſunt locare prædia ſua, & tumenta, ſed non idcirco emere jumenta, ut ea locent alijs pro penſione; quia id genus negotiationis eſt, teſte Molin. *D. 342. n. 17. concl. 5.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 17. n. 40. ℣. excipitur.* Quorum omnium ratio eſt, quia hujusmodi rerum venditarum pretium, & ejus incrementum fructus naturæ, & huic accedentis induſtriæ potiùs, quàm emptionis præcedentis eſt.

18 *Si ſecundum* contingat, & res hujusmodi aliunde coëmptæ, vel comparatæ ſint, & non ex fundis, aut prædijs proprijs, conſiderari intentio debet; nam ſi res tales lucri, ſeu quæſtûs duntaxat intentione coëmantur, ut immutatæ, vel meliorate vendantur cariùs, extra caſum neceſſitatis hoc prohibetur Clericis, & Religioſis. Molin. *tr. 2. D. 342. n. 6.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 17. n. 40.* Pellizar. *tr. 6. cit. c. 10. n. 2.* Pirh. *hic n. 4.* Wieſt. *n. 7.* & reliqui *ſuprà*, propter textus allatos *n. 15.* & rationes propoſitas *n. 6.* quia licèt rerum ſic immutatarum venditio propriè negotiatio non ſit, ſi tamen quæſtûs duntaxat causâ exerceatur, ad negotiationem propriè dictam accedit proximè, ideoque non decet perſonas Religioſas; ut proinde cùm in eâdem urgeant rationes, quæ contra negotiationem proprè dictam militant, præſenti prohibitione per Epichiam comprehenſa cenſeri debeat. Quare illicitè Eccleſiaſtici agunt 1. ſi dicta lucri intentione uvas emant, ut per famulos, aut miniſtros ad id conductos vinum ex ijs conficiant, quod poſtea vendant. 2. ſi emant hordeum, & lupulos, ut cereviſia, lanam, ut pannus, ferrum, ut gladij, ſecures, vomeres ex ijs fiant, & diſtrahantur. 3. ſi emant boves, & pabulum, ut iſto ſaginati cum lucro vendantur. Quorum omnium ratio eſt, quia eſto, res ita empta in aliam formam mutata ſit, illa mutatio facta eſt à miniſtris conductis, ac proinde eſt fructus emptionis laboris miniſtrorum. Simili ratione illicitè conducunt aliena animalia, prædia, & fundos, ſi hoc faciant non ad ſui, ſuorúmque ſuſtentationem, ſed lucri causâ, ut fructus inde collecti vendantur, & reportetur lucrum. Abb. *in c. ſecundùm 6. h. tit. n. 2.* Molin. *tr. 2. D. 342. n. 6. & 7.* Pal. *tr. 12. D. un. p. 9. n. 16.* Fagnan. *in c. multa 1. h. tit. n. 29.* Barboſ. *ibid. n. 4.* Gonzal. *in c. 6. cit. n. 7. circa medium.* Dian. *p. 11. tr. 6. reſol. 10.* Pellizar. *Man. Regul. tom. 1. tr. 6. c. 10. n. 2. 13. & 14.* Gibalin. *tom. 1. l. 1. c. 3. art. 2. n. 9.* Pignatell. *tom. 2. conſult. 34. n. 10.* Emman. Correa *Conſiliar. D. 6. n. 1834.* Pirh. *hic n. 6.* König *n. 8.* Wieſtner *n. 9.* éſtque deciſum in *Concil. Chalced. can. 3. Carthag. 3. c. 15.* & *c. ſecundùm 6. h. tit.* Imò, ut vult *Navarrus* cum alijs quibusdam, exercere negotiationem prohibitam dicendus eſt Clericus, qui venam ferri, vel alterius metalli in fundo alieno emit, ut ferrum inde per famulos conductos extractum vendat: quamvis contrarium aſſerant Molin. *D. cit. n. 9.* Gibalin. *n. 9.* Correa *n. 1836.*

At ſi non lucri mero ſtudio, ſed ex 19
alio honeſto fine res emant Clerici, & Eccleſiaſtici, arte, & induſtriâ ſuâ immutatas poſſunt cariùs vendere. Molin. *tr. 2. D. 342. n. 16.* Leſſ. *de Juſt. l. 2. c. 21. n. 5.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 17. n. 40. ℣. excipitur.* Fagnan. *in c. multa 1. h. tit. n. 46. & ſeqq. & in c. ſecundùm eod. n. 10.* Pellizar. *c. 10. cit. n. 2. prope finem.* Gibalin. *n. 7. & 8.* Pignatell. *tom. 5. conſult. 84. n. 13.* Gonzal. *in c. multa cit. n. 9. & in c. 6. eod. n. 7. poſt. med.* Honor. *hic n. 3.* Pirh. *n. 7.* Schambog. *n. 5.* Wieſtner *num. 8.* cum S. Thom. *2. 2. q. 77. art. 3.* Ratio eſt, quia ut negotiatio ſit prohibita Clericis, & Religioſis, requiruntur duo: *unum* eſt, ut hujusmodi res ematur, & vel immutata, vel non mutata vendatur; *alterum*, ut ematur gratiâ lucri, ſeu quæſtûs ex ea cariùs vendita deinde quærendi. Et hinc 1. non eſt negotiatio prohibita Clericis, & Religioſis, ſi emant res neceſſarias ad artificium non ſordidè, & mero lucri ſtudio, ſed ut olim, Monachi, texendo retia, corbes, ſtoreas, vel ut S. Paulus ſcenofactoriam exercendo. *Act. 18. v. 3.* ad victum parandum, otium fugiendum, caſtigandum corpus, Eleemoſynas faciendas &c. & tali fine ijs horis, quibus à Spiritualibus functionibus remittunt, elaborata vendant. Wieſtner *l. cit.* 2. poſſunt Clerici, & Religioſi pro neceſſario culturæ uſu emere boves, & alia animalia, & pro ſuſtentatione illorum animalium paſcua neceſſaria comparare, ipſarúmque terrarum fructus, & animalium fœtus juſto pretio, & honeſta ratione vendere. Molin. *tr. 2. D. 342. n. 17.* Giba-

Gibalin. *art. 2. cit. n. 9.* Matthæucc. *n. 3.* Pignatell. *tom. 2. conſ. 34. n. 9.* & hoc teſte ſæpiùs decidit *S. Congreg.* 3. Similiter Monaſterium licitè emit agrum plenum fructibus maturis, & ex his ſibi ſuperfluos poſtea vendit, ut contra *Laſſarte* meliùs tenet Molin. *D. cit. n. 10.* quia qui tale prædium emit, per ſe emit prædium, ut & fructibus illius anni, & ſequentium potiatur, ſuperfluósque vendat; per accidens autem eſt, quòd fructus maturi ſint, neque illos poſtea vendit tanquam partes rei emptæ, quam emeret, & revenderet, ſed tanquam fructus perceptos, & collectos ex agro effecto jam ſuo: quare appellari illud non poteſt negotiatio.

20 Quæritur 6. an Religioſi licitè vendant Pharmaca, quæ ipſi ſuâ induſtriâ, & arte conficiunt? *Negativam* tuentur Monacell. *p. 2. form. 4. tit. 14. n. 17.* & Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 33. n. 31.* pro qua etiam militare videntur ſequentia Argumenta. 1. quia hæc venditio videtur ſapere Negotiationem Clericis, & Religioſis prohibitam; emunt enim aromata, herbas &c. & hæc vel eadem in ſpecie, vel per confectiones ſuas immutata cum lucro vendunt. 2. non eſt licitum Clericis, & Religioſis uvas, lanam, frumentum &c. emere, & per conductos famulos conficere vinum, pannos, panes &c. ac lucri causâ prædicta vendere, ut dictum eſt *n. 18.* atqui par eſt ratio in noſtro caſu; ſicut enim in priori emuntur uvæ, ut vinum ex ijs confectum vendatur, ita in noſtro emuntur Species, ut cum lucro vendantur Pharmaca inde confecta. 3. non eſt licitum Clericis conducere aliena animalia, vel fundos, ut fructus inde collectos vendant, quamvis hujusmodi animalium, & fundorum cultura, utpote quam Clerici per famulos conductos exercent, non multùm ipſos à ſervitio Divino avocet, igitur multo minùs licebit emere Species, & pharmaca inde confecta vendere; cùm in his parandis Pharmacopæo plurimus ſubeundus ſit labor, & diſtractionum diverſarum offeratur occaſio. 4. Negotiatio lucrativa, ut *n. 6.* oſtendi, per SS. Canones ex hac cauſa prohibetur Clericis, & Religioſis, quia per eam animus infinitas in partes diſtrahitur, mergitúrque in plurimorum inutilium deſideriorum, & avaritiæ barathrum, quæ omnia Clericos, & maximè Religioſos, ut qui paupertatem profitentur, ſummè dedecent, atqui hujusmodi diſtractionibus, & curis non minùs obnoxia eſt comparatio ſpecierum, Pharmacorum ex his confectio, & confectorum venditio. ergo &c. 5. Urbanus VIII. *Conſtit. ſua 49.* prohibuit FF. Minoribus de Obſervantia, ne res ſuarum Aromatariarum venderent externis. Imò generaliter Religioſis, & alijs Perſonis Eccleſiaſticis S. Congregatio Concilij *Decreto edito 1637. & confirmato 7. Sept. & 16. Decembr. in Conſiſtorio 1647.* prohibuit, ne] cuiquam venderent etiam prætextu amicitiæ, ſeu familiaritatis pharmaca, & medicamenta, exceptis Theriaca, Hiacyntho, & alijs vulgò dictis Chymicis, non obſtantibus privilegijs quibusvis Ordinum Regularium cujusvis Inſtituti, etiam Societatis JESU, quibus eadem Congregatio authoritate Papæ expreſsè derogavit, ut teſtis eſt Matthæucc. & Monacell. *l. citt.* qui ultimus de hac re etiam adjungit Decretum noviſſimum ejusdem S. Congreg *in Camerinenſ. 28. Febr. 1693.* 6. Eadem venditio non videtur poſſe exerceri à Regularibus, niſi cum maximo præjudicio Pharmacopæorum Sæcularium, à quibus lucrum avertitur ad Religioſos, quòd iſti viliori pretio Pharmaca ſua vendant, & poſſint vendere, cùm non premantur oneribus, quibus Sæculares premuntur, utpote qui in arte hac addiſcenda magnos ſumptus faciunt, numeroſam ſæpe familiam alunt, & inſuper tributis, alijsque oneribus Civilibus ſubjecti ſunt. 7. Hanc ipſam Pharmacorum venditionem ægerrimè ferunt Pharmacopolæ Sæculares, qui propterea, ut indemnitati ſuæ proſpiciant, frequenter litem Regularibus in Judicio movent, & eorum famam apud alios paſſim convellunt, non ſine populi ſcandalo, quo fit, ut habes non modica inferatur Religionis nomini, & ſic quod ijdem Regulares una manu in Cathedris, & Sacris Tribunalibus ædificant, alterâ per hanc Pharmacevticam negotiationem deſtruant. 8. Venditio hæc Pharmacorum ſpecialiter repugnare videtur Inſtituto Societatis JEſu, in cujus *Congr. 2. can. 25.* & *Congreg. 7. Decret. 8.* ordinatur, ut Religioſi ejusdem abſtineant etiam ab ijs, quæ ſpeciem Negotiationis habent; atqui certum eſt venditionem hanc Pharmacorum habere ſaltem ſpeciem Negotiationis, ergo &c.

Sed dicendum, venditionem Phar- 21
macorum, arte ſua paratorum, prout de facto illa à Regularibus fieri ſolet, nequaquam ijsdem prohibitam eſſe. Ita Lezan. *vol. 2. qq. Regul. V. negotiatio n. 6.* & *vol. 1. c. 9. n. 39.* Pellizar. *Man. Regul. tom. 1. tr. 6. c. 10. n. 16.* & reipſa favent omnes illi, quos *n. 19.* allegavi. *Deducitur 1.* ex dictis *n. 18. & 19.* ubi dixi, caſu, quo res empta, per induſtriam, vel artem mutata, divenditur, inſpiciendam eſſe intentionem vendentium, & eam quidem prohibitam eſſe Clericis, ac Religioſis, ſi ejusmodi res lucri tantùm causâ emantur, ut mutatæ vendantur cariùs, contra ſi non mero lucri ſtudio, ſed ex alio honeſto fine hoc fiat, venditionem prohibiti nil continere, atqui Religioſi Pharmacopæi primariò, & per ſe non conficiunt pharmaca lucri causâ, ſed pro neceſſitatibus ſuorum Fratrum ægrotan-

rotantium, & quod his supereſt, vendunt eo præcisè fine, ut officinam Pharmacevticam novis medicamentis pro eadem ſuorum neceſſitate inſtruant. ergo &c. 2. Religioſi, ut *n. 10.* dictum eſt, licitè emunt res ad propriam, & familiæ ſuſtentationem neceſſarias, eásque, ſi quid ſuperſit, pretio currente divendunt. hoc faciunt, quando ex ſpeciebus coëmptis parant medicinas, & has divendunt; cùm enim reſciri nequeat, in qua quantitate, vel qualitate opus habituri medicamentis ſint, utpote quod ab incerto maioris, vel minoris numeri infirmorum eventu pendet, hinc prudens conſilium ineunt, ſi in compoſitione, quæ ſemel in anno, vel ſtatutis temporibus fit, in tuto ſe ponant atque faciant proviſiones potiùs excreſcentes. poterunt igitur, quibus ipſi non indigent, alijs vendere. 3. poſſunt Eccleſiaſtici, ut *n. 19.* dictum eſt, emere res neceſſarias ad honeſtum aliquod artificium exercendum, & confecta inde arte facta vendere; poſſunt emere animalia culturæ fundorum ſuorum neceſſaria, & vendere illorum fœtus, lac, lanam; poſſunt emere venas ferri, ſaltem unà cum fundo, & per famulos ferrum erutum, ac ferramenta inde confecta, prout libet, diſtrahere. igitur poterunt etiam emere ſpecies, & ex his conficere medicamenta ſibi neceſſaria, & quæ uſu ſuo ſuperſunt, divendere alijs, cùm omnino videatur urgere paritas. 4. licentia parandi medicinas ſibi neceſſarias, quam paſſim Regularibus concedit *S. Congr.* non debet ijsdem plus afferre damni, quàm commodi. hoc fieret, ſi quibus ipſi non indigent, Medicinas non poſſent extraneis vendere; cùm enim hujusmodi confectiones diu conſervari nequeant, & vertente anno, vel ſtatuto tempore parandæ ſint novæ, antiquas oporteret proijcere, cum maximo damno Oeconomiæ illorum. 5. ipſa S. Congr. Epiſc. & Regul. *in Neapolitana 26. Maij 1602* & *in una Dominicarum 11. Octob. 1647.* teſte Pignatell. *tom. 5. conſult. 85. n. 23. fin.* declaravit permitti poſſe Regularibus, & Monialibus præſertim pauperibus, ut vendant Medicinalia ſuæ Aromatariæ, ea renovandi gratiâ, maximè pretijs moderatis: quòd verò ex hoc fine, non lucri ſtudio illas divendant, patet ex eo, quia totum, quod inde habetur, lucrum ferè in alios uſus non convertunt, quàm ut parentur confectiones novæ, quibus denuo tum Religioſorum ſuorum ægrotantium neceſſitati ſuccurrant, tum etiam aliorum pauperum, nullo ab his, vel exiguo admodum pro medicamentis petito pretio. 6. Religioſi, qui hujusmodi Officinas Pharmacevticas habent, pharmaca à ſe confecta paſſim divendunt, non tantùm in varijs Provincijs, ſed etiam in Italia, ipſáque Urbe, conſentientibus non ſolùm Superioribus eorum Regularibus, ſed etiam Prælatis Eccleſiæ, ipſóque Summo Pontifice ſciente, & non contradicente, atqui ſi ejusmodi venditio Sacris Canonibus repugnaret, nec Superiores Regulares conſentire poſſent, nec Prælati Eccleſiæ, ipſéque Pontifex contradicere diſſimularet. ergo &c.

Argumenta *n. 20.* in contrarium allata non difficilem Reſponſionem admittunt. *Ad 1. Neg. ant.* nam ut *n. 19.* monui, ut negotiatio ſit prohibita Clericis, & Religioſis, requiruntur duo: *unum* eſt, ut hujusmodi res ematur, & vel immutata, vel non mutata vendatur: *alterum*, ut ematur gratiâ lucri, & quæſtûs ex ea cariùs vendita deinde quærendi; & quidem intentio hæc, ut *n. 11.* docui, in ipſo emptionis initio adeſſe debet, cùm ſit quaſi forma negotiationis prohibitæ Clericis. atqui, ut ex dictis *n. præc.* patet, intentionem iſtam Pharmacopæi Regulares non habent, quippe quorum venditionis præcipuus finis eſt, ut Medicinalia ſua renovent, & Officinam ſuam conſervent. *Ad 2.* Negatur paritas; nam in illa confectione vini ex uvis emptis, pannorum ex lana pretio comparata, lucrum per ſe, & directè intenditur. at verò Pharmacopæi Religioſi primariò, & per ſe lucrum non ſpectant, ſed eorum in emenda materia, & parandis Pharmacis primarius finis eſt ſuccurrere neceſſitatibus domeſticis, ac ſuorum Fratrum conſervare, & reparare ſanitatem: quod ſine magno Monaſterij diſpendio conſequi non poſſunt, niſi in omnem eventum plus emant, quàm ordinaria ipſius Monaſterij indigentia exigit, & illud, quod redundat, extraneis vendant. *Ad 3.* paritas tunc foret, quando Religioſi non principaliter pro monaſterio, ſed ad quæſtum faciendum Officinam Pharmacevticam aperirent: id enim, præſertim ſi per conductos homines pharmaca conficerent, illicitum omnino foret, & Negotiatio talis, qualem *n. 18.* dixi, prohibitam eſſe Eccleſiaſticis. *Ad 4.* imprimis, ut in Societate noſtra contingit, Pharmacevtica ut plurimum non exercetur à Religioſis Sacerdotibus; & ſi exerceatur, ut in alijs Ordinibus Religioſis ſæpe contingit, illa à Sacerdotum Statu tam parum aliena eſt, quàm parum eundem dedecet præeſſe culinæ, vel cellæ, & Monaſterij reditus adminiſtrare: imò labor aliquis manualis in Religioſis Ordinibus, præcipuè S. Benedicti peculiari Regula injungitur, ac olim Clericis univerſis fuit præceptus, ut patet ex *can. Clericus 3.* & *can. ſeq. diſt. 91.* alijsque textibus. *Ad 5.* Venditio Pharmacorum meritò prohibita fuit FF. Minoribus de Obſervantia, quia ſpeciem aliquam adminiſtrationis pecuniarum, & retentionis redituum habet, quarum utraque puritati Inſtituti illorum repugnat. Decretum S. Congr. cum Declaratione

tione ibidem allegata combinari debet cum Decreto ejusdem Congr. *n. præc. Probat. 5.* allato, ſcilicet, ut venditio Pharmacorum non ſit licita, niſi in finem illa ex pretio inde redacto reparandi. *Ad 6.* Argumentum hoc nimium probat; probat enim, quòd Religioſi, & Clerici etiam non poſſint vendere imagines à ſe pictas, diſtrahere vinum expreſſum ex uvis ſuarum vinearum, Scientias, & artes Liberales aut gratis, aut pro pretio docere; quia etiam dum hoc faciunt, aliquid lucri decedit Laicis, qui iſta factitant. Quòd verò Religioſi ab oneribus Civilibus exempti ſint, & ideo pharmaca ſua viliùs poſſint vendere, favor, & effectus favoris eſt, quo utendo injuriam alteri nemo infert. *Ad 7.* juſtitia querelarum hujusmodi, & ſcandalum inde ortum ſufficienter tollitur, ſi Religioſi venditionem pharmacorum ſuorum ſic moderentur, ut Sæcularibus Pharmacopæis lucrum ſuum non ſubtrahatur, & ipſi Religioſi, quas ex venditione hac redigunt, pecunias, in quantum pro novis Pharmacis comparandis, & conſervandis opus ijsdem non habent, non in uſus Monaſterij [niſi ipſum indigeat] ſed in ſubſidia pauperum, aliásque pias cauſas expendant. *Ad 8.* in illis Decretis non intelligitur venditio, de qua in præſenti ſermo eſt, ſed negotiationes, & negotiationi affines contractus, quibus lucrum præcipuè ſpectatur; neque enim, ſi alia mens Congregationum dictarum fuiſſet, hujusmodi medicamentorum venditio in tot Congregationibus poſtea ſubſecutis toleratus fuiſſet. Exiſtimârunt nimirum Patres ad eas convenientes, venditionem hanc, ſi moderatione hactenus præſcripta fiat, omni labe vacare.

23 Quæritur 7. utrum Clerici, & Religioſi negotiationem ſibi prohibitam exercere poſſint per alios? Videtur non poſſe ex communi, & recepta Regula, quia aliàs illud, quod quis per ſeipſum non poteſt facere, neque per alium poteſt. *Reg. 72. in 6.*

Sed affirmativam defendunt Turrian. *2. 2. tom. 2. D. 59. d. 2. n. 3.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 342. n. 13.* Leſſ. *l. 2. de Juſt. c. 21. n. 6. ỳ. quartò.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 17. n. 40. ỳ. propterea.* Pellizar. *Man. Regul. tom. 1. tr. 6. c. 10. n. 9.* Haun. *tom. 4. de J. & J. tr. 10. n. 285.* Gibalin. *tom. 1. de negot. l. 1. c. 3. art. 2. n. 5.* Pignatell. *tom. 2. conſ. 34. n. 4.* Pirh. *hic n. 3. except. 3.* Emman. Correa *Conſiliar. D. 6. n. 1838.* & hoc teſte paucis exceptis DD. communiter, qui omnes dicunt Clericum ſic negotiantem effugere pœnas in Clericos negotiatores per Jus ſancitas, utpote quæ latæ duntaxat ſunt in eos, qui per ſeipſos negotiantur, ut colligitur ex *Clem. 1. de Vit. & Honeſt.*

An verò ſic per alium negotiationem 24
prohibitam exercens Clericus etiam evitet culpam, major Doctorum diſcordia eſt. Omnes ferè in hoc conveniunt, hunc negotiandi modum non eſſe decentem, ſeu convenientem ſtatui Clericorum, ideoque id fieri non debere, niſi juſta aliqua cauſa, videlicet neceſſitas rei familiaris excuſet, vel conſuetudo Regionum permittat. Quam indecentiam nonnulli putant continere peccatum ſaltem veniale, & aliquando ingraveſcere etiam poſſe uſque ad mortale ratione ſcandali. Alij diſtinguunt, an ille tertius, per quem negotiatio exercetur, ſit ſolùm adminiſter, & quaſi famulus, ita, ut partem curæ, & ſollicitudinis reſervaverit ſibi Clericus, quam exerceat ſollicitando, dirigendo, inſtruendo, & quaſi ſuperintendendo, an verò totam curam Clericus ipſi commiſerit, ita, ut iſte tertius habeat rationem cauſæ principalis.

Si hoc ſecundum, abſolvunt Cleri- 25
cum etiam à culpa veniali, ſaltem contra prohibitionem Juris poſitivi; quia, ut dixi, hoc ſolùm prohibet Eccleſiaſtico negotiationem per ſeipſum: & hinc dicunt licitè poſſe Clericum inire ſocietatem cum Campſore, ita, ut hic conferat totam operam, Clerico pecuniam ſubminiſtrante, quòd eo caſu ratio prohibitionis ceſſet, cùm talis negotiatio non ita diſtrahat animum: nec peccata, quæ commiſerit is, per quem fit negotiatio, imputabuntur Clerico, modò pecuniam ſolùm dederit ad negotiationem licitam, ut contra *Molin.* & *Gutier.* reſolvit Theophil. Raynaud. *Diſcept. de Relig. Negotiat. fol. 124.* & approbat Gonzal. *in 6. 6. b. tit. n. 7. circa princ.* Correa *Conſiliar. D. 6. n. 1839.* Imò negotiator hoc caſu non poterit nuncupari Clericus, quippe cùm hoc fieri videamus à viris nobiliſſimis, qui tamen propterea pro negotiatioribus non habentur.

Si verò primum contingat, & partem 26
curæ, ac ſollicitudinis Clericus ſibi reſervet, *Dian.* & *Card. de Lugo* apud Corream *D. 6. cit. n. 1840.* putant poſſe peccari venialiter, non tantùm ratione indecentiæ (ratione cujus peccatum ſaltem veniale rarò evitatur, etiam, cùm tota cura negotiationis transfertur in tertium) ſed etiam contra prohibitionem Juris Eccleſiaſtici; quia tunc videtur Clericus aliquo modo negotiari per ſeipſum. Imò, ut idem Correa *l. cit.* notat, pars curæ, & ſollicitudinis, quam ſibi reſervavit, tanta eſſe poteſt, ut peccet mortaliter.

Si explicatæ Concluſioni non poteſt 27
obeſſe Regula pro Ratione dubitandi allata; quia hæc præcipuè locum habet in ijs, quæ ſunt intrinſecè mala: in illis verò, quæ ſunt ex prohibitione extrinſeca mala, ſolùm procedit in caſu, ubi [illegible]atio prohibitionis non ceſſat, quando [illegible]s prohibita fit per alium

alium cessat autem in casu præsentis quæstionis ; nam ratio præcipua prohibitionis est indecentia, & distractio à Divinis , quæ omnino cessat , si negotiatio non per Clericum , sed per alium exerceatur ; translatâ in hunc universâ curâ. *Correa n. 1841. Conf.* nam etsi Clericus Officium macellari , tabernarij , & venationem clamorosam exercere per seipsum nequeat ob prohibitionem *Clem. 1. de Vit. & Honest.* & *Clem. 1. de stat. Monach.* potest tamen hæc facere per alium *arg. c. significante 69. de Appell.*

Quæritur 8. an omnibus Clericis interdicta sit *Negotiatio ? Certum est* prohibitam esse Clericis constitutis in Ordine Sacro , item constitutis in Minoribus tantùm Ordinibus , si Beneficium Ecclesiasticum habeant.

Alijs non Beneficiatis non esse prohibitam docent Abb. *in c. multa 1. h. tit. n. 12.* Ugolin. *de Offic. Episc. c. 12. §. 16. n. 1.* Less. *l. 2. de Just. c. 21. n. 4.* quod deducunt ex *c. multa cit.* ubi Negotiatio prohibetur tantùm *Ministris Altaris Domini.* Et *confirmant arg. c. Clerici 1. de postuland.* ubi Clerici in Minoribus prohibentur esse Advocati coram Judice Sæculari , *si stipendijs Ecclesiasticis sustententur.* ergo à sensu contrario , si hujusmodi stipendia , adeóque Beneficium Ecclesiasticum nullum habeant, possunt esse Advocati. si Advocati , etiam Negotiationem exercere. ergo &c.

28 Sed probabilius est oppositum , quod docet Ant. de Butrio *in c. multa cit. n. 14. v. quæro.* Fagnan. *ibid. n. 83. & seqq.* Pirh. *hic n. 8.* tum quia SS. Canones indistinctè, & generaliter Negotiationem prohibent Clericis omnibus , sive sint Beneficiati , sive non ; tum quia ratio prohibitionis etiam procedit in Clericis minorum Ordinum , non Beneficiatis , quia scilicet *nemo militans DEO implicat se negotijs Sæcularibus.* atqui etiam Clerici non Beneficiati , sed Clericali saltem tonsura initiati , sunt milites Cælestis Militiæ *can. Christianis 12. caus. 11. q. 1.* & *ibi* Gloss. *V. cælestem militem,* ergo etiam illis prohibita est negotiatio, modò congruam sustentationem habeant aliunde.

Ad Argumentum contrarium dico , etiam Clericos minorum Ordinum esse Ministros Altaris Domini , licèt non sint ita proximi , & immediati , sicut ij , qui in Sacris sunt. *Ad Conf.* Argumentum ab Advocatione ad Negotiationem non valet ; quia munus advocandi valde utile est Reipublicæ , Negotiatio verò non ad publicam utilitatem , sed privatum lucrum plerumque ordinatur, Fagnan. *l. cit. n. 93. & 96.* Pirh. *n. 8. cit.*

29 *Dubitatur.* , quos Religiosos prohibitio Negotiationis afficiat ? *R.* Affici ea prohibitione Religiosos omnes : & sic 1. ea prohibitio stringit etiam *promotos ad Episcopatum* ; quia licèt ad observantiam Regularem non ampliùs teneantur , tenentur tamen ut Ecclesiasticæ personæ ab hujusmodi negotiatione se abstinere. 2. *Ejectos* ; quia & ipsi manent Personæ Ecclesiasticæ , & ex præcepto *S. Congr.* quod refert Pellizar. *Man. Regul. tom. 1. tr. 6. c. 10. n. 7.* & *tr. de privil. c. 8. sect. 2. q. 19.* tenentur in Sæculo deferre habitum , imò & subsunt Jurisdictioni Ordinarij loci , in quo commorantur : ut adeo nulla sit ratio illos excludendi à prohibitione generaliter facta Ecclesiasticis. 3. *Fratres Laicos* ; quia hi in favorabilibus veniunt nomine Monachorum , & Clericorum. est autem præsens prohibitio favorabilis , quippe quæ inducta est in bonum Spirituale Religionum , & ad vitanda peccata , ut constat ex dictis *n. 6.* quæ ratio sine dubio probat etiam *Moniales* comprehendi sub ista prohibitione, licèt aliàs non sint capaces omnium pœnarum , quæ latæ sunt contra Religiosos negotiantes , ut patet de Suspensione , ac Depositione , cui tamen subjacent Religiosi negotiantes. Pellizar. *n. 7. cit.*

Excipiuntur *Novitij* ; nam hi prohibi- 30
tione ista non adstringuntur , nisi ex gravi quadam decentia. Pellizar. *Man. Regul. tom. 1. tr. 6. c. 10. n. 8.* Ratio est , quia prohibitio ista , licèt favorabilis toti Religioni sit , est tamen odiosa Religiosis in particulari , maximè ratione pœnarum , quas habet annexas. atqui in odiosis Novitij non veniunt nomine Religiosorum , nec procurare ita strictè bonum Religionis , onera in hujus favorem inducta suscipiendo tenentur , sicut illud tenentur Professi. ergo non censebuntur prohibitione hac comprehensi. Addidi , *Nisi ex gravi quadam decentia* ; cùm enim Novitij participent de bonis Spiritualibus , & temporalibus Religionis , & sint aliquo modo membra illius , par est , ut sentiant etiam illius onera , & consequenter abstineant ab ijs , quæ alioquin Religiosis prohibentur. tenebuntur ergo ex decentia , & æquitate abstinere à Negotiatione , sed plerumque , ut Pelliz. *l. cit.* notat, solùm sub peccato veniali , scandalo gravi secluso. Et hinc etiam à pœnis in Religiosos negotiantes decretis liberi erunt , quippe quæ solùm afficiunt illos, qui transgrediuntur prohibitionem Ecclesiæ.

Quæritur 9. quæ sint pœnæ Negotia- 31
tionis prohibitæ ? *R.* 1. qui prohibitionem istam transgrediuntur , idque sæpiùs (quia , ut *n. 16.* dixi , Negotiator non ab uno , sed à frequentatis actibus dicitur) incurrit Excommunicationem majorem secundùm dicta , & textus *n. 15.* allatos : quæ tamen Excommunicatio non latæ , sed ferendæ sententiæ est , nec ulli reservata *c. secundùm 6. h. tit.* Pellizar. *tom. 1. Man. Regul. tr. 6. c. 10. n. 3.*

2. Cle-

2. Clerici negotiatores poſſunt ſuſpendi ab Officio: imò etiam deponi à gradu, & Ordine Clericali *can. Clerici 1. cauſ. 14. q. 3.* & *c. ſed nec 4. h. tit.* ubi additur Religioſos graviùs eſſe puniendos. Pelliz. *n. 3. cit.* Pirh. *hic n. 9.*

32 3. Perdunt Immunitatem à vectigalibus, & portorijs; nam iſta, ut Laici, tenentur ſolvere, prout ſumitur ex *Clem. 1. de Cenſib.* ubi dum ij, qui ab Eccleſiaſticis tributa exigunt, compeſci jubentur Excommunicationibus, additur Limitatio ad res, *quas non negotiandi causâ deferunt, aut deferri faciunt*, igitur à contrario ſenſu ex rebus, quas deferunt negotiandi causâ, poteſt tributum exigi ab Eccleſiaſticis. Diſcrimen tamen faciendum eſt quoad res negotiationi ſubjectas, aut per eam acquiſitas, & quoad res alias Clericorum proprias. Ut quoad *poſteriores* amittant privilegium Immunitatis à Gabellis &c. neceſſarium eſt, ut ter moniti ab Epiſcopo non abſtinuerint, *c. fin. de Vit. & Honeſt.* & quidem ita, ut inter unam, & alteram monitionem intercedant aliquot dies, nec ſufficit eſſe unam inſtar trium. Filliuc. *tr. 35. n. 28.* Dian. *p. 3. tr. 1. reſol. 44.* Pellizar. *tom. 1. Man. Regul. tr. 6. c. 10. n. 23.* Gibalin. *tom. 1. de negot. l. 1. c. 3. art. 2. n. 2.* Pignatell. *tom. 3. conſult. 85. n. 24.* Quoad *priores*, ut ex ijs teneantur Gabellam ſolvere, non eſt neceſſaria admonitio; quia nec Eccleſia, nec Principes Sæculares intenderunt, quoad res iſtas eximere Clericos à ſolvendis Vectigalibus, ac tributis in Negotiatione ipſis Jure Canonico prohibita, & quæ ex natura rei eos non decet: adeoque nunquam fuerunt immunes ab hujusmodi tributis, neque eos Eccleſia in hac parte defendit, ut conſtat ex *Clem. præſenti 3. de Cenſib.* & notant Molin. *D. 342. n. 5.* Pellizar. *l. cit. n. 23.* Pirh. *hic n. 9.*

33 4. Omnia bona, per hujusmodi negotiationem acquiſita, quæ poſt ipſorum obitum extant, etiamſi, facultate teſtandi accepta, teſtati fuerint, tanquam ſpolia ad Fiſcum Eccleſiæ, ſive Cameram Apoſtolicam pertinent ex *Conſtit. Pij IV.* incipit *Decens editam Nonis Novembr. 1560.* Azor. *p. 2. l. 8. c. 2. q. 8.* Pellizar. *l. cit. n. 31.* Wieſtner. *hic n. 6.* *Excipitur*, ſi non tantùm illicitè, ſed etiam injuſtè acquiſita ſint: hæc enim non veniunt nomine Spoliorum, ſed reſtitui ijs debent, quibus adempta ſunt; quia Papa, ſeu Princeps non cenſetur tollere velle jus quæſitum alteri, imò nec poteſt ſine cauſa. Redoan. *de Spolijs Clericorum q. 2. n. 93. & 101.* Azor. *c. 2. cit. q. 7.* Pirh. *hic. n. 10.* Imò etiam de ijs, quæ non injuſtè, ſed illicitè ex negotiatione acquiſita ſunt, probabilius eſt, quòd ea Perſonæ Eccleſiaſticæ, vel Succeſſores earum, priusquam illis per ſententiam Judicis condemnatoriam priventur, retinere in foro conſcientiæ poſſint; tum quia privatio hæc eſt pœna delicti, ſcilicet negotiationis illicitæ, quæ in conſcientia non debetur, niſi poſt condemnationem Judicis. *c. cùm ſecundùm 19. in fin. de Hæretic. in 6.* tum quia, quod acquiſitum eſt hac ratione, non eſt acquiſitum contra Leges Juſtitiæ ſpecialis, ſcilicet Commutativæ, ex qua oritur obligatio reſtituendi, ſed contra alias Virtutes morales, quæ non obligant ad reſtitutionem. Ugolin. *de Offic. Epiſc. c. 13. §. 17. n. 3.* Pirh. *hic n. 10.* licèt contrarium teneat Azor *p. 2. l. 8. c. 2. q. 3.* In dubio verò non debent præſumi acquiſita eſſe à Clericis ex illicita negotiatione; quia dolus non præſumitur, niſi probetur *l. meritò 51. ff. pro ſocio.* Ugolin. *n. 5.* Azor. *q. 11.* Pirh. *n. 10. fin.*

34 *Dubitatur*, an iſtæ pœnæ etiam afficiant Religioſos Negotiatores? Quòd pœnâ Excommunicationis, Suſpenſionis, & Depoſitionis, imò etiam graviùs puniri poſſint, patet ex *c. ſed nec. 4.* & *c. ſecundùm 6. h. tit.* Similiter Suar. *tom. 4 de Relig. tr. 8. l. 3. c. 2. n. 30.* probabile putat, bona, ab ipſis per Negotiationem illicitè acquiſita, poſt mortem ipſorum ſpectare ad ſpolia, ubicunque ea reperiantur, ſive extra, ſive intra Clauſtra; quia Pontifex in *Conſtit. cit.* indiſtinctè dicit, bona illicitè acquiſita à Clericis tam Sæcularibus, quàm Regularibus, poſt mortem eorum pertinere ad Cameram Apoſtolicam tanquam Spolia, non diſtinguens, an inveniantur extra, vel intra Clauſtra. Circa tertiam pœnam amiſſionis privilegij quoad Immunitatem à Tributis, & Vectigalibus aliter loquendum de Clericis Sæcularibus, & aliter de Regularibus. In prioribus eſt adhibenda diſtinctio, an talis Clericus Sæcularis negotietur de bonis Eccleſiæ ſuæ, an de bonis proprijs: ſi ſecundum faciat, quoad illas res amittit privilegium; ſecus, ſi primum, cùm delictum ejus perſonale non debeat nocere bonis Eccleſiæ. At Clericus Regularis, cùm nihil habeat proprij, ſed quidquid acquirit, Monaſterio ſuo acquirat, ſemper cenſetur negotiari de rebus Monaſterij ſui: conſ. iſtud quoad res illas nunquam amittet privilegium; cùm non ſit æquum, ut ex Religioſi ſui delicto gravamen ſentiat in ſuis Juribus, & Immunitate. *Excipitur*, ſi negotietur de bonis alicujus perſonæ Laicæ; cum enim tunc perſonam ſuſtineat Laici, ſicut iſte Immunitate non gaudet in ſuis bonis, ita nec ille debet gaudere, ne alioquin Eccleſia cenſeatur fovere ejus delictum. Pellizar. *c. 10. cit. n. 24.*

§. II.

De alijs Actibus, qui Personis Ecclesiasticis prohibentur.

SUMMARIUM.

35. 36. *Quinam actus alij præter Negotiationem prohibeantur Ecclesiasticis?*

37. *Quid Clerici, & aliæ Personæ Ecclesiasticæ possint circa Judicium sanguinis?*

38. *An authoritativè eidem possint interesse?*

39. *An illud delegare?*

40. *Quomodo delegare illud possint?*

41. *Ad quem appellandum sit à sententia hujusmodi Delegati?*

42. *An Judicium sanguinis prohibeatur etiam Clericis, qui in minore Ordine constituti sunt?*

43. *An isti Ordines ducere, & pugnare in bello possint?*

44. *Quomodo, & ex qua causa Religiosi, & Clerici bello interesse possint?*

45. *An Religiosi, & Clerici exercere Chirurgiam saltem sine incisione, vel adustione possint?*

35 QUæritur 1. quinam alij Actus prohibeantur Ecclesiasticis? R. præter Negotiationem, de qua hactenus, prohibetur ijsdem 1. *agitatio Judicij sanguinis*, ut habetur *c. Clericis 5. & c. sententiam 9. h. tit.* idque sub pœna Excommunicationis & loci, seu ut Abb. *in c. Clericis cit. n. 2.* Gonzal. *ibid. n. 2.* Pirh. *hic n. 11.* explicant, Officij, & Beneficij privatione.

2. *Ordinatio aciei*, & directio militum in pugna *can. eos qui 3. caus. 20. q. 3. can. quicunque 4. & seqq. caus. 23. q. 8. & c. sententiam cit.* ibi, *Nullus quoque Clericus ruptuarijs, vel balliſtarijs, aut hujusmodi viris sanguinum præponatur:* iterum sub pœna Anathematis, seu Excommunicationis majoris *can. eos qui cit.*

3. *Exercitium Artis Chirurgicæ* per incisionem, & adustionem *c. sententiam cit. & c. tua nos 19. de Homicid.* siúntque hanc exercentes, si mors, aut mutilatio subsequatur, Irregulares.

36 4. *Procurationes*, & *Administrationes* in rebus Laicorum in, & extra Judicium, sub pœna depositionis ab Ecclesiastico Ministerio, seu Officio *c. Sacerdotes 2. & c. sed nec 4. h. tit.*

46. *Respondetur etiam hoc prohibitum esse.*

47. *Exceptio.*

48. *Solvuntur Argumenta opposita.*

49. *An, & quatenus Clerici, & aliæ Personæ Ecclesiasticæ Procuratores Laicorum esse possint in Judicio?*

50. *Vel extra illud?*

51. *Cum qua limitatione hoc sit prohibitum?*

52. 53. 54. *Quibus Clericis interdictum sit Officium Tabellionatûs?*

55. 56. 57. *In quibus causis, & casibus ijdem exercere hoc possint?*

58. &c. *An valeant Instrumenta, à Clericis, vel Religiosis Notarijs confecta?*

63. 64. *An gubernationem Civitatis, Provinciæ &c. sine dispensatione Pontificia gerere possint Clerici non Sacerdotes?*

65. *An, & quomodo Personæ Ecclesiasticæ possint esse Consiliarij Principum Sæcularium?*

5. *Officium Tabellionis*; nam qui id susceperit, punitur per Beneficiorum subtractionem, Appellatione postposita *c. sicut te 8. h. tit. & c. ut officium 11. §. verùm 2. ℣. ad conscribendas de Hæretic. in 6.*

6. *Officium Vice-Comitis*, & Præpositi Sæcularis, sive Gubernatoris alicujus Provinciæ, vel Civitatis, & Præsidis Curiæ, sive Cancellariæ Principis *c. Clericis cit. ℣. jubemus*, sub interminatione Anathematis, seu Excommunicationis, si Officium tale sine dispensatione Papæ suscipiant.

Quæritur 2. quid Clerici, & aliæ 37
Personæ Ecclesiasticæ possint circa Judicium criminale? R. distinguendum, an agatur de pœna sanguinis imponenda, an verò de alia, ex qua mors, & mutilatio non consequatur, e. g. detrusionis in arctum Monasterium &c. In Judicio criminali, in quo non imponitur pœna sanguinis, sed alia, cognoscere tam Episcopus, quàm alius Clericus vice Episcopi potest *c. tuæ 6. de pœn.* Abb. *in c. Clericis 5. n. 11. h. tit.* Pirh. *hic n. 13. not. 4.* Honor. *n. 7.* Schambog. *n. 7.* Reiffenstuel. *n. 14.*

Circa Judicium criminale, ubi sanguinis pœna imponitur, immediatè, & per se

ſe Clericus nihil poteſt, adeo, ut nec dictare, nec ſcribere ſententiam ad hujusmodi pœnam ipſi liceat, neque conſilium, vel auxilium ad mortem, vel mutilationem dare, vel etiam hujusmodi actibus authoritativè intereſſe; alioquin Irregularitatem incurret, ſi ex tali facto mors, vel membri detruncatio, ſive mutilatio ſequatur, & deponi debeat ab officio, & Beneficio, ut conſtat ex *c. Clericis cit.* & *ibi* Gloſſ. *V. aut judicent.* & *c. ſententiam 9. eod. junct.* Gloſſ. *V. ſanguinis*, Abb. *ibid. n. 2. 3. & 11.* Pirh. *n. 13. hic.* Schambog. *n. 7.* Reiffenſtuel. *n. 12.* idque Jure Eccleſiaſtico ſtatutum eſt propter horrorem: quia Clerici à Chriſto electi ſunt in miniſterium ſalutis, unitatis, & manſuetudinis *can. ſæpè 29. cauſ. 23. q. 8.* ideo Judicium ſanguinis eorum ſtatum, & conditionem non decet. Abb. *l. cit. n. 2.*

38 Dixi 1. *quòd non poſſint authoritativè intereſſe Judicio ſanguinis*; Nam ſi Clericus ei tantùm interſit, ſine ulla cooperatione, non ſit ideo Irregularis, ita, ut deponi debeat; quamvis alia ratione debeat puniri, quia interfuit contra præceptum SS. Canonum. Gloſſ. *in c. ſententiam cit. V. ſanguinis in fin.* Abb. *ibid. n. 6.* Pirh. *n. 13. not. 1.* Reiffenſtuel. *n. 21.*

Dixi 2. *immediatè*; nam ſuffragium dare pro Lege criminali condenda Clerici poſſunt: nec propterea Irregulares fient, quamvis ex tali Lege pœnâ mortis aliquis puniatur. Barboſ. *in c. Clericis cit. n. 3.* Paſſerin. *in c. fin. eod. in. 6. n. 6.* & alij apud iſtos.

39 Dixi 3. *per ſe*; nam Epiſcopus, vel Prælatus akus, qui Jurisdictionem temporalem in aliquo loco obtinet, delegare cauſam etiam ſanguinis poteſt alteri, eique injungere, ut veritatem inquirat, & Juſtitiæ debitum exequatur *c. fin. h. tit. in. 6.* Gloſſ. *ibid. V. Epiſcopus*, *& V. ſuper hoc.* Vivian. *ibid. pr.* Paſſerin. *n. 1.* Barboſ. *in c. Clericis cit. n. 8.* Pirh. *hic n. 14. & 15.* Schamb. *n. 7.* Idque procedit, ſive tales Prælati, vel Clerici habeant Jurisdictionem temporalem ratione Eccleſiæ, ſive ratione Patrimonij. Franc. *in c. fin. cit. n. 2.* Honor. *n. 7.* Pirh. *n. 15.* Ratio eſt; quia aliàs inanis foret Jurisdictio, & facultas corrigendi, ſi ejusmodi cauſas non poſſet delegare Superior. Unde hic caſus eſt ſpecialis, in quo quis poteſt per alium, quod non poteſt per ſeipſum. Gloſſ. *in c. fin. cit. in notat.* Pirh. *n. 15. cit.* & licita ſunt quædam in genere, quæ non licent in ſpecie, ſi nimirum deſcenſus ad ſpecialia occaſionem mali inducat *arg. c. ſi Sacerdos 2.* junct. Gloſſ. *V. nominatim de Offic. Jud. Ordin.* Gloſſ. *in c. Clericis cit. V. aut judicent.*

Dubitatur 1. quomodo delegare cauſam ſanguinis Eccleſiaſticus, Jurisdictionem temporalem obtinens, debeat? 40 R. Delegatio hæc non debet determinatè fieri ad imponendam pœnam vel mutilationis; ſic enim cenſeretur jam ipſe delegans ex ſe ſententiam ſanguinis protuliſſe, & ſolam executionem pœnæ commiſiſſe alteri: unde non vitaretur Irregularitas. Paſſerin. *in c. fin. cit. n. 3.* *Excipitur*, ſi ita deleget alteri, ut hic proferat ſententiam ſanguinis in caſu, quando Juſtitia ſic exegerit; quia commiſſio iſta non eſt directè, & abſolutè, niſi ad Juſtitiam: & aliàs, qui committeret cauſam homicidij cum juſſione faciendi Juſtitiam, jam incurreret Irregularitatem; quia hæc commiſſio imbibitam habet hanc conditionem, ut delegatus reum damnet ad pœnam Sanguinis, ſi id petat Juſtitia. Conſultum tamen omnino eſt, ut Epiſcopus, vel alius Prælatus, habens Jurisdictionem temporalem, non ſpecialiter, ſed generaliter committat alicui Laico poteſtatem cognoſcendi Cauſas ſanguinis, & faciendi vindictam de omnibus malefactoribus. Gloſſ. *V. aut judicent cit.* Abb. *ibid. n. 12.* Pirh. *n. 15.* Reiffenſtuel *n. 14.*

Dub. 2. ad quem appellandum ſit 41 à ſententia hujusmodi Delegati? R. appellari debet ad ipſum Epiſcopum, vel Prælatum delegantem, qui deinde cauſam appellationis iterum cognoſcere per alium debet. Gloſſ. *in c. Clericis cit. V. aut judicent*, *& in c. fin. cit. V. Epiſcopus.* Neque hoc caſu, etſi Judex delegatus ad pœnam ſanguinis contra Juſtitiam proceſſerit, id Epiſcopo, vel Prælato deleganti imputabitur ad culpam; quia is mandavit Juſtitiam fieri. Gloſſ. *in c. fin. cit. V. Juſtitiâ mediante*, Paſſerin. *ibid. n. 8.* Pirh. *n. 15. cit.*

Dub. 3. in quibus Clericis prohibi- 42 tio hæc pœnalis locum obtineat? R. locum obtinet non ſolùm in Clericis conſtitutis in Ordine aliquo majore, ſed etiam in ijs, qui Ordine ſolùm minore initiati ſunt, ut patet ex *c. ſententiam 9. h. tit.* ubi univerſaliter dicitur, *Nec quisquam Clericus-- dicet &c.* qui autem generaliter loquitur, neminem excludit. Abb. *in c. cit. n. 8.* Pirh. *n. 13. not. 2.*

Quæritur 3. an Ordines ducere, & 43 contra hoſtes pugnare armati poſſint ſaltem Clerici in minoribus conſtituti, & Religioſi Laici? Affirmant aliqui cum Covar. *in clem. ſi furioſus p. 2. §. 3. n. 2.* allegantes pro ſe conſuetudinem. Sed verior eſt negativa, ſi Beneficium habeant, & fori privilegium retinere, atque in Clericatu perſeverare velint. Wieſtner *hic n. 12.* Ratio eſt, quia Canones hoc prohibentes

inter Clericos, & Monachos non distinguunt. Accedit, quia etiam in his pugnat ratio, ob quam Clericis, qui in Sacris constituti sunt, ista prohibentur, cùm etiam ipsi sint Militiæ Christi adscripti, ac proinde Christo, non sæculo militare debeant *can. reprehensibile 19. caus. 23. q. 8.* *Excipitur* casus gravissimæ necessitatis publicæ *c. pervenit 2. de Immunit.* Et de hoc casu intelligenda est consuetudo ab Adversarijs allegata; nam extra hunc valde dubium est, an ulla consuetudine legitima receptum sit, ut Clerici, etiam in Minoribus constituti, si animum perseverandi in Clericatu retineant, ducere Ordines, & pugnare contra hostes armati possint.

44 Dixi, *ducere ordines, & pugnare*; nam ex alio fine Religiosi, & Clerici, etiam in Sacris constituti, bello piè, & laudabiliter intersunt, ut scilicet functiones suas Spirituales erga milites ibi exerceant, his celebrent Sacrificium Missæ, & cætera Divina administrent, eósque consolentur: Imò si bellum sit justum, animare illos ad pugnam possunt, dummodo eos expresè, & specialiter non incitent ad occisionem, vel mutilationem hostium, quos servare sine suo discrimine possunt; quia hoc eorum statui non adversatur. Wiestner *hic n. 13.* & sumitur ex *can. omni 9.* & *can. seq. caus. 23. q. 8.*

Neque obstat *c. quod in dubijs 5. de pœnis*, ubi Innocentius III. Sacerdotes, qui ad conflictum milites incitarent, secundum veterum Canonum rigorem deponendos asserit; nam hoc intelligendum est de incitatione ad pugnam injustam, & ad determinatam hostilium personarum occisionem, vel mutilationem, Gloss. *in c. cit.* Suar. *D. 47. de Censur. sect. 6. n. 10.* Gonzal. *in c. fin. de homicid. n. 14. in fin.* Wiestner *hic n. 13.*

45 Quæritur 4. an Clerici, & Religiosi Chirurgiam exercere valeant saltem sine incisione, vel adustione? Affirmant Covar. *in clem. si furiosus p. 2. §. 4. n. 2. ¥. sic &*, ex ratione quòd nullo Jure prohibeantur. *Et confirmat* ex *c. ad aures 7. de ætat. & qualit.* ubi Canonicus ab Irregularitate immunis pronuntiatur, qui mulieri medicinam porrexit, licèt hac sumpta, mortua fuerit, ex causa, quòd ipse Chirurgicæ, & Medicæ artis peritus, juxta ejus artis præcepta Medicinam paraverit.

46 Sed dicendum, Clericis, & Religiosis Chirurgicæ, & Medicæ artis exercitium generaliter interdictum esse. Ita Sylv. *V. Medicus q. 2.* Abb. *in c. sententiam 9. h. tit. n. 22.* Navar. *Man. c. 15. n. 110.* Suar. *D. 47. censur. sect. 6. n. 18.* Sanch. *l. 6. mor. c. 14. à n. 18.* Pellizar. *Man. Regul. tom. 1. tr. 6. c. 14. n. 33.* Mendo *de Jur. Acad. l. 2. q. 30. n. 364.* Barbos. *in c. fin. h. tit. n. 3. fin.* Zœs. *hic n. 4.* Pirh. *n. 21. not. 3.* Wiestner *n. 14.* Reiffenstuel. *n. 16.* Ratio est, quia harum artium exercitium pertinet ad negotia sæcularia, quæ ipsis generaliter prohibentur *c. multa 1. h. tit.* & *c. Clericis 15. de Vit. & Honest. Proceditque hoc* etiam de Clericis, qui in minore duntaxat Ordine constituti sunt, si Beneficium ad sustentationem sufficiens habeant. Abb. *in c. sententiam cit. n. 22.* Navar. *Comment. de Regul. n. 28.* Sanch. *l. 6. moral. c. 14. n. 15.* Pirh. *n. 21. cit. not. 2.* Wiestner *n. 14. cit.*

Excipitur, si hujusmodi artem erg 47
personas miserabiles, aut cognatas exerceant causâ pietatis; nam ex hac causa susceptum artium istarum exercitium, cùm negotium Sæculare non sit, Clericis, & Religiosis permissum est, modò absque incisione, & adustione fiat. Sanch. *n. 14.* Mendo *n. 366.* Pirh. *n. 21. not. 4.* Wiestner *n. 15.* Reiffenstuel *n. 16.* Dixi, *Modò absque incisione, & adustione fiat*; nam Chirurgicam per incisionem, & adustionem exercentes nec causa pietatis à culpa excusat, & si mors sequatur, Irregulares fiunt. Abb. *in c. 19. de Homicid. n. 5.* Ant. de Butrio *ibid. n. 4.* Wiestner *n. 14.*

Ex quo patet ad Argumentum Co- 48
var. *n. 45.* allatum. *Ad Conf.* sumptam ex *c. ad aures cit.* dico, ideo Canonicum ibi ab Irregularitate pronuntiari liberum, quia Chirurgicæ artis exercitium Clericis prohibetur, non ob periculum mortis, vel mutilationis, sed potiùs ob indecentiam, ut cum alijs advertit Wiestner *hic n. 15.*

Quæritur 5. an, & quænus Clerici, 49
& aliæ Personæ Ecclesiasticæ Procurationem, vel Administrationem pro Laicis in se possint suscipere? ℟. distinguendo inter Procurationem in Judicio, & extra illud. Coram Judice Ecclesiastico Procuratores Laicorum esse possunt, saltem in causis Ecclesiasticis; quia id non prohibetur ullo Jure. At coram Judice Sæculari esse non possunt, nisi ex Charitate, vel amicitia, aut ob causam pietatis, & ad unum, vel alterum negotium, non autem quoad omnia negotia *can. fin. dist. 86.* Abb. *in c. Sacerdotes 2. h. tit. n. 2. & 4.* Pirh. *hic n. 17.*

Extra Judicium Procuratores, & Ad 50
ministratores Laicorum iterum esse non possunt, nisi ex causa pietatis ex *c. Sacerdotes cit.* & *c. sed nec 4. h. tit.* Quodsi autem, postquam ab Episcopo ei publicè denuntiatum fuerit, nihilominus facere hoc præsumpserint, & occasione talis Administrationis in re pecuniaria deprehendantur in fraude, Ecclesia eis non subvenit pecuniâ, vel alio modo *c. Sacerdotes cit.* quia fecerunt se indignos auxilio Ecclesiæ, contraveniendo ipsius prohibitioni. Gloss. *ibid. V. ab Ecclesia.* Vivian. *ibid. ¥. quodsi contrà fecerint*, Barbos. *n. 1.* Pirh. *n. 16.* & alij

alij paſſim. Non tamen propterea tales Clerici amittunt privilegium Clericale fori, ita, ut ratione fraudis, in Adminiſtratione Laicorum commiſſæ, à Judice Sæculari capi poſſint, vel ad forum Sæculare trahi, ſed conveniri adhuc coram Judice Eccleſiaſtico debent. *Ratio eſt*, quia ad amittendum fori privilegium Jura requirunt trinam monitionem; ideoque illa monitio Epiſcopi, etſi publica ſit, ſola non ſufficit *c. fin.* junct. Gloſſ. *V. tertiò de Vit. & Honeſt.* Abb. *ibid. n. 7.* Vivian. *in c. Sacerdotes cit. ℣. quodſi contrà*, Barboſ. *ibid. n. 4.* Gonzal. *n. 4. circa fin.* & *n. 6. circa med.* Honor. *hic n. 5.* Pirh. *ibid. n. 16.* König *n. 5.*

51 *Extenditur* prohibitio hæc etiam ad Clericos non Sacerdotes, ſi in Sacris conſtituti, aut Beneficiati ſint, ut tradit Abb. *l. cit. not. 1.* Et verum eſt, ut neque poſſint eſſe Miniſtri Laicorum, aut famuli domeſtici illorum. Pirhing *n. 17.* aut ſuſcipere qualiacunque illorum negotia Sæcularia, cum duplici tamen limitatione. *Una* eſt quoad perſonas Sæculares miſerabiles, uti ſunt pauperes, pupilli, viduæ, & ſimiles; harum enim tutelam, & defenſionem Clerici non tantùm licitè, ſed & laudabiliter ſuſcipiunt *can. fin. diſt. 86.* Fagnan. *in c. multa 1. h. tit. n. 5.* Gonzal. *ibid. n. 5.* Zœſ. *hic n. 2.* Engl *n. 3.* Reiffenſtuel *n. 4.* *Altera* limitatio facienda eſt quoad Prælatos Eccleſiaſticos, qui ſub Imperatore, vel alio Principe terras, & bona temporalia poſſident, ratione quorum non ſecus, ac alij Domini Sæculares ad Comitia, & Conſilia vocantur, & ibidem diverſa Officia ſuſcipiunt; cùm enim talia Officia maximè cedant in utilitatem Eccleſiarum, in quarum præjudicium ſæpe aliàs per Dominos Sæculares multa inducerentur, ideo non eſt veriſimile, quòd iſta SS. Canones prohibere voluerint, ſed potiùs illa, quæ in ſe ſuſcipiunt Eccleſiaſtici causâ privatæ avaritiæ cum neglectu Divini ſervitij, ut colligitur ex *can. fin. cit.* & notant Engl. *n. 4.* Reiffenſtuel *n. 5.*

52 Quæritur 6. quibus Clericis interdictum ſit Officium Tabellionatûs? R. diſtinguendo, an habeant competens Beneficium Eccleſiaſticum, vel non. *Si primum*, Officium hoc interdictum eſt omnibus, prout de Clericis, qui in SS. Ordinibus conſiſtunt, patet ex *c. ſicut 8. h. tit.* ibi, *In Sacris conſtituti*: de Clericis autem, qui in Minoribus ſolùm ſunt, probat ratio; nam ideo Officium Tabellionatûs prohibetur Clericis, quia eſt officium quoddam publicum, Sæculare, & ſpeciem quandam negotiationis habet. atqui etiam Clerici minores arcentur ab Officijs publicis, & quæ ſpeciem quandam negotiationis habent, ut patet ex dictis *n. 6.* ergo &c. Fagnan. *in c. ſicut cit. n. 22.* Honor. *hic n. 18.*

Si ſecundum, probabilius eſt, quòd 53
exercere Officium Tabellionis poſſint etiam conſtituti in Sacris *arg. c. ſicut cit.* quod, dum ijs Officium Tabellionatûs prohibet ſub pœna ſubtractionis Beneficiorum, ſupponit ipſos habere Beneficium. igitur à ſenſu contrario, ſi non ſint Beneficiati, exercere id poterunt. *Ratio eſt*, quia Clerici, etiam in Majoribus conſtituti, ſi egeant, honeſtam negotiationem exercere non prohibentur, ut dictum eſt *n. 16.* conſ. nec Officium Tabellionis interdici ijsdem debet, ut poſt *Hoſt.* docet Joan. Andr. *in c. ſicut cit. n. 4.* Abb. *ibid. n. 8.* Fagnan. *n. 23.* Pirh. *hic n. 25.*

Excipitur, ſi Clericus ejusmodi ca- 54
reat quidem Beneficio, ſed habeat, unde commodè vivat, ex bonis Patrimonialibus; nam huic non eſt licitum negotiari, conſ. nec exercere officium Tabellionatûs. Fagnan. *n. 25.* Pirh. *n. 25.* *Neque obſtat*, quòd Clericis non obtinentibus Beneficium, non poſſit interdici hoc Officium per ſubtractionem Beneficiorum, ut habetur *c. ſicut cit.* quia poterit id illis interdici per alias pœnas, quæ SS. Canonibus, & Generalibus Concilijs contra Clericos Negotiatores, ſive Sæcularia negotia exercentes ſunt decretæ, quas innovavit Trid. *ſeſſ. 22. c. 1. de reform.*

Dub. 1. in quibus cauſis, & caſibus 55
Clerici exercere Officium Tabellionatûs poſſint? R. 1. exercere illud Clerici, & Religioſi poſſunt favore Fidei in cauſa Hæreſis *c. ut officium 11. §. verum 1. ℣. ad conſcribendas de Hæret. in 6.* Vivian. *in c. ſicut. 8. h. tit. fin.* Fagnan. *ibid. n. 67.* Barboſ. *n. 5.* Gonzal. *n. 2. fin.* Wagnereck *in Exegeſ.* Honor. *hic n. 19.* Pirh. *n. 27.* Reiffenſtuel *n. 6.*

2. Clericus, etiam in Sacris conſtitutus, & Beneficium Eccleſiaſticum habens poteſt eſſe Notarius Papæ, & in Curia Romana hoc Officium exercere, propter tacitum conſenſum Summi Pontificis, qui eum tunc habilem reddere cenſetur, & propter tantæ Curiæ dignitatem. Abb. *in c. ſicut cit. n. 6.* Covar. *pract. c. 19. n. 8. concl. 1.* Fagnan. *l. cit. n. 60.* Barboſ. *n. 7. & 8.* cum *citt.*

3. Secundùm aliquos non prohibetur 56
Clericus, etiam in Sacris conſtitutus, exercere Officium Notariatûs, etiam extra Curiam Romanam coram Judice Eccleſiaſtico, & in cauſis Eccleſiaſticis, ſaltem ſi non habeat Beneficium Eccleſiaſticum competens. Abb. *n. 6. cit.* Ugolin. *de Offic. Epiſc. c. 13. §. 7. except. 7.* Wagnereck *l. cit.* Sed hoc, ut Gloſſ. *fin. in c. cit.* Covar. *concl. 2.* Pirh. *n. 27.* & alij cenſent, ſolummodo verum eſt, quando talis Clericus omnino eget. Secus, ſi aliunde habeat, unde vivat, ſecundùm dicta *n. 54.* Ratio eſt, quia *c. ſicut*

ficut cit. simpliciter, & nullo discrimine inter causas temporales, & Ecclesiasticas, præcipitur Clericis interdici hoc Officium.

57 4. Si alicubi vigeat consuetudo, ut Clerici, etiam in Sacris constituti, & Beneficium habentes, Officium Notariatûs exercere in causis Ecclesiasticis possint. Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 8. n. 4.* Barbos. *in c. ficut cit. n. 9.* Pirh. *n. 27. fin.* Reiffenstuel *n. 6.* quia Officium Tabellionatûs in causis Ecclesiasticis absolutè non dedecet Clericos, neque in specie illis prohibitum reperitur in ijs causis. igitur per contrariam consuetudinem induci potest, ut in illis causis possint id exercere.

58 Dub. 2. an valeant Instrumenta à Clericis, & Religiosis Notarijs confecta? Satis convenit inter DD. quòd Religiosus, qui in Sæculo Tabellio fuit, etiam post Professionem possit complere, & signare Instrumentum, quod ante Professionem, vel ingressum in Religionem ab eodem in cujus Protocollo conscriptum, & coram ipso à contrahentibus in perfectam conventionem deductum fuit. Gloss. *in c. ut Officium 11. V. præmissa de Hæret. in 6.* Pirh. *hic n. 28. ỳ. porro.*

59 *Difficultas* est de ijs Instrumentis, quæ in Sæculo, vel ante susceptionem Clericatûs nondum inchoata fuerunt, neque negotium in Protocollum ab eo relatum. Communiter distinguunt DD. inter Religiosos, & Clericos Sæculares. Novum Instrumentum, à *Religioso* sine licentia Abbatis sui confectum, ipso Jure nullum est, ob defectum potestatis; quia in Religiosis major est prohibitio, quàm in Clericis Sæcularibus, ut colligitur ex *c. sed nec 4. fin. h. tit.* Covar. *pract. c. 19. n. 8. concl. 4. ỳ. Monachus verò*, Pirh. *ỳ. porro cit.*

60 Quoad *Clericos Sæculares* altera distinctio est adhibenda; nam si talis Clericus Instrumentum confecit, antequam ipsi interdiceretur Officium Tabellionatûs, Instrumentum, licèt illicitè hoc modo fiat, factum tamen valet, & fidem nihilominus facit. Host. *in c. ficut 8. h. tit. col. 2. §. è converso.* Joan. Andr. *ibid. n. 3.* Abb. *n. 10. & 11.* Sylv. *V. Tabellio q. 3. dict. 5.* Covar. *pract. c. 19. n. 8. concl. 4. ỳ. quodsi Sacerdos.* Sanch. *l. 6. Mor. c. 13. n. 48.* Vivian. *in c. ficut cit. fin.* Fagnan. *n. 34.* Barbos. *n. 3. & 4.* Gonzal. *n. 2. fin.* Honor. *hic n. 19.* Engl *n. 5.* Zœs. *n. 3.* Pirh. *n. 28. pr.* König *n. 19.* Reiffenstuel *n. 5.* & colligitur ex *c. ficut cit.* ubi dicitur interdicendum hoc Officium Clericis, ergo per Clericatum supervenientem illud non perdiderunt; aliàs frustra ipsis interdiceretur. *Ratio est*; quia Instrumenta sic confecta nullo Jure sunt irritata; ac proinde validà censeri debent, præsertim cùm eorum ita confectorum nullitas non conficienti, sed partibus, inter quas gestum negotium est, damnosa sit.

Quodsi verò Instrumentum confectum à Clerico Sæculari est, postquam jam interdictum est ei, ne conficiat Instrumentum, tertia adhibenda distinctio est. Vel enim publicè, & per Edictum solenniter promulgatum id ipsi est interdictum, vel non palàm, & publicè hoc factum est. *Si primum*, non valent Instrumenta postea ab ipso confecta; quia gesta ratione publici Officij post interdictum Superioris non tenent *c. veritatis 8.* & *c. fin. de dol. & contum.* sicut etiam contractus initi à Prodigo, postquam ei per Judicem bonis est interdictum, non valent *l. is cui 6. ff. de V. O.* Ita DD. *citt.* 61

Si secundum, tenet quidem Interdictum in præjudicium Clerici, cui factum est, ut propterea privari Beneficio possit, gesta tamen valent ratione publici officij, saltem quoad partes ignorantes. Abb. *in c. ficut cit. n. 10. & 11.* Covar. *c. 19. cit. n. 8. concl. 4. ỳ. quodsi Sacerdos.* Fagnan. *n. 37. & seqq.* Pirh. *n. 28. cit.* 62

Neque dicas, prohibitionem solennem tum factam, quando Constitutio *c. ficut cit.* est promulgata; nam ea Constitutione nulla fit verè, & actu prohibitio, sed tantùm exercitium Tabellionatûs mandatur prohiberi per Superiorem. *Accedit*, quia interdictum Judicis plus efficit, quam interdictum Legis. igitur priusquam hoc à Judice fiat, Clericus tolerari videtur in Officio Tabellionatûs; ideoque valere debent gesta ratione publici Officij, licèt, si illud exerceat, puniendus sit. Bartol. *in l. universo 15. n. 2. C. de Decurion.*

Quæritur 7. an gubernationem Civitatis, Provinciæ &c. sine dispensatione Pontificia gerere possint saltem Clerici non Sacerdotes? R. non posse licitè, prout omnes advertunt. 63

Dubium 1. est, an eam absque Pontificis dispensatione gerentes Excommunicationem incurrant, quam ipso facto incurrunt Sacerdotes *c. Clericis 5. ỳ. jubemus* junct. Gloss. *fin. ibid.* Abb. *in c. cit. n. 14.* Navar. *Man. c. 27. n. 117.* Suar. *de Censur. D. 23. sect. 3. n. 22.* Wiest. *hic n. 19.* & alij passim. Affirmant Sylv. *V. Excommunicatio 9. n. 28.* Abb. *l. cit. n. 8. arg. can. de crimine 1. caus. 15. q. 5.* ubi qui principio Dia-

Diaconus, ſub finem compellatur Sacerdos; & *c. ſi quisquam 2. de cohabit. Cler. & mul.* ubi in terminis habetur, Sacerdotis nomine etiam Diaconum, & Subdiaconum comprehendi.

64 Sed dicendum, Clericos non Sacerdotes (idem de Epiſcopo ſentiendum) hujusmodi gubernationem ſuſcipiendo, & gerendo ipſo facto Excommunicationem non incurrere. Ita Suar. *de Cenſur. ſect. 3. cit. n. 21.* Henriq. *l. 12. c. 5. n. 5.* Filluc. *tr. 14. c. 7. q. 4. n. 106.* Barboſ. *in c. Clericis cit. n. 6.* Wieſt. *hic n. 20.* Ratio *de Epiſcopo* eſt, quia hic generali Conſtitutione, Cenſuram infligente, non afficitur, niſi ipſius expreſſa mentio habeatur *c. quia periculoſum 4. de ſent. Excomm. in 6.* De *cæteris clericis*; quia *c. clericis cit.* latam à ſe Cenſuram ad Sacerdotem ſolùm reſtringit; conſ. de hoc ſolo, quia Conſtitutio pœnalis eſt, intelligi debet.

Hinc ruit Argumentum oppoſitum.

Dub. 2. an, & quatenus Prælatus, vel 65
alius Clericus poſſit eſſe Conſiliarius Principis Sæcularis? R. poſſe illum eſſe Conſiliarium talis Principis, patet ex praxi: vitare tamen debet, ne conſilium, & mentem ſuam dicendo circa cauſam criminalem Irregularis fiat. Hinc ſi ab eo quæratur conſilium de imponenda pœna mortis, vel mutilationis membrorum ob delictum aliquod, conſulere quidem poteſt, ut reus abſolvatur, non autem, ut condemnetur ad talem pœnam; modò in cauſa abſolutionis non immineat periculum pœnæ talionis inferendæ Actori; nam Irregularitas contrahitur etiam ex conſilio *can. ſiquis 8. diſt. 50.* junct. Gloſſ. *V. conſilio.* Quodſi agatur ſolùm de levi pœna corporali infligenda, poteſt conſilium dari citra periculum Irregularitatis Hoſt. *in c. Clericis cit. §. jubemus* Abb. *ibid n. 9. & 10.* Barboſ. *n. 4.* Pirh. *n. 19. not. 3.*

§. III.

§. III.

De Studijs quibusdam, quæ Personis Ecclesiasticis prohibentur.

SUMMARIUM.

66. *Clericis, & Religiosis prohibetur Studium Legum, & Medicinæ.*
67. *Sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ.*
68. *Nec possunt ad hoc dare licentiam Superiores Regulares.*
69. *Ratio prohibitionis.*
70. 71. 72. 73. *Requisita, ut pœnam hanc incurrant Religiosi.*
74. *Requisita, ut eam incurrant Clerici Sæculares.*
75. *Quinam Clerici immunes à pœna hac sint?*
76. *An Religiosi, & Clerici prohibeantur etiam docere Leges, & Physicam?*
77. *Respondetur de Jure communi non prohiberi.*
78. *Secus videtur dicendum de consuetudine.*
79. *Solvuntur Argumenta oppositа.*
80. *Utrum Clerici, & Religiosi in his Disciplinis possint recipere Gradum Doctoratus?*
81. *An hic sine licentia Superioris sui à Religioso susceptus sit validus?*
82. *Defenditur affirmativa.*
83. *Respondetur ad Rationem dubitandi.*
84. *An prohibeatur etiam illa Legum auditio, quæ fit ad SS. Canones melius intelligendos?*
85. *Multæ Universitates ad hoc instructæ sunt privilegio.*
86. *Extra Germaniam in Universitatibus privilegio non instructis opus est licentiâ Apostolicâ.*
87. *An secluso hujusmodi privilegio, vel licentia, Excommunicationem incurrat etiam Religiosus, qui ad has Disciplinas audiendas egressus, easdem ob impedimentum occurrens non audit?*
88. *Respondetur affirmativè.*
89. *Nisi mutaverit animum.*
90. *Sine licentia Superioris egressus ad quæcunque Studia incurrit Excommunicationem.*
91. *Requisita ad hanc incurrendam.*
92. 93. 94. *Quæ sit pœna Doctorum, qui Religiosos, Habitu dimisso, Leges, vel Medicinam audientes, docent, vel in Scholis retinent?*
95. 96. 97. *Quam pœnam incurrant Religiosi, qui Habitum Regularem dimittunt?*

66 QUæritur 1. quænam Studia prohibeantur Religiosis, & Clericis Sæcularibus? R. prohibetur ipsis Studium Physicæ, i. e. Medicinæ, & Legum Mundanarum, sive Juris Civilis *c. non magnopere 3.* & *c. fin. v. quia verò h. tit.* adjecta pœnâ Excommunicationis in Religiosos, qui ad hæc Studia exjerint è Claustro, & ad illud infra duorum mensium spatium non redierint: & adjungitur, ut in nulla causa, si patrocinium præstare voluerint, audiantur; reversi autem in Choro, Capitulo, mensa, & cæteris omnibus ultimum locum inter Fratres habeant, & spem omnis promotionis amittant, nisi misericordiam Sedis Apostolicæ fuerint consecuti, sive cum illis fuerit dispensatum: quæ pœna confirmatur, & declaratur *c. fin. cit.* ubi eadem Excommunicatio etiam extenditur ad Clericos Sæculares.

67 Incurritur autem Excommunicatio ista ipso facto, ut constat ex *c. non magnopere cit.* ibi, *Sicut Excommunicati ab omnibus evitentur*; non tamen est reservata Papæ: unde ab illa absolvere potest Episcopus proprius, & ille, in cujus Diœcesi student, & ubi deliquerunt, ac pro tempore versantur, saltem quod attinet ad Clericos Sæculares. Abb. *in c. fin. h. tit. n. 11.* Pirh. *hic n. 36. not. 4.*

68 Neque possunt ad hoc Superiores Regulares ijdem Religiosis suis dare licentiam; tum quia inferiores Papâ non possunt dispensare in Legibus Canonicis, præsertim in Decretis Concilij Generalis, nisi speciali-

ter id eis concessum sit; tum quia *in c. non magnopere cit.* dicitur, *Nulli omnino -- permittantur exire*, per quam vocem omnis omnino dispensatio videtur prohiberi. Abb. *in c. 3. h. tit. n. 5.* Suar. *de Censur. D. 23. sect. 3. n. 13.* Pirh. *n. 33. not 5.*

69 *Ratio prohibitionis* duplex refertur: una *c. non magnopere cit.* ne viri Spirituales occasione scientiæ mundanis rursum actionibus involvantur; altera *c. fin. cit.* ne cupiditate discendi Scientias tam honorificas, & quæstuolas avertantur à SS. Thologiæ studio, prout factum est tempore Constitutionis *c. fin.* relatæ, Sub Theologia autem hoc loco comprehenditur etiam Jus Canonicum; quia Scientia Canonica est pars Divinæ *c. qualiter 24. de Accusat.* & æquè utilis est Ecclesiæ DEI, quàm Theologia. Abb. *in c. fin. cit. n. 7.* Fagnan. *in c. non magnopere cit. n. 15.* Pirh. *n. 35.*

70 Quæritur 2, quibusnam sit vetitum audire Medicinam, & Leges Civiles? R. 1. & ante cæteros id prohibetur Religiosis *c. non magnopere 3.* & *c. fin. h. tit.* 2. Archidiaconis, Decanis, Plebanis, & similibus Clericis, Dignitatem, vel Personatum obtinentibus *c. fin. cit.* & *c. statutum 1. eod. in 6.* 3. Presbyter quibuscunque *c. fin. cit.*

71 Ut Religiosi pœnas his Juribus statutas incurrant, tria debent concurrere. 1. ut talis sit verè Religiosus, seu adstrictus Votis substantialibus: quòd innuitur per verba, *Post Votum Religionis*, & *post factam in aliquo loco Religioso Professionem.* Estque perinde, sive

ſive talis Religioſus ſit Profeſſus, ſive ligatus ſolùm Votis ſimplicibus, ut in Societate JESU ſunt Scholaſtici approbati. Pirh. *n. 31.*

72 2. Etiam requiritur, ut vel hac intentione egrediatur è Monaſterio, vel ex alio fine egreſſus, extra illud perſeveret animo navandi operam Medicinæ, & Juri Civili. Abb. *in c. non magnopere cit. n. 8.* Suar. *de Cenſur. D. 23. ſect. 3. n. 15.* Pal. *tr. 29. D. 3. p. 32. n. 4.* Filliuc. *tr. 14. c. 8. q. 2. n. 127.* Pirh. *hìc n. 31. not. 2.* Wieſtner *ibid n. 22.* Quare ſi non exeant, ſed intra Clauſtra ſua Jus Civile, vel Medicinam audiant, aut eis ſtudeant privatim, non incurrunt Excommunicationem, aliásque pœnas ſtatutas; quia Conſtitutio pœnalis non debet extendi ultra propriam verborum ſignificationem, ſed potiùs reſtringi. Innoc. *in c. fin. cit. pr.* Abb. *ibid. n. 3.* Vivian. *in Ration. in fin.* Fagnan. *n. 22. & 35.* Barboſ. *n. 3.* Mendo *de Jur. Acad. l. 2. q. 30. n. 355.* Pellizar. *Man. Regul. tom. 1. tr. 6. c. 14. n. 13.* Pirh. *hìc n. 31. not. 2.* Reiffenſtuel *n. 9. ibid.* Vincent. Petra *tom. 4. Comment. fol. 356. n. 7.* Probabile etiam eſt, ab Excommunicatione, & alijs pœnis per Jura allegata latis, immunem eſſe Religioſum, qui exit quidem è Monaſterio ad audiendas has ſcientias, ſed extra Clauſtrum non moratur, quia ſolùm publicam Academiam accedit, ita tamen, ut quotidie ad Clauſtrum redeat; quia verba illa textûs, *Si ad Clauſtrum ſuum intra duorum menſium ſpatium non redierint*, indicant, quòd debeant exire ad audiendum, ita, ut habitent extra Clauſtrum, & duobus menſibus extra illud verſentur: quod non fit, ſi ſolùm exeant ad audiendum, & quotidie ad Clauſtrum revertantur, debent autem verba Legis pœnalis accipi in ſenſu proprio. Ita Suar. *ſect. 3. cit. n. 11. & 12.* Barboſ. *in c. 3. h. tit. n. 6.* Pirh. *n. 32. not. 3.* Schamb. *n. 10.*

73 3. Requiritur, ut poſtquam è Clauſtro ſuo egreſſus Religioſus eſt, & ad Diſciplinarum illarum ſtudium adjecit animum, intra duorum menſium ſpatium ad Monaſterium ſuum non ſit reverſus. Abb. *in c. fin. cit. n. 8.* Suar. *ſect. 3. cit. n. 16.* Bonacin. *de Cenſur. D. 2. q. 8. p. 7. n. 11.* Hinc ſi hujusmodi Religioſi ante elapſum hoc tempus reverſi fuerint, non incurrent Excommunicationem, & alias pœnas. Pirh. *n. 31. not. 2. fin. & n. 32. not. 4. fin.* *Neque obſtat*, quòd in *c. non magnopere cit.* dicatur, Excommunicationem ipſo facto incurri; nam hoc intelligi debet, non quòd ipſo facto incurratur poſt exitum è Clauſtro, ſed poſt elapſum tempus bimeſtre, ut ex contextu ſatis patet. Fagnan. *in c. fin. cit. n. 45.* Pirh. *n. 33. not. 6.* Debet autem bimeſtre hoc computari à tempore exitûs è Clauſtro ad audiendas iſtas Diſciplinas, & non à tempore, quo illas cœperunt audire; quia poteſt incurri Cenſura hæc, etiam antequam eas audire cœperint, ut *infrà n. 88.* dicetur. Abb. *in c. fin. cit. n. 8.* Suar. *n. 16. cit.* Barboſ. *in c. non magnopere cit. n. 10.* Fagnan. *ibid. n. 9.* & *in c. fin. n. 46.* Honor. *hìc n. 11.* Pirh. *not. 6. fin.* Vincent. Petra *tom. 4. cit. fol. 356. n. 7.*

Ut pœna Excommunicationis incurra 74
tur à Clericis Sæcularibus, ſufficit, ubivis audiant Leges, vel Medicinam, etiam in proprijs domibus; nam eis, qui Regulares non ſunt, & Clauſuram non habent, aptari non poſſunt verba illa textûs *de Clauſtris exeuntes.* Fagnan. *in c. fin. cit. n. 33.* Petra *l. cit. n. 8.* Debétque tempus duorum menſium in his computari ab eo tempore, quo incipiunt audire hujusmodi facultates, cùm computatio aliunde incipere non poſſit, ut patet ex modò dictis. Suar. *ſect. 3. cit. n. 19.* Pirh. *n. 35. not. 2.* Petra *n. 8.* cum alijs.

Immunes inter Clericos Sæculares à 75
pœna ſunt 1. Rectores Eccleſiarum Parochialium, niſi Presbyteri ſint, aut Eccleſiæ, quas regunt, Plebaniæ ſint, habentes ſub ſe Capellas minores, quibus Vicarij perpetui præponantur; tales enim, uti & cæteri Parochiarum Rectores, ſi Dignitatem, vel Perſonatum ex diſpenſatione obtineant, Leges audire etiam ipſi prohibentur, non quidem ratione ſuarum Eccleſiarum Parochialium, ſed ratione Dignitatis, vel Perſonatûs *c. ſtatutum 1. h. tit. in 6.* junct. Gloſſ. *ibid. V. ratione.* 2. Clerici inferiores, & Diaconi, vel Subdiaconi, & multo magìs in Ordinibus minoribus conſtituti, qui Dignitatem, & Perſonatum non habent; nam ad hos *c. ſtatutum cit. §. quia verò*, nulla fit extenſio: ac proinde Leges, & Medicinam audire poſſunt. Ugolin. *de Offic. Epiſc. §. 3. except. 1.* Suar. *ſect. 3. cit. n. 19.* Pirh. *n. 35. except. 2.* Schambog. *n. 11.* 3. ij Clerici, qui à Papa licentiam obtinuerunt audiendi Jus Civile, vel Medicinam, quam ſolus Papa dare poteſt. Ugolin. *l. cit. except. ult.* Pirh. *excepti. 4.*

Quæritur 3. an *c. non magnopere*, *c. fin.* 76
& *c. ſtatutum citt.* dicti Clerici, & Religioſi etiam prohibeantur Phyſicam, & Leges docere? Affirmant Hoſt. *in c. fin. cit. n. 3.* Ancharan. *ibid. n. 3.* Sylv. *V. Excommunicatio 9. n. 26.* Rebuff. *de nominat. q. 5. à n. 18.* Menoch. *de arbitr. caſ. 425. n. 33.* Gambar. *de Offic. Legat. tit. de var. Ordin. nom. n. 288.* Mandoſ. *de Signatur. Grat. tit. de Diſpenſ. ad audiend. Leg.* Pellizar. *tom. 2. Man. Regul. tr. 8. c. 5. ſect. 2. n. 46.* & alij, id deſumentes ex *c. non magnopere cit.* ibi, *Ne ad Phyſicam, Legésve mundanas legenda; permittantur exire.* Rationem dant, quia ratio contra docentem eadem militat, quæ contra diſcentem; nam docendo, & diſcendo Spirituales mundanis negotijs involverentur.

Sed magìs recepta doctrina cum Abb. 77
in c. fin. cit. n. 16. Navar. *Man. c. 27. n. 126. ỳ. 6.* Suar. *de Cenſur. D. 23. ſect. 3. n. 17.* Tolet. *Summ. l. 1. c. 38. n. 16.* Bonacin. *tom. 1. tr. de Clauſur. p. 7. n. 9.* Mancin. *Sacr. Jur. contr. diſſert. 27. per totam*, Mendo *de Jur. Academ. l. 2. q. 30. n. 360.* & *q. 31. n. 378.* Barboſ. *l. 3. Voto 88. à n. 7.* & *in c. non mag-*

nopere cit. n. 5. Gonzal. *ibid. n. 5.* Vincent. Petra *tom. 4. comment. fol. 359. n. 20.* Pirh. *hic n. 37. fin.* Schambog. *n. 12.* Wieſtner *n. 25.* Reiffenſtuel *n. 10.* docet poſſe Clericos, & Regulares per ſe, & ſpectato Jure communi docere Medicinam, & Jus Civile. *Ratio eſt*, quia in jure communi nulla de hoc extat prohibitio; neque propter infrequentiam casûs apparet ratio ſpecialis hoc prohibendi: ac proinde locus eſt *arg. can. conſuluiſti 20. cauſ. 2. q. 5.* & *can. fin. cauſ. 31. q. 1.* Accedit, quia diſcere Leges, & Medicinam Clericis, ac Religioſis publicè prohibitum eſt ob rationem, quia tempore, quo Honorius III. Conſtitutionem *c. fin. cit.* relatum edidit, frequentiſſimè ad iſtas audiendas convolabant, & ſic SS. Theologiæ Studium negligebant, quod ea Conſtitutione Pontifex ampliatum voluit, atqui hæc ratio non pugnat in docentibus, cùm qui Legum ſcientiam ad docendum ſufficientem privato ſtudio comparent in Religione, vel antè comparatam ad hanc ferant, pauciſſimi ſint, ut probè advertit Fagnan. *in c. cit. à n. 43.*

78 Dixi *ex ſe*, & *ſpectato Jure communi*; nam has ſcientias docere publicè Clericis, & Religioſis ex alijs capitibus illicitum reddi poteſt, ſi ſcilicet id Clericis prohibeatur Statuto Diœceſano, vel Religioſis per Conſtitutiones peculiares ſui Ordinis: unde in hoc conſulendæ ſunt Conſtitutiones cujusque Religionis, & Prælatorum præcepta, ac conſuetudines præſcriptæ. In communi autem loquendo, ut Mendo *q. 30. cit. n. 361.* notat, id videtur ſaltem conſuetudine prohibitum, ut Religioſi Medicinam, & Jus Civile non doceant, nec Cathedras in his Scientijs moderentur, cùm eorum non ſit proprium ejusmodi ſtudium, nec aptum ad finem, qui in Religionibus intenditur; & aliquam indecentiæ ſpeciem reſpectu Habitûs Religioſi præferat, quòd quis hujusmodi Scientijs, maximè Medicinæ, & Chirurgiæ edocendis incumbat.

79 Argumentum ſumptum ex *c. non magnopere cit.* verbo *Legendas* leve eſt; quia ut *l. cit.* explicant *Mancinus*, *Mendo*, *Barboſa*, *Gonzalez*, & alij apud iſtos, verbum *Legendas* hìc idem ſonat, quod *Audiendas*, vel *diſcendas*, prout clarè deſumitur ex *c. fin. cit. pr.* ubi Honorius diſertè aſſerit, in *Concil. Turonenſ.* cujus Decretum *c. non magnopere cit.* continet, prohibitum fuiſſe exitum è Clauſtris *ad audiendum Leges*, *vel Phyſicam*: quod verum non eſſet, ſi in priori textu Verbum *Legendas* non alium ſenſum, quàm ſonum haberet, & non diſcendo, ſed docendo legentes denotaret. *Ad Rationem* adjectam jam oſtenſum eſt, diverſitatem eſſe inter docentes, & audientes, cùm hi fuerint frequentiſſimi, illi pauciſſimi. Accedit, quia docentes non ita implicantur negotijs Sæcularibus, ut diſcentes, qui plerumque malo, ut fori negotijs implicentur, illi bono Zelo ad ſcientiam adeo Reip. neceſſariam communicandam moveantur.

Quæritur 4. utrum Clerici, & Regulares recipere poſſint Gradum Doctoratûs in Jure Civili, & Medicina? 80 Negat *Rebuffus* relatus à Pellizario *Man. Regul. tom. 2. tr. 8. c. 5. ſect. 2. n. 57.* ſed contrà torrentem Doctorum; nam poſſe ad Gradus hos promoveri Clericos, & Religioſos, ſi ſcientias has ante Clericatum, vel Profeſſionem didicerint, iſtos quidem cum licentia ſuorum Prælatorum, illos verò etiam ſine licentia ſui Ordinarij cum *Felin. Calder. Salzed. Emman. Rodriq.* & communi DD. concedunt Sanch. *l. 6. mor. c. 14. n. 45.* Pellizar. *n. 57. cit.* Mendo *de Jur. Acad. l. 2. q. 30. n. 360.* & *q. 31. n. 379.* Fagnan. *in c. non magnopere cit. n. 8.* Barboſ. *in c. fin. cit. n. 4.* Wagnereck *ibid. not. 3.* Pirh. *hic n. 38.* Vincent. Petra *tom. 4. comment. fol. 360. n. 22.* Sequitur ex dictis *n. 77.* ſi enim docere has diſciplinas poſſunt, etiam Gradum ex ijs recipere poterunt, utpote qui præſtat publicum teſtimonium ſufficientiæ, & habilitatis ad docendum. Addit tamen Mendo *n. 382.* licentiam ſuſcipiendi Gradum Doctoratûs ex Jure Civili, & Medicina à Superioribus Regularibus non niſi raro eventu, & ſpecialibus concurrentibus circumſtantijs, quæ actionem honeſtent, poſſe tribui; quia omnes illæ rationes, ob quas *ſuprà n. 78.* docui, quòd Regularibus de facto non liceat docere Jus Civile, & Medicinam, quamvis à Jure non prohibeantur, pariter probant, non licere, ut à ſuis Prælatis concedatur licentia docendi, & conſ. nec aſſumendi Gradum Doctoratûs in præfatis Facultatibus, cùm Gradus, ut paulò antè innui, ad docendum ordinetur.

An verò Gradus Litterarius, à Religioſo ſine licentia Superiorum ſuorum ſuſceptus, validus ſit, dubium moveri poteſt. *Rationem dubitandi* facit, quod ex *Emman. Rodriq.* Mendo *l. cit. n. 384.* affert, Decretum Innocentij VIII. ſtatuentis, ut nullus Frater Ordinis Prædicatorum Reformatorum, ſive de Obſervantia Provinciæ, ſive Congregationis Hiſpaniæ, niſi per Capitulum dictæ Congregationis ſit expoſitus, præſumat ad Gradum Magiſterij in Theologia promoveri, & ſecus agens pro non promoto habeatur, & cenſeatur, inhabilisque fiat ad Gradum prædictum. 81

Sed dicendum cum Mendo *n. 383.* & alijs, licèt talis Religioſus, Gradum Doctoratûs recipiens ſine licentia Superiorum ſuorum, illicitè operetur, ipſum tamen Gradum ſuſceptum eſſe validè, dummodo nullum deſit eſſentiale requiſitum. *Ratio eſt*, quia valor Gradûs non conſtituitur 82

tur ex licentia Prælati, utpote quæ ad valorem actûs nunquam requiritur, niſi ubi expreſsè hoc conſtitutum eſt. Patet iſtud ex plurimis exemplis obvijs; ſic enim validè ſuſcipit Ordines, & Confeſſiones audit Religioſus aliunde ad iſtas audiendas approbatus, licèt hoc faciat abſque licentia ſui Prælati, vel etiam contra prohibitionem iſtius &c.

83 *Ad Rationem dubitandi* per illud Decretum appoſitum fuit requiſitum eſſentiale ad valorem Gradûs, quod cùm pœnale ſit, ad alios Regulares, in quibus ſimile Decretum irritans non habetur, extendi non debet: & procedit hoc etiam in ijs Regularibus, qui cum Ordine Prædicatorum laudato communicant in privilegijs; quia communicatio in favorem Ordinum conceſſa eſt, atque adeo Ordines cæteri communicant ſolùm in favoribus, & non in pœnis. Unde ut etiam in iſtis ſuſceptio Gradûs, ſine licentia facta, valore careat, opus eſt, ut ſimile habeatur Decretum irritans, & quidem Pontificium; cùm enim poteſtas concedendi Gradus dimanet à Pontifice, & à Supremo Principe, Prælatus Regularis ſubditos ſuos ad illum accipiendum non poteſt reddere incapaces, ut notat Mendo *l. cit. n. 386.*

84 Quæritur 5. an Juribus hactenus allegatis prohibeatur etiam illa Legum auditio, quæ fit ad SS. Canones meliùs intelligendos? Affirmant aliqui moti generalitate textuum, indiſtinctè prohibentium auditionem Legum Clericis, & Religioſis. Negant. Hoſt. *in c. fin. h. tit. n. 3.* Abb. *ibid. n. 8.* Barboſ. *n. 7.* König *hic n. 6.* Rationem dant; quia Clericis, & Religioſis valdè conveniens, imò neceſſaria eſt ſcientia SS. Canonum: undè cum permiſſo uno, etiam permiſſum cenſeatur id, ſine quo illud comparari non poteſt, permiſſo ſtudio Canonum, etiam permiſſum cenſebitur ſtudium Legum Civilium; quia per harum ſcientiam illud faciliùs comparatur, imò ſine illo rite comparari nequit juxta illud Baldi *in Præm. Decret.* ubi, *Leges*, inquit, *ſine Canone valent parum, Canones ſine Lege nihil.* Alij diſtinguunt, & quamvis negent poſſe Clericos, & Religioſos audire Leges publicè, concedunt tamen, quòd ad meliùs intelligendos SS. Canones poſſint Juri Civili ſtudere privatim. Abb. *in c. fin. cit. n. ult.* Fagnan. *ibid. n. 32. & 36.* Zoeſ *hic n. 3. fin.* Engl *ibid. n. 6.* Pirh. *n. 35. except. 3.* Schambog. *n. 11.* Rationem dant, quia Canones hactenus *citt.* pœnales ſunt, conſ. extendi non debent ad eos, qui privatim ſtudent, ſed non publicè in Scholis audiunt. *Neque obſtat* verbum *Student* poſitum *in c. fin. cit.* quia intelligi debet de publicè ſtudentibus, adeoque de his, qui ſtudent in Scholis audiendo, prout indicant illa verba, *In quorum Diœceſibus in hujusmodi ſtudent &c.*

85 Quidquid ſit de Jure ſcripto, ſumma Legum utilitas, vel neceſſitas ad rite intelligendos SS. Canones occaſio fuit pluribus Univerſitatibus conceſſi Privilegij Apoſtolici, quo audire Leges in iiſdem etiam Clerici, ac Religioſi poſſunt: & tale Privilegium habet Archigymnaſium Sapientiæ Romæ, teſte Vincent. Petra *tom. 4. comment. fol. 398. n. 13.* & apud hunc S. Congr. Concil. *in Romana, ſeu Nicoterenſi Legati 14. Febr. & 30. Maij 1699.* Studium Patavinum, & Senarum teſte Lotter. *de re Benefic. q. 27. n. 207.* Univerſitates Salmantina, Piſana, Pictavienſis, teſte Gonzal. *in c. 3. h. tit. n. 4.* Lovanienſis teſte Zoeſio *h. tit. n. 4.* Salisburgenſis teſte Engl *ibid n. 6.* noſtra Ingolſtadienſis teſte Wieſtner *n. 27.* & aliæ apud alios. Quæ privilegium iſtud non habent Indulto Apoſtolico, iſtud in Germania noſtra acquiſiviſſe videntur conſuetudine, cùm in hac Clerici, & Religioſi ad utriuſque Juris Studium paſſim admittantur.

86 Addidi *in Germania noſtra*, nam in alijs Provincijs, & Regnis, in quibus ſimilis conſuetudo non viget, ut in Univerſitatibus Clerici, & Religioſi cuivis Studiorum Facultati liberè vacare poſſint, neceſſariè petitur licentia à S. Congr. quæ tamen difficulter illam concedit. Certè Petra *l. cit. n. 16.* teſtatur, ejuſmodi Supplicationes, ſe Secretario, ſemper fuiſſe rejectas, præſertim quoad Religioſos, in quibus eodem teſte nunquam diſpenſari ſolet, ut in publicis Univerſitatibus Leges, & Phyſicam, ſeu Medicinam audire poſſint.

87 Quæritur 6. an hujuſmodi Privilegijs ſeclusis, Excommunicationem *c. citt.* latam incurrat etiam Religioſus, qui ad Leges, vel Phyſicam audiendam egreſſus eſt Monaſterio, ſed ob interveniens impedimentum Diſciplinis illis non vacat? Negant Cajetan. *in Summ. V. Excommunicatio c. 50.* & Filliuc. *tr. 14. c. 8. q. 2.* ex ratione; quia Religioſis *citt.* textibus prohibitus eſt egreſſus è Monaſterio non propter ſe, ſed propter Legum, ſeu Medicinæ Studium, ac proinde Excommunicatio ijs lata ſine illarum ſtudio non incurritur.

88 Sed tenenda eſt Sententia affirmativa, quam etiam defendunt Abb. *in c. non magnopere 3. h. tit. n. 8.* Suar. *de Cenſur. D. 23. ſect. 3. n. 14.* Bonacin. *tom. 1. tr. de Clauſur. p. 7. n. 6.* Pal. *tr. 29. D. 3. p. 32. n. 4.* Barboſ. *in c. 3. cit. n. 9.* Pirh. *hic n. 32. not. 4.* Wieſtner *ibid n. 27.* Ratio eſt, quia *citt.* textibus Religioſis prohibitus eſt egreſſus è Monaſterio animo audiendi Leges, vel Medicinam, ſi intra bimeſtre non revertantur: quod totum in caſu propoſito verificatur, ſaltem ſi talis Religioſus intra duorum menſium ſpatium animum dandi operam Scientijs illis non mutavit.

89 Aliud eſt, ſi Religioſus poſt egreſſum è Monaſterio mutavit propoſitum audiendi Scientias prohibitas; tum enim, etſi foris maneat ultra duos menſes, ut audiat

scientias permissas, v. g. Jus Canonicum, vel Theologiam, aut etiam ut liberè vagetur, probabile est non incurrere Excommunicationem, aliásque pœnas textibus *citt.* latas. Abb. *in c. fin. h. tit. n. 9.* Suar. *de Censur. D. 23. sect. 3. n. 15.* Pirh. *not. 4. cit.* Ratio est, quia verba Legis, præsertim pœnalis, cùm effectu intelligi debent *l. hoc edictum 1. §. hæc autem ff. quod quisque Juris &c.* atqui Religiosus in casu proposito revera non audit Disciplinas profanas sibi prohibitas, etiamsi non redeat ad Monasterium, ergo &c.

90 Addidi *Excommunicationem, aliásque pœnas textibus citt. latas;* nam si sine Prælati licentia, & consilio Conventûs egressus Monasterium sit ad studendum, & extra Claustra Religionis suæ moretur, etiam Habitu non dimisso, Excommunicationem incurrit ipso facto, latam *c. ut periculosa 2. h. tit in 6.* *Proceditque hoc*, etsi in Disciplinas etiam aliàs permissas, ut Theologiæ, vel Juris Canonici incumbat, si ad ea se Religiosus conferat extra Claustra in alium locum ad habitandum; quia textus expresè dicit *Ad quævis studia.* Sanch. *l. 6. mor. c. 8. n. 73.* Pirh. *n. 44. hic.* Dixi *extra claustra in alium locum ad habitandum;* nam si egrediatur quidem extra Claustra ad audiendum, & non ad habitandum extra illa, vel proficiscatur quidem aliò ad studia, sed habiturus in Conventu sui Ordinis, pœna hujus textûs eum non tangit; quia non habitat extra Claustrum suæ Religionis, in quod factum duntaxat pœna Excommunicationis *c. ut periculosa cit.* lata est.

91 Quare, ut Excommunicatio hujus *cap.* incurratur, tria requiruntur. 1. ut Religiosus egressus sit extra Claustra suæ Religionis non tantùm ad ibi audiendas Disciplinas quascunque, sed etiam ad ibi habitandum, ut *n. præc.* dictum est. 2. ut egressus sit sine licentia Prælati sui: ubi quis Prælatus dare licentiam istam possit, colligendum est ex particularibus Religionum Statutis; nam alicubi licentia proficiscendi ad habitandum extra Claustrum est reservata Generali, vel Provinciali. 3. Ut accedat etiam consensus Conventûs, si licentiam habitandi extra Claustra studiorum causâ concedat Prælatus immediatus, ut notant Sanch. *c. 8. cit. n. 82.* Barbos. *in c. 2. cit. n. 12.* Pirh. *n. 44. cit. not. 2.* *Neque obstat*, quòd *in c. cit.* non fiat mentio consensûs Capitularis; quia saltem fit mentio consilij, & Conventûs in hoc, sicut in alijs rebus arduis exequendis est Collega, & particeps Officij Prælati, quando autem consilium est petendum ab aliquo, tanquam Collega, & participe Officij, illud idem est, quod consensus; nam necessariò sequendum est. ergo &c.

Quæritur 7. quæ sit pœna Doctorum, 92 & Magistrorum, qui Religiosos, habitu dimisso, Leges, vel Medicinam audientes, scienter docent, aut in Scholis suis retinere præsumunt? R. ipso facto incurrunt Excommunicationem, prout habetur *c. ut periculosa cit. in fin.* Ut verò Excommunicatio hæc incurratur, requiritur.

1. Ut Religiosi tales audiant Leges, vel Medicinam; secus, si alias scientias non prohibitas. Pirh. *hic n. 45. pr.*

2. Ut habitu dimisso, his Studijs vacent; nam si habitu retento, audiant has Disciplinas, Excommunicatio *c. cit.* statuta à Magistris docentibus non incurritur, sed alia lata *c. nuper 29.* & *c. concubinæ 55. de sent. Excomm.* contra participantes cum Excommunicato. Barbos. *in c. cit. n. 19.* Pirh. *l. cit. requis. 1.*

3. Ut Magistri scienter Religiosos do- 93
ceant, vel retineant; quia in *c. cit. fin.* requiritur scientia, & præsumptio, ac proinde, si ex ignorantia, etiam culpabili, & crassa, modò non sit ita affectata, aut ita crassa, ut ingens temeritas dici possit, hoc fiat, non incurrent hanc Excommunicationem. Suar. *de Censur. D. 23 sect. 4. n. 39.* Sanch. *l. 6. mor. c. 8. n. 100.* Barbos. *l. cit. n. 18.* Pirh. *requis. 2.*

4. Ut doceant, vel retineant, positivè concurrendo, puta rogando, consulendo, defendendo sua authoritate, vel favore, aut violentiâ aliquâ cogendo, ut in Scholis Religiosus permaneat. Suar. *sect. 4. cit. n. 36.* Filliuc. *tr. 14. c. 4. q. 11. n. 63.* Mendo *de Jur. Acad. l. 2. q. 30. n. 356.* Barbos. *in c. 2. cit. n. 17.* Non autem tenetur ipse Doctor Religiosum per vim expellere, nisi sit Rector Universitatis, cui ex officio incumbit expellere, vel aliunde sit Jurisdictione præditus: nec tenetur ideo intermittere officium suum docendi, si non exeat, sed potest eum tolerare, & permissivè se habere. Suar. *n. 40.* Sanch. *n. 97. & 98.* Barbos. *n. 17. cit. & n. 22.* Pirh. *n. 46. requis. 3.*

5. Quamvis docentes sine limitatione, 94
sive in Scholis, sive extra scholas hoc faciant, incurrant Censuram istam, ut patet ex textu, ut tamenij, qui non docent, sed retinent tantùm, propterea Excommunicatione hac afficiantur, necesse est, ut Religiosos ejusmodi retineant in Scholis. Franc. *in c. 2. cit. §. fin. n. ult.* Sanch. *n. 39.* Suar. *n. 40.* Pirh. *l. cit.*

6. Denique ij, qui sic retinentur, vel docentur, debent esse Religiosi; nam qui Leges, vel Medicinam docent, aut in Scholis hujusmodi retinent Clericos Sæculares, Excommunicationem hanc non incurrunt; quia in *c. 2. cit.* sermo est de solis Religiosis, & Lex pœnalis extendi non debet ad personas non expressas. *Neque obstat*, quòd alàs Lex pœnalis loquens in uno ex casibus Jure antiquo æquiparatis debeat extendi ad alterum, in quo est eadem ratio; quia hoc solùm intelligendum est, si in utroque casu sit eadem qualitas, in qua æqui parantur: quod non contingit in casu præsenti. Franc. *in §. fin. cit. not. 1.* Sanch. *n. 91.* Pirh. *n. 46. cit. v. denique.*

Quæ-

95 Quæritur 8. quam pœnam incurrant, qui Habitum Regularem dimittunt? ℟. incurrunt Excommunicationem ipſo facto *c. ut periculoſa 2. h. tit. in 6.* Ad quod requiritur.

1. Ut Religio, quam profitetur talis Religioſus, habeat certum Habitum. Hinc ut Sanch. *l. 6. mor. c. 8. n. 70.* Pirh. *n. 41. coroll. 7.* notant, Religioſi Societatis JESU non incurrunt hanc Excommunicationem, etiamſi Habitu dimiſſo, induant Sæcularem, etiam ſine cauſa ſufficiente; quia *c. cit.* loquitur de Profeſſis dimittentibus Habitum ſuæ Religionis, & ſic ſupponit, quòd Religio proprium Habitum habeat. talem autem non habet Societas, ſed utitur Habitu communi Clericali.

2. Ut Religioſus exiens è Monaſterio Habitum deponat. Hinc qui eo retento fugit è Monaſterio, quamvis Apoſtata fiat, hanc tamen Excommunicationem non incurrit; quia hæc non in Apoſtatas, & fugitivos, ſed in eos lata eſt, qui Habitum temere dimittunt, etiam ſine animo apoſtatandi. Leſſ. *l. 2. de Juſt. c. 41. n. 109.* Sanch. *c. 8. cit. n. 45. & 46.* Barboſ. *in c. 2. cit. n. 5. coroll. 2.* Pirh. *coroll. 1.*

96 3. Ut tempus, ad quod Habitum deponit, non ſit admodum breve; quamvis enim ad incurrendam Excommunicationem hanc non requiratur, ut ille deponatur in perpetuum, ſed ſufficiat, ſi ad tempus, ut patet ex *c. 2. cit.* ubi excommunicantur, qui Habitum dimittunt in Scholis, quæ non ſolent eſſe perpetuæ: debet tamen hoc tempus eſſe tantum, ut moraliter loquendo cenſeri poſſit Religioſus dimiſiſſe Habitum; aliàs non incurretur Cenſura iſta, licèt exuatur Habitus ex cauſa turpi, e. g. ut fornicetur, ut clàm furetur &c. Azor *p. 2. l. 10. c. 17. q. 9. ỳ. ſi roges.* Sanch. *n. 56. & 57.* Barboſ. *n. 8.* Pirh. *coroll. 2.*

4. Ut habitus totus dimittatur; nam ſi dimittatur tantùm pars aliqua, modò per partem, quæ retinetur, ſatis adhuc cognoſci Religioſus poſſit, Excommunicatio hæc non incurritur. Suar. *D. 23. de Cenſur. ſect. 4. n. 28.* Pirh. *40.* Contrà illam incurrit, qui Habitum quidem retinet, ſed ita occultat ſine juſta cauſa, ut exteriùs nullo modo appareat, neque cognoſci poſſit, cujus Ordinis Religioſus ſit; quia moraliter, & in effectu idem eſt, acſi illum dimiſiſſet. *Neque obſtat*, quòd hæc Lex pœnalis ſit; nam etiam Leges pœnales extendi debent, quando aliàs eluſoriæ forent: imò tunc non eſt extenſio, ſed tacita incluſio. Azor *l. cit. q. 10.* Suar. *n. 34.* Sanch. *n. 63.* Barboſ. *coroll. 3.* Pirh. *coroll. 4.*

5. Ut dimiſſio Habitûs ſit temeraria. 97 Hinc Excommunicationem non incurrit, qui Habitum mutat ex juſta cauſa: imò qui etiam ex ignorantia culpabili, eáque craſſa, modò non ſit affectata; quia temeritas dicit præſumptionem, & quaſi contemptum Legis. Suar. *n. 29.* Sanch. *n. 43.* Barb. *n. 8.* Pirh. *n. 40. requiſit. 2.* Et propterea aliqui apud Barb. *n. 8. cit. fin.* excuſant illum, qui depoſito Habitu Religionis ſuæ, aſſumit Habitum alterius, ad quam vult tranſire: ſed malè: nam etſi tranſire ad Ordinem ſaltem ſtrictiorem liceat, ante actualem tamen tranſitum habitum Religionis, in qua actu quis Religioſus eſt, non poteſt deponere.

Quæritur 9. quomodo puniendi ſint 98 Religioſi incorrigibiles? ℟. de hoc ita ſtatutum habetur *c. relatum 7. h. tit.* Monachi, qui ſæculariter vivunt, & alios exemplo ſuo corrumpunt, ad obſervantiam Regularem, appellatione remota, compelli debent. Quodſi auſu temerario reſtiterint, illis ejectis, Fratres alterius Ordinis (ſi non poteſt Monaſterium ex Religioſis ejuſdem Ordinis reformari) in illud inducendi ſunt, ut vel in perpetuum ibi maneant, ſi priores Monachi in perpetuum ſint expulſi; vel ad tempus ſolùm, donec illi, qui ob incorrigibilitatem ejecti ſunt, rubore tandem perfuſi, ad ſui Ordinis obſervantiam revertantur. Ita Alexander III. *in c. relatum cit.* Porro quis ordo in reformatione Domuum Religioſarum obſervari debeat, dictum ſatis eſt *ſuprà tit. 36. n. 26.* quem tamen Ordinem, ut *ibidem n. 27.* addidi, obſervare Papa non obligatur.

Finis Libri III. Decretalium.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX RERUM ET VERBORUM.

NUMERUS MAJOR TITULUM, MINOR NUMERUM TITULI INDICAT.

A.

Abbas.

Admittit ad Professionem Religiosam cum consensu Capituli. XXXI. 184.

Ex Privilegio Apostolico consecrare potest Altaria, Calices, & Paramenta Sacra. V. Consecratio, Calix, Altare, Paramenta.

Ejus potestas circa Vota suorum Regularium. V. Votum.

Circa Reductionem Missarum. V. Reductio.

Circa cæteram Jurisdictionem. V. Prælati.

Abbatissa.

An admittere ad Professionem suas Moniales possit? XXXI. 186

An irritare illarum Vota? XXXIV. 86

An Moniales illi obedire teneantur ex vi Voti Obedientiæ? XXXV. 59

Absolutio.

A quo absolvi possit, & debeat Excommunicatus in articulo mortis, ut gaudere possit Sepulturâ Ecclesiasticâ? XXVIII. 61. 62. 63

Acta.

V. Testamentum ad Acta conditum. Administratio.

Clericis prohibentur Administrationes in rebus Laicorum. L. 36

Adoptio.

Quando Testamentum rumpatur Adoptione, vel Arrogatione? XXVI. 174

An rumpatur etiam quoad Pia Legata? 175

Filij Arrogati, & Adoptati quomodo succedant ab intestato? V. Liberi, Successio ab intestato.

In quo loco sepeliendi sint Adoptivi? XXVIII. 31

Advocatio.

Quid sit Advocatia Ecclesiæ, & quibus competat? XXXVIII. 100

Ætas.

Requisita ad Novitiatum. V. Novitiatus.

Requisita ad Professionem. V. Professio.

Agnatio Posthurni.

Quando Testamentum rumpatur Agnatione Posthumi? XXVI. 171

An etiam quoad Legata? 172

Triplex Exceptio. 173

Testamentum militis de Peculio Castrensi vel quasi Castrensi ejus Arrogatione non rumpitur. 179

Altare.

Quotuplicis generis sint Altaria? XL. 31

Cujus debeant esse formæ? 32. 33. 34

An omnia Altaria debeant esse consecrata? 35

Quale peccatum committat, qui Missam celebrat sine Altari consecrato? 36

A quo consecranda Altaria sint de Jure? 37

De Privilegio Apostolico quinam id possint? 38

An Abbas facultate consecrandi Altaria, per privilegium Apostolicum sibi concessa, uti possit etiam in alijs Ecclesijs ex commissione Episcopi? 39. 40. 41

Quibus casibus repeti consecratio Altaris possit? 42

Quando exsecretur Altare? 43. 44. 45

An Ecclesia iteratò sit consecranda, quando Altare fuit exsecratum; & vicissim, an Altare de novo sit consecrandum, quando Ecclesia fuit exsecrata? 46

Quid dicendum, quando Ecclesia, vel Altare fuit pollutum? 47

Apostatæ.

Quinam dicantur Religiosi Apostatæ? XXXI. 266

Discrimen inter hos, & Fugitivos. ibid. *Corollaria.* 267

An Apostata sit ille, qui discessit ab Ordine animo quidem redeundi, sed primùm post duos, vel tres annos, aut indeterminatè, donec aliquod diuturnum negotium confecerit? 268. 269

An Prælati Religiosos Fugitivos, & Apostatas capere, & incarcerare valeant, si eosdem extra territorium suum deprehendant? 272. 273

Ad quem pertineat dominium rerum, quas Religiosus Apostata, aut Fugitivus reliquit? 274. 275

An Monasterium solvere teneatur debita, à Professo suo Fugitivo, ejecto, Apostata contracta? 276. 277

Applicatio Fructûs Missæ.

Quotuplex sit Fructus Sacrificij? XLI. 99
An ratione ejus accipi aliquid temporale possit? 100
Quale Stipendium pro unius Sacri applicatione sit justum? 101
Utrum Parochi, & alij Curati ratione applicati fructûs Missarum suarum stipendium accipere, & exigere possint? 102. &c.
Quid dicendum de alijs Beneficiatis? 108. &c.
An Sacrificij fructus, quod faciendum est ex Obedientia, vel Charitate pro defuncto, stipendio accepto, applicari etiam vivo possit? 115. &c.
An Stipendia plura accipi possint pro eadem Missa? 118. &c.
An qui abundantius accepit Stipendium pro Missa, eam legendam tradere alteri possit cum minore Stipendio? 121. &c.
An reservans partem Stipendij à se accepti peccet mortaliter? 123. &c.
Et teneatur ad restitutionem? 125, 126. 127
An Missæ dici possint anticipatò? 128. 129
Quot Missæ dici debeant, quando certus numerus præscriptus est à Fundatore, vel Benefactore? 130
Intra quod tempus celebrandæ sint Missæ, pro quibus Stipendium acceptum est? 131
An Missæ, pro quibus celebrandis in certa Ecclesia Stipendium obtulerunt fideles, celebrari possint in alia? 132
Cujus authoritate translatio hæc fieri possit? 133
An Episcopus Regulares possit cogere ad exhibendos Libros Sacristiæ, quibus annotatur, an satisfactum sit obligationibus Missarum susceptis? 134. 135. 136

Ascendentes.

Quando locus sit Successioni Ascendentium? XXVII. 26
Qua ratione illi succedant? 27. 28
Utrum in totam hæreditatem, si præter illos supersint fratres, aut sorores defuncti? 29. 30
An cum Ascendentibus admittantur etiam Liberi Fratris, aut Sororis præmortuæ? 31. 32
Aut horum Nepotes? 33
Aut Liberis suis præmortuis ab intestato etiam succedant parentes illorum illegitimi? 34
Quid de Successione Ascendentium observandum sit Jure speciali? 35

Assassini.

Quinam sint Assassini? XLIX. 241. 242
Quid requiratur, ut Asylia privatio incurratur per Assassinum, & verus Assassinus dici aliquis possit? 243. 244. &c.
Utrum Assassini crimen committat, qui pretio conductus occidit Infidelem? 248. 249. 250
Vel inimicum mandantis, aut occidentis? 251
An privetur Asylo, qui pecuniâ conducitur non ad occidendum, sed ad vulnerandum, deformandum, mutilandum duntaxat? 252
Utrum ad incurrendam privationem Asyli ex causa Assassinij requiratur, ut in effectu mors sit secuta? 253
An privetur Asylo tanquam Assassinus ille, qui pecuniâ conductus falsum deponit in Judicio, vel Judex, qui similiter pecuniâ vel alio æquivalente corruptus innocentem ad mortem damnat? 254

Asylia.

Quid sit Jus Asyli, sive Asylia? XLIX. 88
An bene, præsertim tam amplum, sit constitutum? 89. 90. 91
Quo Jure competat Locis Sacris? 92. 93. 94. 95
An prout constitutum est à Gregorio XIV. locum habeat in omnibus Provincijs? 96. 97. 98
An per consuetudinem tolli, vel diminui possit? 99. 100. 101
An stricta, vel latæ interpretationis sit? 102. 103. 104
Secundùm quod Jus, Civile, an Canonicum interpretatio ejusdem fieri debeat? 105. 106
Quibus locis Sacris id competat? 107. &c.
An Ecclesiæ nondum consecratæ? 112
Vel nondum benedictæ? 113
Aut plene constructæ? 114
An Jus Asyliæ habeat Ecclesia, in qua Divina nondum sunt celebrata? 115. &c.
Interdictæ? 119
Polluta? 120
Destructa? 121
Quousque se extendat privilegium hoc concessum Ecclesijs, & hujusmodi Locis pijs? 122. &c.
Quid dicendum de spatio 40. vel 30. passuum? 129. 130
Utrum Jure Asyli gaudeant Oratoria privata? 131. 132. 133
An, & quomodo Jus Asyli habeat Domus Episcopi? 134. &c.
Palatia Cardinalium? 139. 140
Oratores Supremorum Principum in suis Domibus? 141
An immunis sit, cui Cardinalis imponit galerum rubrum? 142
Fugiens ad Tabernaculum Evchariſtiæ, vel ad Sacerdotem, qui portat ad infirmum S. Viaticum? 143. 144. 145
Vel Oleum Sacrum? 146
Aut qui confugit ad Altare portatile, & secum illud defert? 147. &c.
Utrum Jure Asyli gaudeat Crux erecta in via, & Reliquiæ Sanctorum? 150. 151
Aut Statuæ Principum? 152. 153
Quinam privilegio Asyli gaudeant? 154. 155. 156
An eo gaudeant Hæretici? 157. 158. 159
Judæi, Sarraceni, & Infideles? 160. &c.
Clerici, & Religiosi? 164. &c.
Servi? 170. &c.
An debitor fugiens ad Ecclesiam, aliàs carceri mancipandus, gaudeat Immunitate? 157. &c.
An Immunitas prosit etiam illi, qui effracto carcere, fugit ad Ecclesiam? 180. &c.
An dimissus à custode sub fide data de redeundo? 184. 185

Asylo gaudent, qui specialiter non excluduntur. 186
Excluduntur autem Latrones publici. V. Latrones.
Grassatores viarum. V. Grassatores.
Populatores agrorum. V. Populator.
Occidentes, vel mutilantes in Ecclesia. V. Occidens in Ecclesia.
Homicida Proditorius. V. Homicidium Proditorium.
Assassini. V. Assassini.
Rei criminis læsæ Majestatis. V. Majestas.
An præter memoratos casus excepta sint alia adhuc crimina? 260. &c.
Qui sint Effectus, quos secum trahit Immunitas Localis? 266. &c.
Quo modo procedi debeat cum reo, confugiente ad Asylum? 275. &c.
Quid Juris sit in casu, quo reus deseruit Asylum? 278. &c.
An Judici Sæculari Judex Ecclesiasticus licentiam possit concedere extrahendi reum invitum, etiam in casibus non exceptis? 283
An ex Asylo extradi possit Reus consentiens? 285 286
An ligari, vel aliâ viâ custodiri interim à Judice Sæculari possit, dum ab Ordinario examinetur causa, an gaudere Immunitate debeat? 287. 288. 289
Quæ in hoc casu sint partes Rectoris Ecclesiæ? 290
An pendente dubio, utrum Asylo gaudeat, Judex Laicus Episcopi nomine eum ponere possit in carcere Sæculari? 291
An, & qua pœna affici possit confugiens ad Asylum? 292. 293
Utrum ex hoc, quòd semel confugerit ad Ecclesiam, semper gaudere debeat Immunitate, licet postea ex illa egrediatur? 294 295
An, & quomodo Reus, & Ecclesia resistere possint Judici volenti rerum extrahere? 296 297. 298
Ad quid teneatur Judex, qui reum ab Ecclesia violenter extraxit? 299. 300
A quo confuga alendus sit in Asylo? 301. 302
An in solis casibus exceptis extractio, & extraditio Rei Laici, ad Ecclesiam confugientis, sit licita? 303. 304
Quis modus tenendus sit, cùm delinquens in casibus exceptis tradendus est Curiæ Sæculari? 305
An Judices Laici in casu non excepto extrahere possint, non requisitâ licentiâ Episcopi, vel hujus Officialis? 306. 307. 308. 309
Observanda in extractione, quæ fit extradere renuente Episcopo? 310
Ad quem Judicem pertineat cognitio, an casus sit exceptus? 311. 312. 313
Vel locus Asylo gaudeat? 314. 315
An cognitio hæc ad Judicem Ecclesiasticum pertineat privativè? 316. 317. 318
Cui Judici Ecclesiastico competat cognitio in isto dubio? 319
An etiam Prælatis inferioribus Episcopo? 320. 321
Qualis probatio requiratur, ut reus ex Asylo transferri possit in carcerem Juris Ecclesiastici? 322
Vel omnino extradi Judici Sæculari? 323. 324
An Judex Ecclesiasticus in cognitione istius dubij teneatur stare processu Judicis Sæcularis? 325
An possit illo stare? 326
Quomodo procedere in cognitione causæ Episcopus debeat? 327. 328. 329
An si aliquando sententiam tulit, admittatur ab hac Appellatio? 330. 331. 332
Quam culpam committant, qui reum invitum, extra casus exceptos, extrahunt ex loco Sacro? 333
Quam pœnam incurrant? 334. 335. 336
An Censura, quam incurrunt, sit ferendæ sententiæ, an verò latæ? 337. 338. 339
Quinam sint, ad quos illa extendi debeat? 340 341. 342. 343. 344
Quid requiratur, ut incurratur Censura ista? 345. 346. 347
Quis absolvere ab ea possit? 348. 349. 350. 351

B.

Banniti.

Non possunt testari. XXVI. 77
Et sunt Institutionis hereditariæ incapaces. 93
Asylo tamen, si ad Ecclesias confugiant, gaudent. 155

Baptismus.

Quis istum Parochianis administrare debeat? XXIX. 14
Quotuplex sit Baptismus? XLII. 1
Definitio Baptismi Fluminis. 2
Institutio. 3. 4. 5. 6. 7
Necessitas. 8. 9. 10. 11
Materia remota? 12
Proxima. 13. &c.
Forma. 23. &c.
Subjectum. 31
Utrum Monstra baptizari possint? 32. 33
Utrum amentes? 34. 35
Liberi infidelium, si isti inviti sint? 36. &c.
Minister Baptismi. 40. 41. 42
An baptizare etiam possit Diaconus? 43. 44
A quo baptizandi Infideles ad Fidem conversi? 45. 46. 47
An plures simul baptizare eundem possint? 48
Quæ simultas requiratur ablutionis, & formæ? 49
Ubi Baptismus sit conferendus? 50
Quis sit Effectus Baptismi? 51. 52. 53
Quibus casibus repeti Baptismus possit? 54. &c.

Beatificatio.

Quæ sit forma procedendi ad Beatificationem? XLV. 23. &c.

Bellum.

Clericis, & alijs Ecclesiasticis personis, prohibetur ordinatio aciei, & directio militum in pugna. L. 35
An Ordines ducere, & contra hostes pugnare possint saltem Clerici in Minoribus constituti, & Religiosi Laici? 43
Quomodo interesse pugnæ Clerici possint? 44

Bene-

Benedictio.

Quid circa Benedictionem Monialium sit observandum? XXXV. 96
Quotuplex illa sit? 97

Beneficium. Beneficiarius.

An Novitius, durante anno Probationis, retinere possit Beneficium Ecclesiasticum? XXXI. 90
Quomodo differat Beneficiarius ab Usufructuario? XXXIX. 146
Quoties teneantur celebrare Beneficiati? XLI. 38. 39
An Beneficiarij pro Missis à se lectis possint accipere Stipendium? V. Applicatio fructûs.
Quomodo expendi Bona Clericorum Beneficialia debeant? V. Bona Ecclesiastica.
Consuetudine induci potest, ut Beneficialia post mortem Beneficiarij cedant consanguineis? XXVII. 59

Blasphemi.

Privantur Sepulturâ Ecclesiasticâ. XXVIII. 49
Non tamen Asylo. XLIX. 261

Bona Ecclesiastica.

Quotuplicis generis sint Bona, quæ ad Clericos pertinent? XXV. 1. 2
Quis dominium habeat Bonorum Ecclesiasticorum, à Beneficialibus distinctorum? 3. 4. 5
Penes quos sit dominium Bonorum, quæ sunt Patrimonialia, vel quasi Patrimonialia Clericorum? 6
Quid dicendum de Distributionibus Quotidianis? 7
Quid de Beneficialibus, seu quæ ex Beneficio ipsis proveniunt? 8
Si sustentationi Clericorum congruæ superflua sint? 9. 10
Ad quem pertineant res à Prælatis Ecclesiarum, vel alijs Clericis Beneficiatis emptæ? 11. 12
Inter quæ bona connumerari debeant, quæ donata, vel testamento relicta sunt Episcopo, Parocho, aut alij Clerico Administratori Ecclesiæ? 13. 14
Item quæ relicta sunt à Clerico, si dubium sit, quo titulo illa acquisiverit? 15. 16
Quomodo Clericus expendere possit Bona sua Patrimonialia? 17. 18
Quomodo Beneficialia, sustentationi suæ congruæ superflua? 19. 20. 21. 22. 23
In quas personas expendi illa possint, ut censeantur expensa in causas pias? 24. 25
Unde oriatur obligatio ista bona sic expendendi? 26. &c.
Quam Immunitatem à Tributis habeant Bona Ecclesiastica? V. Immunitas.

C.

Cæcus.

Non potest esse testis in Testamento. XXVI. 29
Testari solùm nuncupativè potest. 71

Cæna.

An liceat celebrare Missam Feriâ V. in Cæna Domini? XLI. 45

Calix.

Debet consecrari pro Missa Sacrificio. XL. 48
Ex qua materia Calices, & Patenæ constare debeant? ibid.
A fieri possint etiam ex stanno, & plumbo? 49
An quo consecrari possint? 50
An Prælati, qui potestatem eos consecrandi per privilegium habent, eam exercere etiam pro alijs, quàm suis Ecclesijs, possint? 51
Quomodo amittatur Consecratio Calicis, & Patenæ? 52
An ea amittatur etiam tum, quando diuturnitate temporis interior deauratio absumpta est? 53. 54

Campana.

An bene consecratio adhibeatur Campanis? XL. 55
An istæ suspendi possint etiam in Oratorijs privatis? 56
An sonitu earum populus convocari ad arma? 57

Canonici Regulares.

Quomodo præfici Ecclesijs Parochialibus, & Curatis possint? XXXV. 87

V. Regulares. Religiosi.

Canonizatio Sanctorum.

Quid sit Canonizatio? XLV. 1
Cujus authoritate fieri debeat? 2. 3. 4. 5
An cultu privato venerari liceat non Canonizatum? 6. 7
Ad canonizationem requiritur Vitæ Sanctitas, & miracula. 8
Nec sufficiunt sola miracula. 9
Nec sola Sanctitas Vitæ. 10
Quando de his censeatur sufficienter constare? 11. 12. 13
Ad canonizandum Martyrem debet constare de Martyrio. 14. 15
Tam ex parte Tyranni. 16
Quàm ex parte passi. 17
An in Canonizatione Martyris requirantur Miracula? 18. 19. 20
An quævis incorruptio corporis defuncti. 21
Aut suaveolentia odoris præbeat indicium Sanctitatis? 22
Quæ sit forma procedendi ad Beatificationem? 23. &c.
Quomodo post Beatificationem procedatur ad Canonizationem? 33. &c.
Prærogativæ Sanctorum Canonizatorum? 39

Capella.

Etymologia Nominis Capella. XXXVII. 1
Ejus diversa significatio. 2
Qua authoritate erigi Capella debeat? 3
Per quem sint peragenda Divina in Ecclesijs unitis alicui Monasterio? 4. 5
An Religiosus Ecclesiæ, extra Monasterium positæ, præfici solus sine socio possit? 6. 7. 8
An Capellanus in Ecclesia unita subjectus sit Jurisdictioni Episcopi? 9. &c.

V. Capellanus.

An, & qualiter una Ecclesia Parochialis non

Cathedralis possit sibi vindicare jus in alias Ecclesias intra territorium sitas? 15. 16. 17

Capellanus.

An Capellanus in Ecclesia plenissimè unita subjectus sit Jurisdictioni Episcopi ? XXXVII. 9
An in unita pleno jure ? 10. 11. 12. 13
An in ea, quæ unita solùm est quoad temporalia ? 14
An obtinens Capellaniam obligetur ad Officium Divinum? XLI. 72

Capitatio.

An Clerici immunes sint à Tributo Capitationis? XLIX. 10

Capitulum.

Quid Jure communi statutum sit de Capitulis Provincialibus Regularium ? XXXV. 90

Capti.

Capti bello justo non possunt testari. XXVI. 76
Validum tamen manet Testamentum, quod confecerunt, antequam caperentur. 179

Capucini.

Non possunt scribi Hæredes. XXVI. 96
Possunt ipsis relinqui Legata. 149
Non habent jus succedendi ab intestato. XXVII. 69
Quid singulare habeant circa Votum Paupertatis Religiosa? XXXV. 6

Cardinales

Qui hostiliter persequuntur, capiunt, vel percutiunt Cardinalem, vel ad capturam &c. cooperantur, non possunt testari. XXVI. 80
Neque Hæredes scribi. 95
Possunt Cardinales commutare Ultimas Voluntates in Ecclesia sui Tituli. 217
Jus Asyli an habeant Palatia illorum ? XLIX. 139. 140
An immunis sit Reus, cui Cardinalis imponit galerum rubrum? 142

Charitativum Subsidium.

Quid sit Subsidium Charitativum? XXXIX. 53
Utrum Subditi ad id præstandum compelli possint? 54. 55
Quis exigere illud possit ? 56. 57
Quis nequeat illud petere? 58
Causæ sufficientes ad id petendum. 59. 60
Quoties, & quo modo peti possit. 61
A quibus ? 62
An etiam à Laicis? 63
Monasteriis? 64
Ecclesiis Exemptis ? 65
Clericis non habentibus Beneficium? 66
Vel Beneficiatis quidem, sed pauperibus ? ibid.
Quinam Clerici ad id pendendum obligentur ? ibid.
Cui Episcopo? 67. 68
Quantum hoc nomine peti possit ? 69. 70
An Subsidium hoc ab Episcopo remitti possit ? 71. 72
An adversùs illud præscribi ? 73. 74. 75
Quis sit Judex Competens controversiarum motarum super subsidio Charitativo ? 76. 77

Castitas.

V. Votum Castitatis.

Catechumeni.

Non possunt sepeliri in loco Sacro. XXVIII. 49
Ejus tamen Sepultura locus Sacer non polluitur. XL. 72

Cathedraticum.

Quid sit Cathedraticum ? XXXIX. 50
Quid eo nomine sit solvendum? ibid.
An istud consuetudine, vel præscriptione tolli possit? 51. 52

Causa finalis.

Causa finali cessante, cessat obligatio Voti. XXXIV. 70. 71
Quando ex fine malo vitietur Votum ? 72. 73

Celebratio Missarum.

V. Missa, Applicatio Fructûs, Reductio onerum.

Census.

Quid sit Census? XXXIX. 1
An ex præstatione illius annua probetur subjectio respectu Episcopi eum petentis ? 2
Quando Census peti, & probari debeat? 3. 4. 5
An titulo non probato, in ejus percipiendi possessione sustineri possessor possit ? 6
Quid si Census solùm sit personalis ? 7
Quis Censum imponere Ecclesiis, vel Beneficijs possit? 8. 9
An, postquam Ecclesia, vel Beneficium in esse suo jam est constitutum, novus Census, vel Pensio ipsis imponi, vel augeri vetus à Patronis possit ? 10. 11
An Census novus Ecclesijs, vel Beneficijs Ecclesiasticis imponi, vel antiquus augeri possit ? 14
An auctis facultatibus Ecclesiæ, etiam Census augeri possit ? 15
In qua Moneta debeat solvi Census ? V. Moneta.

Chirurgia

Prohibetur Clericis, & Personis Ecclesiasticis. L. 35
An illam exercere Clerici possint saltem sine incisione, & adustione? 45

Chrisma.

Ad quem recurrendum pro benedictione eorum, quæ requirunt Chrismatis unctionem? XL. 59
Quomodo asservari debeat Sacrum Chrisma? XLIV. 14. 15

Clausura.

Quid Jure communi statutum sit circa Clausuram Monialium, & egressum illarum ex Monasteriis? XXXV. 98
Quænam obligentur ad Clausuram? 99. 100
Quænam sint causæ justæ, ob quas licentia Monialibus concedi potest ad egrediendum è Claustro? 101. 102. 103
Ad quem pertineat dare licentiam Monialibus exeundi è Claustro? 104. 105. 106
Quæ sint pœnæ decretæ in Moniales violantes Clausuram

ram, ijsque cooperantes, vel faventes? 107. &c.
Etiam ingressus in Monasteria Monialium est prohibitus. 111
Personæ, quibus ille prohibitus est. 112
Exceptiones. 113. 114. 115
Quid intelligatur Claustri nomine? 116
Ob quam causam ingressus in Monasteria Monialium concedi possit? 117. 118. 119
Cautela pro ingredientibus cum licentia. 120
Quis dare licentiam istam possit? 121. 122
Potest hic illam sibi ipsi dare, non tamen delegare alteri. 123
Licentia hæc debet esse specialis, & in scriptis obtenta. 124
Absque hac ingredientes incurrunt Excommunicationem. 125
Quæ de Stylo Curiæ est reservata Summo Pontifici. 126
Attendenda tamen circa hoc est consuetudo, & usus. 127
An sub hac Excommunicatione prohibeatur etiam accessus ad Moniales? 128
Quid de hoc statutum sit circa Regulares? 129
Quomodo fœminis prohibitus sit ingressus in Monasteria Virorum? 130. 131

Clerici.

De quibus Bonis testari possint? XXVI. 82
An per consuetudinem induci, ut possint testari de Beneficialibus? 83. &c.
Quando Substitutus excludatur per susceptionem Clericatûs? 137. 138
An possint esse Executores Testamentorum? 192
Cui rationes Executionis suæ reddere teneantur, si sint exempti? 206
Quando Clerico succedat Ecclesia? XXVII. 56
Quomodo distribui debeant ejus bona, quæ Ecclesiæ cedunt? 57. 58
An consuetudine induci possit, ut Beneficialia cedant consanguineis? 59
Ubi sepeliri Clericus Beneficiatus debeat? XXVIII. 45. &c.
An Clerici teneantur solvere Decimas? XXX. 20
Clerici Curati, & Beneficiati an arceantur ab ingressu Religionis? XXXI. 33
An eam ingressus Clericus Beneficiarius teneatur petere licentiam saltem à suo Episcopo? 34
Quinam Clerici obligentur ad Horas Canonicas? V. Horæ Canonicæ.
An Privilegio Asyli gaudeant, & respectu cujus Judicis? V. Asylia.

Coadjutor.

An ad Horas dicendas obligetur Coadjutor in Beneficio? XLI. 71

Codicillus.

Quid sit Codicillus? XXVI. 62
Quomodo differat à Testamento? 63. 64
Quot modis fieri possint Codicilli? 65
Effectus Clausulæ Codicillaris. 66
Legatum relinqui etiam Codicillo potest. 154

Cœmeterium.

Ubi Cœmeteria possint construi? XXVIII. 2. 3
Quid tenendum de consecratione, & benedictione illius? XL. 62
Quibus modis polluatur? V. Pollutio Ecclesiæ.
Habet Immunitatem Localem. V. Asylia.
Occidens in illo non gaudet Asylo. V. Occidens in Ecclesia.

Collatiuncula Vespertina.

V. Jejunium.

Collectæ.

V. Immunitas.

Collegiata Ecclesia.

An fundatione, dotatione, constructione acquiratur Jus Patronatûs etiam in Ecclesijs Collegiatis, & Conventualibus? XXXVI. 44
An amittatur hoc Jus conversione Ecclesiæ non Collegiatæ in Collegiatam? 45
An Fundator Ecclesiæ Collegiatæ possit sibi reservare Jus præstandi assensum ad Electionem Prælati? XXXVIII. 46
Et si reservavit, quando illê præstandus sit? 47. 48
Et an sit de necessitate Electionis in illo casu? 49
An asservari Evchariſtia possit in Ecclesijs Collegiatis? XLIV. 21

Colonus.

An, & quando Colonus solvere teneatur Decimas ex agro conducto? XXX. 23
An Immunitate gaudeant etiam Coloni Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum? XLIX. 52

Commenda

An obtinens Beneficium in Commendam obligetur ad Officium Divinum? XLI. 73

Communio Paschalis.

Qui Confessionem annuam, & Communionem Paschalem negligunt, privantur sepulturâ Ecclesiasticâ? XXVIII. 49

Commutatio Ultimarum Voluntatum.

An commutare eas possint Executores? 207
Quando? 208
An jussus dare aliquam pecuniam pauperibus, possit sibi servare, si verè pauper sit? 209. 210. 211
Ad causam piam relicta commutare potest Papa. 212
Relicta ad profanam Princeps Sæcularis. 213
Utrum Ultimas Voluntates commutare possint Episcopi? 214. 215. 216
Quid tenendum de alijs Prælatis? 217
Quid de Vicario Generali, Sede plena? 218
Et Sede vacante? 219
Enumerantur causæ legitimæ commutandi. 220. 221

Commutatio Votorum.

Obligatio Voti cessat Commutatione. XXIV. 92
Quis commutare Vota possit in melius? 93
Quis in æquale? 94. 95. 96
Quis in minus? 97. 98
Quid observandum sit volenti commutare Votum sibi subditi? 99. 100

Concionator.

Quibusnam potestas concionandi competat? XXIX. 16

Conditio.

Cessante Conditione, sub qua actus, vel praestatio rei est promissa, cessat obligatio Voti. XXXIV. 64

Ubi quid dicendum, si multiplex conditio apponatur Voto? 65. 66

Item quid dicendum, si ipse vovens malitiosè impediat eventum conditionis? 67. 68. 69

Conductio.

An Jus Patronatûs, vel exercitium illius competat etiam Conductori Villæ, aut Castri, cui annexum est Jus Patronatûs. XXXVIII. 89. 90

Confessarius.

An hujus assertione sufficienter probetur Electio sepulturæ? XXVII. 26

Confirmationis Sacramentum.

Quâ necessitate susceptioni Ordinum debeat praemitti Confirmatio? XLIII. 8

Quale peccatum committat, qui hac omissa, ordinatur? 9

Ordo Successionis in Collateralibus. XXVII. 36

Inter hos primum locum obtinent Fratres, qui succedunt in capita. 37

Horum Liberi in stirpes, quando est ordo mixtus. 38

Quando simplex, in capita. 39

Quomodo succedant Fratres consanguinei, & uterini? 40. 41

Quomodo istorum Liberi? 42. 43. 44

An etiam succedant Legitimi tantùm? 45

Illegitimi? 46

Legitimati? 47

Quomodo succedant Collaterales cæteri? 48. 49. 50. 51

Conjuges.

Quando sibi invicem succedant? XXVII. 52. 53 54. 55

Quæ Vota possint facere? XXXIV. 13

Num ab altero conjugum facta irritare? *V.* Irritatio Voti.

Num ingredi Religionem? *V.* Conversio Conjugatorum.

Consiliarius.

An, & quomodo Personæ Ecclesiasticæ possint esse Consiliarij Principum Sæcularium? L. 65

Consecratio.

A quo consecranda sit Ecclesia ædificata in loco, de quo dubitatur, in cujus Diœcesi is situs sit? XXVI. 7

Quid sit Ecclesiæ Consecratio, vel Dedicatio? XL. 4

Origo Ritûs consecrandi, & dedicandi Ecclesias. 5

Debent omnes consecrari, vel saltem benedici. 6

Extra locum ab Episcopo, vel alio, habente jurisdictionem Episcopalem, deputatum regulariter celebrari Divina nequeunt. 7

Excipitur primò casus necessitatis. 8

Secundò Episcopi, & his superiores. 9

Tertiò alij qui licentiam celebrandi in Altari Viatico per Privilegium Apostolicum habent. 10

Quartò, qui ad hoc licentiam obtinuerunt ab Episcopo. 11

Quam facultatem dare Episcopi etiam post Trid. possunt. 12

Consecrandæ sunt Ecclesiæ à proprio Episcopo loci, in quo Ecclesia consecranda sita est. 13

Exceptio. 14

Nec potest potestaten hanc delegare Episcopus Sacerdoti simplici. 15

Potest eidem committere potestatem benedicendi Ecclesias. 16

Observanda ab Episcopo in consecranda Ecclesia. 17. &c.

Quando iterari Consecratio ejusdem possit. 21 &c

An nova Consecratione sit opus, quando Ecclesia priùs diruta ex eadem prorsus materia de novo extruitur? 24 25, 26

Quid faciendum, si parietes ejusdem successivè omnes sint reparati? 27. 28

Aut quando Ecclesia ampliatur? 29. 30

Consecratio Altaris. *V.* Altare.

Consecratio Calicis. *V.* Calix.

Consecratio Campanæ. *V.* Campana.

Consecratio Paramentorum. *V.* Paramenta.

Consecratio Cœmeterij. *V.* Cœmeterium.

Conservatoria.

An Eucharistia asservari possit in Conservatorijs mulierum? XLIV. 19

Constructio.

Constructione Ecclesiæ acquiritur Jus Patronatûs. XXXVIII. 33.

V. Jus Patronatûs.

Cujus authoritate indigeat novarum Ecclesiarum constructio? XLVIII. 1. 2. 3.

An sufficiat ad hoc consensus Episcopi tacitus? 4. 5

An iste consensum possit negare sine justa causa? 6. 7

Quæ sint causæ justæ negandi consensum? 8

Quæ sint justæ causæ intra fines Ecclesiæ Parochialis erigendi aliam Parochialem novam? 9. &c.

Quanam alia præter consensum Episcopi, & justam causam requirantur ad Parochiæ novæ intra fines alterius erectionem? 16 &c.

An ad hoc etiam requiratur Consilium, aut Consensus Capituli? 20. 21

Quanta Ecclesiæ novæ Dos assignanda, & unde sumenda sit? 22. 23. 24

An procedi ad novæ Parochialis Ecclesiæ erectionem possit etiam invito Rectore, & Patrono Ecclesiæ Matricis? 25. 26

Cui acquiratur Jus Patronatûs in Ecclesia Parochiali, intra fines alterius erecta? 27. 28. 29

Quid observandum in Constructione novæ Ecclesiæ? 30. 31. 32.

Con-

Consuetudo.

An facultas testandi abrogari possit per consuetudinem? XXVI. 8

An per consuetudinem possit induci, ut Clerici testari possint de Bonis Beneficialibus superfluis? 83. &c.

An consuetudine induci possit, ut Beneficialia cedant consanguineis: XXVII. 59

An jus succedendi in Bona Professorum, quod Monasterijs competit, tolli possit consuetudine? 82. 83

An consuetudine obtineri possit exemptio ab obligatione solvendi Decimas? XXX. 59

An ista obtineri possit etiam in totum? 60

Etiam à Laicis? 61

Tempus ad hoc requisitum. 62

An Cathedraticum consuetudine tolli possit? XXXIX. 51

An acquiri consuetudine possit jus imponendi Vectigalia, Tributa &c. 84.

Quid circa asservationem Eucharistiæ possit consuetudo? XLIV. 23. 24

An Jus Asyli per consuetudinem tolli vel diminui possit? XLIX. 99. 100. 101

Conversio Conjugatorum.

Intra quod tempus Sponsus, vel Sponsa de præsenti ante consummationem Matrimonij ingredi Religionem possit? XXXII. 1. 2

A quo tempore parti volenti Religionem ingredi currat bimestre per Jus indultum? 3

An bimestre hoc competat etiam conjugi Religionis propositum non habenti? 4

An illud solùm detur ad deliberandum de ingressu, an etiam ad profitendum? 5. 6. 7

An ad Religionem adhuc transire liceat, si bimestre transactum, nondum tamen Matrimonium est consummatum? 8. 9. 10

An Religionis ingressus permissus sit Sponsæ de præsenti, si à Sponso carnaliter cognita est per vim? 11. 12. 13. 14

Quis sit Effectus transitûs in Religionem, & Professionis post Matrimonium ratum emissæ? 15. 16

Quando hoc dissolvatur per transitum ad Religionem? 17

Requisita, ut effectus hic inducatur. 18

Quibus casibus post Matrimonium consummatum ingredi Religionem liceat? 19. 20

Qualis consensus esse debeat, ut alter conjux ingredi Religionem, & profiteri in ea possit? 21. 22. 23

An omni vi careat Professio edita à conjuge, post Matrimonium consummatum ingresso Religionem parte altera invita? 24. 25 26

Quando revocari possit conjux, sine alterius conjugis consensu Religionem ingressus? 27

An revocationi, vel regressui libero adhùc sit locus casu, quo unus conjugum, post Votum Continentiæ ab utroque editum, sine altetius consensu ingressus, & professus Religionem est? 28

An eidem repetitioni locus sit etiam casu, quo uterque conjux, licentiâ non obtentâ ingressus Religionem, & professus in ea est? 29. 30. 31

Quid præter consensum conjugis requiratur, ut conjux alter post Matrimonium consummatum possit licitè Religionem ingredi? 32

An valida sit professio, si conjux manens in Sæculo Votum Continentiæ non ediderit? 33. 34

An, & quo casu maritus cum uxoris consensu Religionem ingressus revocari valeat, & compelli ut ad uxorem redeat? 35. 36

An sufficiat, si conjux relictus faciat alterutrum, & vel emittat Votum continentiæ, vel ingrediatur Religionem? 37

An si conjux senex, cum Voto Continentiæ relictus in sæculo, postea incontinenter vivat, cogi possit ad ingrediendam Religionem? 38. 39

Conversio Infidelium.

V. Infidelis.

Crux.

Crux in via erecta an Jus Asyli habeat? XLIX. 158

Curator.

Non potest se immiscere in præsentatione, quæ minori competit. XXXVIII. 75

Custodia Eucharistiæ, Crismatis &c.

An bene Eucharistia asservetur in Ecclesijs? XLIV. 2. 3. 4. 5

Causæ, ex quibus olim asservata in Ecclesijs fuit. 6. 7. 8

An is, qui Eucharistiam apud se retinet, de Hæresi suspectus haberi, & puniri debeat à Tribunali S. Officij? 9. 10

Quomodo asservari illa in Ecclesijs debeat? 11. 12. 13

Quomodo Chrisma, & Oleum infirmorum? 14. 15

In quibus Ecclesijs? 16. 17. 18

An etiam in Conservatorijs mulierum? 19

In Grangijs? 20

In Ecclesijs Collegiatis? 21

Aut alijs non Parochialibus? 22

Quid circa hoc possit consuetudo? 23. 24

Quis teneatur ad præstationem olei, & conservationem lampadis ardentis ante Venerabile? 25. 26. 27

Penes quem debeant custodiri claves Tabernaculi, in quo Eucharistia custoditur? 28. 29

Quomodo deferri illa debeat, cùm eâ muniendus est infirmus? 30. 31

D.

Damnati.

Damnati ad mortem, vel capitale supplicium prohibentur testari, saltem de Jure antiquo? XXVI. 78

Damnati ad metallum, vel aliud opus publicum inca-

incapaces institutionis hæreditariæ sunt? 93

Debitor.

Quibus casibus ære alieno gravatus licitè ingredi Religionem possit? XXXI. 35
An debitor, solutione nondum facta, Religionem ingressus teneatur labore manuum &c. sibi bona acquirere, ut satisfiat inde Creditoribus? 36
Quousque ingressum Religionis teneatur suspendere? 37. 38. 39
An Debitor fugiens ad Ecclesiam, aliàs carceri mancipandus, gaudeat Immunitate? V. Asylia.

Decimæ, Decimator.

Quid sint Decimæ? XXX. 1
Quotuplicis generis sint Decimæ Ecclesiasticæ? 2. 3. 4. 5
Quo Jure debeantur? 6. 7. 8. 9
Quo titulo? 10
An debeantur Ministris Ecclesiæ, etiamsi aliunde habeant, ex quo se alant? 11
Ex quibus rebus solvendæ sint? 12. 13. 14
Quomodo solvendæ sint? 15
Quando? 16
Et ubi? 17
Quinam obligentur ad solvendas Decimas? 18
An Judæi, & Infideles? 19
An Clerici? 20
An Religiosi? 21
An Pauperes? 22
Quis decimas præstare debeat, quando dominus prædij illud locavit Colono? 23
Quis, quando id vendidit, & lapsas nondum præstitit? 24. 25
Quibus personis, & Ecclesijs Decimæ solvendæ sint? 26. 27
Cui Parocho, vel Ecclesiæ solvendæ sint Decimæ personales? 28
Prædiales? 29
Mixtæ? 30
Cui debeantur Decimæ Novalium? 31. 32. 33
Quibus modis acquiratur Jus Decimandi? 34
Quomodo acquiri Jus istud possit Privilegio Apostolico? 35
Donatione Laicorum? 36
Venditione? 37
Quid in negotio Decimarum possit Compositio, & Transactio? 38
Utrum Decimæ infeudari etiam Laicis possint? 39
Vel postquam ad Ecclesiam redierunt, reinfeudari? 40. 41
Quanti temporis debeat esse Præscriptio, ut per eam possit acquiri jus Decimandi alicui Ecclesiæ, vel loco Sacro? 42. 43. 44
An Decimæ præscribi etiam possint à Laicis? 45. 46. 47
Qui præscripsit Decimas antiquas, non hoc ipso potest percipere etiam, Decimas Novalium? 48. 49
Idem dicendum de eo qui habet privilegium percipiendi Decimas. 50. 51
Modi, quibus aliquis eximi ab obligatione solvendi Decimas potest, sunt primò Privilegium Apostolicum. 52. &c.
Secundò Consuetudo legitimè præscripta. 59. &c.
Tertiò Transactio, & amicabilis compositio. 65
An hæc Immunitas emi, aut aliàs pro re temporali commutari possit? 66
Quid possit Parochus, ut recuperet Decimas non solutas? 67
Quomodo illas debeat petere in Judicio possessorio? 68
Quomodo in petitorio, si agatur de Jure decimandi? 69
Quomodo, si super ipsis Decimis? 70
Adversùs quem agere possit in possessorio? 71
Adversùs quem in petitorio? 72
Ad quem Judicem spectet causa Decimarum in Petitorio? 73. 74
Ad quem in Possessorio? 75. 76
Pœnæ fraudantium Decimas. 77
Religiosorum non solventium, & solvere prohibentium. 78
An ad reparationem Ecclesiæ Parochialis debeant concurrere etiam Decimatores? XLVIII. 53
Si Patroni non sint? 54
Vel Decimæ Ecclesiastico extraneo competant 55
Quid dicendum de ijs, qui obtinent Decimas Laicales? 56. 57. 58
Quo ordine ex Decimarum fructibus succurrendum sit ad reparationem Ecclesiæ Parochialis? 59. 60. 61

Dedicatio.

V. Consecratio.

Deportati.

Non possunt testari. XXVI. 77
Et sunt Institutionis hæreditariæ incapaces. 93

Depositum.

Ad quem augmentum, vel decrementum pecuniæ depositæ spectet, si valor ejus in manu Depositarij crescat, vel decrescat? XXXIX. 43. 44

Diaconus.

Potest ei delegari potestas baptizandi. XLII. 43. 44

Dispensatio.

Obligatio Voti cessat Dispensatione. XXXIV. 101
Debet accedere justa causa. 102
Quis dispensare in Votis possit? 103
An etiam Prælatus Regularis cum Novitijs? 104. 105. 106
Quænam sint justæ causæ dispensandi in Voto? 107
Quænam Vota sint reservata? 108. 109
Quando inferiores Prælati dispensare possint in Votis reservatis? 110. 111
An Votum Castitatis, Religionis &c. reservatum sit etiam, quando sub conditione emittitur? 112. &c.

An

An Pontifex dispensare possit in Voto solenni? V. Votum Castitatis.
Quis dispensare possit in obligatione dicendi Horas Canonicas? V. Horæ Canonicæ.

Distributiones Quotidianæ.

Revocantur ad bona quasi Patrimonialia Clericorum. XXV. 1
An Clerici earum acquirant perfectum dominium? 7

Divinum Officium.

An Professus, cum quo dispensatum est ad nuptias, teneatur ad recitandum Divinum Officium? XXXV. 53. 54
V. Horæ Canonicæ.

Doctor Doctoratus.

Utrum Clerici, & Religiosi in Jure Civili, & Medicina possint recipere Gradum Doctoratûs. L. 80
An hic, sine licentia Superioris sui ad Religiosos susceptus, sit validus? 81. 82. 83
Quæ sit pœna Doctorum, & Magistrorum, qui Religiosos, habitu dimisso, Leges, & Medicinam audientes, scienter docent, aut in Scholis retinere præsumunt? 92

Dolus.

An validum sit Testamentum, ad quod Testator inductus est Dolo? XXVI. 14
Cui deferatur Hæreditas, relicta per Testamentum dolo obtentum. 17. 18. 19
Cui deferatur Hæreditas casu, quo defunctus dolosè impeditus, vel prohibitus fuit, quo minùs Testamentum conderet, vel conditum immutaret? 20. 21
An jus Asyli retineat, qui ad id deferendum persuasus est dolo Judicis? XLIX. 281.
Vel alterius privatæ personæ? 282

Domesticus.

Testatoris, vel Hæredis non potest esse testis in eodem Testamento. XXVI. 30

Domus Religiosus.

V. Religiosæ Domus.

Dominium Clericorum.

V. Bona Ecclesiastica.

Donatio.

Inter quæ bona connumerari debeant, quæ donata, vel Testamento relicta sunt Episcopo, Parocho, vel alteri Clerico administratori Ecclesiæ? XXV. 13
Quomodo Jus Decimandi acquiri possit Donatione Laicorum? XXX. 56
Quomodo Jus Patronatûs transeat Donatione? XXXVIII. 145
An ut ita transferatur, sit opus consensu Episcopi? 146. &c.
Quid dicendum, si Patronus illud donet ipsi Ecclesiæ, in qua Jus Patronatûs habet? 151. 152
An Patronus illud donare possit, cui voluerit? 153. 154. 155
Utrum Episcopus Jus Patronatûs extinctum donare Laico de novo possit? 156

Donatio mortis causâ.

Quæ solennitates ad hanc requirantur. XXVI. 67
An ex ea Episcopo debeatur Portio Canonica? 224

Dos Dotatio.

Dotatione acquiritur Jus Patronatûs in Ecclesia dotata. XXXVIII. 33
Debet autem Dos esse sufficiens. 57
Acquiritur Jus Patronatûs Dotatione, etiam post Consecrationem Ecclesiæ factâ. 58
Si antea non sit dotata. 59
Non verò, si augeatur duntaxat Dos. 60
Quanta Ecclesiæ novæ Dos assignanda, & unde sumenda sit? XLVIII. 22. 23. 24

Duellum.

Occumbentes in Duello privantur Sepulturâ Ecclesiasticâ? XXVIII. 49

E.

Ebrij.

Ebrij Ebrietate perfecta non possunt condere Testamentum. XXVI. 70

Ecclesia

Quando Clerico suo succedat Ecclesia? XXVII. 56
Quomodo distribui debeant bona Clerici, quæ Ecclesiæ cedunt? 57
Exceptiones. 58
An consuetudine induci possit, ut Beneficialia cedant consanguineis? 59
An Ecclesiæ Regulares possint mutari in Sæculares? XXXVI. 25
Quid nomine Ecclesiæ veniat? XL. 1
An, & quomodo differat à Basilica? 2. 3
Necessitas, & ritus eam consecrandi, & dedicandi. V. Consecratio.
Quando Ecclesia dicatur pollui? V. Pollutio Ecclesiæ.
Quomodo, & à quo polluta debeat reconciliari? V. Reconciliatio.
In quibus Ecclesijs asservari Eucharistia possit? V. Custodia Eucharistiæ.
Cujus authoritate indigeat constructio novæ Ecclesiæ? V. Constructio.
Quis concurrere debeat ad reparationem Ecclesiæ Parochialis? V. Reparatio.
Habet Ecclesia Jus Asyli. V. Asylia.
Occidens, vel mutilans in illa privatur Asylo. V. Occidens in Ecclesia.
Ecclesia Collegiata. V. Collegiata Ecclesia.

)()()(Eccle-

Ecclesiastica Bona.

V. Bona Ecclesiastica.

Ejecti.

An is qui Religionem, à Sede Apostolica approbatam professus est, possit ab ea ejici? XXXI. 245. &c.
An sic ejectus liberetur ab obligationibus Professione contractis? 249. 250. 251
An teneatur ad Religionem redire? 252. 253. 254
An Religio resipiscentem admittere? 255. 256. 257. 258
An ingredi aliam Religionem possit? 259. &c.
Cui acquirantur bona comparata ab Ejecto? 263. 264. 265
An Monasterium teneatur solvere debita à Professo suo ejecto contracta? 276. 277
An Ejecti teneantur ad Horas Canonicas? XLI. 79

Emphytevsis.

An ista à Professo in Monasterium per Successionem ab intestato transeat? XXVII. 72
Quomodo Jus Patronatûs transferri possit Emphytevticatione? XXXVIII. 163

Emptio.

Ad quem pertineant res à Prælatis Ecclesiarum, vel alijs Clericis Beneficiatis emptæ? XXV. 11
An Emptor solvere teneatur Decimas non solutas à Venditore? XXX. 24. 25
An emi Immunis à solvendis Decimis pro re temporali possit? 66

Episcopus.

An Voluntates Ultimas commutare possint Episcopi? XXVI. 214. &c.
Quando capere ex relictis Testamento possint Portionem Canonicam? 223
Quando percipere Decimas? XXX. 27
Quando ingredi Religionem? XXXI. 31. 32
An possit admittere ad Professionem Novitios? 183
An per assumptionem ad Episcopatum Professio solennis solvatur? 214
Quæ Vota Episcopus possit emittere? XXXIV. 14
Quæ Vota possit commutare? 97
In quibus Votis, & cum quibus dispensare valeat? 103
An, & quomodo eidem obedire Regulares debeant ex vi Voti Obedientiæ? XXXV. 60. 61. 62
Quomodo eidem Domus Religiosæ subjectæ sint? XXXVI. 4 &c.
Quænam Hospitalia subsint Visitationi Episcopi? 16. &c.
Qualem potestatem circa Beneficia Patronata habeat? XXXVIII. 157. &c.
Quam potestatem habeat circa reductionem Missarum? XLI. 145
Ejus Domus Jus Asylia habet. V. Asylia.

Evchariſtia.

Ejus Etymologia. XLI. 1
Definitio. 2
Materia. 3. 4. 5. 6
Forma. 7. 8. 9
Minister quoad confectionem est solus Sacerdos. 10
Quoad dispensationem potest etiam esse Diaconus. 11
Alijs Clericis, vel Laicis potestas hæc dari potest à solo Pont. 12
Extra casum extremæ necessitatis. 13
Subjectum hujus Sacramenti. 14. 15. 16. 17
Dispositio in recipiente requisita ex parte animæ. 18
Ex parte corporis. 19
De præcepto Ecclesiæ debet esse jejunus. 20
Quale jejunium hoc esse debeat? 21. 22
Quibus casibus licitum sit Evchariſtiam sumere non jejuno? 23. 24. 25
An permissum sit infirmo, eadem infirmitate durante, sæpius non jejunum hoc Sacro Mysterio refici? 26. 27. 28
An ut moriturum communicet, possit Sacerdos non jejunus celebrare? 29. 30
An bene Evchariſtia asservetur in Ecclesijs? V. Custodia Evchariſtiæ.
Quomodo deferri debeat, cùm eâ muniendus est infirmus? XLIV. 30. 31

Exactiones.

Quid Exactionum nomine veniat? XXXIX. 48
Quotuplicis generis illæ sint? 49
Quid sit Cathedraticum? V Cathedraticum.
Quid sit Subsidium Caritativum? V. Caritativum.
Quas Exactiones imponere Subditis Magistratus Sæcularis possit? 78
An omnes sint justæ? 79. 80. 81
Quis imponere Vectigalia, Tributa &c. possit? 82. 83
An Jus illas imponendi acquiri etiam consuetudine, vel præscriptione possit? 84. 85
Quæ sit causa justa imponendi novas Exactiones? 86
Requisita, ut imponantur justè. 87
Forma in illis imponendis servanda. 88
Pœna non imponentium legitimè. 89
An ad Tributi vel alterius novæ Exactionis impositionem necessarius sit consensus subditorum? 90. 91. 92. 93
Ad Exactiones à Principe factas non tenentur Extranei. 94
Personæ, & Loca Ecclesiastica. 95
Pauperes & cæci. 96
Si injustè impositæ sint, non obligant subditos. 97
Obligant in conscientia, si justè. 98
Vel si dubium sit, an sint justè impositæ. 99

Excommunicatio.

Excommunicati ob Hæresin non possunt testari. XXVI. 80

Privantur Sepulturâ Ecclesiasticâ. XXVIII. 49
Quid faciendum, si in loco Sacro sepultus sit Excommunicatus. 51
Quinam Excommunicati priventur Sepulturâ Ecclesiasticâ? 57. &c.
A quo absolvi possit, & debeat Excommunicatus in articulo mortis, ut gaudere possit Sepulturâ Ecclesiasticâ? 61
An admittere Professionem possit Prælatus Excommunicatus? XXXI. 88
An Excommunicati Jus præsentandi retineant? XXXVIII. 69 70 71
An Ecclesia polluatur per Sepulturam Excommunicati tolerati? XL. 75. 76

Executio. Executor Testamenti.

Quotuplicis generis sint Executores Testamentorum? XXVI. 191
Quinam esse Testamentorum, & Ultimarum Voluntatum Executores possint? 192. 193
An omnes Religiosi, & quo pacto esse Testamentorum Executores possint? 194
An valeant gesta à Religioso, qui munus exequendi Testamentum sine licentia Superioris suscepit? 195. 196
An compelli aliquis possit ad suscipiendum munus Executoris? 197
A quo Judice compelli aliquis possit ad exequenda Legata in Testamento relicta? 198. 199
Intra quod tempus Hæredes, & Executores Ultimam Voluntatem defuncti implere debeant? 200
An tempus istud sit continuum, vel utile? 201
Quæ sit pœna Hæredis, vel Executoris, si intra tempus à Jure definitum negligat exequi Voluntatem Testatoris ultimam? 202
Cui applicanda sint emolumenta, quibus ob negligentiam in executione commissam privatus est Hæres, vel Executor? 203
Quænam sit obligatio Executoris post Executionem factam? 204
Cui rationem executionis teneatur reddere? 205. 206
An Executor possit commutare Ultimas Voluntates? 207

Exempti.

Cui rationem executionis Testamenti reddere teneantur Religiosi, & Clerici exempti? XXVI. 205. 206
An Episcopo debeatur Portio Canonica etiam ex relictis Ecclesiæ, vel Monasterio exempto? 216. 217. 218
An Ecclesiæ exemptæ solvant Cathedraticum? XXXIX. 65
An Episcopus ad defectum Portionis, Vicario Parochiali debitæ, supplendum compellere possit etiam Religiosos Exemptos? 131

Exhæredatio.

Quinam præteriri nequeant in Testamento, ita, ut vel instituí, vel nominatim exhæredari debeant? XXVI. 102
Tales non sunt Fratres, & Sorores. 103
Hæredes necessarii solùm instituí debent in Legitimam. 104
Quæ Jure recentiore est Triens, vel Semis. 105
Quod tamen non procedit in filijs Adoptivis. 106
Requisita, ut exhæredare possit pater filium? 107. 108
Filius Patrem, frater fratrem? 109

Exsecratio Ecclesiæ, vel Altaris.

V. Altare, Ecclesia.
Quis istam Parochianis administrare debeat? XXIX. 14

F.

Fœmina.

Non potest esse testis in Testamento, XXVI. 28
Potest esse Executrix Testamenti. 192
An fœminæ Juris Patronatûs capaces sint? XXXVIII. 77. 78. 79
An Jus Patronatûs competens fœminæ, si illa nubat, ad maritum transeat? 80. &c.

Falcidia.

Gravatus Legatis ex his deducere potest Falcidiam. XXVI. 160
Hujus definitio, & quis deducere illam possit? 161
Ex quibus ea sit deducenda? 162. 163
Secundùm quod tempus bonorum quantitas spectetur ad hunc effectum? 164. 165
Quibus casibus deductio Falcidiæ cesset? 166. 167 168

Famuli.

Ubi sepeliendi sint Famuli Domestici Ordinum mendicantium? XXVIII. 37
Clerici non possunt esse Famuli Domestici Laicorum. L. 51

Feudum.

An istud à Professo ad Monasterium transeat? XXVII. 71
Utrum Decimæ infeudari etiam Laicis possint? XXX. 39
Vel postquam ad Ecclesiam redierunt, reinfendari? 40
Duplex Limitatio. 41
Quomodo Jus Patronatûs transferri possit Infeudatione? XXXVIII. 163

Fideicommissum.

Definitio Substitutionis Fideicommissariæ. XXVI. 126
Differentia à Substitutionibus Directis. 127
Divisio Fideicommissi in Universale, & Particulare. 128
Expressum, & Tacitum; Purum, Conditionatum. 129

Commune, & Familiare. 130
Quis Fideicommissum possit relinquere? 131
Quomodo? 132
Cui? 133. 134
Quis eodem onerari? 135
Privilegia Filijfam. Fideicommisso onerati. 136
Quando substitutus excludatur per ingressum Religionis, & susceptionem Clericatûs? 137. 138
Fiduciarius Hæres in Fideicommisso potest deducere Trebellianicam. V. Trebellianica.
Onera Hæreditatis cui incumbant? 145
An Jus Patronatûs transeat ad Fideicommissarium? XXXVIII. 136

Filius Filiusfamillias.

De quibus Bonis Filiusfam. testari possit? XXVI. 75
An, & quatenus instituì Hæredes possint Filij illegitimi? 94
An, & quatenus instituì possint horum Nepotes? ibid.
Et Filij Spurij? ibid.
Ex quibus causis exhæredari possint Filij Legitimi? 107
Alia requisita ad hujusmodi Exhæredationem? 108
Privilegia Filijfam. Fideicommisso onerati? 136
Quomodo succedant Filij, & qui ab intestato? V. Liberi.
An eligere sibi Filiusfam. Sepulturam possit? XXVIII. 13
An & quomodo Vota Filij sui puberis possit irritare Pater? XXXIV. 78 &c.
Non potest Pater se immiscere in præsentatione, quæ filio competit, nisi quando Jus Patronatûs annexum est Bonis adventitijs? XXXVIII. 76

Fiscus.

Quando Laico, vel Clerico succedat Fiscus? XXVII. 60. 61
An publicatis ob crimen Patroni bonis, ad Fiscum etiam Jus Patronatûs transeat? XXXVIII. 144

Frater.

Frater Fratrem non tenetur instituere Hæredem. XXVI. 103
Causæ, ob quas Frater ab Hæreditate Fratris etiam casu institutæ personæ turpis arcetur. 109
Concurrunt cum Ascendentibus Fratres utrinque conjuncti. XXVII. 19
Quomodo Fratres sibi invicem succedant ab intestato? V. Consanguinei Collaterales.
An frater ob paupertatem Fratrum impediatur Religionem ingredi? XXXI. 42. 43.

Fructus.

Fructus Beneficiales. V. Bona Ecclesiastica.
Fructus Grossos lucratur Novitius, Beneficium suum administrans per Vicarium? XXXI. 93
Cui cedant Fructus pendentes, Beneficiario mortuo? XXXIX. 141. 142. 143
Fructus Missæ. V. Missa. Applicatio Fructûs.

Fugitivi.

Quinam dicantur Religiosi Fugitivi? XXXI. 266
An Jure communi contra eos sit aliqua pœna imposita? 270. 271
An Prælati eos capere, & incarcerare valeant, si ipsos extra territorium suum deprehendant? 272. 273
Ad quem pertineat Dominium rerum, quas Religiosus fugitivus reliquit? 274. 275
An Monasterium teneatur solvere debita ab eo contracta, 276. 277

Fundatio.

Fundatione acquiritur Jus Patronatûs. V. Jus Patronatûs.

Furtum.

An Furtum quodlibet prohibeatur in Ecclesia Sacrilegij nomine? XLIX. 70. &c.
Pœna furantium in loco sacro. 74. 75. 76
An qui committit Furtum in Ecclesia excludatur Asylo? 198

G.

Gabella.

An ab his immunes sint Res, & Bona Ecclesiastica? XLIX. 17
An si contra Libertatem Ecclesiasticam impositio Gabellæ in venditione carnis, frumenti, vini &c. 42
V. Immunitas.

Grangiæ.

An conservari Eucharistia possit in Grangijs Regularium? XLIV. 20

Grassator.

Publici Grassatores viarum excluduntur Asylo. XLIX. 186
Quid sint, & quomodo differant à Latronibus? 192. 193
Requisita, ut ob hoc crimen quis excludatur Asylo. 194

Gubernatio.

An Gubernationem Civitatis, Provinciæ &c. sine Dispensatione Pontificia gerere possint Clerici non Sacerdotes? L. 63. 64

H.

Hæres.

Hæres in Testamento institutus non potest in eodem esse testis. XXVI. 29
Hæredes instituì possunt omnes, qui Jure non prohibentur. 90

Enu-

Enumerantur, qui ab hæreditate repelluntur ut indigni absolutè. 91
Indigni secundùm quid. 92
Incapaces simpliciter Jure Civili recensentur. 93
Incapaces secundùm quid. 94
Prohibiti Canone sunt Hæretici, & persecutores Cardinalium. 95
Jure speciali FF. Minores de Observantia, & Capucini. 96
Professi Societatis JESU, & Coadjutores Formati ejusdem. 97
Domus Professæ Societatis cum limitatione. 98
Potest Hæres tutâ conscientiâ retinere partem Institutionis nomine relictam FF. Minoribus. 99
Quo tempore Hæres debeat esse capax? 100
An noceat incapacitas temporis intermedij? 101
Quinam præteriri in Testamento nequeant? V. Exhæredatio.
De Hæredibus Novitiorum, & Professorum intestatorum. V. Novitius, Professus.
An, & quando Voto defuncti teneatur Hæres? XXXIV. 51. 52. 53

Hæretici.

Non possunt Testamentum condere, saltem extra Germaniam. XXVI. 73
Etiam ad pias causas. 87
Neque possunt Hæredes instituì. 93. 95
Non possunt sepeliri in loco sacro. XXVIII. 49
De Jure non sunt capaces Juris Patronatûs. XXXVIII. 67. 68
An privilegio Asyli gaudeant? V. Asylia.

Homicidium.

Factum in Ecclesia privat Asylo. V. Occidens in Ecclesia.

Homicidium Proditorium.

Quis dicendus sit Homicida Proditorius? XLIX. 220
Fundamenta adversæ sententiæ? 221
Explicatur duplex acceptio Homicidij Proditorij. 222
Ad strictè dictum Homicidium Proditorium requiritur amicitia, vel ejus species. 223
Et hoc solum Asylo privat. 224
Probationes istius sententiæ. 225. &c.
Deducitur, quinam ex hoc capite Asylo priventur. 230. &c.
Deducitur, quinam eodem gaudeant. 235. &c.
Diluuntur Argumenta contraria. 240. &c.

Horæ Canonicæ.

Definitio Officij Divini, seu Horarum Canonicarum. XLI. 51
Ratio numeri earum septenarij. 52
Divisio in Officium Nocturnum, & Diurnum. 53
Ad id obligantur Clerici constituti in Sacris. 54
Religiosi Professi ad Chorum deputati. 55
Clerici quicunque Beneficium obtinentes. 56
Utrum ad Horas teneatur Clericus, obtinens Beneficium tenue? 57. 58. 59
Vel qui Beneficij Ecclesiastici titulum duntaxat habet sine ejus possessione? 60. 61. 62
Aut qui in possessionem quidem Beneficij missus est, fructus tamen inde non percipit? 63. &c.
An qui plura Beneficia habet, debeat in die sæpius Horas dicere? 68. 69. 70
An ad Horas dicendas obligetur Coadjutor in Beneficio? 71
Aut obtinens Capellaniam? 72
Vel Beneficium habens in Commendam? 73
An Lege Pensi Horarij adstringantur Vicarij? 74
Obtinentes Præstimonia? 75
Pensiones? 76
An Religiosi à Choro absentes teneantur Horas dicere? 77. 78
An sub obligatione ista comprehendantur etiam Ejecti, Fugitivi, damnati ad triremes? 79. 80
Quid de ijs Religiosis, qui extra Claustrum ex dispensatione vivunt? 81. 82. 83
An Superior Religiosus cum subditis dispensare possit circa Pensum Horarium? 84. 85
Quo tempore recitandæ sint Horæ Canonicæ? 86
Quo loco? 87
Et modo? 88
Causæ excusantes ab obligatione Pensi Canonici? 89. &c.
Pœna id negligentium. 96. 97. 98

Hospitale.

An, & quomodo Hospitalia subijciantur Episcopo? XXXVI. 13. 14. 15
Quænam ex his Visitationi ejusdem subsint? 16. 17
Exceptiones. 18. 19. 20
An Episcopus ab Administratoribus Hospitalium rationes possit exigere? 21. 22
An ab Hospitalibus solvi Procurationes debeant? XXXIX. 166
Habent Jus Asyliæ. V. Asylia.

I.

Jejunium.

Jejunium requisitum ad susceptionem Evchariſtiæ. V. Evchariſtia.
Duplex acceptio Jejunij. XLVI. 1
Divisio. 2
In quo delectus ciborum, in Jejunio Ecclesiastico requisitus consistat? 3
An requiratur etiam delectus in potu? 4. 5. 6
An ubi licita est comestio lacticiniorum, etiam permissus sit usus sagiminis, & lardi? 7. 8. 9
Quorum animalium carnes prohibeantur die Jejunij? 10

Quo Jure introductum sit præceptum unicæ refectionis requisitæ ad Jejunium Ecclesiasticum ? 11
Quomodo peccet, qui in hac refectione comedendo excedit limites temperantiæ ? 12
Quomodo refectio debeat esse unica, ut dicatur impleta præcepti hujus substantia ? 13. 14. 15
An cui licitus est esus carnium, etiam permissa sit secunda refectio, & esus cæterorum ciborum, qui diebus ejurialibus aliàs prohibentur ? 16. 17. 18
Quo tempore refectio die Jejunij sumenda sit ? 19. 20
An, & quale peccatum sit Cænæ horam in die Jejunij prævertere ? 21. 22. 23
Quo Jure introductus sit usus Collatiunculæ Vespertinæ ? 24
Quantum cibi sumere in illa liceat ? 25. 26
An in Vigilia Nativitatis. & Paschatis plus sit concessum ? 27
Quid in eadem refectiuncula observandum circa qualitatem ciborum ? 28. 29
An ordine mutato, collatio sumi possit circa meridiem, cænâ ad occasum solis dilatâ ? 30
Quibus anni diebus jejunium fidelibus ab Ecclesia præceptum sit ? 31. &c.
An Jejunium die Dominica licitum sit ? 36. 37
An vovens Jejunium, aut abstinentiam die Veneris, id observare etiam teneatur, quando Festum Nativitatis in hunc diem incidit ? 38. 39 40
Obligatio Jejunij est per se sub peccato mortali. 41
Causæ excusantes ab hac obligatione. 42. &c.
Quis dispensare in Jejunio possit ? 48

Illegitimi.

Quomodo succedant Parentibus ? V. Liberi.
In quo loco sepeliendi sint ? XXVIII. 31
An sint capaces Juris Patronatûs ? XXXVIII. 73

Immunitas.

Definitio Immunitatis Ecclesiasticæ. XLIX. 1
Discrimen à Privilegio speciali. 2
Divisio in Personalem, Realem, & Localem. 3
In quo consistat Immunitas Personalis ? 9
An Clerici immunes sint à Tributo Capitationis ? 10
A quibus alijs muneribus immunes sint ? 11
An Hospitium teneantur præbere militibus, vel ire ad Bellum ? 12
An, & quando cogi possint ad murorum custodiam ? 13
A quibus alijs oneribus eximantur res, & personæ Ecclesiasticæ ? 14
An etiam ab ijs, quæ rei connexa sunt ? 15
Quotuplicis generis sint res, & bona Ecclesiarum ? 16
Quænam ex his exempta sint ab oneribus, gabellis, & Tributis Sæcularibus ? 17. &c.
An ab istis exempta sint etiam Bona Clericorum Patrimonialia ? 24. &c.
An Clerici ex Bonis suis concurrere debeant pro reparatione pontium, murorum, viarum, & in alijs publicis necessitatibus ? 31. &c.
An tempore famis, & caritatis annonæ Clerici à potestate Sæculari compelli possint ad frumentum &c. justo pretio vendendum ? 37. 38. 39
Vel ad occurrendum contagioni, quando pestis grassatur ? 40
An sit contra libertatem Ecclesiasticam impositio Gabellæ in venditione carnis, frumenti, vini &c. 42
Quænam conditiones requirantur, ut Clerici, & aliæ personæ Ecclesiasticæ teneantur, & licitè possint contribuere ad sublevandam necessitatem publicam ? 43
Quanta sit conditionum istarum necessitas ? 44
Quando censeantur Laicorum facultates non sufficere ? 45
An inconsulto Pontifice, sufficiat consensus Episcopi, & Cleri ? 46
Quid nomine Cleri intelligatur ? 47
Quando secluſa necessitate publica, Collecta imponi Ecclesijs, & Ecclesiasticis possint ? 48. 49
An Principes Sæculares efficere prædia omnia, in territorio suo sita, tributaria possint, ita ut cùm illa pervenerint ad Ecclesiasticos, sint obnoxia Collectis postea imponendis ? 50
Quinam Immunitate Reali gaudeant ? 51
An etiam Coloni Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum ? 52. &c.
Quo Jure Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum Immunitas sit introducta ? 56. &c.
Quæ pœna statuta sit violantibus Libertatem Ecclesiasticam ? 60. &c.
Quotuplex privilegium Ecclesijs ratione Immunitatis Localis competat ? 66
An omne opus profanum, in Templo factum, speciem sacrilegij habeat ? 67. &c.
Quinam actus ex aliàs licitis prohibeantur in Ecclesia ? 77. &c.
Prohibetur in Ecclesia Placitum. V. Placitum.
Mercatus. 81
Concilia Universitatum, & Parlamenta. 82
Ludi Theatrales, & assservatio supellectilium. 83
Convivia, & alij actus profani. 84
Non potest Ecclesia converti ad usus belli, & ædificari in modum Castri. 86
Ipsa, & Monasteria immunes sunt ab onere hospitandi. 87
Quid sit Jus Asyli, sive Asylia ? V. Asylia.

Impedimentum.

Quale impedimentum esse debeat, ut ob illud obligatio Voti cesset ? XXIV. 62. 63

Im-

Imperator.

Institui non potest hæres in causa litis. XXVI. 94.

Impubes.

Non potest esse testis in Testamento Solenni. XXVI. 28
Neque testari. 72
Quatenus Vota impuberum valeant? XXXIV. 12
Quis illa irritare possit? 76. 77

Incendiarij.

Privantur Sepulturæ Ecclesiasticæ. XXVIII. 49
Non tamen Asylo. XLIX. 263

Infantes.

Infantes fidelium, si decesserunt ante Baptismum, non possunt sepeliri in loco Sacro. XXVIII. 49
Quid faciendum, si mater moriatur prægnans? 71
An Ecclesia polluatur Sepulturâ infantis mortui in utero matris fidelis? XL. 73
Aut extra uterum, sed ante Baptismum? 74

Infideles.

Non possunt sepeliri in loco Sacro. XXVIII. 49
Quid faciendum, si in loco Sacro sepultus sit Infidelis? 50. 52
An Infideles teneantur solvere Decimas? XXX. 19
Quinam intelligantur Infidelium nomine? XXXIII. 1
Quid statutum sit Jure de Matrimonijs conversorum ad Fidem? 2
Extensiones doctrinæ. 3
Cui conjugum relinquenda sit communis proles, si unus illorum convertatur ad Fidem, alter in Infidelitate maneat? 4. 5. 6
An Infideles sint capaces Juris Patronatûs? XXXVIII. 66
An baptizari possint Infidelium Liberi, invitis Parentibus? XLII. 36, *&c.*
A quo baptizandi sint Infideles ad Fidem conversi? 45. 46. 47
An privilegio Asyliæ gaudeant Infideles? V. Asylia.

Institutio hæredis.

V. Hæres

Interdicti.

Notorij, & denuntiati Interdicti privantur sepulturâ Ecclesiasticâ? XXVIII. 49

Irritatio Voti.

Obligatio Voti cessat Irritatione? XXXIV. 74
Quis irritare Vota impuberis possit? 76. 77
An, & quomodo Vota filij sui puberis possit irritare Pater? 78. *&c.*
An, & quomodo Vota Servi Dominus? 82. 83. 84
Religiosorum sibi subjectorum Prælatus Regularis? 85
Monialium Abbatissa, vel Priorissa? 86
Quid dicendum de Voto transeundi ad Religionem strictiorem? 87
An, & quæ Vota uxoris suæ possit irritare maritus? 88. *&c.*

Judex

Quis sit Judex competens, quando lis est de limitibus Diœcesium, & Parochiarum? V. Limites.
Ad quem Judicem spectet causa Decimarum? XXX. 73. *&c.*
Quis sit Judex competens in causis Juris Patronatûs? XXXVIII. 244. *&c.*
Et in controversijs motis super subsidio Charitativo? XXXIX. 76. 77
Coram quo Judice congruæ portionis assignatio, vel redintegratio petenda sit? 138. 139
Quomodo procedendum sit in congruæ portionis causis? 140
Quis Judex crimen, in Ecclesia commissum, punire possit? XLIX. 219
Ad quem Judicem pertineat cognitio, num reus Asylo gaudeat? 311. *&c.*

Judicium Sanguinis.

Prohibetur Clericis. L. 35
Quid circa hoc Personæ Ecclesiasticæ possint? 37. 38. 39
Quomodo delegare Ecclesiasticus causam sanguinis possit Laico? 40
Ad quem appellandum à sententia hujusmodi Delegati? 41
In quibus Clericis prohibitio hæc locum obtineat? 42

Jus Asyli.

V. Asylia.

Jus eligendi.

An Novitius retineat Jus eligendi Episcopum, vel alium Prælatum, quod antea ipsi competijt? XXXI. 94
Utrum ad hujus Electionem necessariò vocandus sit? 95

Jus Patronatûs.

An à Professo ad Monasterium per Successionem ab intestato transeat? XXVII. 74.

Quid sit Jus Patronatûs? XXXVIII. 1
An sit Jus Spirituale? 2. 3. 4. 5
Hujus divisio in Ecclesiasticum, Laicale, & Mixtum. 6. &c.
In Hereditarium, & Familiare. 12. 13. 14
In Personale, & Reale. 15
In Passivum, & Activum. 16
Quæ sit differentia inter Jus Patronatûs Ecclesiasticum, & Laicale? 17
Cujus Patronatûs Ecclesiastici, an Sæcularis, sit Beneficium, quod fundatum est à Clerico ex reditibus Ecclesiæ intuitu acquisitis? 18. &c.
An casu, quo Jus Patronatûs Ecclesiastici transfertur in Laicos perseveret esse Ecclesiasticum? 22. 23
An Ecclesiastici, vel Laicalis Juris Patronatûs sit Beneficium, ad quod Laicus nominat, Clericus præsentat? 24. 25
Quale sit, quod competit Laico cum consilio, vel consensu Clerici, aut vicissim? 26. 27
Item quod competit Clerico, & Laico simul? 28. 29
Quando Jus Patronatûs in Ecclesia dari cœperit? 30
Ex quibus causis hodie oriatur? 32. 33
Requisita, ut ex his capitibus acquiratur. 34. 35. &c.
An, ut acquiratur, necessaria sit ejus reservatio in fundatione &c. 41. 42. 43
An quarumcunque Ecclesiarum fundatione, constructione, dotatione acquiratur? 44
An amittatur conversione Ecclesiæ non Collegiatæ in Collegiatam? 45
An concurrere debeant simul fundatio, constructio, dotatio, ut jus Patronatûs competat? 50. 51
An necessarium sit, ut omnia præstentur ab eodem. 52
An Jus Patronatûs respectu ejusdem Ecclesiæ possit competere pluribus? 53. &c.
An acquiri possit etiam post consecratam Ecclesiam? 58. 59. 60
Cui Jus istud competat, quando Ecclesia omnino diruta restauratur? 61. 62
An si quis in fundo alieno, inscio, aut invito domino, extruat Ecclesiam, Jus Patronatûs acquiratur ædificanti, an verò Domino fundi? 63. 64
Quinam Juris Patronatûs capaces sint? 65
An Judæi, & Infideles? 66
An Hæretici? 67. 68
Excommunicati? 69. 70. 71
An ejus capaces sint Laici? 72. 73
Pupilli, & Minores? 74. 75. 76
Fœminæ? 77. 78. 79
An casu, quo fœminæ Jus Patronatûs competit, illud penes eandem maneat, si nubat, an verò ad virum ipsius transeat? 80. 81. &c.
An fieri præsentatio possit etiam à mero possessore istius Juris? 85. &c.
An à Conductore Villæ, vel Castri, cui Jus istud annexum est? 89. 90
An transeat ad Creditorem, cui oppignoratum est Castrum, annexum sibi Jus Patronatûs habens? 91. 92
Qualis Honor debeatur Patrono? 94 &c.
Quale onus eidem incumbat? 99. &c.
Quæ utilitas in ipsum redundet? 105
Quid requiratur, ut Patronus ab Ecclesia petere alimenta Jure possit? 106. &c.
An Patronus ratione Juris Patronatûs capere Pensionem aliquam ab Ecclesia possit? 110. 111
Quid sit Præsentatio, & quis ejus effectus? V. Præsentatio.
An, & quomodo Jus Patronatûs transferatur per Successionem Hereditariam? V. Successio.
Per Donationem, & Legatum? V. Donatio.
Per Venditionem? V. Venditio.
Permutationem. V. Permutatio.
Infeudationem, & Emphyteuticationem? V. Feudum. Emphyteusis.
Locationem? V. Locatio.
Privilegium Apostolicum? V. Privilegium.
Consuetudinem, vel Præscriptionem? V. Consuetudo. Præscriptio.
An, & quomodo Jus Patronatûs probari debeat? 233
Quis sit Judex competens in causis Juris Patronatûs? 244. 245. 246
An, & quando Summus Pontifex derogare censeatur Juri Patronatûs? 247. &c.
An, & cui Patronatûs derogare possit Sedis Apostolicæ Legatus? 254. 255. 256
Qualem potestatem circa Beneficia Patronata habeat Episcopus? 257. 258. 259
Quot modis amittatur Jus Patronatûs sine delicto? 260. 261
Quibus criminibus amissio illius sit ipso Jure annexa? 262
Cui acquiratur Jus Patronatûs in Ecclesia Parochiali nova? XLVIII. 27. 28. 29

Jus Sepulturæ.

V. Sepultura.

L.

Læsa Majestas.

V. Majestas.

Latrones.

Privantur Sepulturâ Ecclesiasticâ. XXVIII. 49
Quisnam dicatur Latro Publicus XLIX. 187
Quid requiratur, ut ob Latrocinium quis excludatur Asylo? 188
Corollaria. 189. 190. 191

Legatarius.

Potest esse testis in Testamento, ex quo Legatum capit. XXVI. 29

Lega-

Legatum.

Testamentum imperfectum quoad Legata pia validum est, etiamsi ipsum Testamentum quoad institutionem non valeat. XXVI. 44
Nec opus est, ut hæres institutus adierit hæreditatem. 45
Legati Definitio. 146
Differentia à Fideicommisso, Institutione directa &c. 147
Quis facere Legata possit, & cui ?148. 149
Quæ res legari possint? 150
An etiam alienæ? 151. 152
Quomodo Legatum relinqui? 153. 154
Cui debeatur, si relictum sit personæ, vel loco incerto? 155. 156. 157
Quando peti Legata possint, & solvi debeant? 158. 159
Quis valor attendendus in solutione Legati? XXXIX. 41. 42
Gravatus Legatis ex his deducere potest Falcidiam. V. Falcidia.

Legatus.

An, & cui Juri Patronatûs derogare possit Sedis Apostolicæ Legatus? XXXVIII. 254. 255. 256

Legitima hæreditatis

An Hæredes necessarij in tota substantia necessariò instituì debeant? XXVI. 104
Quota pars Hæreditatis sit Legitima Hæredibus necessarijs competens? 105. 106
Quo Jure liberis, Parentibus, & Fratribus debeatur? 110. 111. 112
Utrum ex bonis Professi debeatur Legitima ejus filijs? XXVII. 79
An statim post editam Professionem ? 80. 81

Leprosi.

Leprosis permittitur, ut construere novam pro se Ecclesiam, & proprium Presbyterum ponere ibi possint? XLVIII. 13

Lex.

An facultas testandi abrogari possit per Legem? XXVI. 8
Legum, & Medicinæ Studium Clericis, & Religiosis prohibetur. V. Studium.

Libellus. Famosus.

Damnati ob Libellum, aut Carmen famosum non possunt testari? XXVI. 74

Liberi.

Quid requiratur, ut valeat Testamentum inter Liberos? V. Testamentum.
Liberi Perduellium non possunt instituì Hæredes. XXVI. 93
Liberi primum inter Hæredes ab intestato locum obtinent. XXVII. 11
Quinam Liberi jus prælationis ante alios in successione ab intestato habeant? 12. *&c.*
Quomodo parentibus succedant Liberi? 20. 21
Quid si ex diversis nuptijs sint procreati? 22. 23
An Jure repræsentationis gaudeant etiam Pronepotes, & Abnepotes &c. 24
An siquis repudiavit Hæreditatem, ejus filius Jure repræsentationis adhuc possit succedere? 25
An cum Ascendentibus ad Hæreditatem ab intestato admittantur etiam liberi fratris, aut sororis præmortuæ? 31. 32
Quomodo Patruo succedant fratrum præmortuorum Liberi? V. Consanguinei Collaterales.
Quibus casibus ob paupertatem Parentum Liberi teneantur differre Religionis ingressum? XXXI. 41
An ad ingrediendam Religionem extra casum Paupertatis licentia Parentum egeant? 41

Libertas Ecclesiastica.

V. Immunitas.

Limites.

Quid intelligatur nomine Limitum? XXIX. 19
Cujus authoritate constituì Diœcesibus, & Parochijs possint? 20. 21
An sint Præscriptioni obnoxij? 22. 23. 24
Cui competat cognitio quæstionis motæ circa fines Diœcesium, & Parochiarum? 25. *&c.*
Utrum potestas cognoscendi de causis istorum finium acquiri possit Præscriptione à potestate Laica? 29. 30. 31

Locatio.

An Locatione transferri Jus Patronatûs possit; XXXVIII. 164

M.

Majestas.

Rei criminis Læsæ Majestatis non possunt Testamentum condere? XXVI. 74
Etiam ad pias causas. 87
Liberi Reorum læsæ Majestatis non possunt instituì Hæredes. 93
Requisita, ut aliquis excludatur ab Asylo ratione criminis læsæ Majestatis? XLIX. 255. *&c.*

Majoratus.

An à Professo ad Monasterium per successionem ab intestato transeat? XXVII. 73

)()()()()(Ma-

Majorum Sepultura.

V. Sepultura Majorum.

Maritus.

An, & quæ Vota uxoris suæ irritare is possit? XXXIV. 88. &c.

Martyr.

Ad Canonizandum Martyrem debet constare de Martyrio. XLV. 14. 15
Tam ex parte Tyranni. 16
Quàm ex parte passi. 17
An in Canonizatione Martyris requirantur Miracula? 18. 19. 20

Materia.

Mutatione Materiæ quando cesset obligatio Voti? XXXIV. 60. 61
Materia Eucharistiæ. V. Eucharistia.
Materia Baptismi. V. Baptismus.

Matrimonium.

Legitimati per subsequens Matrimonium quomodo succedant? XXVII. 12
Quando post Matrimonium ratum transire liceat ad Religionem? V. Conversio Conjugatorum.
Quando post Consummatum? V. Conversio Conjugatorum.
Quid statutum sit Jure de Matrimonijs conversorum ad Fidem? V. Infidelis.

Medicina.

Legum, & Medicinæ studium prohibetur Clericis, & Religiosis. V. Studium.

Meliorationes.

Ad quem spectent Meliorationes factæ à Beneficiario defuncto? XXXIX. 144. 145

Mercatus.

In Ecclesia non potest exerceri Mercatus. XLIX. 81
Excipitur Venditio Candelarum, & aliarum rerum pietati inservientium. 82

Metus.

An Testamentum gravi metu extortum subsistat? XXVI. 11. 12. 13
Cui deferatur Hæreditas relicta per Testamentum metu extortum? 17. 18. 19
An cogi aliquis possit ad faciendam Professionem? XXXI. 173
An sic extorta Professio subsistat? 174
Quid censendum de valore Professionis, quando vis, & metus illatus est non Profitenti, sed Professionem admittenti? 176. 177. 178
Reus metu injustè incusso coactus deserere Asylum, illud retinet. XLIX. 280

Miles

Privilegia Militum quoad faciendas Substitutiones. XXVI. 123

Militare Testamentum.

Testamentum Militis de Peculio Castrensi vel quasi Castrensi ejus arrogatione non rumpitur. XXVI. 179

Minister.

Minister Eucharistiæ. V. Eucharistia.
Minister in Sacrificio Missæ. V. Missa.
Minister Baptismi. V. Baptismus.

Minores de Observantia.

Non possunt scribi Hæredes. XXVI. 96
An cohæres, vel hæres substitutus, aut ab intestato succedens hæreditatem, vel ejus portionem, FF. Minoribus relictam, tutâ conscientiâ retinere possit, vel contra æstimationem Fratribus dare teneatur? 99
Possunt ipsis relinqui Legata. 149
Non possunt esse Executores testamentorum? 194
Non habent jus succedendi ab intestato. XXVII. 69
Habent Jus Sepulturæ. XXVIII 6
Quid singulare habeant circa Votum Paupertatis Religiosæ? XXXV. 6

Miracula.

Ad Canonizationem Sanctorum requiritur Vitæ Sanctitas, & Miracula. XLV. 8
Quando de his censeatur sufficienter constare? 11. 12. 13
An requirantur etiam ad Canonizandum Martyrem? 18. 19. 20

Missa.

Extra locum, ab Episcopo, vel alio, habente Jurisdictionem quasi Episcopalem, deputatum regulariter celebrari Divina nequeunt? XL. 7
Excipitur primò casus necessitatis. 8
Secundò Episcopi, & his superiores. 9
Tertiò habentes Privilegium Apostolicum celebrandi in Altari Viatico. 10
Quartò qui ad hoc licentiam obtinuerunt ab Episcopo. 11
Quam facultatem dare Episcopi etiam post Trid. possunt. 12
Quid intelligatur nomine Missæ? XLI. 32
Quis sit Minister in hoc Sacrificio? 33
Quis Effectus, ut est Propitiatorium? 34

Quis, ut est Impetratorium? 35
An sit obligatio celebrandi quotidie? 36
Quoties teneantur celebrare Parochi, & Curati? 37
Quoties alij Beneficiati? 38
Quid dicendum de his, qui nullum habent Beneficium? 39
An eadem die liceat celebrare sapius? 40
Casus, quibus istud permissum est. 41
Alij casus juxta alios Authores. 42
An liceat celebrare Missam in die Parasceves? 43
An privatam dicere in Sabbato Sancto? 44
Aut Feriâ V. in Cœna Domini? 45
Quâ horâ sit celebrandum? 46
Quo loco? 47
Et modo? 48
Utrum Sacerdotes Regulares ab Ordinarijs, vel alijs impediri possint, quin Missas, & Officia Divina in proprijs Ecclesijs celebrent? 49
Quid statutum sit, quando exteri, & peregrini celebrare petunt in Ecclesijs Regularium? 50
Fructus Missæ quomodo applicari debeat? V. Applicatio fructûs.
Missarum reductio. V. Reductio Missarũ.

Monasterium.

An, & quo casu Ecclesiæ Regulares converti in Seculares possint? XXXV. 25. 26. 27
Quis valeat licentiam concedere edificandi nova Monasteria? 28. 29. 30
Quid præter licentiam Pontificis, & Ordinarij in eum finem requiratur? 31. 32
Recensentur hæc requisita ex Const. Clem. VIII. Greg. XV. & Urban. VIII. 33. 34. 35. 36
Ubinam observandæ sint istæ Constitutiones? 37
An etiam comprehendant Monasteria Monialium? 38. 39
Observanda in horum erectione. 40
An dictæ Constitutiones servandæ sint etiam in translatione Conventûs? 41
Hujus ampliatione? 42
Et destructi reædificatione; 43
Quando exquirendus sit consensus cæterorum Regularium? 44. 45
Per quem sint peragenda Divina in Ecclesijs Monasterio unitis? XXXVII. 4. 5
An solvere Monasteria Cathedraticum debeant? XXXIX. 64

Moneta.

In qua Moneta solutio fieri debeat? XXXIX. 16. &c.
Cujus authoritate valor Monetæ mutari possit? 36
Causæ mutandi, & alia advertenda. 37
An debitum contractum in nummis aureis, vel argenteis majoris formæ, invito creditore, solvi possit in moneta æreâ, vel minuta? 45. 46. 47
An fabricatores falsæ monetæ excludantur Asylo? XLIX. 263

Moniales.

An in Ecclesijs istarum eligi Sepultura possit? XXVIII. 17. &c.
Quid observandum in harum Visitatione? XXXV. 93
Quid in earum receptione? 94. 95
Quid in Benedictione, seu Consecratione? 96
Quotuplex sit Benedictio, seu Consecratio illarum? 97
Quid Jure communi statutum sit circa Clausuram Monialium, & egressum illarum ex Monasterijs; 98.
V. Clausura.

Monstra.

Utrum Monstra baptizari possint? XLII. 32. 33

Munera.

Munera, & onera sunt triplicis generis. XLIX. 4
Merè Personalia. 5
Merè Realia. 6
Et Mixta. 7
Quomodo Clerici, & Personæ Ecclesiasticæ sint immunes à Muneribus, & oneribus Sæcularibus? V. Immunitas.

Mutilans.

V. Occidens in Ecclesia.

Mutus.

Non potest esse testis in Testamento. XXVI. 19

N.

Negotiatio.

Definitio Negotiationis. L. 7
Ejus Divisio. 8. 9
Qualis Negotiatio Clericis sit prohibita? 10. &c.
An possint Clerici vendere res emptas, arte, vel industriâ sua mutatas? 18. 19
An Religiosi possint vendere Pharmaca, quæ ipsi suâ industriâ, & arte conficiunt? 20. 21. 22
Utrum Clerici, & Religiosi negotiationem sibi prohibitam exercere possint per alios? 23
An sic exercendo Negotiationem peccent? 24. 25. 26
An omnibus Clericis sit prohibita Negotiatio? 27
An etiam Clericis minorum Ordinum, non Beneficiatis? 28
Quibus Religiosis illa prohibita sit? 29
An etiam Novitijs? 30
Pœnæ Clericorum Negotiatorum. 31. 32. 33
An his pœnis afficiantur etiam Religiosi Negotiatores? 34

Negotium.

Negotij triplex acceptio. L. 1. 2. 3
Duplex acceptio Negotij Sæcularis. 4
Negotia Sæcularia Religiosis, & Clericis interdicta sunt. 5. 6
Quænam illa sint? 7. &c.

Nepotes.

Quomodo succedant? *V.* Successio ab intestato.

Nobilitas.

Utrum Professione Religionis amittatur? XXX. 220. 221

Novalia.

Diversa hujus nominis acceptio. XXX 31
Cui debeantur Decimæ Novalium? 32. 33
An qui præscripsit Decimas prædiales intra fines alienæ Parochiæ, hoc ipso possit etiam percipere Decimas Novalium? 48. 49
Quid dicendum, si Jus Decimandi acquisitum est privilegio? 50. 51

Novitiatus Novitius.

Novitij testari possunt. XXI. 81
Ad quem pertineant Bona relicta à Novitio Ordinis Religiosi, ante Professionem mortuo? XXVII. 63. 64. &c.
In quo loco sepeliendi sint Novitij? XXVIII. 15
Qua ætate hodierno Jure inchoari Novitiatus possit? XXXI. 44
Exceptiones. 45
Sine annus Probationis simpliciter necessarius in omni Religione? 46
An tempus Novitiatûs possit aliquando esse brevius anno? 47. &c.
An contrà longius? 51
Quid circa Probationis tempus dicendum in Societate JESU? 52
An biennium in ea requisitum Superiores Societatis possint contrahere? 53
An id possit Generalis Præpositus? 54. 55
Quando incipiat annus Probationis? 56
An peragenda necessariò sit in Religionis Habitu? 57. 58. 59
In quo loco peragi Novitiatus debeat? 60
An peragi cum licentia Superioris possit extra Monasterium? 61. 62. 63
Utrum Probationis, & ætatis à Jure requisitæ tempus debeat esse completum de momento ad momentum? 64. &c.
Utrum annus Probationis debeat esse continuus? 68
Quænam interruptio sufficiat, ut discontinuetur? 69
An is, qui post expletum annum Probationis ante editam Professionem Religionem deseruit, si iterum recipiatur, Novitiatum denuo inchoare debeat? 70. 71. 72
An repeti Novitiatus debeat casu, quo Professio ex aliquo defectu invalidè emissa est? 73
An sufficiat suppleri tempus, quod deerat, casu, quo durante probatione aliquis à Religione discessit, & denuo recipitur? 74
An repeti Novitiatus debeat, quando Religiosus ab uno Monasterio, vel Ordine transit ad alium? 75. 76
An Novitius intra annum Probationis liberè possit reverti ad Sæculum, etiam sine justa causa? 77. 78. 79
Quis solvere expensas factas in Novitij sustentationem eo casu debeat? 80. 81
Quæ Privilegia Novitijs competant? 82. 83. 84
Quæ sit eorum obligatio circa observantiam Regulæ? 785. 86. 8
Quam Jurisdictionem in eos Prælatus Regularis habeat? 88. 89
Quando Beneficia à se obtenta teneantur dimittere? 90. &c.
An Novitius retineat Jus eligendi Episcopum, vel alium Prælatum? 94
Utrum ad hujus Electionem necessariò vocandus sit? 95
An, & quando Novitius renuntiare bonis, & juribus suis possit? *V.* Renuntiatio.
An Prælatus Regularis dispensare in Votis cum Novitijs suis possit? XXXIV. 104. 105. 106
Utrum etiam Novitiæ ad Claustrum obligentur? XXXV. 100
An etiam Novitijs prohibita sit Negotiatio? L. 30

Nuncupativum Testamentum.

V. Testamentum.

Nuptiæ.

Non potest testari, qui incestas Nuptias scienter contraxit. XXVI. 73

O.

Obedientia Religiosa.

V. Votum Obedientiæ.

Oblati.

Quid circa hos notandum? XXXI. 151. &c.

Oblationes.

Oblationum triplex acceptio. XXX. 80
An detur in Jure præceptum faciendi Oblationes? 83. &c.
Exhibendæ de Jure communi sunt Parocho. 86
Exceptiones. 87
Casus, quibus Oblationes acquiruntur Episcopis. 88
Alijs Clericis, & Ecclesijs. 89
Religiosis. 90
Laici Oblationum capaces non sunt. 91

Personæ, à quibus factæ Oblationes ab Ecclesia non admittuntur. 92. 93
Administratio earum de Jure communi spectat ad Parochum? 94
Per se loquendo converti debent in usus ab offerentibus intentos. 95
In alios justa causa exigente, à Pontifice. 96
Et Episcopo. 97
Non tamen à Magistratu Sæculari. 98
Secluso Jure speciali. 99

Obsides.

Non possunt testari. XXVI. 76

Occidens in Ecclesia.

Quousque extendi debeat Lex privans Immunitate delinquentem in Ecclesia? XLIX. 198. 199. 200
An illo privetur, qui vulnerat in Ecclesia? 201. 202
Vel qui occidit quidem, sed ex necessitate defensionis? 203
Aut ex subita ira? 204
Vel spe immunitatis consequendæ? 205
An defendatur Asylo, qui existens extra Ecclesiam occidit existentem in Ecclesia? 206
Aut vicissim, qui existens intra Ecclesiam occidit existentem extra illam? 207. 208
An illo privetur, qui cædem, vel mutilationem committit prope Ecclesiam? 209. 210. 211
Qui mandat aliquem occidi in Ecclesia? 212. 213. 214
Qui vi, aut dolo ex illa aliquem extrahit, & extractum occidit? 215
Qui in illa vulnerat, si mors extra illam contingat? 216
An qui mutilat, vel occidit in Ecclesia, Immunitate privetur etiam quoad alia delicta antè, vel pòst commissa? 217
An qui in una Ecclesia deliquit, & postea fugit ad aliam, in ea tutus sit? 218
Quis Judex crimen in Ecclesia commissum punire possit? 219

Officium Divinum.

V. Horæ Canonicæ.

Oleum Infirmorum.

Quomodo asservari debeat? XLIV. 14. 15
An Asylum habeat reus fugiens ad Sacerdotem, qui Oleum Sacrum ad infirmum portat? XLIX. 146

Onera.

Quotuplicis generis sint Onera? XLIX. 4. &c.
Onera Missarum. V. Reductio.

Oratorium.

An ab Oratorijs privatis solvi Procurationes debeant? XXXIX. 106
An in Oratorijs privatis possint suspendi Campanæ? XL. 56
Quænam Oratoria Jus Asyliæ habeant? V. Asylia.

Ordo Religiosus.

Quid Jure communi decretum sit circa institutionem novorum Ordinum? XXXVI. 46. 47
An valeant Vota in Ordine, per Pont. non approbato, emissa? 49
V. Religio.

P.

Papa.

Potest commutare relicta ad causam piam. XXVI. 212
Solus approbat Religiosos Ordines. XXXI. 22
Potest dispensare in Professione solenni. 211. 212
Potest irritare Vota. XXXIV. 16
Commutare. 97
Dispensare. 103
An dispensare possit in Voto solenni Castitatis Religiosæ. XXXV. 47. 48. 49
An ex vi Voti Obedientiæ Religiosæ obedire eidem Regulares debeant circa ea, quæ sunt supra, contra, vel infra Regulam? 64
An, & quando Summus Pontifex derogare censeatur Juri Patronatûs? XXXVIII. 247. &c.
Quam potestatem circa Reductionem Missarum habeat? XLI. 144
Ad eum solum pertinet Canonizatio Sanctorum. XLV. 3. 4. 5

Paramenta.

Quis benedicere Vestes, & Paramenta pro Sacrificio Missæ possit? XL. 58
Quando ista benedictionem amittant? 60
An eam amittant etiam, quando reficiuntur? 61

Parasceve.

An liceat celebrare in Parasceve? XLI. 43

Parentes.

Testamentum Parentum inter Liberos. V. Testamentum non solenne.
Quando exhæredari possint à Liberis? V. Exhæredatio.
An Liberis suis præmortuis ab intestato succedant etiam Parentes illorum illegitimi? XXVII 34

)()()()()()()(*An*

An Pater eligere Sepulturam filio impuberi possit? XXXVIII. 12

Parificatio prolium.

Quid circa Successionem ab intestato operetur Pactum Parificationis Prolium? XXVII. 23

Parochia. Parochus Parochiani.

Quid sit Parochia? XXIX. 1. 2
Requisita, ut Ecclesia aliqua dici Parochialis possit? 3. 4
An ad constitutionem Parochiæ requiratur Fons Baptismalis? 5
Cœmeterium, & jus administrandi Sacramenta? 6
Quis numerus, ut Ecclesia aliqua dicatur habere populum? 7
An Parochia sit Beneficium Curatum? 8
Recensentur 12. Jura Parochialia. 9 &c.
A quo Sacramenta Parochianis administrari possint? 13. 14
Obligatio Parochi ad Sacramenta administranda, & Parochianorum ad ea suscipienda? 15
Munus prædicandi ex Officio competit Parochis, & Episcopis. 16
Quis statuere Limites Parochijs possit? V. Limites.
Parocho debentur Decimæ? XXX. 26
Cui Parocho debeantur Decimæ? 28. 29. 30
Quid possit Parochus, ut recuperet Decimas non solutas? 67. &c.
Eidem exhibendæ Oblationes, & Primitiæ sunt. V. Oblationes, Primitiæ.
Quoties teneantur Parochi, & alij Curati celebrare Missam? XLI. 37
An ratione applicati fructûs Missarum suarum possint accipere, & exigere stipendium? V. Applicatio fructûs.
Extra necessitatem Episcopus, & Parochus est ordinarius Minister Baptismi. XLII. 41
Quæ sint causæ justæ erigendi Ecclesiam Parochialem novam intra fines alterius Parochialis? XLVIII. 9
Præter consensum Episcopi ad novam Parochiam erigendam requiritur competens Parochianorum numerus, & Dos congrua. 16
Citatio Rectoris Parochiæ, intra cujus fines nova est erigenda. 17
Consensus Patroni. 18
Ecclesiæ Matrici pro facultate loci servari debet competens in ea honor. 19
An ad novæ Parochiæ intra fines alterius erectionem requiratur consilium, aut consensus Capituli? 20. 21
Quanta Ecclesiæ novæ Dos assignanda, & unde sumenda sit? 23. 24
An ad ejus erectionem procedi possit invito etiam Rectore, & Patrono Matricis Ecclesiæ? 25. 26
Cui acquiratur Jus Patronatûs in Ecclesia Parochiali nova? 27. 28. 29
Quid observandum in constructione novæ Ecclesiæ? 30. 31. 32
Quis concurrere debeat ad reparationem Ecclesiæ Parochialis? V. Reparatio.
Quando deveniendum ad translationem Ecclesiæ Parochialis ad aliam vicinam? 66. 67

Parsimonialia Bona.

Revocantur ad Bona quasi Patrimonialia. XXV. 1

Patrimonialia.

Quænam bona dicantur Patrimonialia Clericorum? XXV. 1
Quænam dicantur quasi Patrimonialia? ibid.
An horum dominium habeant Clerici? V. Bona Ecclesiastica.
Quomodo hæc expendere possit Clericus? 17
An ex his expensa ad causas pias sibi compensare ex Beneficialibus? 18

Patronus.

Quomodo acquirere Jus Patronatûs possit. V. Jus Patronatûs.
Quis esse Patronus Ecclesiæ possit? V. ibid.
Quæ sint ejus Jura, & obligationes? V. Ibid.
Utrum ad reparationem Ecclesiæ Patronatæ teneatur concurrere? V. Reparatio.

Pauperes, Paupertas.

Quinam veniant nomine pauperum, dum iisdem Bona superflua jubentur erogare Clerici? XXV. 24. 25
An jussus dare pecuniam pauperibus possit sibi servare, si verè pauper sit? XXVI. 209. 210. 211
An Pauperes teneantur solvere Decimas? XXX. 22
Paupertas Parentum quando non prohibeat Liberos ab ingressu Religionis? XXXI. 40
An etiam frater ob paupertatem fratrum à Religionis ingressu impediatur? 42 43
Paupertatis Votum. V. Votum Paupertatis.

Peculium.

Quid sit Peculium? XXV. princ.
Quotupliciter accipiatur? ibid.
An Religiosis licitum sit habere Peculium? XXXV. 11. &c.
Testamentum militis de Peculio Castrensi, vel quasi Castrensi ejus arrogatione non rumpitur. XXVI. 179

Pensio. Pensionarius.

An ad Horas dicendas obligentur Pensionarij? XLI. 76

Pe-

Peregrinus.

Quis Peregrino succedat, quando is moritur intestatus? XXVII. 62
Ubi sepeliendi sint Peregrini, & Advenæ? XXVIII. 38
Quid de ijs tenendum, quando decesserunt in Monasterio? 42. 43. 44
Quid statutum sit, quando Exteri, & Peregrini celebrare petunt in Ecclesijs Regularium? XLI. 50

Permutatio.

Quomodo Jus Patronatûs transferri possit Permutatione? XXXVIII. 161. 162

Pestis.

Quas solennitates habere debeat Testamentum conditum tempore Pestis? V. Testamentum non solenne.
An, & qualiter Prælatus Regularis subditos obligare possit ad inserviendum peste, vel alio morbo contagioso infectis? XXXV. 69. 70

Pharmaca.

An possint Religiosi vendere Pharmaca, quæ ipsi suâ industriâ, & arte conficiunt? L. 20

Piæ Causæ.

Bona Beneficialia superflua expendi debent ad usus pios. XXV. 19
Est obligatio hæc ex genere suo gravis. 21
Excusat à mortali materiæ parvitas. ibid.
Quænam materia censeatur levis? 23
Unde obligatio hæc oriatur? 26. &c.
An qui Jure testari prohibentur, saltem testari possint ad causas pias? XXVI. 87
Legata relicta ad causas pias, etiam corruente Testamento, in quo relicta sunt, salva manent. 154
Quoad Legata pia in quantitate moderata agnatione Posthumi Testamentum non rumpitur. 173
An quoad eadem Legata pia rumpatur adoptione, vel arrogatione? 175
Quis commutare possit relicta ad causas pias? V. Commutatio Ultimarum Voluntatum.
An Testamentum conditum ad causas pias opus habeat solennitatibus Juris? V. Testamentum non solenne.

Pignus.

Utrum Jus Patronatûs competat Creditori, Castrum, cui Jus istud annexum est, habenti in pignus? XXXVIII. 91. 92

Placitum.

Placitum non potest fieri in Ecclesia. XLIX. 77
Vel ejus domibus. 78
A Judice Seculari; secus ab Ecclesiastico. 79
Quid veniat nomine Placiti? 80

Pollutio Ecclesiæ.

Quando Ecclesia dicatur pollui? XL. 63
Quis sit Pollutionis effectus præcipuus? 64. 65
Quibus modis polluatur Ecclesia, vel Cœmeterium? 66. &c.
An polluatur Ecclesia etiam per sepulturam Catechumeni, vel infantis nondum baptizati? 72, 73. 74
An per sepulturam Excommunicati tolerati? 75. 76
Vel Interdicti? 77
Quid requiratur, ut occisione hominis polluatur Ecclesia, vel Cœmeterium? 78. 79
Quid, ut polluatur per effusionem sanguinis, aut seminis? 80. 81
An actus inducens pollutionem debeat esse notorius? 82
An polluatur Ecclesia etiam per alia crimina? 83
Quid faciendum, quando Ecclesia est polluta? 84
V. Reconciliatio.

Populator agrorum.

Privatur Asylo. XLIX. 186
Quis censeatur esse Populator agrorum nocturnus? 195
An Asylo gaudeat Populator agrorum diurnus? 196. 197

Portio Canonica Episcopalis.

Quid sit? XXVI. 222
Cui debeatur, & ex quo capite? 223
Quibus casibus non præstetur? 224
An debeatur ex ijs, quæ Ecclesijs obveniunt jure institutionis, aut mortis causâ donatione? 225
An ex relictis Ecclesiæ, vel Monasterio Exempto? 226. 227. 228
Quid dicendum, si testator Episcopo reliquit propriam suam portionem? 229. 230
Cui Episcopo debeatur Portio Canonica, quando Testator Legatum fecit Ecclesiæ alterius Diœcesis? 231

Portio Canonica Parochialis.

Quid sit, & unde pendenda? XXVIII. 83
Cui? 84. 85
A quo? 86. 87
Quibus casibus non debeatur? 88. 89. 90
Pars quarta illius à Parochia debet præstari Episcopo. 91
Quomodo? 92
Quænam pars priùs deducenda sit, Portio Parochialis, an Episcopalis? 93

Possessor. Possessio.

An fieri Præsentatio validè possit etiam à mero possessore Juris Patronatûs? XXXVIII. 85
Quid si lis mota sit ei super proprietate istius Juris? 86. 87. 88

Posthumus.

Quando agnatione Posthumi rumpatur Testamentum? XXVI. 171. &c.

Prælati.

An Prælati inferiores Episcopo possint commutare Ultimas Voluntates? XXVI. 217
An eximere ab onere solvendi Decimas? XXX. 54
Quam Jurisdictionem in Novitios Prælatus Regularis habeat? XXXI. 88. 89
An, & quæ Vota Religiosorum sibi subjectorum possit irritare Prælatus Regularis? XXXIV. 85
An dispensare cum Novitijs possit in Voto? 104. 105. 106
Quam potestatem circa reductionem Missarum habeant Prælati Regulares? XLI. 145. &c.

Præscriptio.

An Limites Diœcesium, & Parochiarum præscribi possint? XXIX. 22. &c.
Utrum potestas cognoscendi de causis istorum finium acquiri possit præscriptione à potestate Laica? 29. 30. 31
Quanti temporis debeat esse Præscriptio, ut per eam acquiratur Jus decimandi alicui Ecclesiæ, vel loco Sacro? XXX. 42. 43. 44
An Decimæ præscribi etiam possint à Laicis? 45. 46. 47
An qui præscripsit Decimas prædiales, eo ipso præscripserit etiam Decimas Novalium? 48. 49
Tempus requisitum, ut immunitas ab obligatione solvendi Decimas acquiratur Præscriptione. 63
An Religiosus possit præscribere contra Professionem à se editam, & sic se ab illa eximere? XXXI. 222. 223
An Jus Patronatûs acquiri Præscriptione possit? XXXVIII. 166
An Cathedraticum possit tolli Præscriptione? XXXIX. 51. 52
An eâ possit tolli Subsidium Charitativum? 73. 74. 75
An Jus imponendi Tributa, & Vectigalia acquiri Præscriptione possit? 85
An possit contra Procurationes præscribi? 112. 113. &c.

Præsentatio.

Quid sit Præsentatio? XXXVIII. 112
Quis hujus Effectus? 113
An requiratur præsentia Patroni, & præsentati? 114. &c.
An Collatio Beneficij, Patrono contradicente, vel ignorante facta sit valida? 118. 119. 120
Quid Juris, si plures sint Patroni habentes jus præsentandi ad idem Beneficium? 121. 122
Quis præsentari ad Beneficium vacans possit? 167. 168
An Patronus possit præsentare seipsum? 169. &c.
An Filium suum? 173. 174. 175
An valida sit Præsentatio non instructi ea qualitate, quæ ex mente Fundatoris requiritur? 176. 177
Quis præsentandus sit, quando Fundator voluit, ut præsentetur aliquis de consanguineis? 178. &c.
An legitimatus sit capax Beneficij Familiaris? 186. &c.
Quæ sit obligatio præsentandi dignum, vel digniorem? 189. &c.
Quoties liceat variare Patrono Laico? 201. 202. 203
An variare possit non obstante Juramento, quo promisit se non variaturum? 204. &c.
An variare possit, pendente lite? 207 208
Quis ex pluribus præsentatis instituendus sit? 209. &c.
Intra quoad tempus Præsentatio fieri debeat? 217
An tempus istud continuum sit? 218
An, & quando, lapso hoc tempore, locus adhuc præsentationi sit? 219. &c.
An tempus hoc currat, etiam pendente lite inter Patronos? 224. &c.
An prorogari illud possit ab Ordinario, vel ipso Fundatore? 228. &c.
Quid Juris, si Præsentatio in tempore facta effectum non est sortita? 231

Præstimonia.

An Præstimonia obtinentes obligentur ad Horas? XLI. 75

Presbyter non baptizatus.

An valeant actus gesti à Presbytero non baptizato? XLIII. 5. 6. 7

Primitiæ.

Definitio Primitiarum. XXX. 79
An sit præceptum aliquod illas solvendi? 81. 82
Quibus solvi eædem debeant? 86

Princeps Sæcularis.

Potest commutare relicta ad causam profanam XXVI. 213

Prioriſſa.

V. Abbatiſſa.

Privilegium.

Quomodo acquiri Jus decimandi possit Privilegio Apostolico? XXX. 35
An privilegium percipiendi Decimas se extendat etiam ad Decimas Novalium? 50. 51
Ab onere solvendi Decimas eximere potest Papa, & quidem solus. 53. 54
Quod privilegium est odiosum. 55
Proinde ad Decimas Novalium non extenditur. 56
Amittitur triplici ex capite. 57. 58
Quænam privilegia Novitijs competant? XXXI. 82. 83. 84
An, & cujus privilegio Jus Patronatûs acquiri possit? XXXVIII. 165
An privilegium possit liberare ab obligatione solvendi procurationes? XXXIX. 108

Procuratio.

Definitio procurationis. XXXIX. 100
Cui debeatur? 101, 102. 103
Quid circa eas servandum, ne subditi nimiùm graventur? 104
A quibus solvendæ sint? 105
An ab Oratorijs privatis, & Hospitalibus? 106
An ab Ecclesijs, & personis Ecclesiasticis pauperibus? 107
An Privilegium liberare ab obligatione hac possit? 108
An possint ab Episcopo remitti? 109
An contra eas præscribi? 112
Quid circa illas possit præscriptio? 113
Quam vim habeat Præscriptio immemorialis? 114

Procurator.

An Votum impleri per Procuratorem possit? XXXIV. 50
Clericis prohibentur Procurationes in bonis Laicorum. L. 36
Quatenus hoc ipsis prohibeatur? 49. 50. 51

Prodigus.

Non potest esse testis in Testamento. XXVI. 28
Neque Testamentum condere. 73
An Testamenta rumpantur, etiam prodigalitate superveniente? 181

Proditio.

V. Homicidium Proditorium.

Professio.

Duplex Professionis Religiosæ acceptio. XXXI. 149
Ejus necessitas ad constituendum verè Religiosum. 150
Alia est Expressa, alia Tacita. 155
Modus, quo olim inducebatur Professio Tacita. 156
Vis illius. 157
Locus eidem defacto est post Trid. 158. 159
Vix tamen in Societate JESU. 160
Requisita, ut inducatur Professio Tacita. 161. 162
Requisita ad Professionem Expressam. 163. &c.
An valeat emissa ab eo, qui impedimentum aliquod in Examine tacuit? 168. 169
An in Professione malitia suppleat ætatem? 170. 171. 172
An valorem ejus impediat metus? 173. &c.
Qua formâ Professio expressa fieri debeat? 179. 180. 181
Quis admittere Novitios ad Professionem possit? 282. &c.
Quomodo convalescat emissa invalidè? 189. &c.
An, & quamdiu impugnari possit? 193. &c.
Quis sit effectus Professionis validæ? 206. 207. 208
An eosdem effectus etiam Vota Simplicia Societatis JESU habeant? 209. 210
An Professio Religiosa dissolvi possit authoritate Summi Pontificis? 211. 212
An dissolvatur per promotionem ad Beneficium extra Ordinem? 213
Vel ad Episcopatum? 214. 215
An valida sit Professio, quam emittit Episcopus, facultate Pontificis non obtenta? 216. &c.
Utrum Religionis Professione amittatur Nobilitas? 220. 221
An Religiosus possit præscribere contra Professionem à se emissam? 222. 223

Professus.

An Testamentum, ante ingressum Religionis conditum, rumpatur, aut irritetur, secuta postea Professione? XXVI. 182. 183
Quis Professo succedat in bonis, quando is ante Professionem suam de ijsdem non disposuit? XXVII. 67. 68. 69
Quænam bona, & jura Professione Religionis, quæ capax est successionis, ab intestato transferantur in Monasterium? 70. &c.
An ad hoc, ut Monasterium acquirat bona Professi sui, necessarium sit, ut illa apprehendat? 75
Vel ut Professus hæreditatem, aut Legatum sibi factum acceptet? 76. 77. 78
Utrum ex bonis Professi, debeatur Legitima ejusdem filijs? 79
An statim post editam Professionem? 80. 81
An jus succedendi in bona Professorum, quod Monasterijs competit, tolli possit consuetudine, vel Statuto? 82. 83. 84.
An Professus transire possit ad alium Ordinem? V. Transitus.
Quis sit effectus Professionis post Matrimonium ratum emissæ? V. Conversio conjugatorum.
Quam vim habeat Professio edita post Matrimonium consummatum? V. ibid.

)()()()()()()(Pro-

Pronepotes.

Jure repræsentationis gaudent. XXVII. 24
Nisi pater repudiaverit hæreditatem. 25

Pupilli.

Sunt capaces Juris Patronatûs. XXVIII. 74
Et valet præsentatio à Pupillo facta etiam sine authoritate Tutoris. 75

Purificatio post Partum.

In Veteri Lege fuit præcepta. XLVII. 1
Ejus ritus. 2
Ab hac eximebatur B. V. 3
In novo Testamento honestè observatur, non tamen sub obligatione. 4
Ad quem pertineat Purificatio mulierum post Partum? 5. 6. 7

Q.

Querela Inofficiosi.

Quid sit, & quibus competat? XXVI. 188
Contra quos? 189
Quando cesset? 190

R.

Raptores.

Privantur Sepulturâ Ecclesiasticâ. XXVIII. 49
Non tamen Asylo, si confugiant ad Ecclesiam. XLIX. 261

Rationes.

An Episcopus ab Administratoribus Hospitalium, & aliorum piorum locorum Rationes possit exigere? XXXVI. 21. 22
An Episcopus Regulares possit compellere ad exhibendos Libros sacristiæ, in quibus annetatur, an satisfactum sit obligationibus Missarum susceptis? XLI. 134

Reconciliatio.

An Ecclesia polluta reconcilietur sola celebratione Missæ? XL. 85
Cujus expensis reconciliari debeat? 86

Redemptio.

Quando Votum dicatur redimi? XXXIV. 92

Reditus Stolæ.

V. Stola.

Reductio Missarum.

An onera Missarum maneant, si proventus pro ijs assignati ex integro perierunt? XLI. 137
Quid si diminuti sint? 138. 139. 140
Cujus potestate reductio hujusmodi onerum fieri possit? 141. &c.
Quomodo reductio hæc fieri debeat? 156. &c.
An justa causa petendi Reductionem sit, quando successu temporis Lege, vel consuetudine assignatum Missis est stipendium arctius? 163
An hoc casu Hæres teneatur supplere defectum? 164. 165
An aucta re legata, pro Missarum onere relicta, etiam augendus sit Missarum numerus? 166. 167

Regula.

An Novitius, quamdiu in Probatione versatur, obligetur ad observantiam Regulæ, & præceptorum datorum à Superioribus Regularibus? XXXI. 85. 86. 87
An subditis Religiosis à Prælato suo præcipi possint, quæ sunt extra Regulam? XXXV. 63
An id possit Summus Pontifex? 64
Quanam censeantur implicitè contenta in Regula? 65. 66
Sub quo reatu obligentur Religiosi servare ea, quæ contenta sunt in Regulis, & Constitutionibus Ordinis? 71
An in Statu peccati mortalis sit, qui consuetudinem habet transgrediendi Regulas sub nulla, vel veniali tantùm culpa obligantes? 72. &c.
An Religiosi obligentur ad asperitates primævæ Regulæ, si illa cum tempore sit relaxata? 76. 77
Quid si per reformationem primævo rigori sit restituta? 78. &c

Regulares.

Quinam Regulares Jus Sepulturæ habeant? XXVIII. 6
An possint huic Juri renuntiare? 8
Quinam Regulares possint sibi eligere Sepulturam? 14
An, & ubi prædicare Verbum Divinum possint? XXIX. 17
An, ut hoc possint, necessariò debeant esse constituti in SS. Ordinibus? 18
Quanam Jure communi sint statuta circa Regulares in genere? XXXV. 84. &c.
De Jure communi subjecti sunt Episcopo. ibid.
Non recipiantur in Monasterium pro pretio. 85
Potest integrum Monasterium transferri ad strictiorem Ordinem. 86
Quid Jure communi statuum sit de Concilijs, & Capitulis Provincialibus Regularium? 90
Quid circa eorum Visitationem? 91
Quid circa Clausuram? *V.* Clausura.
An Episcopus Regulares possit compellere ad exhibendos Libros Sacristiæ, in quibus annotatur, an satisfactum sit oneribus Missarum susceptis? XLI. 134. 135. 136

Relc-

Relegati.

Non prohibentur testari. XXVI. 77

Religio.

Quando substitutus excludatur per ingressum Religionis? XXVI. 137. 138
Quid sit Religio, sive Status Religiosus? XXXI. 1. 2
Quo Jure sit institutus, Divino, an Ecclesiastico tantùm? 3. 4
Quot sint genera Statuum Religiosorum? 5. 6
Unde desumatur diversitas Ordinum Religiosorum? 7. 8
Divisio Ordinum in Monachales, Clericales, Mendicantes, Militares, & Hospitalarios. 9. 10
Societas JEsu pertinet ad Ordines Clericorum, & Mendicantium. 11. 12
Requisita ad substantiam Religionis. 13
An ad hanc requiratur solennitas Votorum? 14. 15. 16
Et obligatio perpetua tam ex parte Religiosi, quàm ex parte Religionis? 17. 18. 19
An requiratur Vita communis? 20. 21
Et approbatio Summi Pontificis? 22
Quinam effici Religiosi possint? V. Religiosus.
Annus Probationis. V. Novitiatus.
Professio Religiosa. V. Professio.
Recessus à Religione permissus, & vetitus. V. Apostata, Ejectus, Fugitivus, Transitus ad aliam Religionem.

Religiosæ domus.

Definitio Religiosæ Domus, & harum varietas. XXXVI. 1. 2. 3
Jure communi subjectæ sunt Episcopo. 4
Etsi incorporatæ sint Monasterio exempto. 5
De temporalibus tamen earum Episcopus non potest pro libitu disponere. 6
Quando dubium est, in qua Diœcesi sit Ecclesia, subest Episcopo, qui antequam illa ædificaretur, Jura Episcopalia ibi exercuit. 7. 8. 9
Monasterium, vel Ecclesia, unita Ecclesiæ, vel Monasterio alterius Diœcesis, manet subjecta Episcopo, cui antea suberat. 10. 11. 12
An, & quomodo Hospitalia, & catera loca, ad pietatis, vel Misericordiæ opera deputata, subjiciantur Episcopo? 13. &c.
An loca pia, & Religiosa sine authoritate Ecclesiastica in profanos usus converti possint? 23. 24
An, & quo casu Ecclesiæ Regulares converti in Sæculares? 25. &c.
Quis valeat licentiam dare ad nova Monasteria erigenda? V. Monasterium.

Religiosus.

Religiosi Professi regulariter neque ad causas pias testari possunt. XXVI. 81
Quod etiam dicendum de Coadjutoribus formatis Societatis JEsu. ibid.
Possunt tamen Religiosi Professi instituì Hæredes, cum limitatione. 90
Quando effectum habeat Testamentum, conditum à Religioso ante ingressum suum in Religionem? 184. 185
An possit esse Executor Testamenti? V. Executio Testamenti.
Religiosi proprietarij privantur Sepulturâ Ecclesiasticâ. XXVIII. 49
Mendicantes habent privilegium concionandi. XXIX. 17
An Religiosi teneantur solvere Decimas? XXX. 21
Pœna Religiosorum non solventium Decimas, aut solvere prohibentium. 78
Quinam effici Religiosi possint? XXXI. 23. &c.
An Servi? 29. 30
An Episcopus? 31. 32
Vel Clericus alius Beneficiarius? 33. 34
An ære alieno gravatus? 35. 36. &c.
An liberi, si pauperes parentes habeant? 40. 41
An frater, si fratres, aut sorores habeat pauperes? 42. 43
An possit Religiosus ab una Religione transire ad aliam? 224. &c.
Quatenus Religiosi vovere possint? XXXIV. 14
An Religiosus Ecclesiæ, extra Monasterium positæ, præfici solus possit? XXXVII. 6. 7. 8
Quinam Religiosi obligentur ad Horas Canonicas? V. Horæ Canonicæ.
An privilegium Asyli habeant? V. Asylia.
Quomodo puniendi sint Religiosi incorrigibiles? L. 98

Reliquiæ Sanctorum.

Quid intelligatur nomine Reliquiarum? XLV. 40
An rectè colantur? 41. 42. 43
Quid requiratur, ut coli possint? 44
Quid, ut possint exponi publicæ venerationi? 45. &c.
An si cum Reliquijs approbatis misceantur aliæ non approbatæ, liceat eas populo colendas exponere? 51. &c.
Quid observandum in earum ostensione? 55. 56
An possint vendi? 57. 58. 59
An transferri ab una Ecclesia ad aliam? 60. &c.
Quale peccatum sit furtiva earum subtractio? 65

Renuntiatio.

An, & quando Novitius renuntiare bonis, & Juribus suis possit? XXXI. 96
Quid de hoc statutum in Societate JESU? 97. 98
Quænam Renuntiationes, contractus, & pacta per Trid. Decretum sint irritata? 100. 101. 102
Quid requiratur, ut validè fieri Renuntiatio à Novitio possit? 103. &c.
Quando fieri illa possit, casu, quo Professio ex aliqua causa justa differtur, vel ex dispensatione emittitur ante finitum annum Probationis? 105. &c.

An bimestre à Trid. pro renuntiatione facienda concessum sit computandum de momento ad momentum? III. 112
An effectum renuntiatio habeat, si Professio hanc secuta sit irrita? 113
An convalescat, si invalidè facta Professio ratificetur? 114
An corruat, si renuntians moriatur ante Professionem? 115. &c.
An revocari possit à Novitio volente perseverare in Religione? 119. 120
An bona cessa ante Professionem possint tradi Cessionario? 121
Et si tradantur, an iste acquirat illorum dominium, vel saltem possessionem? 122. 123
An Decreto Conciliari subjaceat etiam Renuntiatio Beneficij? 124. &c.
Et renuntiationes aliæ factæ ante ingressum in Religionem? 127. &c.
Vel post ingressum quidem, sed ante susceptionem Habitûs? 132. &c.
Quid dicendum de Renuntiationibus, quæ fiunt in Societate JESU? 135. &c.
Quas Renuntiationes, & quos renuntiantes teneat Decretum Conciliare? 143. 144. 145
Utrum renuntiationes factæ ante ingressum subjaceant solennitatibus Juris Statutarij, vel communis? 146. 147. 148
In Voto Paupertatis Religiosæ non includitur renuntiatio Beneficij Ecclesiastici, & aliorum Jurium Spiritualium. XXXV. 2
Nec famæ, aut honoris. 3

Reparatio.

Quis concurrere debeat ad reparationem Ecclesiæ Parochialis? XLVIII. 33. &c.
Quis ad reparationem Ecclesiæ Cathedralis? 40. 41
Quis ad ampliationem Ecclesiæ? 42. 43. 44
Quid veniat nomine reparationis? 45
An etiam Ædes Parochiales? 46
Ex quibus bonis Ecclesia Parochialis Rector, & Clerici concurrere debeant ad reparationem illius? 47. 48. 49
Utrum ad reparationem Ecclesiæ teneantur Patroni? 50. 51. 52
Decimatores? 53. &c.
Parochiani? 62
Quomodo isti concurrere debeant? 63. 64. 65

Reservatio.

Quænam Vota sint reservata Summo Pontifici? XXXIV. 108
Quæ non sint reservata? 109
Quando inferiores Prælati possint dispensare in Votis reservatis? 110. 111
An Votum Castitatis, Religionis &c. reservatum sit etiam, quando sub conditione emittitur? 112. &c.

Rustici.

V. Testamentum Rusticorum.

S.

Sabbatum Sanctum.

An liceat celebrare Missam in Sabbato Sancto? XLI. 44

Sacramentum.

Parochianis Sacramenta administrari possunt etiam ab alijs. XXIX. 13
Quænam? 14
Quæ sit obligatio Parochi ad hæc administranda Parochianis? 15
Sacramentum Eucharistiæ. V. Eucharistia.
Sacramentum Baptismi. V. Baptismus.
Sacramentum Confirmationis. V. Confirmationis Sacramentum.

Sacrificium.

Quid sit Sacrificium, & quotuplex? XLI. 31
V. Missa.

Sacrilegium.

An omne opus profanum in Templo factum speciem Sacrilegij habeat? XLIX. 67
An Sacrilegium excludat Asylo? 261

Sæcularia Negotia.

V. Negotium. Negotiatio.

Sanctorum Canonizatio.

V. Canonizatio.

Scriptum Testamentum.

V. Testamentum.

Sæpultura.

In quo loco sepeliendi fideles sint? XXVIII. 1
Ubi Cæmeteria possint construi? 2. 3
An quivis fideles sepeliri possint in Ecclesia? 4. 5
Quænam Ecclesiæ Jus sepulturæ habeant? 6
Quis dare possit hoc Jus? 7
An eidem Regulares renuntiare? 8
In quonam loco ex omnibus, quibus jus sepeliendi competit, quisque sepeliri debeat? 9

Sepulturæ Electio.

Quinam eligere sibi Sepulturam possint? XXVIII. 10. 11
An pater filio impuberi? 12
An Filius constitutus in Patria potestate? 13
Quinam Regulares sibi eligere Sepulturam possint? 14
In quo loco sint sepeliendi Novitij? 15
An Sepultura eligi possit in loco minùs Religioso? 16

Vel in Ecclesijs Monialium? 17. 18. 19. 20
An electio Sepulturæ referri possit in arbitrium alienum? 21. 22
Pœna inducentium ad electionem Sepulturæ in certo loco. 23
Requisita ad pœnam hanc incurrendam. 24
An sufficienter probetur assertione Confessarij? 26

Sepultura Majorum.

Qui nullam sibi Sepulturam elegit, sepeliendus est in Sepulchro Majorum. XXVIII. 27
Quodnam sit præferendum, si Pater, & Avus in uno, Proavus, & Atavus in alio loco sepulti sunt? 28
Vel si Pater in uno, cæteri Progenitores in alio? 29. 30
In quo sepeliendi sint filij naturales, spurij, & adoptivi? 31
Uxor superstes marito suo? 32
Vel præmortua? 33
An vicissim maritus sepeliri debeat in sepulchro uxoris? 34. 35
Requisita, ut uxor obtineat sepulchrum mariti sui. 36

Sepultura Parochialis.

Qui sepulturam majorum non habet, sepeliendus est in Parochia propria. XXVIII. 38
Ubi sepeliendus sit, qui in loco, ubi mortuus est, habet quasi Domicilium? 39
Ubi, qui duplex domicilium habet? 40
Ubi Peregrini, & Advenæ? 41
Quid de ijs tenendum, quando decesserunt in Monasterio? 42. 43. 44
Clericus sepeliri in quo loco debeat? 45. &c.
In quo loco famuli Domestici Religiosorum? V. Famulus.

Indigni Sepulturâ Ecclesiasticâ

Recensentur, qui Ecclesiasticâ Sepulturâ indigni sunt. XXVIII. 49
Si horum aliquis Sepulturam Ecclesiasticam accepit, corpus ejus procul ab Ecclesia abijci debet. 50
Et Ecclesia reconciliari. 51. 52
Pœnæ ita sepelientium. 53
Requisita, ut incurrantur. 54. 55. 56
Sepulturâ Ecclesiasticâ privantur Excommunicati vitandi. 57
Non vitandis conceditur Sepultura Ecclesiastica, si datis Pœnitentiæ signis decesserint. 58. 59. 60
Absolvi tamen priùs debent à Censura. 61
A quo? 62
Et quomodo? 63
Quando Sepulturâ Ecclesiasticâ priventur Suicidæ? 64. 65. 66
An fideles, ob gravia delicta ultimo supplicio affecti, si pœnitentes obierint, in loco sacro sepeliri possint? 67. 68. 69
Quid cum ijs faciendum, qui moriuntur in carcere, aut occiduntur, dum ex eo fugiunt? 70
Quid agendum, si mater moriatur pragnans? 71

Jus Sepulturæ Sacræ.

An Jus Sepulturæ Sacræ dari alicui possit? XXVIII. 72. 73
Quot modis aliquis habere propriam Sepulturam ad usum possit? 74
Quomodo acquiratur Jus Sepulturæ familiaris, aut hereditariæ? 75
An Ecclesia locum, ad Sepulturam familiarem, vel hereditariam datum uni, concedere possit alijs? 76
Pœna sepelientium aliquem, qui in Parochiali sepeliri debuit. 77
Ubi sepeliendum corpus, cùm litigatur de Sepulturæ loco? 78
An alibi sepultum, quàm debuit, ante omnia restitui debeat? 79
An aliquid accipi, vel peti occasione Sepulturæ possit? 80
Quando? 81
An Jus Sepulturæ propriæ vendi possit? 82

Servus.

Non potest esse testis in Testamento. XXVI. 28
Nec Testamentum condere. 75
Suspectus de adulterio commisso cum domina, non potest ab hac institui Hæres. 94
Quomodo Religionem prohibeantur ingredi Servi? XXXI. 23. 29. 30
An, & quomodo Vota Servi possit irritare Dominus? XXXIV. 82. 83. 84
An servi gaudeant Immunitate Locali? V. Asylia.

Simoniaci.

Non excluduntur Asylo. XLIX. 26.

Societas JESU.

Professi, & Coadjutores formati Societatis JESU non possunt testari. XXVI. 81
Possunt Scholastici ejusdem. ibid.
Idem Professi, & Coadjutores etiam non possunt instituì Hæredes. 97
Possunt Scholastici, & Coadjutores nondum formati: & si instituantur, acquirunt sibi. 90. 97
Quomodo institui possint Domus Professa Societatis? 98
Professis, & Coadjutoribus Societatis possunt relinqui Legata. 149
Religioso Societatis ad munus Executoris Testamenti suscipiendum facultatem dare potest solus Generalis, & is, qui ab hoc potestatem hanc concedendi habet. 194.
An jus succedendi ab intestato habeat? XXVII. 69
Privilegium hujus ad concionandum. XXIX. 17. 18

Eximitur ab obligatione solvendi Decimas. XXX. 53
Pertinet ad Ordines Clericorum, & Mendicantium. XXXI. 11
Etiam prout complectitur Scholasticos, degentes in Collegijs. 12
Ad hujus Novitiatum Provincialis neminem potest admittere ante 15. ætatis annum completum? 45
Quid circa Probationis tempus dicendum in Societate? 52
An biennium in ea requisitum Superiores Societatis possint contrahere? 53
An id possit Generalis Præpositus? 54. 55
In Societate Beneficia Novitiorum ejusdem non vacant toto biennio Novitiatûs, & hoc finito usque ad Professionem, aut Vota Coadjutorum, nisi antea, ut solet, ejsdem sit renuntiatum. 91
Ac proinde collatio alteri facta invalida est. 92
Quid de Renuntiationibus Novitiorum statutum sit in Societate? 97. 98
Utrum sicut in alijs Religionibus, si non sequatur Professio, ita etiam in Societate cadat Renuntiatio facta à Religioso, si ante Professionem editam dimittatur? 135. 136
Decidituir has Renuntiationes esse absolutas, & irrevocabiles. 137. &c.
An Professio tacita etiam locum habeat in Societate? 160
Quos effectus habeant Vota Simplicia Societatis? 209. 210
In Societate Præpositus Generalis Religiosis, etiam Professis, sibi subjectis licentiam dare potest transeundi ad quemcunque Ordinem. 232
Quid singulare Societas habeat circa Votum Paupertatis Religiosæ? XXXV. 6
An validè de bonis suis disponant Scholastici ejusdem sine licentia superiorum? 8. 9. 10

Sodomitæ.

An privèntur Asylo? XLIX. 261

Solenne Testamentum.

V. Testamentum Solenne.

Solutio.

V. Moneta.

Spurij.

Quemodo succedant Parentibus? V. Liberi, Filij. Successio.
In quo loco sepeliendi sint? XXVIII. 28.
An sint capaces Juris Patronatûs? XXXVIII. 73

Statutæ.

An jus Asyli habeant confugientes ad illas? XLIX. 152. 153

Status Monachorum, & Canonicorum Regularium.

V. Regula. Regularis, Religiosus.

Statutum.

An facultas testandi abrogari Statuto possit? XXVI. 8
An jus succedendi in bona Professorum, quod Monasterijs competit, tolli possit Statuto? XXVII. 84

Stipendium.

Stipendium pro celebratione Missarum. V. Applicatio fructûs.

Stola.

Stolæ reditus revocantur ad Bona quasi Patrimonialia Clericorum. XXV. 1

Studium.

Clericis, & Religiosis prohibetur Studium Legum, & Medicinæ. L. 66
Sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ. 67
Nec possunt ad hoc dare licentiam Superiores Regulares. 68
Requisita, ut pœnam hanc incurrant Religiosi. 70. &c.
Requisita, ut eam incurrant Clerici Seculares. 74
Quinam Clerici immunes à pœna hac sint? 75
An Religiosi, & Clerici prohibeantur etiam docere Leges, & Physicam? 76 &c.
Utrum in his disciplinis possint recipere Gradum Doctoratûs? 80. &c.
An prohibeatur etiam illa Legum auditio, qua fit ad SS. Canones melùs intelligendos? 84. 85. 86
An Excommunicationem prædictam incurrat etiam Religiosus, qui ad has Disciplinas audiendas egressus, easdem ob impedimentum occurrens non audit? 87. 88. 89
Sine licentia Superioris egressus ad quæcunque Studia incurrit Excommunicationem. 90
Requisita ad hanc incurrendam. 91
Quæ sit pœna Doctorum, qui Religiosos, habitu dimisso, Leges, vel Medicinam audientes, docent, vel in Scholis retinent? 92. 93. 94
Quam pœnam incurrant Religiosi, qui Habitum Regularem dimittunt? 95. 96. 97

Subsidium Charitativum.

V. Charitativum Subsidium.

Substitutio.

Hæ frequenter fiunt in Testamentis? XXVI. 113
Duplex acceptio Substitutionis. 114
Ejus definitio, & divisio. 115
Definitio substitutionis Vulgaris, Effectus, & contraria. 116. 117. 118
Definitio substitutionis Pupillaris, Effectus, & contraria. 119. 120. 121

De-

Definitio, Effectus, Contrariæ substitutionis Exemplaris. 122
Militaris. 123
Compendiosæ. 124
Reciprocæ. 125
Substitutio Indirecta, seu Fideicommissoria. V. Fideicommissum.

Successio.

Quid sit Successio ab intestato? XXVII. 1
Locus ei est, quando succedi non potest ex Testamento. 2
Differentia ejus à successione Testamentaria. 3
Ordo Successionis ab intestato. 4
Modus computandi Gradus in ordine ad successionem. 5.6
Forma hujus Successionis. 7
Probanda, ut locus eidem sit. 8.9
Materia, finis, effectus. 10
Qua ratione ab intestato succedant Liberi, & horum descendentes? V. Liberi. Filij.
Qua ratione succedant Ascendentes? V. Ascendentes.
Consanguinei Collaterales? V. Consanguinei Collaterales.
Uxor, Ecclesiæ, Fiscus? V. Uxor. Ecclesia. Fiscus.
An, & quomodo Jus Patronatûs transferatur per successionem hæreditariam? XXXVIII. 123. &c.

Suicidiæ.

Privantur Sepulturâ Ecclesiasticâ. XXVIII. 49
Quando eâ privandi sint? 64. 65. 66

Surdus.

Non potest esse testis in Testamento. XXVI. 29
Nec condere Testamentum, si simul mutus sit, & utrumque defectum à nativitate habeat. 71
An Testamenta irritentur surditate superveniente? 181

Sustentatio congrua.

Quænam bona dicantur superflua sustentationi congruæ? XXV. 20. 21
Parocho, & alijs Curatis debetur sustentatio congrua. XXXIX. 117
Quid intelligatur nomine sustentationis congruæ? 118. 119. 120
An portio congrua consuetudine tolli possit? 121
Aut vindicare illam sibi Patroni? 122. 123. 124
Unde suppleri hujus defectus debeat? 125. &c.
Quis debeat de sustentatione congrua providere Vicario perpetuo? 129
Quid si dubium sit, an habeat portionem congruam? 130
An Episcopus ad defectum portionis supplendum compellere possit etiam Religiosos Exemptos? 131
Quantum nomine Sustentationis congruæ assignandum sit Vicario Parochiali? 132
Quid circa hoc possit Episcopus? 133
Quid faciendum, quando Ecclesiæ unitæ fructus sunt valde exigui? 134
Et si pretium rerum ita augeatur, ut portio assignata non amplius sufficiat? 135
Quænam veniant nomine proventuum Ecclesiæ, ex quibus congrua portio Vicario perpetuo est assignanda? 136
An portio semel constituta mutetur pro variâ conditione Vicarij? 137
Coram quo Judice congruæ portionis assignatio, & redintegratio petenda sit? 138. 139
Quomodo procedendum sit in congruæ portionis causis? 140

T.

Tabellio.

Officium Tabellionis prohibetur Clericis, & Religiosis. L. 36
Quibus Clericis id prohibeatur? 52. 53. 54
In quibus causis, & casibus ijdem exercere possint? 55. 56. 57
An valeant Instrumenta à Clericis, & Religiosis Notarijs confecta? 58. &c.

Tabernaculum.

Tabernaculum Eucharistiæ an Jus Asyli habeat? XLIX. 143. &c.

Tempus.

Lapsu temporis cessat obligatio Voti? XXXIV. 58. 59

Testamentum.

Quid sit Testamentum? XXVI. 2
Cui Juri originem suam debeat facultas testandi? 3. &c.
An testandi facultas abrogari possit per Legem, Statutum, vel consuetudinem? 8. 9. 10
An valid m sit Testamentum, quod incusso gravi metu extortum est? 11. 12. 13
Vel ad quod Testator inductus est falsis suggestionibus, & dolosis persuasionibus? 14. 15. 16
Quinam condere Testamentum possint? V. Testator.

Testamentum Solenne.

Quænam Solennitates requirantur ad Testamentum solenne scriptum? XXVI. 23. 24
Quæ ad solenne Nuncupativum? 25
Differentia inter scriptum, & Nuncupativum. 26. 27
Qualitates in testibus Testamentarijs requisitæ. 28. 29. 30
In territorio Pontificio derogatum est Legibus quoad numerum testium. 31
Extra illud servandæ sunt etiam in foro Canonico. 32. 33

Nec eximuntur ijsdem Clerici. 34
Testamentum destitutum solennitatibus invalidum est in foro externo. 36
Et potuit invalidari in foro etiam interno. 37
Estque defacto probabilius invalidatum. 38. 39. 40

Testamentum non solenne.

Non solenne privilegiatum est septuplex : primò Pium. XXVI. 41
Quando tale esse censeatur? 42. 43
Valet sine solennitatibus Juris. 44. 45. 46
In quocunque, etiam Sæculari foro. 47. 48. 49
Alterum Militare. 50. 51. 52
Tertium in Liberos. 53. 54
Quartum Rusticorum. 55
Quintum conditum tempore Pestis. 56
Sextum oblatum Principi. 57
Septimum Judiciale, seu conditum, & publicatum ad acta. 58

Testamenti Resolutio.

Testamentum validè confectum resolvitur aut vi Juris, aut adminiculo hominis XXVI. 169
Prius contingit primò, quando rumpitur. 170
Quod fit Agnatione Posthumi. 171
Etiam quoad Legata. 172
Cum triplici exceptione. 173
Arrogatione, vel Adoptione. 174
Ubi, an rumpatur etiam quoad Legata pia? 175
Et denique mutatione Voluntatis Testatoris. 176
Ubi quando Testamentum posterius deroget priori? 177
Testamentum irritatur, quando patitur Testator capitis diminutionem. 178
Exceptiones. 179. 180
An Testamenta etiam irritentur, superveniente furore, surditie, prodigalitate? 181
An secuta Testatoris Professione Religiosa? 182. &c.
Testamentum destituitur propriè, & impropriè. 186
Quot modis destituatur propriè?
Quid sit querela inofficiosi. V. Querela inofficiosi.

Hæredis Institutio in Testamento.

V. Hæres Testator.

Substitutio in Testamento.

V. Substitutio.

Legata Relicta in Testamento.

V. Legata.

Commutatio Testamenti.

V. Commutatio ultimæ Voluntatis.

Executio Testamenti.

V. Executio.

Portio Canonica.

V. Portio Canonica Episcopalis.

Testator.

Testamentum generaliter condere possunt, qui specialiter non prohibentur. XXVI. 68
Prohibentur autem Infantes, & mente capti. 69
Ebrij ebrietate perfecta. 70
Surdi, & muti a nativitate. 71
Impuberes. 72
Prodigi, contrahentes incestas nuptias, Hæretici. 73
Damnati ob carmen famosum, rei læsæ Majestatis, & repetundarum, aliique Lege intestabiles. 74
Filiusfamilias, Servi. 75
Capti bello justo, obsides apud hostem. 76
Deportati, Banniti. 77
Damnati ad capitale supplicium. 78
Usurarij manifesti. 79
Excommunicati ob Hæresin. 80
Religiosi Professi, & in Societate JESU etiam Coadjutores formati. 81
Clerici Beneficiati de Beneficialibus sustentationi superfluis. 82
Consuetudine induci potest, ut hi testari possint ad causas pias. 83
Et probabiliter etiam ad profanas. 84. 85. 86

Testes.

Quot, & quales Testes requirantur in Testamento? V. Testamentum solenne.

Torneamenta.

Decedentes in Torneamentis, & Hastiludijs, si talia illa sint, ut ex ijs probabile mortis periculum immineat, privantur sepulturâ Ecclesiasticâ. XXVIII. 49

Transactio.

Quid in negotio Decimarum possit Transactio? XXX. 38
Quid circa tollendam obligationem solvendi Decimas? 65

Transit ad aliam Religionem.

An Religiosus ad aliam Religionem transire possit, & quæ conditiones sint observandæ? XXXI. 224. 225. 226
An conditiones istæ requirantur ad valorem Professionis secuturæ? 227. 228. 229
An, & quando Religiosus ex Religione strictiore possit transire ad laxiorem? 230. 231. 232
Quid circa transitum ad aliam Religionem sit observandum Religioso transire volenti, & superiori utriusque Religionis? 233. 234. 235
Quis superior licentiam dare ad sic transeundum possit? 336. &c.
Quænam Jure Canonico interdicta sint Religiosis transeuntibus? 239 &c.
Ad quod Monasterium, vel Religionem pertineant bona Religiosi transeuntis? 242
Quid dicendum de ijs bonis, quæ deferuntur eidem, dum adhuc est Novitius Religionis, ad quam transijt? 243
An casu, quo Abbas Monasterij ipsemet ad aliam Religionem transijt, procedi statim ad Electionem Successoris possit? 244

Trebellianica.

Fiduciarius Hæres in Fideicommisso potest deducere Trebellianicam. XXVI. 139
Requisita ad hoc. 140

Eam deducere potest Hæres suus simul cum Legitima. 141. 142
Etiam quando Legitima est semis. 143
Casus, in quibus deductio Trebellianicæ cessat. 144
Onera hæreditatis cui incumbant? 145

Tributa.

Quis imponere Tributa possit? XXXIX. 83. 84. *V.* Exactiones.

V.

Variatio.

An Patronus variare in Præsentatione possit? V. Præsentatio.

Vectigalia.

Quis imponere Vectigalia possit? V. Exactiones.

Velum.

Quotuplex sit Velum, quod dari Monialibus solet? XXXV. 96

Venditio.

An Jus Decimandi acquiri Venditione possit? XXX. 37
Quomodo transferri possit Venditione Jus Patronatûs? XXXVIII 157
An vendi possint Reliquiæ Sacræ? XLV. 57. 58. 59

Veneratio.

An cultu privato venerari liceat non canonizatum? XXV. 6. 7

Vicarius Generalis.

An commutare Ultimas Voluntates possit? XXV. 218. 219
An consensum dare ad ædificandam Ecclesiam? XXXVIII. 38

Vicarius Parochialis.

Quis Vicario perpetuo providere de sustentatione congruâ debeat? XXXIX 119
Quantum nomine sustentationis congruæ assignandum ipsi sit? 132

Visitatio.

Quid Jure communi statutum sit circa Visitationes Regularium? XXXV. 91
Quo modo hæc facienda? 92
Quid observandum in Visitationibus Monialium? 93
Visitanti debentur Procurationes. XXXIX. 101. 102

Vitalitia

An, & quomodo habere ista Religiosi possint? XXXV. 15. 16. 17

Vita Solitaria.

Quid de hac in Jure sit constitutum? XXXVI. 50

Ultima Voluntas

Quid, & quotuplex sit ultima Voluntas? XXVI. 1
Ejus præcipua Species est Testamentum. V. Testamentum.
Quis commutare Ultimas Voluntates possit? V. Commutatio Ultimæ Voluntatis.

Unio

Per quem sint peragenda Divina in Ecclesijs unitis alicui Monasterio? V. Capella. Capellanus.

Votum.

An ad substantiam Religionis requiratur Votorum solennitas? XXXI. 14. &c.
Quos effectus habeant Vota simplicia Societatis JESU? 209. 210
Definitio Voti. XXXIV. 1
Ejus essentialia. 2. 3
Divisiones variæ. 4. &c.
Licitum est vovere. 9
Quinam vovere possint? 10. &c.
Quomodo vovere possint Religiosi, Filiifam. Conjuges, Servi, Episcopus? 13. &c.
Qualiter obliget Votum Episcopi de Religione assumenda, & Peregrinatione facienda? 20. 21
Quid dicendum circa hoc de alijs Clericis? 22
An quando vovens petit licentiam à Superiore rem Voto promissam implendi teneatur eidem manifestare suum Votum? 23. 24. 25
An teneat Votum non peccandi? 26. 27. 28
Quando censeatur res promissa esse de meliori bono? 29. 30
Qualem obligationem inducat Votum deliberatè factum? 31. 32
Qualem, quod dubium est? 33. 34. 35
Aut incertæ quantitatis, vel qualitatis? 36 &c.
Quando Votum implendum sit? 40. 41
Quando impletio ejus licitè differri possit? 42. 43. 44
An Voto ab aliquo edito adstringi etiam alij possint? 45. &c.
An illud possit impleri per alium? 49. 50
An, & quando Voto defuncti teneatur Hæres? 51. 52. 53
An qui vovit Religionem, possit licitè ante Votum impletum suscipere Episcopatum? 54. &c.
Ad quid obligetur, qui vovit certam mensuram e. g. tritici, non determinando, de quali mensura id intellexerit? XXXIX. 38. 39 40
Cessat obligatio Voti lapsu temporis. V. Tempus.
Mutatione materiæ Voto promissæ. V. Materia.
Cessante conditione, sub qua factum est. V. Conditio.
Cessante causa finali. V. Causa finalis. *Irritatione. V.* Irritatio Voti.
Redemptione, & Commutatione. V. Redemptio Commutatio Voti.
Dispensatione. V. Dispensatio.
Quænam Vota sint reservata Summo Pontifici? V. Reservatio.

Votum Castitatis Religiosæ.

Ad quid obliget Votum Castitatis, & quàm gravis sit ejus obligatio? XXXV. 41
An contra Castitatem dentur culpæ solùm veniales? 42
An peccatum contra Votum Castitatis solenne differat specie à peccato contra Votum Castitatis emissum in Sæculo? 43. 44
An ad Statum Religiosum sufficiat Castitas Conjugalis? 45. 46
An Pontifex in Voto Castitatis solenni dispensare possit? 47. &c.
An validè dispenset sine justa causa? 51

An possit dispensare ita, ut dispensatus ad Matrimonium, suscepta prole, teneatur redire ad Religionem? 52
An Professus, cum quo dispensatum est ad nuptias, teneatur ad recitandum Officium Divinum? 53.54

Votum obedientiæ Religiosæ.

Quæ sit essentia hujus Voti, & obligatio? XXXV. 55
Ejus violatio quotuplicem contineat malitiam? 56.57
Cui Religiosus vi Voti Obedientiæ teneatur obedire? 58
An Moniales Abbatissis, & Priorissis suis? 59
An, & quomodo Regulares utriusque sexûs vi Voti obedire teneantur Episcopo? 60.61.62
An subditis Religiosis à Prælato suo præcipi possint, quæ sunt extra Regulam? 63
An id possit Summus Pontifex? 64
Quænam censeantur implicitè contenta in Regula? 65.66
An Regulares subditi teneantur obedire Prælato Regulari præcipienti actus merè internos? 67.68
An, & qualiter ab ipso obligari possint ad inserviendum peste, vel alio morbo contagioso infecti? 69.70
Sub quo reatu obligentur ad Regulas, & Constitutiones servandas? 71. &c.
An obligari possint ad asperitates primævæ Regulæ? 76. &c.
An ad indifferentia, ridicula &c. 82. 83

Votum paupertatis Religiosæ.

Ad quid obligetur Religiosus ratione Voti Paupertatis Religiosæ? XXXV. 1. 2. 3
An sit de essentia Paupertatis Religiosæ, ut dominio rerum temporalium privet, aut voventem incapacem illius reddat? 4
Quæ sit observantia Paupertatis Religiosæ? 5
Quid singulare circa hanc habeant FF. Minores de Observantia, Capucini, & Societas JESU? 6
Dispositio Religiosi Professi de Bonis temporalibus est invalida. 7
An ita invalida sit etiam dispositio Scholastici in Societate JESU? 8.9.10
An Religiosis licitum sit habere Peculium? 11. &c.
Aut Vitalitium? 15.16.17
Quibus modis Religiosus contra Votum Paupertatis peccare possit? 18. &c.
Quæ licentia Superioris excuset subditum à Paupertatis transgressione? 24. &c.
Quale peccatum sit violatio Paupertatis Religiosa? 37
Quando grave? 38
Quænam pœnæ impositæ sint violantibus Paupertatem? 39
A quibus hæ incurrantur? 40

Usufructarius.

An Jus Patronatûs transeat ad Usufructuarium? XXXVIII. 136

Usurarij.

Usurarij manifesti non possunt testari. XXVI. 79
Privantur Sepulturâ Ecclesiasticâ. XXVIII. 49

Uxor.

Quando in bona Mariti sui succedat? XXVII. 52
In quo loco sepelienda sit? XXVIII. 32. 33
An maritus vicissim sepeliri debeat in Sepulchro uxoris? 34. 35
Requisita, ut uxor obtineat Sepulchrum mariti sui. 36
An, & quæ Vota Uxoris suæ possit irritare Maritus? XXXIV. 88. 89. 90. 91

Omnia ad Majorem DEI, DEIParæque Virginis Gloriam, & Honorem.

SCHMALTZGRUEBER
AD DECRETAL:
LIB: III

Th
481a